


DOCTORIS ECSTATICI

# DIONYSII CARTUSIANI

## OPERA OMNIA

IMPRIMI POTEST

Fr. MICHAEL, Prior Cartusiæ,

in festo S. Agathæ, anno 1902.

IMPRIMATUR

V. CANTINEAU, Censor librorum,

Tornaci, in festo S. Matthiæ, anno 1902.






DOCTORIS ECSTATICI

# D. DIONYSII

CARTUSIANI

# OPERA OMNIA

IN UNUM CORPUS DIGESTA

AD FIDEM EDITIONUM COLONIENSIUM

CURA ET LABORE

MONACHORUM SACRI ORDINIS CARTUSIENSIS

FAVENTE PONT. MAX. LEONE XIII

IN LIBROS S. DIONYSII AREOPAGITÆ

De Cœlesti seu angelica hierarchia, De Ecclesiastica hierarchia



TORNACI

TYPIS CARTUSIÆ S. M. DE PRATIS

MDCCCCII



# COMMENTARIA

IN LIBROS

# S. DIONYSII AREOPAGITÆ


BONORV̄ OPERV̄ GLORI
OSVS EST FRVCTVS.
D. DIONYSIVS CARTHVSIEN̄

# D. DIONYSII

CARTUSIANI

# ELUCIDATIONES SEU COMMENTARIA

IN LIBROS

# S. DIONYSII AREOPAGITÆ

HOC EST

DE CŒLESTI SEU ANGELICA HIERARCHIA,

DE ECCLESIASTICA HIERARCHIA, DE DIVINIS NOMINIBUS,

DE MYSTICA THEOLOGIA, ET EPISTOLAS XI

---

EX EDITIONIBUS COLONIÆ

PETRI QUENTEL MDXXXVI; HEREDUM JOANNIS QUENTEL MDLVI.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI ILLUSTRISSIMOQUE PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO ERARDO DE MARKA, SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ, TITULI SANCTI CHRYSOGONI PRESBYTERO CARDINALI, ARCHIEPISCOPO VALENTIÆ, EPISCOPO LEODIENSI, DUCI BUILLONENSI, COMITI LOSSENSI, ETC., DOMINO AC PATRONO SUO COLENDISSIMO, F. THEODORICUS LOER A STRATIS, DOMUS CARTUSIENSIS IN COLONIA HUMILIS MONACHUS, ET VICARIUS.

NON ab re, sed nec otiosum aut superfluum existimo, Reverendissime in Christo Pater, si hæc Dionysii nostri in S. Dionysii Areopagitæ martyris præclari libros commentaria, opus certe inter celebriora Dionysii nostri opera, ut non ultimum, ita tamen in excudendo postremum, Amplitudini tuæ dedicavero : quandoquidem eidem dedicaram et primum. Constat namque bonarum rerum, optimo præsertim viro, qualem te fama, imo universus orbis clamat, et vita quoque ipsa ingenue testatur, satietatem esse nullam. Quare non satis quoque mihi videbatur priori illo Dionysii nostri libro, hoc est in Psalterium commentariis, Reverendissimam Paternitatem tuam honorare voluisse, nisi etiam (quo et vehementius et uberius eidem gratificandi desiderium inesse mihi commonstrarem) modo ejusdem postremum hoc opus, quantum certe ad publicationem attinet, alioqui inter omnia vel augustissimum, veluti prioris auctarium adderem. Rectissimum autem id mihi vel inde videbatur, quoniam auctor hic noster, olim tuæ ditionis alumnus, olimque dum viveret municeps, si cui aliquid debuit, patriæ suæ debuit : potissimum autem tibi, utpote patriæ suæ Patri Principique ac Domino laudatissimo, nec minus virtutibus excellentissimis quam dignitatibus amplissimis ornato. Quare ejus nomine congruebat quidem omnia ejus opera, aut saltem primum postremumque librorum ejus opus, nemini magis quam Excellentissimæ Dominationi tuæ nuncupari. Idque ut auderem hortabatur non mediocriter, confortabatque animum, quod audieram Reverendissimam Dominationem tuam benevolentissimo animo priorem illam nuncupationem accepisse. Unde certe majori spe jam mihi promittere licuit hanc posteriorem non minus, imo longe maxime eidem fore acceptam : non propterea tantum quod Reverendissima tua Paternitas adeo clementem, adeo benevolam, adeove studiis hisce sanctis præbet sese peramicam ; verum etiam ideo quod postremum hoc opus gravitate et majestate primum longo intervallo antecedit. In eum enim hic auctorem scripsit, eum elucidavit, qui omnium post Apostolos excellentissimus est, et ob id forte intellectu difficillimus : qui nisi talis esset, olim plures auctor idem quam habet, elucidatores obtinuisset. Siquidem in Psalterium qui scripserint commentarios, multo inveniuntur plures quam qui sanctissimi martyris

*Cf.* tom. V, p. 383.

Dionysii Areopagitæ libros, vel quemvis eorumdem, explanare tentaverint. Quod equidem accidisse reor ideo, et ipsa quoque res loquitur, quandoquidem omnia quæ sanctus ille martyr Dionysius scripsit opera, abstrusum nec ita multis pervestigabilem habent sensum. Unde rarissimi sunt qui explanando vel uni vel alteri ex ejusdem operibus libro, manus admovere fuerint ausi. Abstinuerunt enim pene omnes Scripturarum tractatores, tanquam a sacro mysticoque arcanorum doctore, ne quoniam in omnibus ejus libris non omnia sibi cernebant obvia, illi commentarios adjicerent. Solus hic Dionysius noster Cartusiensis, utpote vir non minus divina revelatione illuminatus quam humana disciplina eruditus, quemadmodum inter omnes est primus qui universa Dionysii Areopagitæ opera quæ latina reperiuntur elucidavit, ita si ejus perpendas eruditionem, etiam nulli erit secundus. Quapropter, ut dicere cœperam, si argumentum quoddam vulgare et a multis antea tractatum, Excellentissimæ Dominationi tuæ nuper oblatum, eidem gratum fuit : quomodo nobis metuendum erit rarum hoc opus, et pro sua sublimitate juxta ac difficultate a paucissimis vix attactum, tibi non fore gratissimum ? Præsertim quum omnes prioris illius Dionysii libri per hunc Dionysium posteriorem adeo sint explanati, adeo illustrati omnes, ut eosdem nunc etiam mediocris litteraturæ viris passim adire intelligereque liceat. Ceterum, si dictionem hic quis desideret venustam atque sæcularem (ut vocant) eloquentiam, fatemur eam deesse. Neque enim theologia divina, qua philosophicis hic tractatur et verbis et argumentis, dictionis venustatem aut phrasim aliam quam sibi peculiarem admittit : utpote quæ suum habet, quomodo alia quævis scientia, loquendi et modum et legem. Nam si professio medicinæ aliis gaudet vocabulis, sibi peculiaribus scilicet, aliis professio legum, a quibus alienum esse dedecet earumdem professorem (nulla enim scientia tam delectatur peregrinis, quam juvatur propriis) : quomodo Dionysium theologum non theologice, scholasticum non scholastice, philosophum denique non philosophice loqui deceat? Quis enim laudet philosophum, non philosophico sed peregrino modo et a sua professione alieno, loquentem ? Quis non rideat theologum mysteria sacra et verba juxta legem philosophicam rhetorumve canones tractantem ? Non igitur in Dionysio nostro infantiam agnoscimus, sed modestiam : qui ætati, qui sæculo, qui denique disciplinæ, in quacumque etiam versaretur, dictionem, stilum, phrasim quoque suam nisus est conformare, ne ambitionis studiosus, neve gloriam affectasse videretur, si ceteris insolito singularive modo versari in quavis scientia notaretur. Maluit, inquam, quatenus ad politiorem attinet litteraturam, sui temporis usu tunc ab omnibus recepto loqui, quam singularitate aliqua, quæ illi tunc ætati novitas fuisset, admirabilis haberi. Minor namque semper illi cura fuit quomodo loqueretur ; major, quomodo intelligeretur ; multo autem omnium maxima, quomodo viveret. In omni enim vita sua fuit Deo, non absque magna hominum admiratione, devotissimus. Unde accidit ei ut expoliendæ vitæ quam linguæ foret studiosior. Noverat etenim hujus studium multum plerumque afferre vanitatis, saluti parum conducere ; illius vero, hoc est vitæ exornandæ, non posse non multum conferre felicitatis : quoniam non sermone sed virtute constat regnum cœlorum. Hæc idcirco dicimus, ne Dionysius hic noster sermone putetur ubique invenustus : quoniam ubi locus, tempus resve postularit, comperimus ipsum habuisse linguam

non prorsus indisertam. Qui licet nullis suis dotibus poterat Excellentissimæ Dominationi tuæ dedicari, tamen ob hoc debuerat potissimum, quod raræ istæ quæ divina clementia sunt in te virtutes, non patiebantur alumni sui monumenta cuiquam nisi Parenti patriæ nuncupari. Hoc enim nominis, si cui olim juste datum est, merito Reverendissimæ Paternitati tuæ hodie tribuitur, qui annis plus aut minus triginta, sic diœcesim Leodiensem gubernaris, ut nihil interim hostile senserit, quum antea prope continuis bellis aut seditionibus quassata fuerit : imo qui sic paci salutique publicæ semper et ubique consulueris, ut quidam regioni tuæ contermini tibi debeant quod adhuc, non dico stent, sed sint, quanquam illi minus grati dicantur hodie nescio quid in te machinari. Sed non minor ea laus tua, quod et hoc non fortiter modo, verum etiam prudenter feras : quippe qui et serpentis astutiam habens, ditionem tuam munias opportunis locis, aut vetustas arces renovando, aut novas ædificando ; et columbina interim simplicitate utens, nulli des occasionem mali. Ut te non frustra ob has artes duo potentissimi totius orbis monarchæ, sanctissimus in Christo Pater ac Dominus D. Leo Papa X, cardinalatu, serenissimaque Cæsaria majestas, archiepiscopatu Valentiæ donarint, pontificesque interim semper tuis consiliis usi sint, et imperator etiam hodie ubicumque sit, utatur. Supersedeo commemorandis reliquis virtutibus tuis, quæ multæ sunt, ne vel modestiam tuam pudore afficiam, vel alioqui in os laudare videar. Tantum meminerit Reverenda Paternitas tua Dionysii non jam nostri, sed sui, quanto tum sumptu tum labore monumenta hæc alumni sui priusquam prodeant, constent. Deinde amplectatur priscum illum Dionysium quem veteres magno studio e Greco in Latinum verterunt, cujus interpretationi tanti Patres insudaverunt, quem quasi per excellentiam Theologum nominant, qui Pauli atque Hierothei fuit auditor, in philosophia gentilium doctissimus, qui Christum vidit, passionis miracula consideravit, quo vel scholastici vel neoterici theologi avide utuntur, et testem ubi ubi possunt invocant, cujus opera Carolus Magnus Germanus dilexit, cujus mentionem Actus Apostolorum faciunt, qui primus de theologia mystica, secreta et abnegativa scripsit ; qui profundus, devotus, in Deum inflammatus, multarum abditarum rerum edoctus, pro Christi fide apud Parisios sanguinem fudit, celeberrimo templo, insigni cœnobio postea a regibus Gallorum in honorem ipsius erecto, ubi etiamnum reges Francorum tumulantur. Sed hæc Prudentiæ tuæ notiora sunt quam ut a me commemorentur. Bene igitur valeat, ambosque Dionysios, hunc ut diœcesis Leodiensis alumnum, illum ut Pauli discipulum et Galliarum Apostolum, digno favore prosequatur. Coloniæ, ex Conventu nostro Cartusiensi, pridie Annuntiationis Mariæ, MDXXXVI.

# PRÆFATIO

## ANASTASII APOSTOLICÆ SEDIS BIBLIOTHECARII

### AD REGEM CAROLUM CALVUM

INTER cetera studia quæ tam laudabilis actio quam saluberrima commonitio, quin etiam odorifera volans opinio de virtutum ac morum qualitate tuorum, o Dictator inclyte, mortalium mentes excitat, et ad effodiendam sapientiam hortatur velut thesauros, illud quoque non mediocriter est admiratione stupendum, quod non solum Latinos Patres, sed et Græcos rimari non cessas, et Romana lingua pollentes, Pelasgarum facis rerum non expertes. Tu quippe facis, qui ad faciendum suscitas et hortaris, quia et nos sæpe magnam domum fecisse dicimur, non tamen manibus, sed affatibus. Beatus itaque Areopagita Dionysius, Atheniensis antistes (quem inter cetera constat industria tua, præstantissime Principum, in Romanum sermonem translatum) tantum est, ut ipse patentius nosti, ad intelligendum difficilis, quantum sermone sublimis : imo quanto difficilia sunt intellectu et alta mysteriis, quæ ipse perscrutatus superna revelante gratia didicit, et arcana theologiæ, divina se ducente manu, ingressus, in sanctuarium Dei ablato velamine penetravit. Mirandum igitur est, quia pietas tua nec talia indiscussa reliquit; sed hic licet in terra ambulat, tanquam in cœlis conversans ambit, ita ut veluti quidam (ut ita fateamur) angelus vel cœlestis homo, Sancta sanctorum ingredi contemplatione videaris, et ad abdita et adyta divinæ ineffabilitatis, quantum possibile est mortalibus, acutis spiritualium oculorum visibus accessisse credaris.

Mirandum est quoque, quomodo vir ille barbarus, qui in finibus mundi positus, quanto ab hominibus conversatione, tanto credi potuit alterius linguæ dictione longinquus, talia intellectu capere in aliamque linguam transferre valuerit. Joannem innuo Scotigenam, virum quem auditu comperi per omnia sanctum. Sed hoc operatus est ille artifex Spiritus, qui hunc ardentem pariter et loquentem fecit. Nisi enim ex gratia ipsius igne caritatis flagrasset, nequaquam donum linguis loquendi procul dubio suscepisset. Nam hunc magistra caritas docuit quod ad multorum instructionem et ædificationem patravit. Verum etsi ad mensuram datus est ei Spiritus, ipse tamen paternis doctrinis imbutus, quantum potuit fecit, et prodesse proximis ultra vires tentavit. Siquidem præter illa quæ hunc latuisse probantur, ex his quæ sparsim a quibusdam de prædicti Patris sermonibus et epistolis ante nos

interpretata inveniuntur, plurimum utilitati subtraxit, quia tanto studio verbum de verbo elicere procuravit : quod genus interpretationis licet et ipse plurimum sequar, quantum illustres interpretes vitent, tua profecto solers experientia non ignorat. Quod eum non egisse ob aliam causam existimo, nisi quia quum esset humilis spiritu, non præsumpsit verbi proprietatem deserere, ne aliquo modo a sensus veritate decideret. Unde factum est ut tantum virum, qui per se (quoniam intima et ardua quæque utriusque philosophiæ penetralia rimari proposuit) perplexus nostris intellectibus videbatur, intra cujusdam labyrinthi difficilia irretiret, et in antris profundioribus invisibiliorem quodammodo collocaret, et quem interpretaturum susceperat, adhuc redderet interpretandum.

Quapropter ipse merito anxius, cœpi sedulo quærere si forte reperiri potuisset præceptor quisquam vel aliquod scriptum, quo enucleante, tantus Pater nobis liquidius illucesceret; et quia jam per interpretis industriam linguæ nostræ fuerat traditus, nostrisque patulis redderetur perfectius intellectibus. Tum ecce repente paratheses sive scholia in eum, quæ Constantinopoli positus videram, ad manus venere : quibus utcumque interpretatis, mihi aliquantulum magis emicuit. Quæ videlicet in marginibus interpretati codicis ejus, ut in Græco reperi, mox interpretata utcumque, donec a docto melius interpretentur, respondentibus signis interpres ego satis imperitus apposui, vestræque gloriosæ sapientiæ potissimum fore mittenda, non immerito judicavi, ut scilicet quæ fuit alterius interpretationis hortatrix et auxiliatrix, sit etiam nostræ qualiscumque susceptrix et approbatrix. Ipsorum autem scholiorum sive paratheseon quæcumque in calce sui signum vivificæ crucis habent, a B. Maximo confessore et monacho inventa narrantur; cetera vero, S. Joannis Sycopolitani * episcopi esse feruntur. Sane ubi a verbis interpretis scholia ipsa dissentire vidi, ut lector quid de apposita dictione interpres senserit, quid scholion insinuet, indifficulter agnoscat, et verba interpretis scholio inserui, et qualiter ea scholii compositor prætulerit, innui. Sed et sicubi opportunum fore conspexi, ex me quoque, quoniam esse aliter non potuit, paucissima quædam et quæ facilius ab intelligente agnosci poterunt, interposui.

* Scythopolitani

Præterea notandum est, quod licet tantæ gloriæ tantæque scientiæ sive antiquitatis iste S. Dionysius fuerit, nunquam tamen aliqua opuscula eum edidisse, nisi fallor, quæcumque orthodoxorum scripta traditio prodit, priusquam Romani Pontifices, videlicet Gregorius, Martinus et Agathon, dictorum ejus in conscriptis suis mentionem fecerint, et ea per hæc probabilia judicantes admiserint : Gregorius scilicet, in homilia capituli evangelici de centum ovibus et decem drachmis; Martinus, in synodo sua quam Romæ contra hæreticos celebravit; et Agathon, in epistola quam ad sextam synodum destinavit. Unde ego veram esse Græcorum opinionem conjicio, perhibentium libros ejus a prioribus hæreticis occultatos, donec longo post tempore, ex opusculis ejus solus codex qui nunc habetur, est Romæ repertus, ceterisque nondum inventis, in Græciam absportatus. Edidit enim et alios (ut ipse innuit) libros, quos nec Græcus quisquam, nec adhuc potuit invenire Latinus. Et quidem, Lucas in Actibus Apostolorum, Eusebiusque Pamphili, et Dionysius Corinthi antistes, de eo quædam miranda tradunt; quæ vero scripsit, nisi me oblivio fallat, omnino non tradunt. Suadet autem ad hoc ita credendum

*Act.* XVII, 34.

etiam illud, quod nemo probabilium tractatorum, sicut eis moris est, priorum dicta exponendi, et suis opusculis inserendi, scriptis ipsius utitur, aut horum cujuspiam reminiscitur.

Denique vir magnus et apostolicæ vitæ præceptor Constantinus philosophus, qui Romam sub venerabilis memoriæ Adriano juniori Papa veniens, S. Clementis corpus sedi suæ restituit, quique totum codicem sæpe memorati et memorandi Patris memoriæ commendabat, et quantum utilitatis medulla ejus habebat auditoribus commendabat, solitus erat dicere, quod si sanctos, videlicet priores institutores nostros, qui hæreticos vix et quodammodo cum fuste decollaverunt, Dionysium contigisset habere, cum acuto illos gladio procul dubio trucidassent : innuens profecto hujusmodi dicto, quia quorum os laboriosius et forte tardius obstruxerunt, facilius et acutius, sive velocius (ὀξύ quippe, et acutum significat et velox) obmutescere coegissent. Ad hæc post prælatorum sanctorum Sedis apostolicæ præsulum memoriam, tam septima et octava synodus, quam Latini et Græci doctores, non solum quia venerabilis hic Pater scripserit, innuunt; sed et testimonia ex scripturis ejus frequenter assumunt, ut scilicet sensus suos et dicta, tanti viri reddant auctoritatis pondere gravida, et cunctis mortalibus approbanda pariter et sectanda.

Deus omnipotens gloriam tuam a terrenis ad cœleste regnum transferat quandoque.

# FRAGMENTUM EPISTOLÆ JOANNIS SCOTI

## SCRIPTÆ AD REGEM CAROLUM CALVUM

---

I Cor. iv, 5. CHRISTO duce, qui est lux mentium et illuminat abscondita tenebrarum, libros sancti patris Dionysii Areopagitæ, episcopi Athenarum, quos scripsit ad Timotheum episcopum Ephesiorum, et Epistolas ejusdem, de Græco in Latinum transtulimus : opus valde (ut opinamur) anfractuosum, longeque a modernis sensibus remotum, multis invium, paucisque apertum, non solum propter antiquitatem, verum etiam cœlestium altitudinem mysteriorum. Fertur namque præfatus Dionysius fuisse discipulus atque adjutor Pauli apostoli, a quo Atheniensium
Act. xvii, 34. constitutus est episcopus. Cujus et Lucas commeminit in Actibus Apostolorum, et Dionysius episcopus Corinthi, vir antiquus, beatus quoque Polycarpus in epistola ad Ecclesiam Athenarum, Eusebius item Pamphili in Ecclesiastica historia, necnon et sanctus Papa Gregorius in homilia sua, ubi breviter angelorum ordines exposuit. Hunc eumdem quoque, non præfati viri, sed alii moderni temporis, asserunt (quantum Vita ejus a fidelibus viris tradita, testatur) temporibus Papæ Clementis, successoris videlicet Petri apostoli, Romam venisse, et ab eo prædicandi Evangelii gratia, in partes Galliarum directum, et martyrum gloria coronatum fuisse cum beatissimis suis consortibus, Rustico scilicet atque Eleutherio.

Hæc igitur nostra qualiscumque translatio, non quidem prolixæ indiget (ut arbitror) apologiæ, quum omnibus ejus æmulis, quicumque et qualescumque sint, facillima una responsione possumus occurrere : vestræ videlicet Celsitudini neque potuisse neque debuisse non obedire. Si quis autem nimis tardæ aut nimis inusitatæ redarguerit elocutionis, attendat non me tantum, sed et ipsum, nil posse plus
I Cor. xii, 11. accipere quam quod ipse distribuit, qui dividit singulis prout vult. Sin vero obscuram minusque apertam prædictæ interpretationis seriem judicaverit, aut si superflua quædam superadjecta esse, aut de integritate Græcæ constructionis quædam deesse arbitratus fuerit : videat me interpretem hujus operis esse, non expositorem, ubi valde pertimesco ne forte culpam infidi interpretis incurram; et recurrat ad codicem Græcum, unde ego interpretatus sum, ubi fortasse inveniet, itane est necne. Hoc tantum mihi idoneum fore arbitratus sum, omissis aliorum conjecturis, unius solius arbitrio succumbere, cui oportet me obtemperare.

Sanctus ergo Dionysius (ut prædiximus) Areopagita, ex vico videlicet Martis denominatus (Ἄρης enim a Græcis bellum vocatur), primis juventutis suæ floribus

Academiæ studiis eruditus, deinde divino atque ineffabili miraculo solaris eclipseos quæ facta est confixo Domino nostro Jesu Christo crucis patibulo, commotus (ipse quidem, ut in quadam epistolarum suarum commemorat, dum esset juxta Heliopolim cum Polycarpo episcopo, ceterisque qui tunc aderant divina procurante providentia, mirabilem in modum conspexerat lunam soli subeuntem, ac per hoc solem defecisse), moxque sanctissimum virum Apostolorum discipulum, Hierotheum videlicet episcopum, secutus (cujus in tertio hujus operis libro mentionem facit, eumdemque magistrum suum venerabilem nominat, ceterisque tunc temporis coepiscopis post Apostolos in theologia præferre non dubitat; cum quo multisque aliis Sanctis in unum convenientibus, Christum post resurrectionem corporaliter est contemplatus. Aderantque ibi, ut ipse ait, Jacobus frater Domini, et Petrus vertex Apostolorum) : talibus ac tantis admonitus, divinarumque Scripturarum mysteriis illuminatus, scripsit hos libros, hortante atque postulante S. Timotheo, aliisque quorum nomina in processu hujus operis sæpissime declarat, doctrinamque breviter insinuat.

# COMMENTARIA IN LIBRUM
# DE CŒLESTI SEU ANGELICA
# HIERARCHIA

# PRÆFATIO

ACCESSISTIS *ad Sion montem, et civitatem Dei viventis, Jerusalem cœlestem, et multorum millium angelorum frequentiam.* Hebr. XII, 22.

Mox ut Unigenitus Dei Patris ex mundissima ac sacratissima Virgine incarnari et cum hominibus conversari dignatus est, cœperunt divina atque cœlestia *Baruch* III, 38.
hominibus præelectis abundantius reserari. Ad confutationem quoque non solum Epicureorum philosophorum, qui immateriales substantias esse negabant; sed etiam rudium Judæorum, puta Sadducæorum, qui nec angelum nec spiritum esse dicebant, *Act.* XXIII, 8.
quorumdam item hæreticorum circa naturam ac numerum angelicorum spirituum multipliciter desipientium : natura, ordo, ac multitudo angelorum sanctorum desuper militanti Ecclesiæ clarius solito revelata noscuntur. Nec mirum quod Deus postquam assumpsit humana, et inter homines vivere ac videri incomprehensibili pietate adjecit, divina et cœlestia hominibus exuberantius communicavit, limpidiusque expressit. *Baruch* III, 38.
Hinc ipsius ad ima inclinatio, fuit nostra ad summa provectio. Quumque fidelibus suis spoponderit angelicæ beatitudinis veritatem, imo et æqualitatem, Erunt, inquiens, sicut angeli Dei ; *Matth.* XXII, 30.
perpetuam etiam civilitatem et inseparabilem atque dulcissimam societatem cum illis in cœlo, dicendo, Fulgebunt justi sicut sol in regno Patris eorum : *Ibid.* XIII, 43.
condecens fuit ut de gloria et excellentia angelorum, de proprietatibus et officiis eorumdem, de actibus operationibusque ipsorum, de benevolentia, beneficiis ac influentiis tam nobilissimarum et beatissimarum creaturarum circa nos miseros ac mortales innumerabilibus et maximis defectuositatibus, cladibus periculisque expositos, plenius nos doceret : quatenus munificentiam, providentiam et misericordiam Dei circa nos cognoscentes, grati eidem pro viribus esse conemur, ad tantorum quoque concivium commansionem æternam pertingere enitamur, ipsorum amore succensi ac beneficiis grati.

Præterea, de his cœpit omnipotens Deus ab exordio sæculorum Patriarchas, Prophetas, ac alios Sanctos instruere : ipsum videlicet protoplastum Adam, Abel, Seth, Enoch, Noe, Sem, Abraham, Isaac, Jacob ; deinde præclarius Moysen sanctum ac Aaron, vates et patres veteris Testamenti ; postremo excellentius gloriosos Apostolos, et quosdam eorum præclaros discipulos, ipsorumque posteros viros heroicos : inter quos in horum eruditione, revelatione et descriptione, præfulsisse aut certe valde resplenduisse videntur gloriosissimus Paulus apostolus, ac ejus discipulus Dionysius magnus, sanctus itidem Hierotheus, vir valde (ut infra patebit) divinus.

Itaque omnes isti et eis consimiles, per fidem formatam, per contemplationem perlucidam, per affectum ardentem, per conversationem puram et cœliformem, accesserunt adhuc in carne viventes, ad montem Sion, id est altitudinem speculationis supernæ, et ad civitatem Dei viventis, cœlestem Jerusalem, de qua deprompsit Psalmo-
*Ps.* LXXXVI, 3, 7. graphus, Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei, sicut lætantium omnium habitatio est in te; ad multorum item millium angelorum frequentiam, de quibus in Evangelio
*Matth.* XVIII, 10. fertur, Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei. De quorum sicut et ceterorum supernorum spirituum frequentia luminosissima et copiosissima scriptum
*Job* XXV, 3. est in libro Job : Numquid est numerus militum ejus ? et super quem non surgit lumen ipsius ?

Denique, de his, hoc est de angelica natura ac hierarchia, profunde ac inclyte scripsit theologicissimus Dionysius, christianæ Religionis ac fidei ferventissimus æmulator, in libro nunc Deo præstante elucidando.

# S. DIONYSII AREOPAGITÆ

MARTYRIS, ATHENARUM EPISCOPI ET GALLIARUM APOSTOLI

# DE CŒLESTI SEU ANGELICA HIERARCHIA

AD TIMOTHEUM EPHESINÆ CIVITATIS EPISCOPUM

INTERPRETE JOANNE SCOTO

---

## CAPITULUM PRIMUM

QUIA OMNIS DIVINA ILLUMINATIO SECUNDUM BONITATEM VARIE IN PRÆVISA PROVENIENS, MANET SIMPLA : ET NON HOC SOLUM, SED ET UNIFICAT ILLUMINATA.

COMPRESBYTERO Timotheo, Dionysius presbyter salutem. — Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum. Sed et omnis, Patre moto, manifestationis luminum processio in nos optime ac large proveniens, iterum ut unifica virtus restituens nos, replet et convertit ad congregantis Patris unitatem et deificam simplicitatem. Etenim ex ipso omnia, et in ipsum, ut divinum ait verbum. *Jacob.* I, 17. *Rom.* XI, 36.

Ergo Jesum invocantes paternum lumen, quod est, quod verum est, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, per quem ad principale lumen Patrem accessum habuimus : in sacratissimorum Eloquiorum Patre traditas illuminationes, quantum possibile est respiciemus; et ab ipsis symbolice nobis et anagogice manifestatas cœlestium animorum hierarchias, quantum potentes sumus considerabimus; et principalem et superprincipalem divini Patris claritatem quæ angelorum nobis in figuratis symbolis manifestat beatissimas hierarchias, immaterialibus et non trementibus mentis oculis respicientes*, iterum ex ipsa in simplum suum restituimur radium. Etenim neque ipse usquam unquam aliquando radius propria singulari unitate deseritur; ad anagogicam vero et unificam eorum quæ provisa* sunt contemperantiam, optime et pulchre multiplicatur et provenit, et *Joann.* I, 9. *Ephes.* II, 18.

* recipientes

* prævisa

manet intra se munite, in incommutabili similitudine uniformiter fixus, et in se quantum fas est respicientes, proportionaliter se* eis extendit, et unificat secundum simplicem sui unitatem.

*alias om. se

Etenim neque possibile est aliter lucere nobis divinum radium, nisi varietate sacrorum velaminum anagogice circumvelatum, et his quæ secundum nos sunt, providentia paterna connaturaliter et proprie præparatum. Propter quod et sanctissimam nostram hierarchiam, perfectissima sacrorum dispositio cœlestium hierarchiarum supermundana imitatione dignam judicans, et dictas immateriales hierarchias materialibus figuris et formalibus compositionibus varificans tradidit, ut proportionaliter nobis ipsis, a sacratissimis formationibus in simplas et non figuratas ascendamus altitudines et similitudines. Quoniam neque possibile est nostro animo ad non materialem illam ascendere cœlestium hierarchiarum imitationem et contemplationem, nisi ea quæ secundum ipsum est materiali manuductione utatur : visibiles quidem formas, invisibilis pulchritudinis imaginationes arbitrans ; sensibiles suavitates, figuras invisibilis distributionis ; et immaterialis luculentiæ imaginem, materialia lumina ; et secundum intellectum contemplativæ plenitudinis, discursas sacras disciplinas ; et adunati ad divina et ordinati habitus, earum quæ hic sunt dispositionum ordines ; et Jesu participationis, ipsam divinissimæ Eucharistiæ assumptionem ; et quæcumque alia cœlestibus quidem essentiis supermundane, nobis vero symbolice tradita sunt. Propter hanc ergo nostram corrationabilem theosim, misericors perfectionis principium et cœlestes hierarchias nobis manifestans, et comministram earum perficiens nostram hierarchiam ad virtutem nostram, similitudine deiformis earum sanctificationis, sensibilibus imaginibus supercœlestes descripsit intellectus in sacroscriptis Eloquiorum compositionibus, ut nos perduceret per sensibilia in intellectualia, et ex sacris figuratis symbolis, in simplas cœlestium hierarchiarum summitates.

AD LECTOREM. — De *Areopagiticis* operibus rite intelligendis atque interpretandis, imo de ipso auctore, multas et arduas quæstiones exsurgere haud ignoramus. Quod nunc attinet, antiquas Dionysii nostri editiones, pristinis decoratas titulis, sed mendis expurgatas exhibemus, criticas (ut aiunt) notas in posterum tempus reservantes.

# COMMENTARIA DIONYSII CARTUSIANI

## IN LIBRUM

# DE CŒLESTI SEU ANGELICA HIERARCHIA

## ARTICULUS PRIMUS

### DE AUCTORE HUJUS VOLUMINIS, ET CUR LIBRUM ISTUM AC SUBSEQUENTES TAM ALTO ATQUE DIFFICILI STILO EDIDERIT.

HIC quæritur primo, quis sit horum A auctor librorum. Ad quod communiter respondetur, quod S. Dionysius, apostoli Pauli discipulus, Atheniensium præsul : quem beatissimus Paulus ad fidem convertit ac docuit, ut in Actibus legitur. *Act.* XVII, 34.

Sed obviare videtur, quod super illud Actuum, Quidam adhærentes Paulo, crediderunt, in quibus et Dionysius Areopagita, asserit Beda : Hic est Dionysius, qui episcopus ordinatus Corinthiorum, gloriose rexit Ecclesiam, multaque ingenii sui volumina ad utilitatem Ecclesiæ pertinen- B tia edidit ac reliquit, quæ hactenus manent. Hinc quoque in Scholastica fertur historia : Quidam Paulo adhærentes, crediderunt : inter quos fuit Dionysius Areopagita, quem postea ordinavit Apostolus Corinthiorum episcopum. — Ad quod forsan posset quis dicere, quod successive Atheniensium atque Corinthiorum fuerit præsul. Sed quum hoc auctoritatem non habeat, diligentius inquirenda est veritas. *Ibidem.*

Denique in Aurea legenda Sanctorum luculenter et absolute narratur, quod Dio- C nysius iste Atheniensium erat episcopus, et quod idem ipse conscripsit hos libros. Quod etiam per divina comprobatur ac roboratur miracula. Legitur quippe in chronicis ac fide dignis historiis, quod anno Domini circiter octingentesimo quintodecimo, imperator Græcorum Michael inter alia dona misit Ludovico regi Francorum, filio Caroli Magni, libros magni Dionysii de Græco in Latinum translatos, qui cum ingenti gaudio ac reverentia sunt suscepti. Novemdecim quoque infirmi in ipsa nocte in ipsius ecclesia sunt curati : inter quos erant cæci, surdi, paralytici, ac alii variis ægritudinibus laborantes. Præterea huic sententiæ concordant expositores antiqui. Siquidem dominus Lincolniensis in commentario suo super Angelicam hierarchiam, fatetur quod S. Dionysius iste Atheniensium fuit antistes. Idem affirmat in suo commentario S. Maximus doctor, Hugo quoque de S. Victore, et diu ante eum Joannes Scotigena, Joannes etiam Sarracenus, in expositionibus suis. Quod item doctores scholastici, S. Thomas,

Albertus, Alexander, Bonaventura, Ægidius, unanimiter tenent. — Ad auctoritatem vero Bedæ ac Magistri in historiis, respondent quod opinio eorum fuit, non veritas.

Hinc demum prætactus Joannes Scotus ad Carolum Romanorum imperatorem scribens : Quatuor, inquit, libros sancti patris Dionysii Areopagitæ, episcopi Athenarum, quos scripsit ad Timotheum, et decem ejus epistolas, de Græco in Latinum transtulimus. Fuit namque præfatus Dionysius, discipulus et auditor itemque adjutor Pauli apostoli, a quo Atheniensium est constitutus episcopus. Cujus Dionysii meminit Lucas in Actibus Apostolorum, Dionysius quoque Corinthi episcopus, vir valde antiquus, similiter B. Polycarpus in epistola ad Athenarum Ecclesiam, sed et Eusebius Cæsariensis in Historia ecclesiastica, et item in homilia de angelis Gregorius Papa. — Ex quibus Scoti hujus eloquiis constat Dionysium istum Atheniensium præsulem, alium fuisse a Dionysio illo Corinthio.

Euseb. Eccl. hist. lib. IV, c. 23. Greg. hom. 34.

Amplius, præinductis concordant quæ Anastasius apostolicæ Sedis bibliothecarius, in epistola sua ad Carolum regem disseruit, inter cetera loquens : Quamvis tantæ gloriæ, tantæ scientiæ et antiquitatis sanctus iste Dionysius fuerit, non tamen tam expresse et determinate eum edidisse opuscula declaravit orthodoxorum narratio ipsa opuscula nominando, priusquam Romani Pontifices Gregorius, Martinus et Agathon, librorum ipsius mentionem fecerunt : Gregorius in homilia, Martinus in synodo sua Romæ contra hæreticos celebrata, Agathon in epistola quam ad sextam synodum destinavit. Denique vir magnus et apostolicæ vitæ præceptor Constantinus philosophus, qui sub Adriano Papa Romam venit, dicere consuevit : Si priores sancti institutores nostri qui hæreticos vix fuste decollaverunt, scripta S. Dionysii habuissent, acuto procul dubio gladio illos necassent : quia per scripta ipsius illos velocius atque acutius

A convicissent. At vero septima synodus et octava, quas Latini et Græci celebraverunt, ex scriptis Dionysii hujus testimonia sumpserunt frequenter, quatenus sententias suas ac dicta, tanti viri auctoritate redderent pondere gravida, et cunctis mortalibus approbanda.

His Anastasii verbis consonant scripta Ambrosii Oratoris, monachi Ordinis Camaldulensis, dicentis : Divus Dionysius primum a Paulo instructus est, deinde S. Hierotheum, ut ipsemet refert, habuit B præceptorem, atque ut septimo Apostolicarum institutionum scribitur libro, Atheniensium qui credebant statutus est præsul a Paulo apostolo. Verum quidam imperiti et stulti objiciunt quod nec Origenes, nec Eusebius Pamphili, libros enumerat hujus Sancti. Quibus respondemus, quod nec Origenes neque Eusebius omnium ecclesiasticorum virorum vidit ac noverat libros, imo nec omnium suæ regionis. — Si autem investigetur, cur sancti et studiosissimi Patres antiqui, Hiero- C nymus, Augustinus, Ambrosius, nunquam allegant Dionysii sancti volumina : dicendum quod libri ejus ob nimiam eorum difficultatem et obscuritatem, diu manserunt absconditi et nondum translati, vel ab hæreticis celabantur.

Præterea, non de isto, sed de Corinthiorum episcopo, accipi par est quod libro de Viris illustribus scribit Hieronymus : Dionysius Corinthiorum episcopus, tantæ eloquentiæ atque industriæ fuit, quod non solum suæ civitatis ac provinciæ plebem, D sed aliarum quoque urbium ac provinciarum erudiret. Qui claruit sub imperatore Marco Antonino Vero, et Lucio Aurelio Commodo.

Postremo, ut recitat Hugo, et ex Actibus Apostolorum probatur, Athenienses et ceteri Græci quamplures, audientes christianæ fidei dogmata prædicari, videlicet Filii Dei incarnationem, mortuorum resurrectionem, ac futurum generale judicium, lato ore riserunt, simplicitatemque fidei deriserunt. Quorum insaniam, præ-

*Act.* XVII, 22-32.

sumptionem et ignorantiam, ferventissimus et illuminatissimus Dionysius volens reprimere, scripsit profundissimo sensu ac stilo altissimo, ostendens non ex imperitia Sanctos Dei simplicissime esse locutos, nec ex levitate aut insipientia credidisse, imo in divina ac sæculari scientia, in A omni theologica ac philosophica sapientia fuisse præclaros, efficacissima item habuisse suæ fidei argumenta; ideo etiam, ut fidei sacramenta et christianæ religionis mysteria indignis ac perfidis operiret, benevolos vero et ingeniosos erigeret ad sublimiora et divina.

# ARTICULUS II

### DE PRÆCONIIS GLORIOSI HUJUS PRINCIPIS THEOLOGORUM S. DIONYSII.

CONGREGAVIT et accumulavit Deus majestatis et gloriæ penitus infinitæ, in beatissimo et electissimo Dionysio isto, dona naturæ, bona fortunæ, charismata gratiæ, præmia gloriæ, gratias gratis datas, in excellentia magna. Nam et ante suam conversionem ad Christum, fuit inter gentiles philosophos virtuosæ et honestissimæ vitæ, reputationis præcipuæ, nobilitatis præclaræ. Splenduit quippe virtutibus politicis, naturalibus, acquisitis, et specialiter grandi prudentia, unus exsistens consiliariorum majorum ac nobiliorum Athenis in vico Martis, unde dictus est Areopagita, ab Ἄρεος, quod est Martis, et πάγος, quod est vicus seu platea, quia ibidem Mars colebatur. Fuitque ibi nobilium curia, et liberalium artium schola. Floruit ergo ibidem Dionysius inter philosophos summus, et ad divina, cœlestia et æterna mirabiliter inclinatus. Propter quod ab illis, Ala cœli atque Theosophos, est vocatus.

Deinde gloriosissimi Pauli prædicatione conversus ad Salvatorem, repente in virum alterum saluberrime est mutatus, dulcissima affluentia gratiæ Spiritus Sancti præventus, fervore divini amoris vehementer accensus, de mysteriis fidei christianæ subtiliter illustratus, mira virtutum roboratus constantia. Hinc multiformem B gratiam sibi desuper tam affluenter ac subito condonatam, cœpit protinus proximis undique totis communicare præcordiis, ac multos convertere, atque miraculis coruscare; ac tandem victoriosissimo migravit ad Christum martyrio, functus in vita hac pontificatus officio. De his laudibus ejus, in libro sermonum quos compilavi de Sanctis, diffusius scripsi : idcirco pertranseo.

Hic est Dionysius quem magnus ille theologus Joannes Damascenus, libro Sen- C tentiarum suarum secundo, divinissimum, sanctissimum, theologicissimumque appellat. De quo Joannes Scotigena protestatur : Ex hoc manifestius liquet immensa sapientiæ ejus profunditas, ac doctrinæ suæ innotescit auctoritas, quoniam eum quem Paulus tam vehementer dilexit specialiterque instruxit, utpote Timotheum, ipse quoque Dionysius edocuit, quem et frequenter puerum nuncupavit.

Postremo S. Dionysius ubi Paulum audivit, carnis nobilitatem ad mentis trans- D tulit ingenuitatem, ac mundi sapientiam convertit in philosophiam divinam, satius ac beatius æstimans Deum diligere ac ejus contemplationi intendere, et quæ sit æterna ejus pulchritudo inæstimabilisque dulcedo, sempiterna jucunditas, incomprehensibilis sapientia, infinita felicitas,

cogitare, atque his omnibus sine fine perfrui, quam sæculi hujus labilem amare gloriam sapientiamque umbratilem. Hinc A quanto mens ejus et conversatio magis fuit in cœlis, tanto sublimius de cœlestibus potuit loqui. *Philipp.* III, 20.

# ARTICULUS III

## DE QUIBUSDAM PRÆAMBULIS IN EXPOSITIONE LIBRI DE COELESTI HIERARCHIA.

HUIC libro expositores antiqui præponunt hunc titulum : *Dionysii Areopagitæ episcopi Athenarum, ad Timotheum episcopum :* id est, liber iste est ipsius Dionysii tanquam auctoris, quem scripsit et misit ad Timotheum episcopum Ephesiorum.

Quocirca noscendum quod sanctus iste Dionysius in libris suis aliquoties facit mentionem de S. Hierotheo, quem excellenter valde commendat, affirmans eum tantæ gratiæ ac sapientiæ fuisse, quod isti quoque gloriosi Apostoli mirabantur viro ex gentilitate converso tantum sapientiæ ac gratiæ culmen desuper fuisse collatum. Qui etiam Hierotheus de eisdem materiis libros conscripsit de quibus et Dionysius. Sed quoniam libri illi ab Hierotheo editi adeo erant difficiles ac profundi, quod vix aliquis hominum eos poterat capere, S. Timotheus B. Dionysio humiliter supplicavit quatenus de istis materiis planius aliquid atque diffusius et intelligibilius scribere dignaretur : et hæc fuit alia ratio quod S. Dionysius hos edidit libros.

Porro, secundum Lincolniensem, et Joannem Scotigenam, Joannemque Sarracenum, et Maximum confessorem, S. Dionysius in epistola ad Timotheum præmisit inscriptionem hujusmodi : *Compresbytero Timotheo, Dionysius presbyter.* Solebant namque Apostoli se ipsos aliosque episcopos appellare presbyteros. Unde ad Titum scripsit beatissimus Paulus : Constitue per civitates presbyteros, id est episcopos, se- *Tit.* I, 5.

B cundum expositores. Titus quippe archiepiscopus fuit. In Actibus quoque legitur Paulus convocasse presbyteros Asiæ, quibus legitur ibi dixisse : Attendite vobis et universo gregi in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos, regere Ecclesiam Dei. *Act.* XX, 17. *Ibid.* 28.

Rursus expositores antiqui huic libro præmittunt istud præconium : *Epigramma in B. Dionysium de Hierarchia cœlesti.* Et subditur epigramma : *Angelicæ sapientiæ fulgores multos projecisti ho-*

C *minibus ; manifestasti animo videre compositam pulchritudinem,* vel, secundum Lincolniensem, *compositum astrum :* quia, ut ait, ἀστήρ Græce, dicitur stella ; ἄστρον vero, figura ex pluribus stellis composita. Est itaque sensus epigrammatis hujus : O Dionysi, tu « projecisti », id est, ex claritate mentis tuæ diffudisti et communicasti, « hominibus fulgores multos », id est splendida documenta, « angelicæ sapientiæ », id est sapientialis notitiæ de angelis, vel sapientiæ tuæ angelicæ ; « ma-

D nifestasti animo », id est, intellectibus fidelium ostendisti, « videre », id est cognoscere, « compositam pulchritudinem », id est decorem scientiæ libri hujus congrue ordinatum, seu pulchritudinem hierarchiæ cœlestis, tanquam pulcherrimum astrum seu astrorum congeriem. Etenim quodlibet hujus libri capitulum est tanquam splendida stella : sicque totus hic liber ex illis constans capitulis, est velut congeries siderum, et quasi figura ex multis stellis resultans.

# ARTICULUS IV

## ELUCIDATIO TITULI PRIMI CAPITULI HUJUS LIBRI.

TITULUS primi capituli hujus voluminis, in plerisque libris iste invenitur : *Quia omnis divina illuminatio secundum bonitatem varie in prævisa proveniens, manet simpla : et non hoc solum, sed et unificat illuminata.*

Titulus iste, qui est quasi procemium operis hujus, multipliciter potest exponi. Primo sic : « Quia », id est quod, « omnis illuminatio divina », id est quælibet lux Dei, seu omnis splendor divinus, ut habet translatio alia, « secundum bonitatem » Dei « proveniens », id est, descendens seque effundens, « varie », id est multipliciter, « in prævisa », id est in res creatas divinitus præcognitas ac provisas, « manet simpla », id est una et simplex in propria sua essentia ac natura ; « et non hoc solum », id est, non solum istud convenit omni illuminationi divinæ, « sed et unificat illuminata », id est, creata quibus communicatur, ad quamdam redigit unitatem et convenientiam inter se, ac identitatem aliquam eis largitur, ita quod sunt unum genere, specie, aut analogia. Unumquodque etiam eorum in se ipso est unum numero, secundum quod ait Boetius in libello de Uno et unitate : Omne quod est, ideo est quia unum numero est, id est, quidquid realiter et actualiter est in rerum natura, est numero unum, utpote particulare seu singulare. — Istud primo intelligi potest de unaquaque divina, increata et attributali perfectione Deo conveniente, ut est veritas, sapientia, pietas, potentia, liberalitas, in Deo consistens, atque realiter idem cum Deo ens. Rursus intelligi potest de quacumque idea mentis divinæ. Ideæ namque sunt formæ rerum exemplares in mente divina, opeA rativæ et productivæ omnium quæ causantur. Hæc attributa et ideæ Creatoris, secundum bonitatem et communicabilitatem ipsius variis modis proveniunt in creata, quoniam diversimode eis communicantur, videlicet uni copiosius, alteri minus, juxta diversam rerum capacitatem, dispositionem et speciem, juxta quod dixit Philosophus : Ab hoc ente omnibus derivatum est esse et vivere, his quidem clarius, his autem obscurius. Denique omnis hujusmodi attributalis perfectio B et idea, quum sit realiter divina essentia ac Deitas vera, in se invariabilis est, et incommutabiliter una numero simplexque permanet ; eis etiam quibus communicatur, unitatem et convenientiam aliquam imprimit. Propter quod omnia entia in communi ratione entis et entitatis conveniunt analogice saltem ; similiter omnia vera, in generali ratione veri ac veritatis ; omnes item substantiæ, in communi quadam substantiæ ratione. Sicque creata et illuminata simplificat et unificat, id C est, unum facit, creatrix illuminatio illa, id est illuminans lux divina. Quæ et omnia ordinat ac reducit ad se, tanquam ad summum et ultimum finem universorum : et ita effective cuncta illustrat, unificat ac reducit illuminatio increata. Præterea, quamvis in Deo sit summa simplicitas atque purissima unitas, pluraliter tamen et distributive exprimitur ac designatur, propter diversitatem suorum effectuum, et per respectum ad ideata : quemadmodum in Deo pluraliter nominantur mise- *Ps.* cxviii,
D ricordiæ et justitiæ, miserationes et pote- 156; xviii, 9;
states. l, 3; cv, 2.

Insuper potest hic titulus explanari, quod omnis illuminatio divina, id est om-

nis forma seu lux creata, juxta Dei bonitatem ac munificentiam ab ipso supergloriosissimo Deo procedens, proveniens ac descendens in creaturas, ut sunt dona naturalia atque gratuita, manet simpla, id est simplex et pura in se, dum abstractive et nude secundum propriam rationem consideratur ac sumitur, et prout de ea habetur scientia : dicente Boetio, quod scientia est eorum quæ incommutabilem sui sortiuntur substantiam ; et Gilberto, A Forma est compositioni contingens, simplici et invariabili essentia consistens. Verumtamen ista creatæ quidditatis simplicitas, unitas et puritas, longe (imo et infinite) inferioris est gradus ac ordinis, quam unitas, puritas, et item simplicitas increatæ essentiæ. At vero illuminatio ista creata, formaliter et intrinsece illuminat, unificat ac perficit id in quo est, ut patet de forma substantiali et accidentali, et de natura naturata ac gratia.

# ARTICULUS V

EXPOSITIO TEXTUS PRIMÆ PARTIS PRIMI CAPITULI, QUOD OMNE LUMEN A DEO PATRE AD NOS DERIVATUR ET NOS CUM DEO CONJUNGIT.

C*OMPRESBYTERO Timotheo, Dionysius presbyter salutem. Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum.* Circa hæc Joannes asserit Sarracenus : Inter ecclesiasticos scriptores, primum post Apostolos locum Areopagita Dionysius, sicut tempore, ita et theologicæ sapientiæ doctrina et auctoritate, creditur possidere : quippe qui ab eisdem Apostolis et eorum discipulis uberius edoctus, valde ultra ceteros de supercœlestibus est locutus. Cujus scripta, litteratura scientiarumque pondere adeo sunt gravia, ut præ nimia intelligendi difficultate vix legantur ab aliquo. In quorum explanatione doctiores mallem audire. Sed quoniam neque expositor, neque didascalus apud nos invenitur, et fructuosissima eorum sententia, tanquam thesaurus absconditus, parum utilitatis hominibus afferre videtur : hinc primo nunc de Angelica hierarchia, quod Dominus dederit proferemus, ut si quis eruditior inde tractare voluerit, reseratam aliqualiter inveniat viam. Verumtamen de supernis civibus, quum sim terra et pulvis (*Gen.* XVIII, 27; *Eccli.* X, 9), peccatorumque mole depressus, pro- B loqui pertimesco : præsertim quia divinæ scientiæ nosse est, quemadmodum illa angelicæ celsitudo naturæ absque contagione ac diminutione in sua sola puritate consistat, et cavendum ne ea quæ humanum transcendunt ingenium, pro suo quis libitu tractare aut usurpare præsumat.

Denique Dionysius post suam conversionem ad Christum, vocat se Areopagitam, sicut et antea cognominabatur : quia ut Maximus protestatur, Sancti priores cognomina quæ dum erant gentiles habebant, C etiam postquam ad Christum convertebantur, sibi sine verecundia adscripserunt : quemadmodum sacratissimus vir Justinus sermonem quem scripsit contra paganos, Justini philosophi prætitulavit.

Præterea sanctus pater Dionysius hunc librum suum ab auctoritate Jacobi apostoli inchoavit : Omne, inquiens, datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum (*Jacob.* I, 17). Quamvis certum sit omne bonum creatum ab increato bono fluxisse aut fluere, tamen hoc loco est D mentio de bonis eminentioribus rationali creaturæ concessis. Bona namque irrationalibus communicata,

A nec optima sunt, nec perfecta, nec ad beatitudinem ordinantur directe.

Itaque: « Omne datum optimum », id est omne munus valde bonum, atque in genere naturalium donorum supremum, ut sunt vires et habitus intellectuales, in quibus summæ Trinitatis imago in omni homine primum attenditur, « et omne donum perfectum », id est omne munus gratiæ supernaturale, omne quoque donum gloriæ, « desursum est, descendens a Patre luminum », id est ab ente altissimo, quod est super omnia, non elatum; et infra omnia, non oppressum : quod est Pater luminum, id est prima fontalisque causa ac dator omnis luminis naturalis et supernaturalis, a quo omne lumen naturæ ac gratiæ et omnis lux gloriæ originaliter processerunt. Quo testimonio edocemur nihil de viribus nostris præsumere, omne bonum Deo grata mente adscribere, in tantum quod merita nostra ac præmia, Dei munera reputemus, juxta illud Joannis
Joann. I, 16. amici Dei : De plenitudine ejus (videlicet Christi) omnes accepimus gratiam pro gra-
II Cor. x, 17. tia. Ideo, juxta Apostolum : Qui gloriatur,
I Cor. IV, 7. in Domino glorietur. Quid enim habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Denique, Pater luminum, hoc loco essentialiter pro tota superdignissima Trinitate, uno et solo omnium creatore, accipitur : cui
Matth. VI, 9. quotidie dicimus, Pater noster qui es in cœlis. Hinc quoque apud Joannem fertur :
Joann. III, 27. Non potest homo accipere quidquam, nisi fuerit ei datum de cœlo.

Consequenter sublimis Dionysius auctoritatem apostoli Jacobi introductam quasi extendit, perficit atque enucleat, subdens: *Sed et omnis, Patre moto, manifestationis luminum processio in nos optime ac large proveniens, iterum ut unifica virtus restituens nos, replet et convertit ad congregantis Patris unitatem et deificam simplicitatem.* Jacobus quippe, ut asserit Sarracenus, et consonat Scotus, solum videbatur locutus de emanatione et multiplicatione luminum divinorum, ac siluisse de adunatione, reductione et simplificatione eorum per conversionem ipsorum in suum fontem : idcirco Sanctus iste hoc addit. Est ergo ordo et sensus verborum :

« Sed et », id est, non solum omne datum optimum ac donum perfectum desursum est, a Patre luminum, verum etiam « omnis processio manifestationis luminum », id est omnis emanatio, seu forma bonitasve emanans, manifestativa luminum desuper descendentium, hoc est, per quam fit manifestatio, declaratio atque cognitio

B luminum naturalium ac gratuitorum, sicut ait Apostolus : Non spiritum hujus I Cor. II, 12.
mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est (id est dona et illuminationes Spiritus Sancti), ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis. Talis ergo processio manifestationis luminum « proveniens in nos », id est, descendens in mentes nostras, « optime », id est valde gratiose ac ordinate, « ac large » : Deus etenim dat omnibus Jacob. I, 5.
affluenter, et non improperat; large quoque, utpote supra merita nostra, imo fre-

C quenter contra nostra demerita, dum non obstantibus nostris demeritis, misericordissime et copiose nos prævenit, compungit, illustrat, reducit, convertit. Ideo subditur : « ut unifica virtus restituens nos iterum », id est, reponens nos denuo in pristino gradu virtutis ac meritorum, atque in statu gratiæ ac salutis a quo peccando cecidimus. Unde in Threnis deprecatus est Jeremias : Converte nos, Domine, Thren. v, 21.
ad te, et convertemur; innova dies nostros sicut a principio. « Replet » nos donis mi-

D sericordiæ suæ : sicut fatetur Psalmista, Qui replet in bonis desiderium tuum ; « et Ps. XCII, 6.
convertit » nos « ad unitatem et deificam simplicitatem Patris congregantis », id est ad unionem amorosam cum Patre, ad simplificationem quoque mentalem in ipso, qui ab evagationibus et dispersionibus cordis nostri per multa vana, prava ac frivola, clementissime nos revocat, ac perducit ad se ipsum, qui est unicum illud bonum ac simplicissimum unum quod so- Luc. x, 42.
lum est necessarium. Reducit nos quoque

ad unitatem et simplicitatem deificam Patris, id est ad ipsum Patrem, qui est unitas prima simplicitasque perfecta. Creavit enim nos propter se, et inquietum est cor nostrum, nisi quiescat in ipso.

Porro totum istud fit et contingit in nobis, « Patre moto », id est, Patre luminum se ipsum clementer convertente ad nos, miseranteque nostri. Sic nempe movetur a rigore justitiæ ad dulcorem clementiæ : non quod intra se varietur, qui stabilis manens, dat cuncta moveri ; ad
Ps. ci, 28. quem ait Propheta, Tu autem idem ipse
Malach. iii, 6. es; qui per Malachiam dixit, Ego Dominus, et non mutor. Unde et in libro Numero-
Num. xxiii, 19. rum Balaam contestatur : Non est Deus quasi homo, ut mentiatur, neque ut filius hominis, ut mutetur. Ipse siquidem, ut Aristoteles demonstravit, est actus purus, et motor primus prorsus immobilis. Verumtamen Plato perhibuit Deum seu primum motorem moveri ; et de hoc Aristoteles redarguit eum. Attamen verba ipsius, non mentem, redarguit. Non enim sensit doctissimus Plato summum Deum moveri motu proprie dicto, qui est exitus de potentia et imperfectione ad actum, sed motu metaphorice sumpto, qui est processus in actionem. Hinc loquitur Hugo : Motus Patris, affectus est paternæ benignitatis. Sola enim benignitate et pietate Deus Pater movetur ad effundendum lumina sua super nos. Movetur, non turbatione sui, sed miseratione nostri : movetur, non se concutiens, sed nos colligens ; non se evacuans, sed nos replens.

Circa prætacta scribit Lincolniensis : Per varios diversarum rerum amores nos sumus distracti, divisi et multiplicati ; et ipsa distractione ac multiplicatione, non expansi nec majorati, sed distracti, corrugati ac minorati. Luminis vero apparitio in nos proveniens, atque ad originem suam nos revehens, a tali distractione, corrugatione et minoratione nos eruens, spiritualiter nos expandit, dilatat, majorat, convertendo nos ad deificam Patris simplicitatem. Cujus simplicitas nominatur

A deifica, quoniam spiritum ei tantummodo adhærentem efficit deiformem unumque secum, dicente Apostolo, Qui adhæret I Cor. vi, 17.
Deo unus spiritus est : non utique substantialiter, sed quadam participatione, et caritatis conformatione et conjunctione, quemadmodum legitur Christus orasse :
Rogo ut omnes qui credituri sunt in me Joann. xvii, 20, 21, 23.
unum sint, sicut tu, Pater, in me, et ego in te, ut sint consummati in unum.

Insuper, juxta prætacta, de increata Sapientia in Sapientiæ scriptum est libro :
B Omnibus mobilibus mobilior est sapien- Sap. vii, 24, 27.
tia ; et in se permanens, per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei et Prophetas constituit.

Præhabitis etiam consonat quod loquitur Origenes, quod Scotus quoque allegans : De hac (inquit) unificatione, Origenes pulchre disseruit : Nos qui adhuc peccatores sumus, præinductam unificationem nondum sortiti sumus. Intuere vultum illius nunc irati, nunc tristis ; nunc læti, jam rursus turbati, et paulo post
C mitis ; modo de rebus divinis atque æternæ vitæ actibus consulentis, et paulo post temporalia aut etiam inania revolventis. Ecce quomodo qui putatur unus, non est simpliciter unus, sed tot in eo personæ videntur quot mores. Nam et teste Scri-
ptura, Stultus mutatur ut luna : quæ quum Eccli. xxvii, 12.
sit per substantiam una, per mutationem tamen semper a semetipsa est alia. Sic nos pusilli, insipientes et imperfecti, quia assidue diversa cupimus et sentimus, unus vocari non possumus. Porro justi ac sa-
D pientes non solum singulatim recte unus dicuntur, imo etiam omnes simul unus vocantur. Et cur non omnes unus vocen-
tur, quum eorum sit cor unum et anima Act. iv, 32.
una ? Unam jugiter sapientiam meditantur, unum Dominum Jesum Christum confitentur, uno Spiritu Sancto replentur.

Præterea Scotus : Qua (inquit) ratione Pater a Græcis motus dicatur, non incongrue a sapientibus investigatur. Movet plane se ipsum, non localiter, nec temporaliter, sed superessentialiter, super omnia

loca et tempora : imo ipse est motus et status, motus stabilis, et status immobilis. Unde Græce, πατήρ, et composito nomine, παντατηρῶν, id est omnia curans et servans, appellatur. Dicitur quoque Deus Græce, θεός, quod interpretatur currens. Currit quippe, id est, diffundit se per omnia, implens et substantificans universa. — At vero secundum Albertum, Deus Pater dicitur motus, non variatione, sed repræsentatione, sicut exemplar movetur in exemplata : sicque Patrem moveri, est eum secundum ideam mentis suæ in ideatorum formationem procedere.

Consequenter, hanc rerum a Deo emanationem et earumdem reditionem in ipsum, quod est quasi circulatio quædam, probat Theologus auctoritate Scripturæ. *Etenim ex ipso omnia, et in ipsum, ut divinus ait sermo* * : id est, sicut sacra testatur Scriptura ad Romanos, « omnia » quæ sunt citra ac infra Deum Patrem, sunt « ex ipso » tanquam ex primo ac summo effectivo principio, hoc est ex prima causa efficiente ; omnia quoque reducuntur ac convertuntur « in ipsum » finaliter, tanquam in summum ac ultimum finem cunctorum : et hoc, naturali ac sensitivo aut intellectivo appetitu, quamvis quædam rationales ac intellectuales creaturæ propria et innaturali perversitate ac appetitione ab ipso aversæ sint.

* *ut divinum ait verbum*

*Rom.* XI, 36.

Hinc juxta Philosophum, omnia naturaliter appetunt bonum. Imo summum bonum cunctis summe appetibile est et optatum, sine quo nec ad momentum valent consistere aut durare. Unde in libro Proverbiorum scriptum est, Omnia propter se ipsum operatus est Dominus : utpote tanquam ob summum et ultimum finem. In Apocalypsi quoque loquitur Deus : Ego sum Alpha et Omega, principium et finis. Nec obstat quod damnati cupiunt non esse ac mori, quia hoc est ex vehementia pœnæ. Non enim mors aut non esse appeti potest in quantum hujusmodi, sed in quantum ipsi esse aut vitæ annexa sunt grandia et odibilia mala. — Porro

*Prov.* XVI, 4.

*Apoc.* I, 8; XXI, 6; XXII, 13.

A (ut ait Scotigena) universa, præsertim intellectualia bene disposita, admirabili desiderio inenarrabilique amore, auctorem vitæ et ministratorem gratiæ suæ ac muneris intuentur ac amant. Imo, ut probabilis tenet opinio, rationalis creatura etiam naturali amore plus diligit Deum quam se ipsam. Naturalis equidem amor non est inordinatus nec vitiosus : sed amor quo plus diligitur creatura quam Creator, est inordinatus et vitiosus, ac quasi libidinosus, quum præferat medium fini, potissime summo et incomparabili fini. B

Præterea, auctoritatem istam Apostoli breviter et ex parte Theologus hic allegat, videlicet quantum ad suum spectat propositum. Dixerat quippe omnia esse a Deo, et rursus ad ipsum cuncta reduci. Ideo sic allegat : « Etenim ex ipso omnia, et in ipsum », supple, sunt omnia tendentia ac redeuntia aut conversa. Apostolus vero ita effatur : Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia.

*Rom.* XI, 36.

Quocirca pensandum, quia ut philosophi atque theologi concorditer fassi sunt, C Deus omnipotens causa est rerum in triplici genere causæ, vel potius in triformi seu tripartito modo causandi, puta in modo ac genere causæ efficientis, et formalis (non utique informantis, sed formantis et exemplaris), et in genere causæ finalis. Tria namque attributa Deo præcipue adscribuntur, quæ sunt, potentia, sapientia, bonitas. Ratione potentiæ convenit Deo causalitas, et item proprietas causæ efficientis, quia activæ potentiæ convenit operari in aliud et efficere aliquid. D Sapientiæ autem convenit dirigere in agendo; bonitati vero, reducere. Itaque in rerum productione potentia actum elicit, sapientia dirigit, bonitas perficit; potentia efficit, sapientia ordinat, bonitas complet ; potentia trahit ad esse, sapientia ducit ad formam, bonitas inclinat ad finem. Quumque Deus cuncta potenter et sapienter utiliterque produxerit, recte ex ipso, et per ipsum, et in ipso omnia esse censentur. — Iterum, quoniam Patri appropriatur

potentia, Filio sapientia, bonitas Spiritui Sancto : omnia, per appropriationem loquendo, sunt ex ipso, id est ex Patre; et per ipsum, id est per Filium, per quem facta sunt omnia ; et in ipso, id est in Spiritu Sancto, qui est primus amor, a quo omnis affectio omnisque appetitio boni ac ultimi finis. Nihilo minus de qualibet divina et increata Persona istud verificatur, Ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia, quum in unaquaque earum sit summa potentia, summa sapientia, et bonitas summa, nec dubium quin una et indivisa.

*Joann.* I, 3.

Circa hæc loquitur Sarracenus : Fere tota Dionysii sancti intentio per omnes libros istos, est de inexplicabili numerositate multiplicationis primi et summi boni in suis effectibus, et reductione ac reditu tam innumerabilium causatorum in ipsum, tractare. — Præterea Joannes Sarracenus qui hic allegatur, cognominatus est Sarracenus, non quod de lege fuit Sarracenorum, utpote Mahometi : imo fuit doctor catholicus multum eximius. Sed forsan ratione territorii, aut nationis, vel mansionis, nominatus est ita.

Postremo, præhabitis consonant documenta Platonis. Ait equidem in Elementatione sua theologica Proclus Platonicus : Omne bonum unitivum est participantium A ipso ; et rursus, Omnium entium primum et causa prima, est bonum ; itemque, Omnia entia procedunt ab una causa prima, et convertuntur ad eam ; et denuo, Omne (inquit) causatum manet in sua causa, et procedit ab ea, et convertitur ad ipsam. Hoc et Avicenna ac Algazel in suis Metaphysicis contestantur.

In chronicis demum narratur, quod tempore Caroli Calvi regis Francorum, filii Ludovici imperatoris, venit de Anglia Joannes Scotus, homo doctissimus, et idio- B matis Græci peritus : qui jussione ac amore Caroli antedicti, librum de Angelica hierarchia de Græco transtulit in Latinum. Postea, invitante Elfredo rege bono ac pio, in Angliam est reversus, et collocatus in monasterio Malmesberio, pueros erudivit nobilium. Tandem ab eis, quibus docendo factus erat exosus, stilis perforatus, obiit martyr. Præfatus autem Carolus Calvus regnasse describitur anno* Domini octingentesimo septuagesimo septimo. De hoc etiam Joanne Scotigena præ- C allegatus Anastasius loquitur : Mirandum quomodo vir ille barbarus in fine mundi positus, Joannem Scotum insinuo, homo (ut audivi) per omnia sanctus, ista intelligere potuit : quod utique fecit Spiritus Sanctus, qui eum constituit ardentem pariter et loquentem.

* ad annum...

# ARTICULUS VI

INVOCATO CHRISTO, PROPONIT AUCTOR CŒLESTES HIERARCHIAS OPE LUMINIS SCRIPTURARUM SPECULARI, ET EX ISTO LUMINE AD IPSUM RADIUM DIVINUM INTUENDUM ASSURGERE.

*ERGO Jesum invocantes paternum lumen, quod est, quod verum est, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, per quem ad principale lumen Patrem accessum habuimus : in sacratissimorum Eloquiorum Patre tra-* D *ditas illuminationes, quantum possibile est respiciemus ; et ab his* symbolice nobis et anagogice manifestatas cœlestium animorum hierarchias, quantum potentes sumus considerabimus.*

* ipsis

Præmisso ac introducto pulchro themate

ac sublimi præambulo, tangit suum pro- A
positum, utpote, de quo tractare intendit
in isto volumine. Et ne de suis videatur
præsumere viribus, ab oratione exorsus
*Jacob.* I, 7. est, sciens omne bonum desuper dari. Un-
de et Plato in primo Timæi, de sensibilis
mundi productione acturus : Quum omni-
bus, ait, mos sit et quasi quædam re-
ligio, qui vel de maximis rebus vel de
minimis acturi sunt aliquid, precari ad
auxiliandum Divinitatem ; sit ergo meis
precibus comprehensum, ut ea dicantur
a nobis quæ Deo placent. Certum est enim B
quod sine generali Dei influxu, nil peni-
tus valeamus loqui, nec cogitare, nec ope-
rari. Porro sine speciali influxu pietatis
ac gratiæ Dei, nil meritorie loqui vale-
mus nec agere. Quorum utrumque reco-
gnoscimus ac fatemur, Deum sinceriter
invocando : quem quo devotius invoca-
mus, tanto majorem ipsius directionem
ac opem meremur et obtinemus.

« Ergo », id est, quum prædicta ita se
habeant, nos « invocantes Jesum », qui est
« lumen paternum », id est lumen æter- C
num et increatum a Patre æternaliter ge-
nitum, sicut in Symbolo canitur : Ex Pa-
tre natum ante omnia sæcula ; Deum de
Deo, lumen de lumine, Deum verum de
Deo vero. In quibus verbis lumen et Deus
relative, personaliter, non absolute, su-
muntur. Rursus Jesus est « lumen pater-
num », id est lumen fontale, primum ac
paternale, a quo omne lumen creatum
profluxit. Tres quoque increatæ superglo-
riosæ Personæ sunt unum lumen pater-
num, quemadmodum unus Pater et unus D
*Matth.* VI, 9. Creator, secundum illud : Pater noster
qui es in cœlis. Amplius Jesus secundum
naturam divinam est lumen substantiali-
ter ; secundum naturam vero humanam
assumptam, est lumen per participatio-
*Ibid.* V, 14. nem, quum et Apostolis dixerit : Vos estis
lux mundi. Et Apostolus scribens Ephe-
*Ephes.* V, 8. siis : Fuistis, inquit, aliquando tenebræ,
nunc autem lux in Domino. Nec obstat
quod in Joannis evangelio, de beatissi-
*Joann.* I, 8. mo fertur Joanne Baptista, Non erat ille
lux : quia hoc de luce per essentiam di-
ctum est.

« Quod est » : id est, cui lumini increa-
to convenit esse simpliciter, hoc est esse
incircumscriptum, incommutabile et per-
fectum ; cui esse non est accidens, sed
causa subsistens, veritas manens, atque
proprietas naturalis ; qui olim ad Moysen
dixit in Exodo : Ego sum qui sum ; hæc *Exod.* III, 14.
dices filiis Israel, Qui est, misit me ad
vos. Sicque esse convenit soli Deo, cui
sanctus Job ait : Quis potest facere mun- *Job* XIV, 4.
dum de immundo conceptum semine ?
nonne tu qui solus es ? Unde et Unigenitus
Patris testatus est : Antequam Abraham *Joann.* VIII, 58.
fieret, ego sum.

« Quod verum est » veritate naturæ,
quia essentialiter lux est, non imperfecte
et dependenter, secundum quod Deus :
imo sic est lux puritatis ac sanctitatis
penitus infinitæ, in qua nulla obscurita-
tis, nulla tenebrositatis seu defectuositatis
admixtio ; cujus comparatione omne lu-
men et omne lucens creatum, est qua-
si caligo et tenebrescens. Hinc in prima
S. Joannis continetur Canonica : Deus lux *I Joann.* I, 5.
est, et tenebræ in eo non sunt ullæ ; in
Job quoque, Ecce etiam luna non splendet, *Job* XXV, 5.
et stellæ non sunt mundæ in conspectu
ejus. Unde Joannis primo asseritur : Erat *Joann.* I, 9.
lux vera. Erat demum in Christo, secun-
dum utramque suam naturam, veritas vi-
tæ, veritas doctrinæ, veritasque justitiæ.
De qua triplici veritate dixerunt ad eum
insidiatores ipsius : Magister, scimus quia *Matth.* XXII, 16.
verax es, et viam Dei in veritate doces,
et non est tibi cura de aliquo.

« Quod illuminat omnem hominem ve- *Joann.* I, 9.
nientem in hunc mundum. » Omnes nam-
que illuminat lumine naturalis ingenii,
de quo ait Psalmista : Signatum est super *Ps.* IV, 7.
nos lumen vultus tui, Domine. Illuminat
etiam omnem hominem viatorem lumine
gratiæ, id est quosdam de omni genere
hominum, prout apud Joannem loquitur :
Si exaltatus fuero a terra, omnia traham *Joann.* XII, 32.
ad me ipsum.

« Per quem ad principale lumen Pa-

trem accessum habuimus », id est, per A
Jesum secundum naturam assumptam, pro-
I *Tim.* II, 5. ut mediator est Dei et hominum, liberator
et reconciliator generis humani, habui-
mus et habemus accessum ad Patrem,
quia per fidem et meritum passionemque
Christi, mente conjungimur Deo Patri,
et suo Filio incorporamur. Propter quod
*Joann.* XIV, 6. Christus protestatur : Ego sum via, et ve-
ritas, et vita ; nemo venit ad Patrem nisi
per me. Præterea, sicut per primi paren-
tis nostri prævaricationem omnes facti su-
*Ephes.* II, 3. mus filii iræ ac perditi, ita per unius B
hominis obedientiam, fidem et meritum,
omnes sumus recuperati, juxta illud Apo-
I *Cor.* XV, 22. stoli : Sicut in Adam omnes moriuntur, ita
et in Christo omnes vivificabuntur. Dici-
tur autem Pater lumen principale, non
quod sit principalior aut clarior lux quam
Filius ac Spiritus Sanctus : imo totæ tres
supersanctissimæ adorandæ Personæ sunt
unum lumen fontale ac principale, vi-
vum et intellectuale, quod est veritas ac
sapientia æternalis, claritate prorsus in-
terminabili in se ipsa coruscans. — Am- C
plius Hugo, Joannes Sarracenus, Albertus,
et alii quidam, per lumen principale, in-
telligunt hic Deum Patrem : non quod
major sit Filio aut Spiritu Sancto ; sed
quia est lumen non de lumine, nec aliun-
de habet quod lucet. Filius autem habet
a Patre quod lucet et spirat ; sed et Spi-
ritus Sanctus ab utroque æterna proces-
sione accepit quidquid habet et est. Qui-
bus objici posset, quod pari ratione Pater
esset principalis Deus. Insuper emanatio-
nes in divinis ad intra, nil imperfectionis D
aut inferioritatis includunt.

« Respiciemus » mentali intuitu et con-
templatione fideli : sicut dixit Apostolus,
II *Cor.* III, 18. Nos autem revelata facie gloriam Domini
speculantes. Ad quem respectum neces-
saria est illuminatio Dei. Propter quod
*Ps.* CXVIII, 18. oravit Propheta : Revela oculos meos, et
considerabo mirabilia de lege tua. Respi-
ciemus, inquam, « quantum possibile »
nobis « est » per gratiam Creatoris, ab im-
moderato, præsumptuoso et curioso scru-
tinio abstinentes, juxta illud Ecclesiastici :
Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne *Eccli.* III, 22.
scrutatus fueris. Nempe ut Salomon fa-
tetur, Sicut qui mel comedit multum, non *Prov.* XXV, 27.
est ei bonum, sic qui perscrutator est ma-
jestatis, opprimetur a gloria. « In illumi-
nationes sacratissimorum Eloquiorum », id
est splendidissimas sacræ Scripturæ do-
ctrinas nos illuminantes, « traditas Pa-
tre », id est datas fidelibus a Patre cœle-
sti : quæ et datæ, id est, desuper influxæ
sunt, Patribus sanctis, Apostolis et Pro-
phetis. Omnis enim sapientia a Domino *Eccli.* I, 1.
Deo est, ut dicit Ecclesiasticus. Hinc in
Ecclesiaste edocetur : Verba sapientium *Eccle.* XII, 11.
quasi stimuli et quasi clavi in altum de-
fixi, quæ per magistrorum consilium data
sunt a pastore uno. Hinc, teste Apostolo,
Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis II *Tim.* III, 16.
est ad docendum.

« Et considerabimus quantum potentes
sumus », id est, quantum Deo auxiliante
valemus, « hierarchias », id est sacros
principatus, distinctiones ac ordines, « ani-
morum cœlestium », id est supernorum
spirituum in summo cœlo manentium,
« manifestatas nobis », id est declaratas
nobis credentibus, [« ab ipsis » illumina-
tionibus prædictis,] « symbolice », id est
per similitudines corporalium rerum et
imaginariarum visionum, in quibus fre-
quenter leguntur apparuisse, « et anago-
gice », id est per puras et intellectuales il-
lustrationes : secundum quod David suas
sortitus est visiones, juxta quod secundo
Regum libro protestatur : Spiritus Do- II *Reg.* XXIII, 2, 4.
mini locutus est per me, et sermo ejus
per linguam meam sicut lux auroræ.

In quibus verbis breviter insinuatur du-
plex modus ac species revelationis ac vi-
sionis divinæ : quas revelationes (ut asse-
rit Hugo) Græci theophanias, id est divinas
apparitiones, appellant. Unus modus est
per imaginarias formas ac similitudines
in interiori sensu formatas, per quas quæ-
dam secreta, utpote futura, vel spiritua-
lia ac divina, signantur : quemadmodum
Isaias vidit Dominum sedentem super so- *Is.* VI, 1, 2.

lium excelsum et elevatum, et Seraphim ex utroque latere ejus; Ezechiel quoque vidit similitudinem throni, et super eum similitudinem hominis. Sic et Jeremias in libro suarum visionum recitat se vidisse ollam succensam, virgamque vigilantem. Ad hanc speciem visionis reducitur visio corporalis quæ in vigilia exhibetur : quemadmodum Abraham vidit tres angelos in formis virorum ; Tobias quoque, Raphaelem in similitudine juvenis. Talis autem apparitio nuncupatur symbolica, quoniam σύμβολον dicitur collatio seu apparitio sensibilium similitudinum seu formarum ad invisibilium aut secretorum significantiam facta, secundum quod formæ et figuræ corporalium rerum sunt incorporalium notæ ac signa. Denique isto modo communiter factæ sunt propheticæ visiones : in quibus etiam alienatio seu abstractio fuit ab exterioribus sensibus, et revelatio ac intellectio eorum quæ per sensibilia signa demonstrabantur. Aliter non fuisset visio prophetalis : intelligentia namque est opus (id est principale) in visione. Idcirco nec Pharao rex Ægypti, nec Nabuchodonosor rex Chaldæorum, quorum primus vidit in somno imaginaria visione septem boves ac totidem spicas, alius statuam grandem, nec Balthasar Chaldæus, qui sedens in mensa vidit in vigilia articulos manus scribentis, fuerunt prophetæ, quia non intellexerunt ex revelatione divina quid visiones illæ significabant; sed Joseph et Daniel, qui eas interpretabantur. — Secunda revelatio seu divinorum cognitio, anagogica nominatur, id est intellectiva et sursumductiva, ab ἀνά, quod est sursum, et ἀγωγή, ductio : quæ per immateriales fit species et abstractas, ut in visione mysticæ theologiæ, sicut infra patebit. — Et utroque modo innotuerunt divina atque angelici spiritus Patribus. Nam et David regi anagogice patuisse videntur, quum dixit : Benedicite Domino, angeli ejus, potentes virtute ; benedicite Domino, omnes virtutes ejus. Philosophi quoque aliqua vera

*Ezech.* I, 26. — *Jer.* I, 13, 11. — *Gen.* XVIII, 2. — *Tob.* V, 5. — *Dan.* X, 1. — *Gen.* XLI, 1-7; 17-24. — *Dan.* II, 1, 31-33. — *Ibid.* V, 1, 5. — *Gen.* XLI, 25-32; *Dan.* II, 36-45; V, 18-28. — *Ps.* CII, 20, 21.

A de Deo et angelis agnoverunt ex lumine naturali et motibus cœlestium corporum. Verum auctor considerationem suam in libro isto non in dictis fundat philosophorum, sed Patrum sanctorum.

Consequenter ostendit non esse sistendum finaliter in consideratione et speculatione hierarchiarum cœlestium, sed luminis increati.

*Et principalem et superprincipalem divini Patris claritatem quæ angelorum nobis in figuratis symbolis manifestat beatissimas hierarchias, immaterialibus et non trementibus mentis oculis recepturi*, iterum ex ipsa in simplum suum restituimur radium.* Sensus et ordo verborum est : « Et » nos « recepturi oculis mentis immaterialibus et non trementibus », id est intus in intellectibus nostris a passionum vitiorumque motibus quietatis ac reformatis, juxta illud Apostoli, Illuminatos oculos cordis vestri, etc., « claritatem principalem et superprincipalem Patris divini », id est lucem increatam seu activam illuminationem Patris æterni. Quæ lux vere est principalis, et super omnia lumina habens primatum : imo et superprincipalis, id est infinite altior ac principalior quam intelligere aut exprimere valeamus, quemadmodum in libro de Causis inducitur, Causa prima est superior omni narratione ; et Plato loquitur in Timæo, Genitorem opificemque universi tam difficile est invenire, quam impossibile inventum digne effari. « Quæ » claritas Patris « manifestat nobis hierarchias beatissimas », id est valde felices principatus ac ordines, « angelorum in symbolis figuratis », id est per similitudines corporales circumscriptas ac terminatas, sicut prætactum est. « Restituimur iterum ex ipsa », id est, [per hanc ipsam claritatem] rursus reducimur ac redimus, « in radium suum simplum », id est in ipsum splendorem fontanum lucemque primam, totius illuminationis fontem ac principem in se ipso simplicissimum. Jam etenim dictum est quod bonitas Dei nobis com-

* respicientes

*Ephes.* I, 18.

municata, tanquam virtus unifica reducit nos ad Patris unionem et suæ unitatis participationem, nos in ipso simplificantem, art. IV. sicut expositum est.

Quocirca pensandum, quod in vita præsenti non recipimus immediate increatam claritatem ad intuendum eam in se et per se; sed recipimus eam per dona gratiæ suæ, præsertim per supernaturalia dona fidei formatæ et caritatis infusæ ac sapientiæ salutaris, quæ conjungunt nos Deo, et simplificant nos, unificant identificantque in ipso, ita quod divini ac dei- I *Cor.* VI, 17. formes efficimur, et unus spiritus cum eodem, imo et adoptivi filii ejus, secun- *Philipp.* II, 15. dum illud ad Philippenses : Sitis sine querela, simplices filii Dei. Atque per ista gratiæ gratum facientis charismata Deo unimur per contemplationem, dilectionem ac fruitionem, quamvis nondum perfectas ac indiruptas, sicut erit in patria, sed sæpe interpolatas, ac iteratas et renovatas. Omnia ista compendiosissime tangit sacratissimus apostolici agminis vertex ac princeps, in secunda sua Canonica lo- II *Petr.* I, 4. quens : Dedit nobis Deus pretiosa dona, ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ. Sic etenim dona nobis desuper data conformant nos suo datori, et in ipsum nos reducunt, convertunt, ac suo modo transformant. Hinc Corinthiis scri- II *Cor.* III, 18. psit Apostolus : Nos omnes revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tanquam a Domini Spiritu.

Quibus et suo modo concordat quod Proclus Platonicus de naturalibus emanatione, reditione et assimilatione secundorum a primo et ad primum effatur : Omnis (inquiens) processus, per similitudinem secundorum ad prima efficitur; itemque, Omnis (ait) conversio, per similitudinem efficitur eorum quæ convertuntur, ad quod convertuntur. Unde in commentario subjungit : Quod enim convertitur ad aliquid, copulari illi festinat, et appetit communionem et colligationem ad ipsum. Colligat autem omnia similitudo, quem- A admodum dissimilitudo disgregat et facit distare. Quum ergo conversio communio quædam sit atque conjunctio, omnis autem communio et conjunctio per similitudinem fiat, omnis utique conversio per similitudinem quamdam efficitur. Hoc est quod rursus Proclus fatetur : Omne quod secundum naturam convertitur, ad id facit conversionem a quo et processum propriæ substantiæ habet. In his vero regyratio ac circulatio quædam consistit. Quod etiam Proclus tricesimo tertio sui libri B theoremate pandens : Omne, inquit, procedens ab aliquo et conversum ad illud, circularem habet operationem.

Præterea advertendum quod quidam expositores affirmant, dicendo : Sciendum multos externorum philosophorum, maxime Proclum, sententiis B. Dionysii, imo et nudis ejus vocabulis, plerumque usos fuisse. Unde possumus suspicari ab his qui Athenis philosophabantur libros S. Dionysii, quorum ipsemet meminit, fuisse celatos, ut quæ inde sumebant, ipsi in- C venisse æstimarentur. Verum his libris inventis, divina providentia id agente, inanis illorum gloria atque malitia patefactæ sunt. — Quid veritatis istud contineat, certum non habeo, quia et Plato diu ante gloriosum Dionysium ea quæ Proclus expressit, dixisse cognoscitur. In libro quoque de Causis, consimilia inveniuntur. Philosophi quippe talia conscripserunt quantum ad emanationem et reductionem naturalium donorum ac bonitatum; Dionysius vero potissime est locutus de efflu- D xione, reditione, conformatione gratuitorum supernaturaliumque donorum. Unde in libro de Causis habetur : Causa prima est implens omnia sæcula bonitatibus; verumtamen omne sæculum non recipit ex bonitatibus illis, nisi secundum modum suæ potentiæ. Et : Regens omnia est Deus sublimis et benedictus. Regere autem, est rem ad suum finem dirigere; et summus omnium finis est Deus, et omnes res desiderant bonitatem ex ipso, et desiderant recipere ipsum desiderio multo. Quibus

*Ps.* CXLIV, 15, 16.

consonat illud in Psalmo : Oculi omnium A in te sperant, Domine, et tu das escam illorum in tempore opportuno ; aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictione. Id quoque quod apud Job inducitur : Quis præparat corvo escam suam, quando pulli ejus clamant ad Deum, vagientes eo quod non habeant cibos? Quæ omnia sunt sane intelligenda. Non enim bruta intelligunt Deum, nec clamant ad eum, nec appetunt eum formaliter. Sed naturalis eorum appetitus ad necessaria et connaturalia ac convenientia ipsis, at- B que ad proprium finem ipsorum, quum sit eis a Deo impressus, vocatur desiderium et invocatio Dei, cujus dona et beneficia sunt cuncta quæ rebus conveniunt : quæ et bonitates Creatoris dicuntur, hoc est bonæ largitiones ipsius.

*Job* XXXVIII, 41.

Postremo, circa id, « immaterialibus et non trementibus mentis oculis », intuendum quod sicut oculi corporales tremunt, vacillant, et a clara rerum inspectione impediuntur ex fumo et nebula, nimiumque frequenti ac celeri apertione et re- C clusione palpebrarum ; sic immateriales oculi mentis inquietantur, turbantur, atque a contemplatione divinorum stabili ac sincera impediuntur ex motu et impetu passionum, ex assiduitate terrenorum affectuum, ex incursibus vitiorum. A quibus satagat expurgari qui cœlestia et divina expetit speculari. Quemadmodum etiam visui corporali necessaria est superfusio lucis solaris aut radii materialis, sic oculis mentis, illustratio et infusio luminis gratiæ ac virtutis : quia in D tam excellentibus objectis non figitur, nisi per lumen fidei et æquitatis aptetur, clarificetur ac roboretur.

Consequenter auctor circa hæc removet dubium et errorem. Tactum est enim, pleniusque dicetur, quod radius a Deo proveniens, multis communicatur ac varia operatur : ex quo posset quis opinari, quod radius iste propriam unitatem ac simplicitatem in rebus amitteret. Quod removet, addens :

*Etenim neque ipse radius unquam aliquando* propria singulari unitate deseritur :* id est, radius increatus, Verbum æternum a Patre progrediens, ac refulgens candor lucis æternæ, quantumcumque et quantiscumque se communicet ac diffundat, et in diversis diversimode operetur multiplicesque causet effectus, nullatenus tamen in se ipso mutatur, nec propriam et invariabilem suam unitatem ac simplicitatem amittit, dispergit aut minuit, quum sit incommutabilis sicut et Pater, imo consubstantialis, coæqualis et coæternus eidem. Recte demum hæc Unigeniti unitas dicitur singularis, quoniam excellentissima est et summa. Nihilo minus, sicut divina essentia seu deitas vera communis est tribus supervenerandis æternis Personis, ita et unitas absolute accepta, quæ non multiplicatur in tribus Personis : idcirco sunt unus Deus et una essentia. Imo, ut in Quodlibetis suis frequenter affirmat Henricus, ipse Deus est singularitas quædam, quia propria sua infinita excellentia ab omnibus separatus, nulli miscibilis, in se invariabiliter et semper beatissime stans et ens, prout etiam in sua Metaphysica loquitur Avicenna. Unde in libro de Causis asseritur, quod causa prima non habet « hyleathin* », quoniam ipsa est esse tantum. Quod si dixerit aliquis, Necesse est ut sit ei « hyleathin », dicemus quod « hyle » ejus est [esse] infinitum, et individuum suum est bonitas pura, qua ab omnibus est distincta. Hinc communiter dicitur, quod causa prima est de se maxime *hæc,* nec in ea est compositio ulla, neque distinctio actus et potentiæ, nec diversitas esse et essentiæ, nec actio ejus diversificatur a sua substantia. Et hoc est quod asserit auctor libri de Causis : Causa prima est fixa, stans cum unitate sua penitus pura.

* *ipse usquam unquam aliquando radius*

*Sap.* VII, 26.

Lib. de Causis, IX in fine.

* *forsitan* helyatin, Arabice ; *alias* (apud Nostrum) hyliathin, hyleatum, etc.

*Ad reductivam* vero et unificam eorum quæ provisa sunt copulationem*, pulcherrime multiplicatus et proveniens* :* id est, radius increatus « multiplicatus », id est multipliciter communicatus ac multi-

* *anagogicam*

* *contemperantiam*

* *optime et pulchre multiplicatur et provenit*

formiter operatus, non in se ipso nec in sua natura plurificatus, « et proveniens » per influentiam suam et actionem, non per sui ipsius motionem aut variationem, « pulcherrime », id est sapientissime ac decentissime, « ad copulationem », id est coordinationem et contemperantiam, ut aliqui textus habent, « reductivam », id est conversivam, seu ut alii legunt, anagogicam, id est supraductivam, « eorum quæ provisa* sunt », id est rerum creatarum, quas se prævidit facturum, et quarum providentiam habet.

* prævisa

Nempe increata sapientia Creatoris universa condidit ordinate, ita quod ordo est intimus rebus ; et pulcherrime disposuit quæ produxit, ita quod sibi invicem prosunt, conferunt et influunt, præsertim superiora in inferiora. Propter quod in Genesi dicitur : Vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona. Augustinus quoque libro de Civitate Dei allegat Platonem dixisse, quod Deus, universo completo, elatus est gaudio. Hinc Psalmista deprompsit : Lætabitur Dominus in operibus suis.

*Gen.* I, 31. — *Ps.* CIII, 31.

Sed et Proclus in Elementatione sua theologica subtiliter philosophatus est, dicens : Omnium divinorum ornatuum summa assimilantur ultimis superpositorum ; et rursus, Omnium divinorum processuum fines ad sua principia assimilantur, circulum semper servantes per conversionem ad principia. Itemque : Omnis, inquit, divinus ordo sibi ipsi conjunctus est tripliciter, utpote a summitate sui ipsius, et medietate, et a fine. Quod in commentario exponens, subjungit : Hæc enim (videlicet summitas, seu ens supremum) unitivissimam habens potentiam, in totum (hoc est in totum ordinem, seu in totam multitudinem coordinatam) transmittit unionem, et unit omnia desuper, manens in se ipsa. Medietas autem ad utraque extrema porrecta, colligat omnia illa circa se ipsam, priorum quidem donationes traducens (id est, dona et influentias superiorum in ordine suo transfundens ad

A inferiora), ultimorum autem sursumducens potentias, et omnibus communionem imponens et colligationem ad invicem. Unus enim sic totus ordo fit ex replentibus et repletis convenientibus ad medietatem tanquam ad quoddam centrum. Finis vero ad principium rursum conversus et progressas sursumducens potentias, similitudinem et communicationem toti ordini tribuit. Et sic totus simul ordo unus est per unificam priorum potentiam, et eam quæ in medietate est continentiam,
B et per conversionem finis ad principium processuum.

Amplius prætacta contemperantia rerum consistit in ordine universi, quem undecimo Metaphysicæ Philosophus comparat ordini exercitus, in quo est duplex ordo : unus, bellatorum inter se ; alius, totius exercitus ad principem. Ita in universo una est ordinatio specierum et rerum inter se, quoniam species rerum se habent ut numeri ; alia est ordinatio omnium ad primum principium. Est ergo
C contemperantia rerum ad invicem multiplex : una est contemperantia actus et potentiæ, seu formæ et materiæ ; item elementorum in mixto, primarumque qualitatum in harmoniis et complexionibus ; similiter in potentiis et objectis. Et hæc contemperantia est quædam rerum concordia, cohabitudo, conventio : nam et elementa sibi invicem propinquiora, symbolum, id est majorem convenientiam, habent. Præcipue vero in intellectualibus creaturis contemperantia hæc locum ha-
D bet. Propter quod hortatur Apostolus ut unanimes simus, et id ipsum dicamus omnes, et non sint in nobis schismata. In Job quoque libro inducitur : Deus facit concordiam in sublimibus suis.

*Philipp.* I, 27 ; II, 2 ; I *Cor.* I, 10. — *Job* XXV, 2.

*Et manet intra se munite, in incommutabili naturæ stabilitate* uniformiter fixus :* id est, radius ille increatus taliter ad creata procedens ac ea reducens, « manet » in se ipso invariabili « stabilitate uniformiter fixus », id est immobilis, « munite », id est fortiter, imo omnipotenter et

* *in incommutabili similitudine*

inviolabiliter, a nullo potens a sua stabilitate ac gloria dejici, quemadmodum per Jeremiam effatur : Quis similis mei ? et quis sustinebit me ? et quis est iste pastor qui resistat vultui meo? *Et in eum* quantum fas est respicientes, proportionaliter se eis extendit, et unificat secundum simplicem sui unitatem.* Id est : Radius iste clementer « extendit » et aptat « se proportionaliter », id est juxta capacitatem, dignitatem et meritum eorum quibus se applicat : de quibus subjungitur, « respicientes in eum », id est, contemplantes seu considerantes excellentiam, pietatem munificentiamque ipsius, « quantum fas est », id est reverenter ac sobrie, prout licitum est, sine præsumptuosa perscrutatione majestatis et generationis ipsius æternæ, ac incomprehensibilium judiciorum ac mysteriorum ipsius. Hos namque misericorditer adspicit. Unde alia translatio continet : Intuetur et ipsos per caritatem et gratiam. « Et unificat », id est, unum secum et inter se efficit, ita quod sunt unus spiritus secum, et unum mysticum corpus, et spiritualiter membra ad invicem, ut docet Apostolus, jamque expositum est. Et hoc facit « secundum simplicem sui unitatem », id est, secundum quod ipse in se ipso simplex et unus est, et ad imitationem suæ simplicissimæ unitatis, ut studeant simplificari et unificari in ipso, convertendo et stabiliendo se in proprio conditore, ne sint aversi ac diversi ab illo, ne pereant, juxta illud Osee : Divisum est cor eorum, nunc interibunt.

*Jer.* XLIX, 19. — * se — *Prov.* XXV, 27. — *Rom.* XI, 33. — *Ephes.* IV, 4. — *Rom.* XII, 5; *Ephes.* IV, 25. — *Osee* X, 2.

Præterea et nos, quantum fas est respiciamus in Deum per contemplationem sinceram ac timoratam et humilem considerationem, attendendo infinitam eminentiam ejus in omni perfectione, sanctitate et gloria, omnem quoque defectuositatem, ingratitudinem, culpam atque miseriam nostram : ita ut cum publicano nec oculos audeamus levare in cœlum, sed pectora nostra tundentes et quod in eis latet redarguentes, dicamus, Deus, propitius esto nobis miseris peccatoribus ; atque cum Esdra dicamus compunctione profunda, Deus meus, confundor et erubesco faciem meam levare ad te, quoniam iniquitates nostræ gravatæ sunt super caput nostrum, et delicta nostra creverunt usque ad cœlum ; et ita nec audeamus contemplari Altissimum, nisi cum moderamine grandi, juxta illud in Job : Digne eum invenire non possumus ; magnus fortitudine et judicio et justitia, et enarrari non potest : ideo timebunt eum viri, et non audebunt contemplari omnes qui sibi videntur esse sapientes. Si sic respexerimus eum, proportionaliter se convertet ad nos, secundum quod per Zachariam testatur : Convertimini ad me, et convertar ad vos. Ideo in Job conscriptum est : Si direxerit homo ad Deum cor suum, spiritum illius et flatum ad se trahet.

*Luc.* XVIII, 13. — I *Esdr.* IX, 6. — *Job* XXXVII, 23, 24. — *Zach.* I, 3. — *Job* XXXIV, 14.

## ARTICULUS VII

### DEMONSTRATIO EJUS QUOD DICTUM EST, DIVINUM RADIUM PER CREATAS SEU CREATORUM SIMILITUDINES NOBIS RESERARI.

DEINDE ostenditur cur dixit divinum radium nobis per creatas et sensibiles similitudines reserari.

*Etenim neque possibile est aliter lucere nobis divinum radium,* id est, impossibile est per naturam, « divinum radium » increatum « lucere », id est innotescere, « nobis », in vita præsenti, « aliter », *nisi*

*varietate sacrorum velaminum anagogice circumvelatum*, id est, nisi circumtectum et obtenebratum « varietate », id est multiplicitate, « velaminum sacrorum », id est similitudinum et formarum corporalium ipsum obscure repræsentantium, « anagogice », id est sursumductive : quia ad hoc corporalia adhibentur, ut per ea ad invisibilium et divinorum agnitionem manuducamur et erigamur. Nostra quippe intellectiva notitia ortum habet a sensitiva, et ex sensibilibus ad spiritualium et immaterialium cognitionem ascendimus; atque ex consideratione creaturarum ad Creatoris notitiam elevamur, secundum quod causa relucet ex suis effectibus; et ex proprietatibus corporalium, proprietates immaterialium perscrutamur ac discimus : ut ex luce et calore ignis, splendorem sapientiæ ac caritatis fervorem angelicorum spirituum, imo et emanationem Filii a Patre, et processionem Spiritus Sancti ab utroque. Hinc ad Romanos (*Rom.* I, 20.) scribit Apostolus : Invisibilia Dei a creatura mundi (id est ab homine) per ea quæ facta sunt intellecta, conspiciuntur, sempiterna quoque virtus ejus et divinitas. Unde et in libro Sapientiæ legitur : (*Sap.* XIII, 1, 5.) Vani sunt omnes homines in quibus non subest scientia Dei; a magnitudine enim speciei et creaturæ, poterit creator horum cognoscibiliter videri. Hinc teste Apostolo, (I *Cor.* XIII, 12.) videmus nunc per speculum in ænigmate. Christus quoque post Cœnam Apostolis (*Joann.* XVI, 25.) prædicans : Hæc, inquit, in proverbiis locutus sum vobis, id est per similitudines, per symbola et figuras. Non enim valemus in sæculo isto Deum et generationem æternam ac emanationem ad intra in se ipsa immediate et clare cognoscere : sed per similia quædam instruimur, ut per emanationem rivi ex fonte, splendoris a luce, claritatis ab igne; deinde per spiritualia quædam, sicut per emanationem verbi a nostro intellectu et prævia ejus scientia, atque per effluxionem amoris ex mente et ejus notitia. Denique ita nobis innotuerunt Pater et Filius apud

A Danielem, ubi habetur : (*Dan.* VII, 9, 13.) Adspiciebam donec throni positi sunt, et Antiquus dierum (id est Pater æternus) sedit; capilli capitis ejus quasi lana alba; et ecce in nubibus cœli quasi Filius hominis veniebat, etc.

*Et his quæ secundum nos sunt, providentia paterna connaturaliter et proprie formatum** (**præparatum*). Id est : Impossibile est nobis radium divinum fulgere et cognoscibiliter apparere, nisi circumvelatum et tectum sensibilibus formis, « et formatum », id B est per figuras et formas sensibiles designatum, « connaturaliter et proprie », id est apte et convenienter ac proportionabiliter juxta nostram capacitatem, « providentia paterna », id est ex provisione et præordinatione Patris cœlestis, qui per istam circumvelationem atque symbolicam designationem, infirmitati et grossitudini nostri intellectus providit et condescendit, ne in omnimoda divinorum ignorantia maneremus : formatum, inquam, ab « his quæ secundum nos sunt », C id est repræsentatum per formas, figuras et symbola quibus in vita hac assueti sumus et utimur, ac in præsenti sentimus, ut sunt formæ et figuræ rationalium creaturarum, voces et lumina, fontes ac rivi.

Verum his objici potest, quia si radius divinus nobis invisibilis per sacra velamina circumvelatur ac tegitur, apparet quod magis invisibilis nobis reddatur. Et respondendum, quod radius increatus inaccessibilem (I *Tim.* VI, 16.) inhabitans lucem, in se ipso superclarissimus est, nobis vero impro- D portionatus ad intuendum, propter incircumscriptibilem suæ claritatis ac lucis exuberantiam, plenitudinem ac limpiditatem : quemadmodum sol in sua claritate non tecta, a debili nequit oculo conspici. Propter quod, teste Philosopho, intellectus noster se habet ad manifestissima naturæ sicut oculus vespertilionis ad lumen solis. Ideo radium illum circumvelari oportet, ut nostræ capacitati aptetur, quemadmodum sol nube tenui tectus, oculis nostris visibilior redditur : sicque illa cir-

cumvelatio est quasi quædam illustratio (A) nostra. Quamvis radius ille ex sua natura sit intellectui sibi porportionato maxime cognoscibilis, non velatus : nobis vero in præsenti velatur, ut paulatim clarius agno- *I Cor.* XIII, 12. scatur, et tandem in patria facie ad faciem videatur.

Præterea quæritur an impossibile sit nobis cognoscere immaterialia et divina, nisi per sensibilia quædam. Videtur quod imo, ex dictis, et item quia secundum Philosophum, oportet hominem intelligentem speculari phantasma. Respondetur (B) quod in primo ascensu ad intellectualem notitiam, oportet a sensitiva notitia inchoare et intueri phantasmata, et præsertim in symbolica theologia ac visione, quemadmodum ascendentem solarium oportet habere scalam aut gradum. Intellectus vero scientia decoratus, et intelligibiles species simplices et abstractas in se habens, non indiget speculari phantasmata, sicut hoc alibi in pluribus locis, præsertim in Elementatione philosophica seu Compendio philosophiæ, plenius os- (C) tensum est ac declaratum.

Insuper horum signum ac declaratio est totum quod sequitur, usque in finem hujus capituli.

*Propter quod et sanctissimam nostram hierarchiam, perfectiva sacra positio* * *cœlestium hierarchiarum supermundana imitatione dignam judicans :* id est, quum prædicta ita se habeant, « positio sacra perfectiva », id est activa dispositio et institutio increata essentialiter sancta, hoc est ipsemet Deus institutor atque dispo- (D) sitor omnis hierarchici ordinis, « judicans nostram hierarchiam sanctissimam », id est, dictans ac reputans ecclesiasticam hierarchiam, valde sanctam, attamen longe inferioris sanctitatis quam est angelicæ sanctitas hierarchiæ : quia ut ait in *Matth.* XI, 11. Evangelio Christus, Qui minor est in regno cœlorum (id est infimus Beatorum) major est illo, puta Joanne Baptista secundum quod adhuc erat viator; « dignam imitatione supermundana », id est assimilatione et assecutione supernaturali ac gratiosa, « hierarchiarum cœlestium », id est angelorum principantium : in quibus sunt tres hierarchiæ, hoc est suprema, media, et infima, ut infra patebit ; et omnes simul sunt una integra ac totalis hierarchia cœlestis. Quamvis enim angeli sancti sint altioris naturæ perfectiorisque speciei quam homines, tamen ad eamdem supernaturalem felicitatem ordinati et conditi sunt homines et angeli. Ideo dignum est ut homines angelicam perfectionem sequantur, et vitæ sint angelicæ, juxta illud Apostoli : Nostra conversatio *Philipp.* III, 20. in cœlis est. Hinc mystice dictum est Moysi, Inspice, et fac secundum exemplar *Exod.* XXV, 40. quod tibi in monte monstratum est : quoniam Christus ordinavit atque instituit Ecclesiam militantem ad similitudinem Ecclesiæ triumphantis. Quamobrem in Apocalypsi ait Joannes : Vidi civitatem *Apoc.* XXI, 2. sanctam Jerusalem novam descendentem de cœlo, etc. Denique hac supermundana imitatione ecclesiastica hierarchia est digna, præsertim tempore evangelicæ legis, propter incarnationem unigeniti Filii Dei tempore isto. Unde Joanni volenti angelum adorare, angelus ipse respondit : Vide *Ibid.* XIX, 10; XXII, 9. ne feceris, conservus enim tuus sum et fratrum tuorum. Hæc etiam imitatio per virtutes infusas et meritorios actus, atque per dona et potestates gratiæ gratis datæ, vocatur supermundana, id est cœliformis, quia præstantior est et major omni imitatione naturali istius mundi.

*Et dictas immateriales hierarchias materialibus figuris et formalibus compositionibus varificans tradit* * *:* hoc est, ipse Deus in Scripturis « tradit », id est, describit et docet per angelos et sacræ Scripturæ auctores, « hierarchias immateriales dictas », id est præfatas hierarchias angelicas incorporales, « varificans », id est, vario modo eas nobis designans, « figuris materialibus », id est per figuras corporeas et humanas ac alias in quibus angeli apparuisse leguntur, « et compositionibus formalibus », id est imaginariis

* *perfectissima sacrorum dispositio*

* *tradidit*

A formis, seu per compaginationes sensibilium formarum ac specierum ; *ut proportionaliter nobis ipsis, a sacratissimis pluralitatibus** *in simplas et non figuratas ascendamus altitudines et similitudines :* hoc est, quatenus « ascendamus » per profectum scientiæ ac virtutum, juxta illud Psalmi : Ascendet* homo ad cor altum ; « a sacratissimis pluralitatibus », id est a cognitione et consideratione multiplicium formarum et figurarum sensibilium ad sacra et divina designanda ordinatarum, « proportionaliter nobis ipsis », id est apte, secundum quod congruit capacitati mentis nostræ, cui connaturale est a sensibilibus ad insensibilia scandere, « in altitudines et similitudines », id est ad contemplationem et amorem sublimium spirituum angelicorum suo Creatori similium, ita quod ejus similitudines et imagines rite vocantur, eminentius quam animæ rationales : altitudines, inquam, « simplas et non figuratas », id est simplices, non corporaliter nec dimensionaliter circumscriptas in propriis suis naturis.

*formationibus

Ps. LXIII, 7.

* Accedet

B *Quoniam neque possibile est nostro animo,* id est, intellectui nostro impossibile est in vita hac per naturam, *ad non materialem illam ascendere cœlestium hierarchiarum et** *imitationem et contemplationem,* id est, « ascendere », sicut expositum est, « ad imitationem », id est conformationem ac vitæ qualemcumque parilitatem, « et contemplationem hierarchiarum cœlestium non materialem », id est puram et spiritualem, *nisi ea quæ secundum ipsum est materiali manuductione utatur,* id est, nisi juvetur « manuductione materiali », id est informatione per similitudines sensibilium rerum, « quæ secundum ipsum est », id est, quæ manuductio connaturalis, assueta et proportionata est intellectui nostro. Nam et ideo Verbum caro factum est, ut per assumptam humanitatem visibilem aptius nos de invisibilibus erudiret atque accenderet, ut in Præfatione tangit Gregorius : Per incarnati (inquiens) Verbi mysterium, nova mentis nostræ oculis lux tuæ claritatis infulsit, ut dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc invisibilium amore rapiamur.

* alias om. et

Joann. I, 14.

*Visibiles quidem formas, invisibilis pulchritudinis imagines** *arbitrans,* id est, intellectus noster existimans sensibiles decores et ornatus exteriores esse imagines, imo et obscuras repræsentationes, interioris ac intellectualis formositatis. Si enim corpus corruptibile, mixtum, et intus tam fœdum, tam pulchrum videtur forinsecus : quam incomparabiliter pulchrior est anima rationalis ac immortalis, supersplendidissimæ et superpulcherrimæ Trinitatis imago? Si item sol iste sensibilis, tam luminosus, speciosus, germinativus ac delectabilis est oculis ad videndum : quam infinite pulchrior, splendidior, fecundior, et ad intuendum amœnior est Sol sapientiæ, superexcellentissimus Deus?

* imaginationes

C *Et** *sensibiles suavitates, figuras intellectualis** *distributionis,* id est, intellectus noster existimans « suavitates sensibiles », id est dulces odores seu delectationes corporales, esse imagines ac « figuras » et repræsentationes « distributionis intellectualis », id est interioris ac spiritualis dulcedinis et hilaritatis desuper datæ. Hinc ad Hebræos ait Apostolus : Fide intelligimus aptata esse sæcula, ut ex invisibilibus visibilia fierent. Sic et omnis ornatus tabernaculi Moysis, templique Salomonis, et materialium basilicarum plebis christianæ, figuræ fuerunt et sunt pulchritudinis Ecclesiæ triumphantis. Unde et psal-

* alias om. Et

* invisibilis

Hebr. XI, 3.

D limus : Domine, dilexi decorem domus tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ. Sic demum Salomon in Canticis sub metaphoris amoris, dulcedinis, delectationis pulchritudinisque sensibilis, de spiritualissima dilectione, sincerissima suavitate, secretissima delectatione ac intima pulchritudine, mystice et mirifice est locutus.

Ps. XXV, 8.

*Et immaterialis illuminationis** *imaginem, materialia lumina,* id est, intellectus noster arbitrans « materialia » seu sensibilia « lumina » in materiis corporeisque

* luculentiæ

subjectis consistentia (propter quod materialia nuncupantur, quum sint simplices formæ ac qualitates), esse imagines spiritualium luminum et illuminationum, ut sunt gratiæ ac virtutes, sapientia, scientia, prudentia. Hinc interiores illuminationes, inflammationes, splendores, per exteriores illustrationes et calefactiones convenientissime declaramus, dicendo quod sicut materiali sole appropinquante et ascendente in hemisphærio nostro, caligines, nebulæ, frigora expelluntur; sic increato Sole justitiæ, sapientiæ ac intelligentiæ, mentibus nostris illucescente ac valenter irradiante, fugantur inquietudines passionum, tenebræ vitiorum, tempestates tentationum, et vis affectiva Deitatis amore succenditur : quo sole recedente a mente, ipsa mox tenebrescit, refrigescit, fœdatur et conturbatur.

*Et secundum intellectum contemplativæ plenitudinis, transitorias* * *sacras disciplinas,* id est, intellectus noster arbitrans « disciplinas sacras transitorias », id est sancta documenta vocalia, foris sonantia ac protinus pertranseuntia, seu scientias studio acquisitas, quæ et oblivioni frequenter traduntur, esse imagines et repræsentationes, signa et notas, « plenitudinis contemplativæ », id est exuberantis sapientiæ interioris, « secundum intellectum », id est intellectualis, a qua derivatur ac profluit scientia acquisita ac resonans foris; per interiorem autem sapientiam contemplamur divina. De talibus angelus Gabriel ait Danieli : Qui ad justitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates.

* *discursas*

*Dan.* xii, 3.

*Et adunati ad divina et ordinati habitus, earum quæ hic sunt dispositionum ordines :* id est, intellectus noster judicans « ordines dispositionum quæ hic sunt », id est dispositivas ordinationes in exterioribus quæ videmus : ut quod multi concurrunt ad ejusdem obsequium, et ordinate serviunt ei, quemadmodum tertio Regum legitur regina Saba admirata fuisse ordines ministrantium Salomoni; esse

III *Reg.* x, 5.

A imagines « habitus », id est bonæ et fixæ habitualis dispositionis, « adunati ad divina », id est rite reductæ ac simplificatæ in Dei obsequio, « et ordinati », id est relatæ ad debitum finem, ita quod mens tali habitu ac virtute formata, tota intentione integroque conatu obsequitur Deo et ei intenta est, juxta illud : Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo. Hoc pertinet ad perfectos, de quibus legitur ad Hebræos : Perfectorum est solidus cibus, eorum qui pro consuetudine exercitatos B habent sensus ad discretionem boni ac mali.

*Ps.* ix, 2; cx, 1; cxxxvii, 1.

*Hebr.* v, 14.

*Et Jesu participationis, ipsam divinissimæ Eucharistiæ assumptionem,* id est, intellectus noster sentiens « assumptionem divinissimæ Eucharistiæ », id est acceptionem Sacramenti altaris, in quo divinissima gratia sacramentalis, imo omnium gratiarum ac virtutum plenitudo ac copia continetur, esse imaginem « participationis Jesu », id est beatificæ fruitionis ejus in gloria, seu gratiosæ inhabitationis ejus C in anima per effectus sacramentales in via. Eucharistia quippe viaticum est perducens ad patriam, et pignus gloriæ adfuturæ; et per corporis et sanguinis Christi sumptionem atque refectionem significatur suæ deitatis refectio gloriosa et communicatio plena. Denique in hoc saluberrimo sacramento, aliquid est sacramentum tantum, videlicet exterior species panis et vini, signum sacrum exsistens præsentis corporis sanguinisque dominici, quæ tamdiu ibi consistunt, quamdiu ipsæ species D permanent ibi. Aliud est ibi res tantum, utpote gratia seu effectus sacramentalis, aut participatio illa beatifica et futura in regno. Tertium est sacramentum et res : quoniam corpus et sanguis Domini prout ibi velantur et esse creduntur, sunt signum corporis et sanguinis ejus prout in propriis speciebus clare cernuntur in patria; sunt etiam res, quia non solum sunt ibi significative, sed vere realiter, suntque in Christo ibi præsente copia gratiæ et abundantia gloriæ.

*Et quæcumque alia cœlestibus quidem essentiis supermundane, nobis vero symbolice traduntur* :* [* tradita sunt] id est, intellectus noster arbitrari debet non solum jam præfacta et expressa, esse imagines invisibilium Dei, hoc est sapientiæ, potentiæ et liberalitatis ipsius, quæ in universis creatis relucent, sed « et quæcumque alia » dona et attributa seu perfectionalia, quæ « traduntur », id est, desuper condonantur, seu a nobis attribuuntur ac adscribuntur, « essentiis cœlestibus », id est angelis sanctis, quæ sunt simplices formæ per se stantes, et immateriales naturæ, idcirco in eis sunt idem essentia et persona, « supermundane », id est spiritualiter, pure, altiorique modo quam in hoc mundo, et quæ « nobis » viatoribus traduntur « symbolice », id est per similitudines corporales, quatenus ex eis et per eas ad spiritualia cognoscenda, anagogice, id est sursumductive, levemur et instruamur.

*Propter hanc ergo nostram corrationabilem purgationem**, [* theosim] id est ob præfatam nostram informationem per sensibilia signa et symbola, per quam a tenebris ignorantiæ et errorum mundamur : quæ purgatio et informatio per sensibilia nobis connaturalis est, et simul cum aliis præinductis rationabiliter competit nobis ; *misericors summa* perfectio**, [* alias om. summa] [* perfectionis principium] id est Deus summe pius totius hierarchicæ ordinationis perfector, *et cœlestes hierarchias nobis manifestans,* id est, docens nos in Scripturis « hierarchias cœlestes ». *Et cooperatricem * earum perficiens nostram hierarchiam,* [* comministram] id est, per dona gratiæ suæ complens et ornans ecclesiasticam hierarchiam, quæ est cooperatrix hierarchiæ cœlestis. Ecclesiasticæ enim personæ multipliciter admonent homines ut acquiescant inspirationibus angelicis, et grati sint angelorum custodiis. Alia littera habet, Comministram : quia ecclesiastica hierarchia simul cum cœlesti ministrat Altissimo. *Secundum* virtutem nostram,* [* Ad] id est, juxta nostram capacitatem et facultatem ita nos perficit : sicut in Evangelio edocetur quod

A dedit unicuique secundum propriam virtutem [Matth. xxv, 15.]; Apostolus quoque eos qui solidum cibum capere non valebant, lacte potasse se protestatur [I Cor. iii, 2.]. *Similitudine deiformis earum immolationis**, [* sanctificationis] id est conferendo nobis assimilationem et conformitatem nonnullam cum immolatione ipsarum deiformi. Alius textus habet : Deiformis earum sanctificationis. Omnes quippe personæ cœlestium hierarchiarum se ipsas totas mancipant et offerunt dilectioni, cultui ac laudibus Creatoris, toto posse sine in-
B terruptione Deo intentæ. Per quod deiformiter sanctificantur, et increatæ sanctitati valde assimilantur, quum et ista sit sanctitas Dei, se ipsum æternaliter, invariabiliter, limpidissime contemplari atque diligere : quam sanctitatem ecclesiasticæ hierarchiæ personæ pro viribus student sectari, dum quotidie elaborant Deum cum majori stabilitate, sinceritate et fervore speculari, amare et colere, sicque immolant se Deo in holocaustum, et sanctæ efficiuntur. Unde in Levitico Dominus
C jussit : Nolite contaminare animas vestras; sancti estote, quoniam ego sanctus sum. [Lev. xi, 43; xix, 2.]

*Sensibilibus imaginibus supercœlestes descripsit intellectus,* id est, angelicas mentes super orbes cœlestes elevatas notificavit per formas sensibiles, in quibus et sæpe apparuerunt, *in sacroscriptis Eloquiorum compositionibus,* id est in editionibus seu libris sanctis divinæ Scripturæ, *ut etiam* nos,* [* alias om. etiam] supple, simus, *reducti* per sensibilia in intellectualia,* [* perduceret] id est, quate-
D nus nos grossi viatores per talia sensibilia reducamur ad insensibilium contemplationem paulatim proficiendo. Sic namque scribit ac recitat Isaias propheta angelum sanctum sumpsisse carbonem ignitum de altari, et per illum purgasse labia sua. [Is. vi, 6, 7.] Zacharias quoque propheta : Angelus, inquit, qui loquebatur in me egrediebatur, et alius angelus egrediebatur in occursum ejus dicens : Curre et loquere ad puerum istum. [Zach. ii, 3, 4.] Quod totum repræsentatum fuit imaginaria visione. Sic et Joannes in Apo-

Apoc. I, 13. calypsi fatetur se vidisse similem Filio hominis, id est angelum in specie Christi, vestitum podere, et præcinctum zona aurea circa mamillas. *Et ex sacre* [* sacris] *figuratis symbolis in non figuratas* [* in simplas] *cœlestium hierarchiarum summitates,* id est, quatenus reducamur «ex symbolis», id est sensibilibus signis et formis, « sacre figuratis », id est imaginarie aut sensibiliter depictis seu repræsentatis, « in summitates non figuratas », id est ad notitiam altissimarum personarum angelicarum, « hierarchiarum cœlestium », quia personæ angelicæ in novem ordinibus continentur, atque in tres hierarchias dividuntur et includuntur, ut infra patebit.

# ABBATIS VERCELLENSIS

# IN LIBROS B. DIONYSII AREOPAGITÆ

## PROLOGUS

*QUUM in libris magni Dionysii Areopagitæ geminam experirer difficultatem, unam stili, alteram sententiæ : ne tam pretiosos thesauros sapientiæ duplex spelunca sepeliret, studui quadam compendiosa extractione sensum quem in ipsis libris (quibus vigiliis! quo labore!) per annos viginti conceperam, stilo communi exprimere, prout sententia videbatur permittere, aliqua interserens dilucidationis gratia, non valde prolixa. Porro, ad exhauriendam sententiæ profunditatem postillas pro parte tractavi (vita comite diligentius completurus, ipso adspirante qui revelat profunda de tenebris) utcumque novæ translationi principaliter innitens.* Job XII, 22. *Utrum autem hæc opuscula supervacua sint, an utilia, discernere poterit qui eadem cum textu librorum istorum et explanationibus eorumdem, sive Anastasii ad regem Carolum, sive aliis, diligenter contulerit : quamvis arbitrer hujus doctrinæ, et maxime Mysticæ theologiæ medullas, mortalium neminem audiendo, legendo, studendo, percipere, nisi intus doceatur ab unctione. Nemo autem rideat donec perlegerit : quia ex omnium istorum librorum collatione sciet singulorum intelligentiam. In quibus omnibus per totum fulgent sapientiæ radii, de utroque Testamento per Apostolum (nisi fallor) evulsi, sicut apparet per totam seriem. Conjunctim itaque semper legantur purus textus librorum et ista extractio*[1].

[1] Hæc monitio seu jussio locum habeat, sicubi textus diversi absque glossa aliqua simul eduntur. (Edit. Colon. ann. 1556.)

# LIBER MAGNI DIONYSII

# DE ANGELICA HIERARCHIA

## JUXTA PARAPHRASIN SEU TRANSLATIONEM

### ABBATIS VERCELLENSIS

---

## PARAPHRASIS CAPITULI PRIMI.

*Jacob.* I, 17. OMNE bonum datum naturalium et omne A donum naturam perficiens desursum est, proveniens in creaturam a Patre æterno, qui lumen generat simplicissimum in essentia, et summe multiplex in efficacia. Et ipsum universale lumen ab ipso Patre prodiens, ad communicandam sui cognitionem et participationem non solum admittens cœlestes mentes, sed etiam ad nos per distributionem bonitatis proveniens, rursus tanquam unifica virtus ita se nos adimplet, ut ab infimis separatos suscitet ad sui desiderium et cognitionem, et remota mentis distractione, convertat nos ad
*Ps.* CXLVI, 2. unitatem æterni Patris congregantis dispersiones Israelis, et simplicitatem nos Deo supersimplici aliquatenus conformantem.

Quum ergo hoc univoco lumine perficiendi simus, invocemus castissimis orationibus Jesum, qui est paternum lumen quod vere est,
*Joann.* I, 9. et est verum lumen quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, per
*Ephes.* II, 18. quem accessum habemus ad Patrem aucto-
*Jacob.* I, 17. rem luminum : ut primo ab ipso Domino Jesu intus illuminati, deinde respiciamus secundum nostram possibilitatem, sacrarum Scripturarum anagogicas illuminationes nobis a sanctis patribus traditas ; et postea contemplemur secundum posse nostrum, hierarchias angelicas manifestatas nobis ab ipsis illuminationibus signis anagogicis ; et sic intus suscipientes puris et exercitatione roboratis intelligentiis, principalem, imo superprincipalem Dei Patris luminis donationem quæ per formalia signa Scripturarum manifestat nobis beatissimas hierarchias angelorum, tandem ex illa luminis participatione suscitemur ad unitive contemplandum simplicem ipsius Patris radium, id est Verbum sapientiæ quod ex ipso Patre æternaliter radiat. Ille siquidem radius quamvis se varie multis infundat, nunquam tamen propria et singulari unitate privatur, sed ad sursumactionem et unificam conjunctionem electorum, secundum quod suam decet bonitatem se multipliciter communicans, manet tamen intra se ipsum immobili identitate singulariter fixus, et ad se conver- B sos et pro posse intendentes, juxta singulorum capacitatem sursum extendit, et ad se unificat secundum propriam imitationem aliorum simplificatam.

Non est enim possibile aliter nobis in hac vita supersplendere divinum principalem radium, nisi circumvelatum variis velaminibus sensibilium formarum, secundum quod congruit et expedit nostræ sursumactioni, [et] per paternam providentiam coaptatum his quæ a nobis cognoscuntur, naturaliter nobis et familiariter ipsi. Quapropter sancta ordinatio Dei quæ est principium perfectionis, dignata C facere nostram sanctissimam hierarchiam supermundane imitatricem angelicarum hierarchiarum, ipsas angelicas hierarchias in se immateriales, in sacris Scripturis designavit variis materialibus figuris et formis compositis, ut nos juxta singulorum capacitatem, per sanctas significationes formarum sensibilium

reducamur ad contemplationem simplicium, A et non formabilium, et semper similiter se habentium supernarum virtutum. Neque enim possibile est nostræ menti sursum excitari ad illam immaterialem imitationem et contemplationem cœlestium hierarchiarum, nisi ipsa mens nostra, secundum conditionem præsentis cæcitatis, utatur manuductione signorum materialium : reputando quadam intima æstimatione, sensibiles pulchritudines esse imagines invisibilis pulchritudinis, et sensibiles gratos odores esse expressiones distributionis odoris insensibilis, et materialia lumina esse imagines intelligibilis luminis, et cognitivam intelligentiam sacrarum Scripturarum esse imaginem comprehensivæ contemplationis, quæ mentem satiat, juxta illud, Satiabor quum apparuerit gloria tua ; et reputando ordinationes congregationum sensibilium ordinate dispositarum, esse imagines ordinationum et habituum quæ sunt in cœlestibus

*Ps.* xvi, 15.

ordinibus ad Dei imitationem ordinatis, et assumptionem divinissimæ Eucharistiæ in via, esse imaginem plenæ participationis Jesu quæ perficitur in patria ; et similiter reputando de quibuslibet aliis quæ cœlestibus quidem substantiis supermundane conveniunt, nobis autem sub signis sensibilibus in Scripturis traduntur. Ut ergo nos obtineamus hanc Dei assimilationem secundum mortalium variam capacitatem, ideo benignus princeps totius perfectionis manifestans nobis cœlestes hierarchias, et faciens nostram hierarchiam, secundum nostram possibilitatem, cooperatricem B ipsarum per assimilationem deiformem qua Deo conformantur, descripsit mentes supercœlestes sensibilibus imaginibus in formalibus compositionibus sacræ Scripturæ, quatenus nos per sensibilia inducat ad cognitionem intelligibilium, et ex signis sive symbolis catholice descriptis, ad contemplandum et imitandum summas cœlestes hierarchias.

# CAPITULUM II

## QUOD DIVINA ET CŒLESTIA PULCHRE ETIAM PER DISSIMILIA SYMBOLA MANIFESTANTUR.

OPORTET ergo, ut æstimo, primum exponere quam quidem esse speculationem omnis hierarchiæ æstimemus, et quid ipsius unaquæque divinis profuit laudatoribus ; deinde cœlestes hierarchias laudare secundum ipsarum in Eloquiis manifestationem ; consequentibusque his dicere qualibus divinis formationibus cœlestes figurant ordines Eloquiorum sacræ descriptiones, et ad qualem oportet ascendere per formas veritatem : ut non et nos eodem modo multis, immunde æstimemus cœlestes et deiformes animos, multipedes esse quosdam et multorum vultuum, et ad boum pecudalitatem aut leonum bestialem imaginationem formatos, et ad aquilarum curvo rostro speciem aut ad volatilium tripartitam alarum commotionem effiguratos ; et rotas quasdam igneas super cœlum imaginemur, et thronos materiales Divinitati ad recubitum necessarios, et equos quosdam multicolores, et armiferos archistrategos ; et quæcumque alia ex Eloquiis nobis sacre et formaliter in varietate manifestativorum symbolorum tradita sunt. Etenim valde artificialiter Theologia sacris poeticis formationibus in non figuratis intellectibus usa

est, nostrum (ut dictum est) animum revelans, et ipsi propria et connaturali reductione providens, et ad ipsum reformans anagogicas sanctas Scripturas.

Si cui autem videtur sacras quidem recipi compositiones, tanquam simplicium in se ipsis, ignotorumque nobis et incontemplabilium subsistentium, inconvenientes vero æstimat sanctorum intellectuum in Eloquiis sacras descriptiones, et omne sic dicere, durum hoc angelicorum nominum theatrum ; et debuisse ait theologos ad corpoream facturam universaliter incorporalium venientes, propriis ea et quantum possibile cognatis, et formare et manifestare figurationibus, apud nos pretiosissimis et immaterialibus quoquomodo et supereminentibus essentiis, et non cœlestibus et deiformibus simplicitatibus terrenas et novissimas circumpositas multiformitates. Hoc quidem et nostrum sublimius futurum esset, et supermundanas manifestationes non deduceret in inconvenientes dissimilitudines. Hoc etiam in divinas simul injuste non injuriam faceret virtutes, et æque nostrum non seduceret animum in immundas se inserentem compositiones. Et fortassis etiam æstimabuntur supercœlestia leoninis quibusdam et equinis multitudinibus repleri, et mugitiva laudum oratione, et volatili angelorum principatu, et animalibus aliis, et materiis ignobilioribus, tanquam ad inconsequens et ignobile et passibile, reclusa, dum describuntur per omnia deformes clare* manifestativorum Eloquiorum similitudines.

* claræ

Sed veritatis, ut æstimo, inquisitio ostendit Eloquiorum sanctissimam sapientiam, in animorum cœlestium formationibus utrumque valde providisse, ita ut neque in divinas, si sic forsitan diceret quis, injuriam faceret virtutes, neque nos in viles passibiliter infigeret imaginum humilitates. Quia quidem enim pulchre procuratæ sunt informium formæ, et figuræ carentium figuris, non unam causam dicet quis esse nostram analogiam non valentem immediate in invisibiles extendi contemplationes, et desiderantem proprias et connaturales reductiones quæ possibiles nobis formationes prætendunt informium et supernaturalium speculationum ; sed quia et hoc mysticis Eloquiis est decentissimum, per incomprehensibilia divina ænigmata occultare et inviam multis ponere sacram abditamque supermundanorum intellectuum veritatem. Est enim non omnis sacer, neque omnium (ut Eloquia aiunt) scientia.

I *Cor.* VIII, 7.

Si autem deformes imaginum descriptionis causas æstimaverit quis, inhonestum dicens referri sic turpes formationes deiformibus ac sanctissimis dispositionibus, sufficit ad hunc dicere quomodo duplex est sanctæ manifestationis modus : unus quidem quasi consequens, propter similes provenientium sacrarum figurarum imagines ; alter vero, propter dissimiles formarum facturas, in omnino inconsequens et indecorum formatus. Itaque et colendam superessentialis Divinitatis beatitudinem, manifestativorum Eloquiorum mysticæ traditiones aliquando quidem ut rationem, et intellectum, et essentiam laudant, divinam rationalitatem et sapientiam ejus declarantes, et vere exsistentem subsistentiam, et eorum quæ sunt subsistentiæ causam veram ; et quasi lumen eam formant, et vitam vocant : tantis mirabilibus formationibus castioribus manentibus, et materiales formationes excellere quoquomodo probatis, deficientibus et sic divina ad veritatem similitudine. Est enim super omnem

essentiam et vitam, nullo quidem lumine ipsam characterizante, omnique ratione et intellectu similitudine ipsius incomparabiliter derelictis. Aliquando vero dissimilibus manifestationibus ab ipsis Eloquiis supermundane laudatur, eam invisibilem, et infinitam, et incomprehensam vocantibus, et quæ ex quibus non quid est, sed quid non est, significatur. Hoc enim, ut æstimo, potentius est in ipsa : quoniam quidem ut occulta et sacerdotalis traditio subintroduxit, hoc quidem, non esse secundum quid eorum quæ sunt eam, vere didicimus ; ignoramus autem superessentialem ipsius et invisibilem et ineffabilem infinalitatem. Si igitur negationes in divinis veræ, affirmationes vero incompactæ, obscuritati arcanorum magis apta est per dissimiles formationes manifestatio. Et nunc itaque, non turpes replent cœlestes ornatus Eloquiorum sacræ descriptiones, dissimilibus eos formarum facturis manifestantes, et per has ostendentes materialibus simul omnibus supermundialium excellentias.

Quia vero et nostrum animum reducunt magis dissimiles similitudines, non æstimo quemquam bene sapientium contradicere. Per quidem enim pretiosiores sacras formationes consequens est seduci, auriformes quasdam æstimantes cœlestes essentias, et quosdam viros fulgureos, decora indutos vestimenta, candidum et igneum innocue respergentes, et quibuscumque aliis similibus imaginatis formis Theologia cœlestes figuravit intellectus. Quod quidem ne paterentur qui nihil visibilibus bonis altius intelligunt, sanctorum theologorum restitutiva sapientia ad indecoras dissimilitudines mirabiliter descendit, non concedens materiale nostrum in turpibus imaginibus remanens quiescere, purgans vero sursumferens animæ, et suggerens deformitate compositionum, tanquam neque justo neque vero probante esse, neque valde materialibus, quia sic turpibus, similia secundum veritatem sunt supercœlestia et divina spectacula.

Sed itaque et hoc intelligere oportet, nihil eorum quæ sunt esse universaliter boni participatione privatum : siquidem, ut Eloquiorum veritas ait, omnia bona *Gen.* I,
valde. Est ergo ex omnibus intelligere bonas speculationes, et invisibilibus et intel- 31 ; *Eccli.* XXXIX, 21.
lectualibus ex materialibusque formare dictas dissimiles similitudines, altero modo intellectualibus habentibus quæ sensibilibus aliter distributa sunt. Etenim furor in irrationabilibus quidem ex passibili motu inest, et omnis irrationabilitatis est repletus furibundus eorum motus. Sed in intellectualibus altero modo oportet irascibile intelligere, declarans, ut æstimo, eorum virilem rationabilitatem, et immanem quietem in divinis et immutabilibus fundamentis. Eodem modo concupiscentiam quidem esse dicimus in irrationabilibus, inconsultam quamdam et materialem ex naturali motu aut consuetudine in mutabilibus incontinenter ingenitam passibilitatem, et irrationabilem corporalis voluptatis continuitatem, simul omne animal compellentis in secundum sensum concupiscibile. Quum vero dissimiles similitudines intellectualibus circumponentes, concupiscentiam eis circumformamus, amorem divinum ipsam intelligere oportet super rationem et intellectum immaterialitatis, et inflexibile et non indigens desiderium superessentialiter castæ et impassibilis contemplationis, et ad illam puram et sublimissimam claritatem, et invisibilem et

formificam pulchritudinem æternæ, veræ et invisibilis societatis. Et veluti potentiam excipit quidem in sufficientia et inconversibilitate, et a nulla affligitur virtute per inconfusum et immutabilem divinæ pulchritudinis amorem, et universalem revocationem in id quod vere est appetendum. Sed et ipsam irrationabilitatem et insensualitatem, in irrationabilibus quidem animalibus aut inanimatis materiis, defectum rationis et sensus proprie vocamus. In immaterialibus autem et intellectualibus essentiis, sancte et decenter supereminentias earum ut supermundialium confitemur, nostram transitoriam et corporalem rationem, et materialem et alienatum in corporalibus animi sensum excellentes. Est itaque non dissonas formare cœlestibus formas et ex vilibus materiæ partibus : quoniam et ipsa ex vere bono subsistentiam possidens, per omnem sui materialem dispositionem imagines quasdam intellectualis pulchritudinis habet, et possibile est per eas reduci ad immateriales primas formas, dissimiliter, ut dictum est, similitudinibus acceptis, et easdem non similiter, compacte autem et pulchre in intellectualibus et sensibilibus proprietatibus definitis.

Hæc mysticos theologos inveniemus, non solum cœlestium dispositionum declarationibus mirabiliter circumformantes, sed ipsis aliquando divinis manifestationibus. Et aliquando quidem ipsam ex luminibus pretiosis laudant : ut Solem justitiæ et stellam matutinam in animum sancte orientem, et ut lumen incircumvolute et invisibiliter resplendens. Aliquando vero ex mediis : ut ignem innocue splendentem, ut aquam vitalis plenitudinis datricem, et symbolice dicendum, in ventrem subeuntem, fluminaque redundantem immensurabiliter refluentia. Aliquando autem ex novissimis : ut unguentum suave, ut lapidem angularem. Sed et bestialem formam ipsi circumponunt, et leonis et pantheræ specialitatem coaptant, et pardaliniam vestiunt, et ursam sævientem. Addam vero et quod omnium vilius esse et magis significare visum est, quia et vermis specie ipsam se ipsam circumformantem divina sapientes tradiderunt. Sic omnes theosophi et occulta inspiratione prophetæ, sanctis incontaminatis distinguunt sancta sanctorum, et dissimilem sanctam figurationem honorant, ut neque divina immundis recte accepta sint, neque mirabilium imaginum studiosi contemplationis tanquam veris remaneant figuris. Divina itaque honorificant veris negationibus, et ad novissima compactarum imaginationum diversis similitudinibus. Nihil ergo inconsequens, si et cœlestes essentias ex inconvenientibus dissimilibus similitudinibus formant, secundum dictas causas. Non enim fortassis utique nos in quæstionem quidem ex indigentia, in anagogen per diligentem divinorum scrutationem veniremus, nisi deformitas nos extorqueret manifestatoriæ angelorum formationis, non sinens nostrum animum remanere in dissimilibus formarum facturis, sed luctantem negare materiales passibilitates, et assuescentem pure extendi per visibilia in supermundanas altitudines.

Tanta quidem a nobis dicta sunt propter materiales et inconvenientes divinorum Eloquiorum angelicas imaginum descriptiones. Deinde autem segregare oportet quid ipsam quidem esse hierarchiam æstimamus, quidque ab ipsa hierarchia prosunt

hierarchiam sortientes. Dux vero sit sermonis Christus (si quidem mihi fas dicere) meus, totius hierarchicæ manifestationis inspiratio.

Tu vero, o puer, secundum sanctam nostræ sacerdotalis traditionis legislationem, ipse sancte et decenter ausculta, mirabiliter dictorum divinus divina in doctrina factus ; et secreto animi quæ sancta sunt circumtegens, ex immunda multitudine tanquam uniformia custodi. Non enim fas, ut Eloquia aiunt, in porcos projicere *Matth.* VII, 6. invisibilium margaritarum inconfusum et luciformem beneficumque ornatum.

## ARTICULUS VIII

### EXPOSITIO TITULI HUJUS CAPITULI, DIVISIO TOTIUS OPERIS, ET QUOD NON DEBEMUS SISTERE IN SYMBOLIS QUIBUS UTITUR SACRA SCRIPTURA IN DESCRIPTIONE COELESTIUM HIERARCHIARUM.

INTITULATIO hujus secundi capituli est : A *Quoniam* * *divina et cœlestia pulchre etiam per dissimilia symbola manifestantur.* Sensus hujus epigrammatis est, quod ea quæ pertinent ad Deum et ad angelos sanctos, convenienter in Scripturis docentur ac describuntur per dissimilia quædam quæ certum est ipsis non convenire proprie, videlicet per leones, et equos, et equestres : et istud declarat auctor in isto capitulo. In præcedenti namque capitulo, quasi pro proœmio præmisit quod universa bona profluxerunt a Deo, et reducuntur B redeuntque in ipsum tanquam in primum causale principium ac in finem ultimum omnium perfectivum ; itemque, quod connaturale ac proportionatum sit homini redire in summum bonum per notitiam ac manuductionem corporalium rerum ac sensibilium symbolorum, id est signorum seu collationum, atque quod ideo divina et angelica nobis per materialia describantur. Ne ergo quis putet quod hoc fiat solum per corporalia incorporalibus illis similiora, docet Theologus hic quod non : imo C ostendit quod frequenter hoc fit per dissimilia valde.

* Quod

Itaque ait : *Oportet ergo, ut æstimo, primum exponere quam quidem esse interpretationem totius* * *hierarchiæ æstimemus.* Hoc est : Expediens est, et conditionaliter necessarium si debeat notitia dicendorum competenter haberi, « exponere », id est definire ac declarare, « primum », id est ante dicenda posterius, « ut æstimo », id est, prout mihi videtur qui de his sobrie, non cum temeraria audacia, loqui intendo, « quam » putemus « quidem », id est pro certo, « esse interpretationem », id est significationem ac descriptionem, « totius hierarchiæ », id est hierarchiæ abstracte et universaliter sumptæ, prout nomen et ratio hierarchiæ convenit non solum hierarchiæ angelicæ ac cœlesti, sed etiam ecclesiasticæ, de qua in sequenti tractabitur libro. *Et quid ipsius unaquæque divinis profuit laudatoribus,* id est, id quoque modo oportet exponere, « quid » profectus aut gratiæ contulit « unaquæque » hierarchia « divinis laudatoribus ipsius », id est sanctis ac devotis præconizatoribus suis, seu ipsius hierarchiæ, qui eam collaudant in Deo, id est ad Dei honorem, a quo totus hierarchiæ ordo, decor, potestas, gratia et gloria profluxerunt. Sicque Deus laudatur in suis effectibus, in quantum in illis relucet excellentia Creatoris. Creaturæ quoque laudantur in Deo,

* speculationem omnis

hoc est ad Dei honorem, dum quidquid boni ac laudabilitatis consistit in ipsis, Deo adscribitur. Hinc in Ecclesiastico di-
*Eccli.* xxxix, 19. citur : Benedicite Dominum in operibus
*Ps.* xxxiii, 3. suis. Et Psalmista : In Domino, inquit, laudabitur anima mea. Porro nonnulli laudant se ipsos, et volunt in se ipsis laudari, quasi a se ipsis aut propriis viribus sint et habeant quod habent et sunt : qui Deo prorsus ingrati sunt.

Præterea qui hierarchias laudant modo prætacto, fructum ex hoc sortiuntur multiplicem. Talis enim laudatio ex caritate et devotione procedens, meritoria est vitæ æternæ ; meretur quoque incrementum gratiæ in præsenti, et gloriæ in futuro, ac Deum honorat in suis effectibus ; meretur etiam ut ipsæ personæ hierarchicæ vicem suo laudatori rependant orando pro ipso. Amplius provocat et accendit hujusmodi laudatorem ad imitandum et exercendum actus hierarchicos, ut scilicet a suis superioribus studeat purgari, illuminari, ac perfici, et inferiores per gratiam sibi collatam satagat quantum valet, purgare, illuminare, perficere, hoc est corripiendo ac corrigendo mundare et docere, ac Deitatis atque virtutum amore accendere.

*Deinde* autem *cœlestes hierarchias laudare :* id est, post descriptionem hierarchiæ et declarationem quid hierarchiæ cujuslibet laudatio suis laudatoribus conferat, quod fit sequenti capitulo, scilicet tertio, necesse est unamquamque hierarchiam angelicam commendare, describendo proprietates et actus ac excellentias ejus ; imo et laudare oportet singulos choros ac ordines, qui novem sunt, in ipsis tribus hierarchiis cœlestibus comprehensos : quod fit quarto sequentibusque capitulis. Quod totum faciendum est *secundum ipsarum in Eloquiis manifestationem,* id est non secundum proprium sensum aut philosophorum traditionem, sed secundum quod in Scripturis manifestatum est nobis, et juxta quod ipsæ personæ hierarchicæ, id est angeli sancti, hominesque heroici,

A præsertim Apostoli ac Prophetæ, edocuerunt, sicut infra habetur. Ideo additur, « in Eloquiis », id est divinis Scripturis, quæ antonomastice nominantur Eloquia, in quibus nil falsi, nil erroris miscetur, quemadmodum dictis philosophicis et opinionibus propriis. De quibus divinis Eloquiis testatus est David : Quam dulcia faucibus *Ps.* cxviii, 103.
meis eloquia tua ! super mel ori meo.

*Hisque prolatis**, id est his dictis, oportet *dicere*, id est exprimere, *qualibus sacris formis * cœlestes figurant ordines* * Consequentibusque his * divinis formationibus
B *Eloquiorum sacræ descriptiones,* id est, per quales formationes, essentias vel naturas aut circumscriptiones, « descriptiones Eloquiorum sacræ », id est determinationes, definitiones seu doctrinæ sanctæ Scripturarum, « figurant », id est figuratas affirmant, « ordines cœlestes », id est choros angelicos et personas in eis contentas. Quamvis enim angeli sancti in propria ac spirituali natura non sint dimensionaliter figurati, nec quantitative aut corporaliter circumscripti, nihilo mi-
C nus eorum essentiæ et personæ sunt substantialiter terminatæ ; suntque in loco definitive, utpote sic hic seu ibi, quod non alibi, et ita alicubi, quod non ubique. Nec aliquo modo putandum, quod unaquæque substantia separata aut intelligentia totum impleat universum corporeum, ut Durandus super secundum Sententiarum, et alii quidam stulte dixerunt. In Scripturis demum sæpius describuntur per corporales figuras. Nonnunquam etiam figura pro incorporea ac simplici forma,
D charactere aut imagine sumitur, ut quum ad Hebræos de Unigenito Patris ait Apostolus : Qui quum sit splendor gloriæ et *Hebr.* i, 3.
figura substantiæ ejus.

*Et ad qualem debemus* ascendere per formas veritatem,* id est, oportet nos etiam reserare « ad qualem veritatem » oporteat nos proficere atque consurgere « per formas » imaginarias sive sensibiles, per quas et in quibus apparuerunt ac descriptæ sunt angelicæ mentes, ne accipiamus signum pro signato, umbram pro luce, fi- * oportet

guram pro re, hoc est materiale ac brutale pro immateriali ac intellectuali, ne carnalibus conformemur hominibus, de quibus subjungitur :

*Ut non et nos eodem modo multis, immunde æstimemus cœlestes et deiformes animos, multipedes esse quosdam et multorum vultuum, et ad boum pecudalitatem et ad* leonum bestialem imaginationem formatos :* id est, ne « et nos » catholici, spirituales ac litterati, « æstimemus immunde », id est carnaliter, « eodem modo multis », id est conformiter multis errantibus, imaginationem ac sensum transcendere impotentibus, « animos cœlestes et deiformes », id est intellectus angelicos, Deo præ ceteris creaturis propinquiores ac similiores, saltem in naturalibus, secundum illud Augustini : Deus creavit angelum prope se, materiam prope nihil ; « esse multipedes quosdam et multorum vultuum », id est multos pedes habere, et quosdam ipsorum habere facies plures, sicut in Ezechiele quatuor animalia describuntur quod quatuor facies uni erant ; « et » ne æstimemus animos illos supernos esse « formatos ad boum pecudalitatem », id est ad similitudinem boum pecorinam, neque putemus eos figuratos instar « leonum », quantum ad « imaginationem bestialem » et grossam, vel ne hoc putemus bestialiter, imaginatione non subtili cogitando de nobilissimis et immaterialibus mentibus illis; *et ad aquilarum curvo rostro speciem,* id est, ne opinemur eos esse productos « ad speciem », id est ad similitudinem, « aquilarum » habentium rostra curva; *aut ad volantium trimodam alarum conditionem configuratos**, id est, ne arbitremur spiritus illos esse formatos instar avium, habendo « conditionem », seu commotionem, juxta aliam litteram, « trimodam », id est trium modorum seu triformem, « alarum » : quia apud Isaiam inducitur, Sex alæ uni, et sex alæ alteri.

* aut

*Ezech.* I, 5, 6.

* *aut ad volatilium tripartitam alarum commotionem effiguratos*

*Is.* VI, 2.

*Et rotas quasdam igneas super cœlum imaginemur,* id est, ne sensualiter æstimemus esse « igneas rotas super cœlum » in quo Deus legitur residere : eo quod in Daniele scriptum sit, Thronus ejus flammæ ignis, rotæ ejus ignis accensus ; *et thronos hyleos* Divinitati ad recubitum compactos**, id est, ne imaginemur in cœlo esse sedes quascumque materiales, ligneas sive eburneas, compactas, id est solide præparatas Deo « ad recubitum », id est ad residendum et quiescendum in eis : quia in Isaia et tertio Regum legitur Deus visus sedere in solio elevato ; *et* ne imaginemur *equos quosdam multicolores,* id est diversos colores habentes, esse in cœlo : quia in Zacharia et Apocalypsi fit mentio de equis nigris, rufis, et variis ; quarto quoque Regum narratur quemadmodum minister Elisei vidit equos et equites ac igneos currus, in montibus et in circuitu Elisei ; *et armiferos archistrategos,* id est, non putemus in cœlo esse duces exercitus principesve militiæ arma ferentes. Et dicitur archistrategus, ab ἀρχός, quod dicitur princeps, et στρατός, exercitus, aut στρατηγός seu ἡγούμενος, quod interpretatur ductor sive dux exercitus : sicque archistrategi vocantur principes ducum militiæ, qui ipsis quoque ducibus militum principantur aut præbent ducatum.

*Dan.* VII, 9.

* *materiales*

* *necessarios*

*Is.* VI, 1; III *Reg.* XXII, 19.

*Zach.* I, 8; VI, 2, 3, 6; *Apoc.* VI, 2, 4, 5, 8; XIX, 11, 14. IV *Reg.* VI, 17.

*Et quæcumque alia ex Eloquiis nobis sacre et formabiliter* in varietate manifestativorum symbolorum tradita sunt :* id est, nequaquam putemus esse in angelis « quæcumque alia », id est aliqua alia sensibilia, quæ « nobis sunt tradita ex Eloquiis », id est in Scripturis, « sacre et formabiliter », id est sancte et imaginarie, aut per formas sensibiles, « in varietate symbolorum manifestativorum », id est in multiplici diversitate signorum et similitudinum spiritualia designantium, ut patet de rebus et figuris jam tactis, quæ in visionibus Prophetarum imaginarie fuerunt in sensu interiori, non realiter foris. Unde per Osee loquitur Dominus : In manibus Prophetarum assimilatus sum, et multiplicavi visiones.

* *formaliter*

*Osee* XII, 10.

*Etenim valde artificialiter Theologia sacris poeticis formationibus in non figu-*

*ratis intellectibus usa est:* hoc est, « Theologia », id est divina Scriptura, « usa est artificialiter », id est magistraliter ac perite, « formationibus sacris poeticis », id est descriptionibus sanctis per formas sensibiles figurativis, qualibus uti solent poetæ in suis comœdiis atque tractatibus, in quibus metaphorice et similitudinarie frequenter loquuntur, sicut et Plato solitus erat; « in intellectibus non figuratis », id est loquendo de angelicis spiritibus simplicibus, non figuratis materialiter in propria sua natura. *Nostrum (ut dictum est) intellectum* revelans,* id est, mentes

* animum

A nostras connaturaliter docens et ab ignorantiæ velo eripiens, *et ipsi propria et connaturali reductione providens,* id est, infirmitati et imbecillitati nostri ingenii condescendens, reducendo illud per exteriora et sensibilia ad invisibilium notionem, ut dictum est sæpe, *et ad ipsum reformans anagogicas sanctas Scripturas,* id est, ad informationem nostri intellectus sæpius formans ac iterans « Scripturas sanctas anagogicas », id est spirituales ac sursumductivas, docendo nos ut B non stemus in sensibilibus illis, sed ex eis ad invisibilium notitiam elevemur.

# ARTICULUS IX

### DUBII SEU OBJECTIONIS CUJUSDAM REMOTIO.

CONSEQUENTER Theologus removet dubium, instruendo cur Scriptura designet angelica ac divina, non solum per similia et condigna, sed etiam per dissimilia et indigna.

*Si cui autem videtur,* id est, si alicui videatur, *sacras quidem recipi compositiones,* id est formationes illas merito esse recipiendas in quibus intellectualia et superna describuntur et notificantur per pulchra et sancta, *tanquam simplicium in semetipsis*, ignotorumque nobis et incontemplabilium subsistentium,* id est, compositiones hujusmodi approbet, tanquam notificationes et formationes « subsistentium simplicium » et immaterialium, et « nobis ignotorum » quantum ad cognitionem distinctam, specificam, quidditativam (quoniam species specialissimæ et essentiales differentiæ angelorum nos latent, ut asserit Damascenus libro secundo), et exsistentium nobis « incontemplabilium », id est incognoscibilium in hac vita quoad quid sunt (ad quorum speculationem se habet noster intellectus ut visus vespertilionis ad lumen solis, ut C allegatum est et ostensum), ac per hoc sit hic proportio quædam signi et signati, dum tam præclarissima entia per formas et compositiones dignas ac nobiles reserantur; *obscurasque* æstimat sanctorum intellectuum in Eloquiis sacras descriptiones,* id est, illas angelorum « descriptiones in Eloquiis », id est Scripturis, putet « obscuras », quæ scilicet aliter fiunt, puta per vilia, ut per boves, equos et aves : unde aliqui textus habent, Imaginum descriptiones, id est corporalium specierum D formationes; *et omne sic dicere, impenetrabile*,* id est capi non posse quod talis modus loquendi per vilia de nobilissimis et intellectualibus substantiis, aptus sit, *hoc angelicorum nominum, tabernaculum,* id est, affirmet quod « hoc » genus « nominum angelicorum » per vilia, sit « tabernaculum », id est locus ludorum et derisionum. Unde alia littera continet, Theatrum : quod est domus in qua ludi scenici et poetarum figmenta fiebant et effigiabantur.

* se ipsis

* inconvenientes vero

* durum

*Et debere* ait theologos ad corpoream facturam universaliter incorporeorum* venientes :* id est, si talis dicat « theologos venientes », id est, per suas considerationes descendentes, « ad facturam », id est figurationem et compositionem atque formationem (nam alius textus habet, Factionem), « corpoream incorporeorum universaliter », id est separatarum substantiarum communiter sive totaliter, ita quod non sunt ex integralibus aut substantialibus partibus compositi ; vel, Universaliter incorporeorum, id est generaliter omnium angelicorum spirituum ; *propriis ea, quantumcumque possibile, et cognatis*, et reformare* et manifestare figurationibus,* id est, quod theologi deberent ea, utpote incorporalia illa, « reformare », id est rursus formare ac describere, « et manifestare figurationibus », id est descriptionibus, « propriis et cognatis », id est decentibus et connaturalibus ac familiaribus, « quantumcumque possibile » eis esset, puta theologis ; *ex* apud nos pretiosissimis et immaterialibus quoquomodo et supereminentibus essentiis,* id est figurationibus sumptis « ex essentiis », id est naturis et formis, « pretiosissimis et immaterialibus » qualitercumque, « et supereminentibus », id est altioribus rebus, ut sunt ignis elementaris, et orbes cœlestes, seu lux, splendor et calor ipsorum. Hæc namque respectu inferiorum, quasi incorporalia aliquo modo videntur. Nonnulli vero opinati sunt non esse materiam in sphæris cœlestibus, sicut Averroes, libro de Substantia orbis : quod de materia privationi annexa, quæ est in potentia ad non esse, posset defendi. Illa tamen non est intentio Commentatoris, qui in libro illo inter cetera asserit quod orbis non est compositus ex forma atque materia, et quod secluso suo motore seu forma, adhuc sit actu ens. Quæ positio revera absurda est, quamvis Scotus super secundum Sententiarum dicat Commentatorem in hoc melius intellexisse Aristotelis mentem quam alios : quod falsum censetur, ut ibi probatum est.

* debuisse — * incorporalium — * et quantum possibile cognatis — * formare — * alias om. ex

*Et non cœlestibus et deiformibus simplicitatibus terrenas et novissimas circumdatas* multiformitates,* id est multiplices formas ac species rerum terrenarum et brutalium ac infimarum, non esse « circumdatas », id est applicatas et superinductas, « simplicitatibus cœlestibus et deiformibus », id est substantiis angelicis simplicibus ac divinis, ad designandum easdem.

* circumpositas

*Hoc quidem et nostrum sublimius futurum esse*,* id est, dicat etiam « hoc quidem », id est pro certo istud, « futurum esse nostrum sublimius » esse, id est, quod descriptio talis per nobiliora fuisset nobis utilior ac magis proficiens ad cognoscendum illa simplicia. Hinc Lincolniensis transtulit, Magis sursumductivum. *Et supermundanas manifestationes in obscuras dissimilitudines non deducens*,* id est, descriptio illa per eminentiora non deduxisset « manifestationes supermundanas », id est mentes illas supernas nobis aliqualiter manifestatas in Scripturis, seu declarationes earum per corporalia quædam, « in dissimilitudines obscuras », id est ad inconvenientes assimilationes, per quas angelicorum spirituum cognitio in nobis potius caligat et impeditur, quam clarificetur et crescat. *Illud autem et* in divinas simul injuste non facere* virtutes :* id est, dicat item quod « illud », id est descriptio per præstantiora et similiora, « non » fecisset « injuste », id est, injuriam seu irreverentiam non intulisset, « in virtutes divinas », id est angelis sanctis, qui propter suam activitatem et efficaciam magnam vocantur virtutes, ut infra magis dicetur. *Et æque nostrum non seducit* animum,* id est, similiter non deciperet nostrum intellectum, *in immundas se multiplicantem* compositiones,* id est involventem et ingerentem se in quasdam formationes impuras corporalium similitudinum, quas attribuit angelis, sicut subjungitur.

* esset — * non deduceret in inconvenientes dissimilitudines — * Hoc etiam — * non injuriam faceret — * seduceret — * inferentem

*Et fortassis etiam æstimabuntur supercœlestia leoninis quibusdam et equinis*

*multitudinibus repleri :* id est, hic error A forsan continget ex descriptionibus illis grossis, quod corpora « supercœlestia », id est orbes cœlorum supremi, seu chori et agmina angelorum, putabuntur esse plena speciebus ac formis leonum et equorum : quum et de Christo in Apocalypsi dicatur, Vicit Leo de tribu Juda. (*Apoc.* v, 5.) Nam et simili ratione alii Beati possunt leones vocari. In Apocalypsi quoque narratur quod exercitus qui sunt in cœlo, sequebantur Verbum Dei in equis albis. (*Ibid.* xix, 14.) *Et mugitiva hymnologia, et avina agelarchia*, et animalibus aliis, et materiis vilioribus*, tanquam ad inordinatum* et ignobile et passibile, reclusa, describere per omnino dissimiles in magnum spatium* manifestativorum Eloquiorum similitudines.* Hoc est : « Hymnologia », id est laudatione Dei, « mugitiva », utpote per boves expressa, quorum est mugire, « et agelarchia avina », id est volatili avium celeritate ac motione, « et animalibus aliis », id est brutis, « et materiis vilioribus » æstimabuntur supercœlestia esse « reclusa », id est referta, et reserata seu aperta ad ingressum tam vilium, « tanquam ad » habitaculum quoddam « inordinatum », id est confusum, « et ignobile et passibile », seu corruptibile, in quo contineri talia solent, sicque* « similitudines manifestativorum Eloquiorum », id B est formas scripturarum quæ in Scripturis ponuntur ad manifestandum angelicas mentes, « describere » præfata immaterialia et divina « per » compositiones et species « omnino dissimiles » substantiis illis angelicis, et hoc « in spatium magnum », id est per diversos spatiososque passus.

* *Et mugitiva laudum oratione, et volatili angelorum principatu* * *ignobilioribus* * *inconsequens* * *dum describuntur per omnia deformes clare* * sic

# ARTICULUS X

### PRÆCEDENTIS OBJECTIONIS SOLUTIO : ET PRIMO, CUR SACRA SCRIPTURA UTITUR IGNOBILIORIBUS FIGURIS IN DESCRIBENDO SPIRITUALIA.

HUCUSQUE compendiose expressit Theologus motiva opinionis illius erroneæ : quæ consequenter solvit, et veritatem exponit, quod et cur Scriptura utroque modo designat spiritualia per materialia. Motiva vero præfati erroris consistunt in hoc quod descriptio illa supernorum spirituum per hæc brutalia ac vilia, in se ipsa indecens esse videtur : et hæc est una ratio opinionis illius. Secunda est, quod videtur injuriosa nobilissimis spiritibus. Tertia, quod nobis minus proficua est, quia intellectum potius impedit a vera separatorum speculatione, mentemque seducit et ad errores inducit eamdem. Hinc ad ista respondet, subdendo :

*Sed veritatis, ut æstimo, inquisitio ostendit Eloquiorum sacratissimam* sapi-* C *entiam, in animorum cœlestium formis* utrumque valde prævidisse*.* « Sed ut æstimo », ait, quia in ista materia sobrie est loquendum. Attamen minus dicendo majus insinuat, quia de hujus rei veritate fuit certus. Juxta quem modum ait ad Romanos Apostolus : Existimo quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam. (*Rom.* viii, 18.) « Inquisitio veritatis ostendit », id est, diligens perscrutatio hujus rei invenit et declarat, « sapientiam Eloquiorum », id est doctrinam Scripturarum, « sacratissimam prævidisse valde », D id est præcavisse præcipue, « utrumque » inconveniens jam prætactum, « in formis animorum cœlestium », id est in notificatione angelorum per formationes sensibiles et imaginarias species. *Ut neque*

* *sanctissimam* * *formationibus* * *providisse*

* Ita ut neque in divinas
* si sic forsitan diceret

*in divinas ita*, fortassis si dixerit* quis,* A *injuriam faceret virtutes,* id est, « ut si quis dixerit » forsitan, « ita », videlicet designando angelicas mentes per similitudines corporales, neque faciat injuriam virtutibus divinis, irreverenter loquendo de eis, puta de angelis, qui omnes vocantur virtutes divinæ, ut dictum est, *neque nos in imas* passibiliter illuderet* imaginum humilitates,* id est, nec etiam « nos illuderet », hoc est, in errorem induceret, « passibiliter », id est in phantastica deceptione, « in humilitates imaginum B imas », id est, ita quod æstimemus infimas vilitates corporalium specierum esse in angelis aut in cœlis. Imo hujus rei rationabiles causæ traduntur, ut subditur.

* viles
* infigeret

* Quia quidem enim pulchre procuratæ sunt

*Quomodo quidem merito deorsum feruntur* informium formæ,* hoc est, qualiter « formæ », id est similitudines, « informium », id est angelorum simplicium, sensibilem seu corporalem formam in propria natura non habentium, « feruntur », id est, esse dicuntur, « deorsum », in inferioribus istis, *et figuræ carentium* C *figuris,* id est, qualiter etiam « figuræ », id est lineales figurationes, angelorum « carentium » in simplici et incorporali sua natura « figuris » hujusmodi, dicantur esse in mundo isto inferiori ; *non unam causam dixerit* quis esse,* id est, aliquis dicere potest « non esse unam causam » tantummodo, videlicet *nostram analogiam,* id est nostræ intellectualitatis proportionem et facultatem, *non valentem immediate in intellectuales respicere* contemplationes,* id est, non potentem pure D et sine medio sensibilis similitudinis se levare ad contemplationem immaterialium naturarum, *et desiderantem proprias et connaturales reductiones,* id est, cupientem reduci ad intellectualium notitiam per similitudines sensibilium rerum : quod sibi connaturale ac proprium est. Sic quippe postulat informari juxta suam capacitatem, sive ab homine doctiori, sive ab angelo sancto, quemadmodum Daniel et Zacharias in libris suis propheticis,

* dicet
* in invisibiles extendi

*Dan.* VII, 16; VIII, 15; X, 12, 19; *Zach.* I, 9, 19, 21; II, 2; IV, 4, 11; V, 6, 10; VI 4.

Joannes quoque in Apocalypsi postulasse leguntur. *Quæ licitas nobis formas* prætendunt informium et supernaturalium speculationum.* Id est : Quæ reductiones nostro intellectui connaturales, « prætendunt », id est ostendunt, « formas informium et supernaturalium speculationum », id est sensibiles similitudines per quas pertingere possumus ad contemplationem informium seu simplicium angelorum, et ad supernaturales agnitiones eorum in patria, vel per revelationes in via, « licitas » esse « nobis », imo et utiles ac necessarias.

*Apoc.* VII, 14; XVII, 6.
* Quæ possibiles nobis formationes

Denique hic tangitur quod duplicem possumus in hac vita habere angelorum notitiam, utpote : naturalem, quemadmodum per motum cœlorum noverunt philosophi aliqua vera de substantiis separatis, quorum imperfectæ scientiæ multi fuerunt errores permixti ; aliam supernaturalem, utputa distinctionem eorum per hierarchias et ordines, per ministeria officiorum, per dona gratuita ac gloriæ munera : quæ omnia desuper revelata sunt Apostolis et Prophetis.

Sequitur alia causa notificationis immaterialium per sensibilia. *Sed quia et hoc mysticis Eloquiis est decentissimum,* id est, etiam præter causam jam assignatam, « decentissimum est Eloquiis mysticis », id est Scripturis divinis, abditis et secretis in pluribus locis, *per secreta divinaque ænigmata* occultare et inviam multis ponere sacram abditamque supermundanorum intellectuum veritatem :* id est, veram notitiam seu veram naturam et proprietates « intellectuum supermundanorum », id est supernorum spirituum, « veritatem », inquam, « sacram » et « abditam », utpote paucissimis hominibus notam, « ponere inviam », id est inaccessibilem et irreperibilem, « et occultare » indignis carnalibusque hominibus, « per secreta divinaque ænigmata », id est per parabolas et mysticos sensus. Cujus ratio subditur. *Est enim non omnis sacer,* id est, omnis homo non est sanctus et spiri-

* incomprehensibilia divina ænigmata

tualis, capax quoque secretorum ac divinorum, *neque omnium (ut Eloquia aiunt) est * scientia,* id est, omnes homines non habent salubrem scientiam de qua in libro Sapientiæ legitur : Dedit illi scientiam sanctorum ; et Dominus per Osee. Scientiam Dei volo plus quam holocausta. Nec omnes sunt ista scientia digni, quæ est donum Spiritus Sancti. Hoc tamen ex verbis Apostoli ad Corinthios sumpsisse et allegasse videtur : ubi quum dixisset Apostolus, Unus Deus Pater, ex quo omnia,

* alias om. *est*

*Sap.* x, 10.

*Osee* vi, 6.

I *Cor.* viii, 6.

A et nos in illo, et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum ; adjecit, Sed non in omnibus est scientia. Unde dixit Salvator : Nolite sanctum dare canibus, neque projiciatis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis. Et rursus in Evangelio dixit discipulis : Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, ceteris autem in parabolis, ut videntes non videant. Hinc et Isaias : Excæca, inquit, cor populi hujus.

I *Cor.* viii, 7.

*Matth.* vii, 6.

*Luc.* viii, 10.

*Is.* vi, 10.

# ARTICULUS XI

### DISTINCTA FORMALISQUE RESPONSIO AREOPAGITÆ AD SECUNDUM OBJECTUM SEU DUBIUM PAULO ANTE MOTUM, ET DE MODIS DUOBUS NOTIFICANDI INVISIBILIA ET COELESTIA.

DEINDE Theologus per distinctionem respondet formaliter ad secundum objectum.

*Si autem obscuras imaginum descriptiones * causas æstimaverit quis deforme * fieri *,* id est, si aliquis putat « descriptiones imaginum obscuras », id est formationes spiritualium substantiarum per similitudines irrationalium ac vilium rerum, esse « causas deforme fieri » quod dicitur, id est ipsas tales descriptiones esse deformes, indecentes, fallaces; *dicens* cum subsannatione, *sic reposuisse viles formas * deiformibus ac sanctissimis dispositionibus,* id est, Scripturam tam imperite adscripsisse indignas similitudines et figuras « dispositionibus », id est angelicis ordinibus desuper speciosissime dispositis, utpote « deiformibus » atque « sanctissimis », *satis * sufficiat ad eum * dicere,* id est, omnino satis est respondere, *quomodo duplex est sacræ * manifestationis modus,* id est, qualiter duo sunt modi significandi divina, id est describendi ac declarandi spiritualia et incorporalia. *Unus quidem quasi*

* *deformes imaginum descriptionis*

* *inhonestum*

* alias om. *fieri*

* *referri sic turpes formationes*

* alias om. *satis*

* *sufficit ad hunc*

* *sanctæ*

B *consequens,* id est, incorporalium naturam ac proprietatem concomitans, *propter similes provenientium mundarum * figurarum imagines,* id est, ob hoc quod imagines, id est formæ et convenientiæ seu qualitates exsistentes in rebus per quas spiritualia manifestantur, multum conformes sunt et communicantes naturæ et proprietatibus incorporalium rerum illarum, « propter similes imagines », id est formas et similitudines, « figurarum », id est characterum seu figurationum, « mun-

C darum », id est nobilium, « provenientium », id est inductarum et propositarum seu convenientium ad significandum unum per aliud : ut quum dicimus, Deus est lux, Deus est intellectus seu mens : quod etiam de angelo dicimus. Aut quum dicimus, Deus est sol : quia in sole sunt multæ præclaræ proprietates aptæ ad hoc quod per eas Deus designetur et sol appelletur. *Alter vero, propter dissimiles formarum facturas, in imperfectissimum, deforme et obscurum * formatus.* Hoc est :

D « Alter vero », id est secundus modus

* *sacrarum*

* *in omnino inconsequens et indecorum*

notificandi immaterialia et divina, « formatus », id est, exhibitus est et factus, « in imperfectissimum, deforme et obscurum », id est per imperfectissimum genus notificandi, imo et deforme atque obscurum, id est vile et indecorum : et hoc, « propter dissimiles facturas formarum », id est, ob hoc quod descriptiones formarum, specierum aut dissimilitudinum, per quas unum significat aliud, sint plurimum discrepantes et disconvenientes, secundum quod prima fronte apparet : ut quum legitur apud Nahum, Ulciscens Dominus, et habens furorem ; in Psalmo quoque, Excitatus est tanquam dormiens Dominus, tanquam potens crapulatus a vino.

Nahum I, 2.

Ps. LXXVII, 65.

Hos duos modos sanctus pater consequenter elucidat et distinguit ab invicem, et quis aptior sit declarat.

*Igitur* et colendam supersubstantialis* Divinitatis beatitudinem, manifestativis Eloquiis quandoque quidem mysticæ traditiones* ut rationem, et intellectum, et essentiam laudant.* Hoc est : « Igitur », id est, quum hæc ita se habeant, « traditiones mysticæ », id est divinæ Scripturæ nobis desuper traditæ, et multa secreta ac figuralia in se continentes, « laudant quandoque quidem », id est pro certo, « beatitudinem supersubstantialis Divinitatis », id est Deum essentialiter, imo et superessentialiter beatum, cujus incircumscripta essentia est sua beatitudo penitus infinita, « Eloquiis manifestativis », id est in sermonibus ac passibus Scripturarum manifestantibus ea quæ Deo proprie ac affirmative conveniunt : ut quum ad Timotheum scribit Apostolus, Beatus et solus potens Rex regum ; « ut rationem » : non prout ratio vocatur vis discursiva, sed vis intellectiva, omnem irrationabilitatem et improvisionem excludens, secundum quod ait Boetius :

* Itaque
* superessentialis
* manifestativorum Eloquiorum mysticæ traditiones aliquando quidem

I Tim. VI, 15.

Boetius lib. III, metr. 9.

O qui perpetua mundum ratione gubernas,
Terrarum cœlique sator, qui tempus ab ævo
Ire jubes, stabilisque manens, das cuncta mo-
[veri.

A « Et » ut « intellectum », id est substantiam intellectivam, vel potius ut intellectum simplicissimum separatum, in quo prorsus idem sunt intelligens, vis intellectiva, et actus intelligendi seu intelligere ipsum ; « et » ut « essentiam » summam, in qua esse et essentia idem sunt. Nec obstat quod Rabbi Moyses, Avicenna, et alii quidam sublimis ingenii, asseruerunt quod Deus sit esse sine essentia. Hoc quippe locuti sunt ad insinuandum summi et increati esse simplicitatem, utpote quod

B superglorioisissimus Deus sit unum esse separatissimum, in se ipso perfectissime, superfelicissime invariabiliterque consistens. *Deo dignam rationalitatem* et sapientiam ejus declarantes,* id est, docentes quod Deo conveniat rationalitas omni imperfectione seclusa, sapientia quoque, non quæ sit accidens aut qualitas, sed realiter ipsa substantia Dei, cujus simplicissima natura est omnium perfectionum et nobilitatum ac eminentiarum simplicissime, absque omni additione, compositione ac

C differentia, in se ineffabiliter contentiva, *et quæ vere est subsistentia*,* id est, Scripturæ declarantes subsistentiam Dei, quæ vere est subsistentia, nullius indigens fulcimento, incommutabiliter ac firmissime stans in se ipsa, nulli innitens, a nullo dependens, nec ex aliquibus constans, *et eorum quæ sunt subsistentiæ causam veram,* id est, declarantes quod subsistentia Dei sit causa vera, prima, actualissima, subsistentiæ omnium ceterorum ; *et quasi lumen eam formant, et vitam vocant,* id

D est, Scripturæ frequenter ac iterato Deum nominant « lumen » ac « vitam » : ita quod ipse est intellectuale, immateriale, supersplendidissimum lumen ; conformiter ipse est vita purissima, quæ est ipsamet sapientia ac veritas Dei, imo aptius, ipsum intelligere, scire, ac sapere Dei.

* Divinam rationalitatem

* et vere exsistentem subsistentiam

*Tantis mirabilibus formationibus castioribus manentibus, et materiales formationes excellere quoquomodo probatis, deficientibus et sic divina ad veritatem similitudine :* id est, tot et « tantis » tam-

que præclaris « formationibus », id est descriptionibus et appellationibus Dei, « castioribus », id est pulchrioribus quam sunt quæ per corporalia vilioraque fiunt, « manentibus » in suo vigore, « probatis excellere », id est, de quibus probatum est quod excellant « formationes materiales », id est descriptiones et appellationes Dei acceptas et expressas per nomina materialium et corruptibilium rerum, « deficientibus et sic », id est, etiam istis præclarioribus appellationibus Dei deficientibus et succumbentibus, a « similitudine divina » repræsentanda et exprimenda « ad veritatem », id est vere ac proprie, prout increata illa majestas in se ipsa vere et incomparabiliter, superessentialiter et cum infinita excellentia est.

*Est enim super omnem essentiam et vitam,* id est, Deus est dignior et infinite sublimior omni essentia ac vita creata, imo et absolute omni vita atque essentia prout nos illas comprehendere possumus, *nullo quidem lumine eam* * *characterizante,* id est, circumscribente, determinante aut figurante in deitatis natura, *omnique ratione et intellectu similitudine ipsius incomparabiliter derelictis,* id est, ita quod ipse Deus per excellentiam suam superat et transcendit in infinitum omnem rationem et intelligentiam mentis creatæ, sic quod universa ac singula occumbunt infinite ab adæquata conformitate ac similitudine ejus.

* *ipsam*

Sequitur de manifestatione et significatione Dei per abnegationem et materiales formationes.

*Aliquando vero dissimilibus manifestationibus ab ipsis Eloquiis supermundane laudatur :* id est, Deus interdum « laudatur », id est, præconizatur, describitur, notificatur, « ab Eloquiis ipsis », utpote a Scripturis, « supermundane », id est eminentius quam mundani homines capere queunt, aut facere solent, « manifestationibus dissimilibus », id est per appellationes prædictis affirmativis nuncupationibus valde difformes, ut sæpe ex-

A positum est : *eam invisibilem, et infinitam, et incapabilem* * *vocantibus.* Id est : Ab eloquiis Scripturarum « vocantibus eam », seu deitatem ipsius, « invisibilem » oculo exteriori, « et infinitam » infinitate intensiva et perfectionali, non extensiva ac materiali. Infinitus est enim infinitate actus et formæ, quum sit actus purus et incircumscriptus, et forma separatissima omnia formans, nequaquam contracta aut limitata. « Et incapabilem », id est incomprehensibilem. Unumquodque

* *incomprehensam*

B etenim tantum habet de cognoscibilitate, quantum de entitate et actualitate. Unde sicut nonnulla sunt difficilis cognoscibilitatis propter suæ entitatis modicitatem, ut tempus, motus, materies, prout testatur Boetius ; ita sunt aliqua difficilis cognoscibilitatis nobis in vita hac, ob suæ entitatis et actualitatis sublimitatem, quemadmodum substantiæ separatæ. Quumque superpræstantissimus Deus sit entitatis et actualitatis prorsus interminatæ, videlicet ens absolute simpliciterque per-

C fectum, quod omni ente finito infinite perfectius, majus ac dignius est, quoniam finiti ac infiniti nulla est comparatio, nulla proportio *. Denique Deus in Scripturis copiose ac sæpe invisibilis, infinitus et incomprehensibilis nuncupatur. Scriptum est enim : Deum nemo vidit unquam. De quo et Paulus disseruit : Quem nemo hominum vidit unquam, sed nec videre potest. Deus quoque in Exodo : Non videbit me (inquit) homo, et vivet. De cujus infinitate loquitur Isaias : Quis mensus est

* [hinc patet quod a nobis perfecte cognosci non potest]

*Joann.* I, 18; I *Joann.* IV, 12. I *Tim.* VI, 16. *Exod.* XXXIII, 20. *Is.* XL, 12.

D pugillo aquas? Et Salomon, Cœlum et cœli cœlorum te capere non possunt ; apertissime autem David, dicendo, Magnus Dominus et laudabilis nimis, et magnitudinis ejus non est finis. De incomprehensibilitate vero ipsius, ait ipsemet Unigenitus Patris : Nemo novit Filium, nisi Pater ; neque Patrem quis novit, nisi Filius. Qui denuo contestatur : Patrem non vidit quisquam, nisi is qui est a Patre, scilicet Filius. In quibus omnibus nequaquam excluditur Spiritus Sanctus, de quo

III *Reg.* VIII, 27. *Ps.* CXLIV, 3. *Matth.* XI, 27. *Joann.* VI, 46.

I Cor. II, 11. deprompsit Apostolus : Sicut ea quæ sunt hominis nemo novit nisi spiritus ejus, ita quæ sunt Dei nullus novit nisi Spiritus ejus; itemque, Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Ibid. 10.

*Et quæ ex his non quod est, sed quod non est*, significatur,* id est, « quæ » deitas « significatur » per hæc nomina negativa, « non quod est, sed quod non est » : et hoc, directe et immediate. Negatio enim nomini positivo præposita, ipsam positionem et affirmationem aufert et perimit : ut quum dicimus, Deus est infinitus, id est non finitus. Verumtamen, quia in hac negatione et ablatione aliquid positivum et affirmativum quasi fundamentum insinuatur atque relinquitur, et negatio illa in hujusmodi compositione non sumitur pure negative, alioqui et chimæra diceretur infinita; ideo talia nomina ex consequenti significant aliquid in divinis, non tamen per modum quo nos id capere possumus in præsenti, sed modo prorsus eminentiori.

* ex quibus non quid est, sed quid non est

*Hoc enim, ut æstimo,* id est, ut puto, « hoc », utpote per negationem aliquid significare aut fari de Deo, *et secretius est in ea*,* id est, in Deitate, seu locutionibus quæ sunt de Deo, « secretius est », id est magis profundum et aptum. Unde alia littera habet, Potentius est in ea, id est efficacius et magis idoneum designare divina. Quod consequenter probat auctoritate Apostolorum et apostolicorum virorum. *Quoniam quidem ut occulta et sacerdotalis traditio subintroduxit,* id est, doctrina apostolica secretius docuit, *eam non esse secundum quod eorum quæ sunt vere dicimus*,* id est, Deitatem « non esse secundum quod dicimus » ipsum esse, esse « eorum quæ vere sunt », id est convenire rebus quæ vere esse dicuntur. Non enim taliter convenit Deo esse ut creaturis, neque univoce cum eisdem, sed modo in infinitum perfectiori, quem tamen comprehendere non valemus, sicque cognoscimus in divinis quia est, non quid est. Hinc subditur : *Ignoramus autem superessentialem ipsius et invisibilem et ineffabilem infinalitatem,* id est, infinitatem Dei excedentem in infinitum omnem creatam essentiam ac omnem substantiam in genere positam, penitus ignoramus quantum ad quid est. Istud docuerunt sancti Apostoli, et gloriosi eorum discipuli, sacerdotes ac præsules, Hierotheus, Polycarpus, Ignatius, ac alii tales, seorsum inter capaces talium secretorum, juxta illud Apostoli : Non judicavi me aliquid scire inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum. I Cor. II, 2.

* potentius est in ipsa

* hoc quidem, non esse secundum quid eorum quæ sunt eam, vere didicimus

*Si igitur negationes in divinis vere* :* hoc est, « si », pro quia, « negationes », id est appellationes et enuntiationes negativæ, « vere », id est proprie, sunt « in divinis », ita quod vere ac proprie conveniunt Deo : ut quum dicimus, Deus est infinitus, seu Deus non est finitus; *affirmationes autem* incompactæ,* id est, nominationes et prædicationes affirmativæ in divinis sunt « incompactæ », id est inconvenientes, non solidæ : ut quum dicimus, Deus est bonus et sapiens. Non enim est talis secundum quod capere possumus. *Obscuritati arcanorum magis propria* est per dissimiles formationes manifestatio :* hoc est, « manifestatio », id est significatio Dei, « per formationes », id est descriptiones et notificationes, « dissimiles », hoc est facta per sensibilia et inferiora, quæ sunt specialiter dissimilia summo et simplicissimo Deo, « est propria magis obscuritati », id est difficili, imo et incomprehensibili altitudini, « arcanorum », id est secretorum convenientium Deo.

* veræ

* vero

* apta

Ex quibus concludit Theologus : *Et nunc itaque, non viles* replent cœlestes ornatus Eloquiorum sacræ descriptiones:* id est, « descriptiones sacræ Eloquiorum », utpote Scripturarum, « viles », id est exhibitæ atque propositæ in Scripturis per vilia, puta per sensibilia, « non replent », id est, repletos non dicunt, « ornatus cœlestes », id est angelicos choros pulcherrimos, supple, turpibus aut indecentis-

* turpes

simis formis, aut vilium speciebus, nec asserunt pulcherrimos illos choros vilibus rebus repletos. *Dissimilibus eos formarum facturis manifestantes*, hoc est præfatæ descriptiones Scripturæ « manifestantes eos », videlicet ornatus illos supernos, « facturis formarum dissimilibus », id est per exsistentias et formationes specierum ac similitudinum valde dissimilium illis supernis spiritibus ; *et per has ostendentes materialibus simul omnibus super-* A *mundialium superexcellentias* * : id est, prædictæ descriptiones « ostendentes omnibus materialibus », id est corporalibus cunctis hominibus, vel, « omnibus materialibus », id est per cuncta materialia prænominata, « superexcellentias supermundialium » ; vel, « ostendentes superexcellentias supermundialium », id est eminentes naturas ac proprietates ordinum angelicorum, « omnibus materialibus », id est super corporalia universa.

* *excellentias*

# ARTICULUS XII

TERTII OBJECTI SOLUTIO, SCILICET QUOD DIVINORUM AUT COELESTIUM DISSIMILES SIMILITUDINES MENTEM NOSTRAM EFFICACIUS ET UTILIUS SURSUMAGANT.

* *Quia*
* *dissimiles*
* *sapientium*

QUOMODO * *vero et nostrum animum reducunt magis obscuræ * similitudines, non æstimo quemquam bene sapientem * contradicere :* hoc est, non puto aliquem vere « sapientem », rite catholicum, « contradicere », id est negare, « quomodo », id est qualiter, « similitudines obscuræ », id est defectuosæ, a rebus corporeis sumptæ, « reducunt magis animum nostrum », id est, intellectum nostrum aptius dirigunt ad spiritualium substantiarum cognitionem. Quo enim formæ et similitudines illæ sunt viliores, eo minus æstimantur inesse beatis spiritibus. *Nam per pretiosiores quidem * sacras formationes consequens est errare * :* id est, cito et quasi connaturaliter accidere potest homines « errare per formationes sacras pretiosiores », id est per hoc quod immateriales illæ substantiæ designantur per similitudines multum pretiosas : quæ quo pulchriores et pretiosiores fuerint, eo celerius putantur ab indoctis inesse angelorum naturis. *Aureas * quasdam æstimantes cœlestes essentias, et quosdam viros fulgureos, decora indutos vestimenta, candorem igneum spargentes innocue *, et* B *quibuscumque aliis similibus imaginatis formis Theologia cœlestes figuravit intellectus.* Hoc est : Consequens est errare homines grossos, æstimantes quod in cœlo sint substantiæ ex auro compositæ, et viri habentes vultus instar fulguris radiantes, atque induti vestimenta formosa, « spargentes », id est, emittentes ex se, « candorem igneum innocue », id est sine alicujus læsione, et æstimantes spiritus illos esse ornatos ac circumscriptos « formis quibuscumque aliis similibus » jam præ- C fatis, « imaginatis », id est imaginarie excogitatis, quibus « Theologia », id est sacra Scriptura, « figuravit », id est, linealiter descripsit, « intellectus cœlestes », videlicet angelos.

* *Per quidem enim pretiosiores*
* *seduci*
* *auriformes*
* *candidum et igneum innocue respergentes*

Etenim sub figuris et formis hic tactis auctores Scripturæ expresserunt et descripserunt angelos sanctos, quum et apud Matthæum scriptum sit : Erat autem adspectus angeli sicut fulgur, vestimenta vero ejus sicut nix. In Daniele quoque diffusius legitur : Vidi, inquit ; et ecce vir D unus vestitus erat lineis, et renes ejus accincti erant auro obryzo, et corpus ipsius quasi chrysolithus, et facies ejus ut spe-

*Matth.* XXVIII, 3.

*Dan.* X, 5, 6.

cies fulguris, et oculi ejus sicut lampas ardens, et brachia ejus et quæ deorsum usque ad pedes, quasi species æris candentis. Quibus consonant quæ in Apocalypsi dicuntur; illud quoque Ezechielis : Super firmamentum, quasi adspectus lapidis sapphiri, similitudo throni; et super similitudinem throni, similitudo quasi adspectus hominis desuper; et vidi quasi speciem electri, velut adspectum ignis intrinsecus.

Apoc. I, 13-16.

Ezech. I, 26, 27.

*Quod quidem ne paterentur,* id est, ne istum errorem inciderent, *qui nihil visibilibus bonis sublimius* intelligunt,* id est, hi qui non intelligunt esse aliqua bona sensibilibus præstantiora, quales fuerunt Sadducæi, Epicurei quoque philosophi, imo adhuc quidam phantastici supra sensum et imaginationem non valentes suum levare ingenium, *sanctorum theologorum restitutiva sapientia,* id est doctrina auctorum Scripturæ canonicæ conversiva et reductiva fidelium ad simplicissimum omnis sapientiæ fontem, et invisibilium bonorum notitiam ac amorem : propter quod theologia dicitur scientia affectiva; *et* ad indecoras dissimilitudines mirabiliter descendit,* id est, ad scribendum spiritualia ac divina etiam per obscuras, viles atque sensibiles formas, inclinat se : quod mira et gratiosa dispensatione condescensioneque agit, nostræ saluti prospiciens; *non concedens materiale nostrum,* id est, non permittens vires nostras organicas, cognitivas et sensitivas, vel intellectum nostrum passivum, seu vim intellectivam ad phantasmata immoderate ruditerque reflexam, quasi esset vis materialis, *in* A *viles imagines* remanens quiescere,* id est finaliter sistere in imaginatione sensibilium specierum, remanendo in illis, nec ascendendo ex illis ad insensibilia ac divina; *purgans vero sursumferens animæ,* id est, sapientia theologorum emundans ab ignorantia et errore, « ferens animæ sursum », id est intellectivam vim animæ per quam fertur et elevatur ad superiora; *et suggerens deformitate compositionum, tanquam neque justo neque vero probante esse :* id est, sapientia ista « suggerens », B hoc est persuadens : unde alia littera habet, Substimulans, id est, ab intimo movens et excitans; « deformitate », id est ex ipsa vilitate et indecentia, « compositionum », id est formationum ac similitudinum inductarum, quod vilia et sensibilia illa vere insint atque conveniant substantiis illis divinis, « neque justo neque vero probante esse », id est, nec justo motivo, nec vero aut rationabili, imo nec apparente argumento, probante esse, id est, concludente quod ita sit sicut C verba superficialiter sonant. Hinc additur : *neque valde materialibus, quia sic vilibus*, similia secundum veritatem sunt supercœlestia et divina spectacula :* id est, « neque » hoc apparente, quod « spectacula », id est objecta illa præcipuo contemplatu prædigna, utpote « supercœlestia et divina », videlicet angelicæ mentes, « sunt similia secundum veritatem materialibus valde », id est rebus multum corporalibus, « quia sic vilibus », id est, quia tam viles sunt : ut quum angeli describuntur D Eliam transtulisse in formis igneorum equorum et ignei currus.

IV Reg. II, 11.

* altius

* alias om. et

* in turpibus imaginibus

* turpibus

# ARTICULUS XIII

QUOD EX VILISSIMIS ETIAM MATERIÆ PARTIBUS LICET FORMAS EFFINGERE SPIRITUALIUM ALIQUO MODO REPRÆSENTATIVAS.

* oportet

* nihil eorum

SED *itaque et hoc intelligere debemus**, id est, istud scire et pensare nos convenit, *neque unum eorum* quæ sunt,* id est nihil exsistentium, *esse universaliter boni participatione privatum,* id est destitutum esse totaliter participatione summi boni. Omnis enim creatura aliquid divinæ bonitatis ac entitatis, imo et perfectionis pulchritudinisque sortitur. Hinc unum, et verum, ac bonum, atque (ut magnus iste Dionysius addit) etiam pulchrum, convertibilia sunt cum ente. Effectus quippe, participata vocatur similitudo suæ causæ. Quod consequenter auctoritate Scripturæ probatur. *Siquidem, ut Eloquiorum veritas ait,* id est, sicut
Gen. I, 31. Scriptura testatur in Genesi, *omnia bona*
Eccli. XXXIX, 20, 21. *valde.* Ecclesiasticus quoque : Sic, inquit, dicetis in confessione, Opera Domini universa bona valde. Hinc et in primo Timæi asserit Plato : Cuncta sui similia, prout uniuscujusque natura capax fuit, effici voluit Deus. Quum ergo universa et singula aliquid divinæ participent bonitatis, possunt et materialia ista ac vilia designare spirituales ac præstantissimos spiritus, quia in quibusdam conveniunt. Nam et
I Tim. IV, 4. Apostolus ad Timotheum fatetur : Omnis creatura Dei bona est.

*Est ergo ex omnibus intelligere,* id est, ex omnibus introductis contingit et expedit intueri, *bonas speculationes,* id est divinas considerationes Scripturæ, *invisibilibus* et intellectualibus, ex his quæ materialia sunt*, formare dictas dissimiles similitudines,* id est, « dictas similitudines », scilicet corporales figurationes, descriptiones et species, « dissimiles », coaptare et adscribere divinis et imma- A terialibus rebus, sumptas « ex his quæ materialia sunt », id est acceptas ex rebus corporeis, ad designationem et notificationem invisibilium angelorum. Nempe, quum omne simile sit dissimile (si enim unum alteri in omnibus simile esset, potius essent unum et idem, quam diversa et plura), ideo similitudines istæ dicuntur dissimiles, quia in aliquo differentes. Sed quum vehementer distant ac discrepant, ut dum unum est materiale, brutale, terrenum, aliud simplex, intelle- B ctuale, divinum ; vocatur similitudo obscura, remota ac tenuis : quemadmodum dum potestas Dei comparatur potestati seu fortitudini unicornis, juxta illud Numerorum : Deus eduxit Israel de Ægypto, Num. XXIII,
cujus fortitudo similis est rhinocerotis. Et 22; XXIV, 8.
Christus ratione fortitudinis dicitur leo in Apocalypsi : Ecce vicit Leo de tribu Ju- Apoc. V, 5.
da. Imo et sic comparatur Deus leoni et ursæ, ratione sui rigoris districtæque ultionis, in Osee : Occurram eis quasi ursa Osee XIII, 8.
raptis catulis, dirumpam interiora jecoris C eorum, et consumam eos ut leo.

* et invisibilibus

* ex materialibusque

Denique, quum cognitio quæ est per affirmationem, per aliquam fiat assimilationem, oportet quod inferiora hæc aliquid habeant similitudinis cum divinis quæ notificantur per ipsa : quæ tamen proprietates valde diversimode sunt in eis. Propter quod subditur : *Altero modo intellectualibus habentibus quæ sensibilibus aliter distributa sunt :* id est, ita hæc dico, quod intellectuales substantiæ multo aliter ac eminentius habent ista quæ sen- D sibilibus quoque attribuuntur, videlicet fortitudinem, pulchritudinem, zelum, etc., quemadmodum aliter competit angelis cor-

pora habere, et in eis ambulare, loqui, comedere, aliter homini. Angeli namque corpora ad tempus assumunt, etc. Quod consequenter declaratur de furore, ira, zelo, concupiscentia : quæ valde diversimode in animalibus reperiuntur ac angelis.

*Etenim furor in irrationabilibus quidem ex passibili motu inest,* id est, brutis, hominibus quoque passionatis, innascitur furor ex corporali sanguinis transmutatione et ebullitione, et ex illata injuria, ex cujus illatione et apprehensione animus indignatur, turbatur, et appetit ultionem. Quumque motus hujusmodi passionum sint subjective in viribus sensitivis corporali organo alligatis, et complexionato subjecto inhærentibus, fiunt cum transmutatione corporea. Unde subjungitur : *et omnis irrationabilitatis est repletus furibundus eorum motus,* quoniam furor prædominatur in eo : qui furor est velut insania quædam.

* altero *Sed in intellectualibus alio* modo opor-*
* irascibile *tet furiale* intelligere,* id est, vim irascibilem seu furorem necesse est aliter ponere in intellectivis substantiis, in quibus non est appetitus sensitivus, nec vires organicæ : idcirco nec passiones istæ in eis sunt proprie atque univoce, sed magis æquivoce, metaphorice, et per similitudinem quamdam effectuum, seu proportionalitatem. Hinc sequitur : *declarans,* id est, irascibile istud seu vis irascibilis vel furor est « declarans », *ut æstimo, eorum virilem rationabilitatem,* id est cœlestium intellectuum fortem et efficacem fixionem in recto judicio rationis, a quo per furoris impetum nequaquam dejiciuntur, *et immanem quietem,* id est vehementem stabilitionem. Alia littera continet : Consolatoriam quietem. Obtinet namque eorum furor quod appetit. Sicque consolationem sortitur, quoniam passiones appetitus irascibilis in passionibus concupiscibilis terminantur : ideo irati et furibundi, dum concupitam fecerint ultionem, lætantur. *In divinis et immutabilibus fundamen-*

A *tis,* id est in regulis juris divini et decretis legis æternæ, atque in rationibus invariabilibus quas contemplantur in Deo, secundum quas regunt se, immobiliterque adhærent eisdem : ideo contentantur de eis, et quietantur in illis.

Præterea advertendum quod in hominibus ponitur duplex appetitus, videlicet sensitivus, et intellectivus, qui est voluntas. Sensitivus vero appetitus, in concupiscibilem irascibilemque dividitur. Objectum quoque concupiscibilis, est bonum B sensibile simpliciter dictum; objectum autem irascibilis, est bonum sensibile arduum. Nam sicut in naturalibus cernimus quod ignis per levitatem ascendit, per calorem vero quasi resistit impedientibus suum ascensum ; sic animalia per appetitum concupiscibilem tendunt in objectum conveniens, per irascibilem vero resistunt contrario. In parte vero affectiva intellectiva, ponitur duplex hic appetitus, non proprie, sed metaphorice, nec unus ab alio realiter differt. Furor ergo in Deo C et angelis nequaquam importat irrationabilem immoderatumve impetum, sed efficacem prorsus constantiam contra impedimenta bonorum, aut justam detestationem vindictamque scelerum, ac insuperabilem contra mala insurrectionem. Unde scriptum est : Ulciscens Dominus et habens *Nahum* I, 2.
furorem ; et in Psalmo : Deus ultionum *Ps.* XCIII, 1.
Dominus, Deus ultionum libere egit. Juxta prætactum modum loquendi, Dominus per Isaiam testatur : Heu, ego consolabor super hostibus meis, et vindicabor de ini- *Is.* I, 24.
D micis meis ; et in Ezechiele, Succendam *Ezech.* XXII, 21, 20.
vos in igne furoris mei, et requiescam.

Deinceps tangit Theologus qualiter concupiscentia diversimode in animalibus et angelis esse dicatur. *Eodem modo concupiscentiam quidem* dicimus in irratio-* * quidem esse
*nabilibus, inconsultam quamdam et materialem ex naturali motu aut consuetudine in mutabilibus incontinenter ingenitam passibilitatem, et irrationabilem corporalis voluptatis continuitatem, simul omne animal compellentis in secundum sensum*

*concupiscibile*. Hoc est : Sicut de furore jam dictum est, « eodem modo dicimus concupiscentiam » sensualem, carnalem, præsertim veneream, esse « passibilitatem », id est passionem et affectionem quamdam provenientem ex fomite, « inconsultam », id est non deliberativam, aut sine prævio rationis judicio insurgentem, « et materialem », id est corporalem, « ingenitam », id est ortam in sensualitate, « ex motu naturali », qui exsurgit ex apprehensione objecti delectabilis, ad quod naturale est affici, « aut » ex « consuetudine », quæ habituatos in talibus celerrime trahit ac valide : ingenitam, inquam, « incontinenter », id est libidinose, et præter vel contra castitatis virtutem, « in » rebus « mutabilibus », id est in carnalibus sensibilibusque objectis, seu circa hujusmodi ; « et irrationabilem continuitatem », id est protractionem, « corporalis voluptatis, compellentis », id est, fortiter et quasi violenter allicientis, « omne animal », cujus est per coitum generare, et præsertim omne animal brutale, quod caret ratione, cujus est passiones reprimere. Bruta autem, sicut et naturalia inferiora, aguntur magis quam agant, naturalem instinctum sequendo. Interdum autem sumitur Compellere, pro ingenti inductione,
Gen. xix, 3. sicut in Genesi fertur de Lot : Compulit illos (videlicet angelos ingressos Sodomam) oppido, id est valde. Sic ergo voluptas compellit « in concupiscibile secundum sensum », id est objectum desiderabile secundum tactum, cujus voluptates sunt intensiores.

Præterea in Scripturis fit mentio de duplici concupiscentia : Una sensuali, juxta
Galat. v, 17. illud : Caro concupiscit adversus spiritum. Et hæc est concupiscentia inordinata et culpabilis. Concupiscentia tamen sensitiva potest esse ordinata et bona : qua et Zacharias concupivit Elisabeth. Potest etiam esse indifferens : ut est passio pure naturalis qua quis esuriens cupit cibum. Secunda, est concupiscentia bona
Ps. xliv, 12. et spiritualis, juxta illud Psalmi : Con-
A cupiscet rex decorem tuum ; itemque, Concupiscit et deficit anima mea in atria Ps. lxxxiii, 2.
Domini. Unde et scriptum est : Concupiscentia sapientiæ deducet ad regnum Sap. vi, 21.
perpetuum.

*Quum vero dissimiles similitudines intellectualibus circumponentes, concupiscentiam eis circumformamus :* id est, dum nos « circumponentes », id est, ab extra circumvestientes et adscribentes, « intellectualibus », utpote angelis, « similitudines dissimiles », id est multum
B distantes ac differentes, sicut expositum est, « circumformamus », id est, applicamus et attribuimus, « eis concupiscentiam » : ut quum beatissimus princeps ait Apostolorum, In quem (scilicet Christum) I Petr. i, 12.
desiderant angeli prospicere; *amorem divinum ipsam intelligere oportet,* id est, per concupiscentiam intelligendus est amor spiritualis et purus, ac desiderium inde erumpens, *super rationem et intellectum immaterialitatis,* id est, qui amor supernus naturalem « rationem et intellectum
C immaterialitatis », id est, immaterialem intellectum viatorum, transcendit, sicut et ipsæ angelicæ mentes, et maxime amor ille beatificæ fruitionis, quem nec oculus I Cor. ii, 9.
viatoris vidit, nec auris audivit, nec cor in præsenti exsilio comprehendere valet.

Debemus quoque concupiscentiam illam intelligere esse *inflexibile* *, id est inavertibile ac confirmatum in bono, *et non indigens desiderium,* id est desiderium actualiter habens bonum desideratum, non carens eodem, de quo subjungitur, *su-*
D *peressentialiter castæ et impassibilis contemplationis,* id est beatificæ visionis, quæ est casta et pura supernaturaliter et super omnem creatam essentiam, quantum ad naturalem suam perfectionem, quum visio ista sit clara et immediata intuitio supermundissimæ ac superdignissimæ Trinitatis, supersimplicissimæ Deitatis in se ipsa, sicuti est in se : quod est quodammodo infinita dignitas ac perfectio mentis creatæ Deo fruentis. Cui contemplationi nulla passibilitas, nulla inordinatio pas-

* *et inflexibile*

sionis miscetur. Hanc contemplationem Sancti in patria incessabiliter et inamissibiliter habent, et nihilo minus eam desiderare dicuntur, quia de ea nunquam habent fastidium, imo invariabiliter amant et cupiunt eam æque ferventer. Verumtamen desiderium proprie accipi solet pro appetitione boni futuri, nondum habiti, nec præsentis. Amplius istud intelligi posset de contemplatione Dei activa et increata, quæ est objectum omnis visionis beatæ. Unde et Plato in secundo Timæi effatur : At vero Deus est mens cujus visio contemplatioque intellectus.

*Et ad illam puram et sublimissimam claritatem, et invisibilem et formificam pulchritudinem æternæ et* verœ et invisibilis societatis :* hoc est, concupiscentiam intellectualium illarum substantiarum, dicimus esse ferventissimam affectionem earum « ad claritatem illam » purissimam « et sublimissimam » intuendam, constringendam, ac beatifice possidendam, « et » ad « pulchritudinem » illam « invisibilem et formificam », id est omnium formarum ac specierum et pulchritudinum productricem, ac causam exemplarem, fontalem et conservativam, « societatis æternæ et veræ » : quod exponi potest de increata et superconcordissima societate supergloriosissimæ Trinitatis, in qua inter tres supersanctas adorandas Personas est societas superdulcissima, communicatio liberalissima et superplenissima, familiaritas incomparabiliter magna ; in qua nulla superveneranda Persona aliquid sibi private reservat, aut alteri Personæ incognitum tenet. Propter quod Filius ait ad Patrem : Mea omnia tua sunt, et tua mea sunt ; et rursus : Pater diligit Filium, et omnia demonstrat ei quæ ipse facit. Denique, si fideles per caritatem habent societatem ad Deum, quanto magis increatæ Personæ ad invicem ? Ait quippe Joannes in prima Canonica : Societas nostra sit cum Patre et Filio.

*alias om. et

Joann. xvii, 10.

Ibid. v, 20.

I Joann. i, 3.

*Et veluti impotentiam* excipit quidem et insufficientiam et inconversibilitatem*.*

*potentiam

*in sufficientia et inconversibilitate

A Aliqui textus habent : Et veluti potentiam excepit. Certum est autem quod angelus a Deo sortitus est quamdam potentiam, imo potentiam magnam, quum de primo illo apostata in Job scriptum sit : Non est potestas super terram quæ comparetur ei. Nihilo minus angelus ex propria conditione, in quantum ex nihilo, et ut dependens a Creatore, « impotentiam » habet « et excepit », id est accepit, quum et de ipso verificetur quod Veritas loquitur : Sine me nihil potestis facere. Sic « et insuf- B ficientiam » habet, quia non sufficit sibi per se, quum sine Creatoris conservatione nec in momento possit subsistere. Aliqui autem legunt sic quod sint duæ dictiones, sitque sensus, quod angelus in sua sufficientia et inconversibilitate ad Deum, accepit potentiam et stabilitionem perpetuam. Sicque per inconversibilitatem ad Deum, intelligitur inavertibilitas ab eodem. Aliqui vero habent et legunt, Conversibilitate ad Deum : quia per inavertibilem conversionem ad Deum, potentiam C et confirmationem in bono adepti sunt. Porro omnes Beati sufficientiam habent, quoniam habent quidquid volunt, nec inordinate aliquid optant. Nam et beatitudo describitur, status omnium bonorum aggregatione perfectus.

Job xli, 24.

Joann. xv, 5.

*Et a nulla affligitur virtute.* Angelus namque quum sit beatus, ab omni afflictione liber est et securus. Nec obstat quod Michael et angeli ejus præliati sunt contra draconem, quoniam angeli sancti sine timore, molestia et labore, in omni D hujusmodi congressione triumphant. *Per inconfusum et immutabilem divinæ pulchritudinis amorem,* id est, per hoc quod increatam Dei pulchritudinem ardentissime diligunt amore inconfuso, id est ordinato, qui etiam non confunditur sustinendo frustrationem sui effectus, aut separationem vel aversionem seu impeditionem a summo bono ; *et universalem revocationem in id quod vere est appetendum,* id est per omnimodam reductionem ad Deum summe amandum ac in-

Apoc. xii, 7.

comparabiliter appetendum, in quo vere tutissimi sunt et illæsibiles quicumque ei perfecte conjuncti sunt. Propter quod dixit Job : Libera me, et pone me juxta te; et cujusvis manus pugnet contra me. Et Isaias : Quis contradicit mihi? stemus simul. Quis est adversarius meus? accedat ad me. Ecce Dominus Deus auxiliator meus. Nos autem in vita præsenti multipliciter lædimur atque affligimur, tentamur et vincimur ab intus et ab extra : quoniam nondum integre et perfecte inavertibiliter ac feliciter sumus Deo uniti, et intra nos habemus hostem domesticum, ac vires animæ pronas in malum, infectas fomite et corruptas.

*Job* XVII, 3. *Is.* L, 8, 9.

Amplius pandit Theologus qualiter irrationalitas et insensualitas animalibus et angelis diversimode adscribuntur. *Sed et ipsam irrationabilitatem et insensualitatem, in irrationabilibus quidem animalibus,* id est in brutis, *aut inanimatis materiis,* ut sunt saxa et ligna, *defectum,* id est carentiam, *rationis et sensus,* id est virium seu actionum sensitivarum, *proprie vocamus. In immaterialibus autem et intellectualibus essentiis,* puta in angelis, *sancte et decenter supereminentias earum ut supermundialium confitemur,* id est, irrationabilitatem et insensualitatem substantiarum illarum, « confitemur sancte et decenter », id est religiose, pure et congruenter, « supereminentias earum », id est intellectualitatem deiformem et superabundantiam rationis ipsarum, per quas valde præeminent inferioribus istis tanquam supermundanæ substantiæ, sicut expositum est frequenter; *nostram transitoriam et corporalem rationem, et materialem et alienatum in corporalibus animi sensum excedentes* :* id est, talem separatarum substantiarum irrationabilitatem et insensualitatem confitemur multum excedere « rationem nostram transitoriam et corporalem », id est occupatam et sæpe versantem circa temporalia et terrena, quamvis ratio in se sit potentia animæ inorganica, simplex et immortalis, quemadmodum intellectus possibilis, cum quo realiter idem est; sic item excedunt « sensum animi » nostri, id est sensum interiorem, « alienatum », id est abductum a vera sapientia ac virtute, et vilibus rebus immersum. Corpus enim corruptibile aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. Hinc fertur in Job : Quanto magis hi qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, consumentur velut a tinea?

* excellentes

*Sap.* IX, 15. *Job* IV, 19.

*Est itaque,* id est, recte contingit, *non dissonas formare cœlestibus formas,* hoc est, « formare », id est describere et figurare, « cœlestibus », id est ad designandum cœlestes intellectuales substantias, « formas », id est similitudines illarum repræsentativas, « non dissonas », id est non inconvenientes, *et ex vilibus materiæ partibus,* id est etiam ex particularibus, inferioribus, materialibus rebus seu membris, sicut per faciem hominis denotatur notitia angeli. *Quoniam et ipsa ex vere bono substantiam habens* *, id est, materia a summo bono creata, et id ipsum quod est, inde sortita est : quod etiam Proclus duodecimo theoremate libri sui testatur; *per omnem sui materialem dispositionem,* id est per varias suas partes, qualificationes, formationes, ornatus, *resonantias* * *quasdam intellectualis pulchritudinis habet,* id est, incompletas habet participationes et similitudines tenues pulchritudinis intellectualium personarum. Sicque per lucem qua materia ipsa perfunditur et ornatur, significatur lumen et illuminatio mentis angelicæ; et sicut materiæ est moveri, pati et perfici, ita et intelligentiæ a prima causa perficiuntur, ac dona suscipiunt et diriguntur ab illa : unde proprietates materiæ quodammodo competunt illis. *Et possibile est per eas reduci,* id est, per partes, dispositiones et figurationes materiæ, « possibile est reduci », *ad immateriales primas formas,* id est ad cognitionem substantiarum separatarum, quæ sunt primæ atque dignissimæ formæ foris manentes, non intrinsece in-

* subsistentiam possidens

* imagines

formantes : duplex est enim forma, puta A informans, et foris manens : *dissimiliter, ut dictum est, similitudinibus acceptis,* id est secundum rationes diversas, *et eis-* * easdem *dem * non similiter,* id est non univoce Apoc. v, 5. sumptis : sicut quum per fortitudinem leonis significatur potentia Christi, et per Matth. x, 16. calliditatem serpentis, prudentia justi, at- Ibidem. que per simplicitatem columbæ, sinceritas animi. *Compacte autem et pulchre in intellectualibus et sensibilibus proprietatibus definitis :* id est, sed « proprietatibus » istis, per quas unum notificatur per aliud, « definitis », id est descriptis, « compacte et pulchre », id est apte et solide ac distincte, « in intellectualibus et sensibilibus », id est, secundum quod sunt in rebus intellectualis naturæ, et aliis, exprimendo secundum quam rationem et acceptionem conveniant uni, et juxta quam, alteri.

# ARTICULUS XIV

## QUALIBUS FORMIS THEOLOGI PRISCI CŒLESTIA AUT SUPERCŒLESTIA VESTIRE SEU LAUDARE SOLITI.

H*ÆC mysticos theologos inveniemus,* B *non solum cœlestium dispositionum declarationibus mirabiliter circumformantes :* hoc est, nos « inveniemus » in Scripturis « theologos mysticos », id est profundos, sanctos et sapientes Apostolos ac Prophetas, « circumformantes », id est, circumvestientes et applicantes, « mirabiliter », id est valde artificialiter atque utiliter, « hæc », id est similitudines, proprietates et formas has a sensibilibus sumptas, « non solum declarationibus », id est notificationibus, « dispositionum cœlesti- C um », id est angelicorum chororum pulcherrime dispositorum supernorum ornatuum, utpote ad notificandum illa suprema * sed ipsis per ista inferiora ; *sed et ipsi * aliquan-* * divinis *do thearchicis * manifestationibus,* id est, theologi interdum laudant « manifestationibus thearchicis », id est descriptionibus divinis ac principalibus, ipsam videlicet Deitatem. Thearchicum autem dicitur a Θεός, quod est Deus, et ἀρχός, princeps : inde Thearchia, id est principatus Dei, aut Deitas princeps.

*Et aliquando quidem ipsam ex luminibus pretiosis laudant,* id est, theologi aliquando laudant Divinitatem, et ipsam appellant nominibus sumptis ex luminibus sensibilibus præclarioribus ; *ut Solem justitiæ :* ut quum Dominus per Malachiam loquitur, Orietur vobis timentibus nomen Malach. iv, 2. meum Sol justitiæ. Sic etiam appellatur Sol intelligentiæ : ut quum in Sapientiæ libro impii fassi sunt, Sol intelligentiæ Sap. v, 6. non est ortus nobis. Quomodo autem sol iste visibilis, sit evidens Dei imago, quarto capitulo de Divinis nominibus clarius continetur. Sumitur quoque hic, lumen seu lux, pro substantia lucida, quemadmodum in Genesi dixit Deus : Fiat lux. Gen. i, 3. De qua, quarta die, secundum expositores antiquos et superficiem litteræ, formatus est sol. *Ut* stellam matutinam in animo** * Et * animum *sancte orientem,* id est, per gratiæ suæ splendorem radiantem et coruscantem in anima munda « sancte », id est pie ac sapienter. Unde in Apocalypsi loquitur Dominus Jesus : Ego sum radix et genus Apoc. xxii, 16. David, stella splendida ac matutina. Et merito sic vocatur : quoniam sicut stella illa solem præcedit, tenebras fugat, auro- D ram adducit; sic Christus prout fulget suis in via, præcedit se ipsum secundum quod splendet eis in patria. Hinc Corinthiis scribit ac imprecatur Apostolus : Deus qui II Cor. iv, 6.

dixit de tenebris lumen splendescere, etc. A
II Petr. I, 19. Sic et beatissimus Petrus : Donec, inquit, oriatur lucifer in cordibus vestris. *Et ut lumen incircumvolute et invisibiliter resplendens,* id est, interdum laudant Deum ut superclarissimum « lumen resplendens » cordibus electorum « incircumvolute », id est clare, sine circumvelatione phantasmatum, « et invisibiliter », id est pure et intellectualiter, ut cum Apostolo dicere
II Cor. III, 18. queant : Nos autem revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur a claritate in claritatem. B

*Aliquando vero ex mediis,* id est, theologi quandoque designant et laudant Deum appellationibus sumptis ex creaturis quæ inter cœlestia corpora, quæ in corporibus sortiuntur primatum, et inter terrena ac infima corpora, medium habent locum, ut sunt, ignis, aer, aqua. Unde subjungitur :
Exod. III, 2. *ut ignem innocue splendentem,* id est sine nocumento et læsione : imo cum ingenti fructu et salutis profectu radiantem in anima atque urentem in ea, culpas consumendo caritatemque inflammando. Pro- C pter quod scriptum est in Deuteronomio :
Deut. IV, 24. Dominus Deus tuus ignis consumens est.
Hebr. XII, 29. Quod ad Hebræos allegat Apostolus. *Ut aquam vitalis plenitudinis datricem,* id est, etiam laudant Deum ut fontem aquæ vitalis, et ut aquam replentem ac fecundantem corda quibus gratiarum fluenta infundit. Hinc in Jeremia asserit Deus :
Jer. II, 13. Duo mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas quæ continere non valent aquas. De quo fonte testatur Psalmista : D
Ps. XLI, 3. Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum. De quo iterum juxta aliam translati-
Cf. Is. XLIV, 3. onem ait Propheta : Dominus Deus noster fluvius gloriosus saliens in terram sitientem. Qui est « vitalis plenitudinis » dator, influendo vitam naturæ et gratiæ ac gloriæ sempiternæ. Unde apud Joannem dis-
Joann. IV, 13, 14. seruit : Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam
Is. XII, 3. æternam. Et Isaias : Haurietis (inquit) aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.

*Et symbolice dicendo**, id est figurative et per sensibiles similitudines loquendo, laudant atque significant Deum, *in ventrem subeuntem,* id est, per mentem se substernentem ac supponentem gratioso influxui Dei, *fluminaque redundantem,* id est, ex sua pia repletione exuberantem, redundantem, copioseque influentem in alios, juxta illud principis Apostolorum : Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni I Petr. IV, 10. dispensatores multiformis gratiæ Dei ; *immensurabiliter refluentia,* id est, flumina ista charismatum Spiritus Sancti multo abundantius in suum refluunt fontem. Fructificant namque in multis, et cum ingenti gratiarum actione ei attribuuntur, sicut in Evangelio leguntur servi fideles Matth. XXV, 16, 17, 20, 22. multiplicasse concessa sibi talenta. Hinc ad Colossenses scribit Apostolus : Verbum Coloss. I, 6. Dei fructificat et crescit in vobis. Sic et Salomon dixit : Ad locum unde exeunt Eccle. I, 7. flumina revertuntur, ut iterum fluant. Habenti etenim (id est grato) datur, ut ma- Matth. XXV, 29. gis abundet. In his verbis tangit Theologus quod apud Joannem loquitur Christus : Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, Joann. VII, 38. flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.

* dicendum

*Aliquando autem ex novissimis,* id est, nonnunquam laudatur notificaturque Deus per nomina sumpta ex infimis rebus ; *ut sunt unguentum suave :* secundum illud in Canticis, Oleum effusum nomen tuum. Cant. I, 2. Oleum quippe lucet, ungit, sanat, et bonum largitur saporem ; sic Sapientia incarnata fulsit miraculis et doctrinis, ungit dulciter consolando, curat vulnera vitiorum, datque saporem refectionibus animarum, ita ut verbo Dei refectus fateatur psallendo : Quam dulcia faucibus meis Ps. CXVIII, 103. eloquia tua ! super mel ori meo. Sic demum Scriptura laudat Deum, *ut lapidem angularem.* Nam sicut in saxo collocato in angulo concurrunt et junguntur duo parietes, ita in Christo convenerunt, et unum ovile effecti sunt, Judæi atque gentiles. Unde, teste Apostolo, Christus est Ephes. II, 14. pax nostra, qui fecit utraque unum. Hinc

in Evangelio allegat Christus de se quod A
Matth. xxi, 42; Ps. cxvii, 22. prædixit Psalmista : Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in
Ephes. ii, 20. caput anguli. Paulus quoque : Superædificati (inquit) estis super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu. De quo
Is. xxviii, 16. in Isaia legitur prophetatum : Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem an-
I Petr. ii, 6. gularem, pretiosum. Quod et in prima Petri epistola commemoratur. *Sed et bestialem formam ipsi circumponunt, et leonis*
* specialitatem coaptant *et pantheræ specialiter ei coaptant* * *:* id B est, theologi etiam Deum designant nominibus sumptis ex brutis, specialiter vero attribuunt ei nomina leonis et pantheræ;
* pardaliniam *et pardalineam* * *vestiunt,* id est, formam pardi adscribunt ei, *et ursam sævientem* nominant eum. Istud totum modo præhabitum est, pleniusque expositum. In visionibus autem imaginariis, per horum similitudines, formas, figuras, proprietates et actus, significatus est Deus, apparuitque quasi circumvestitus et circumformatus hujusmodi speciebus. Sic namque C
Amos vii, 7. Amos testatur propheta : Vidi Dominum stantem super murum litum, et in manu ejus trulla cæmentarii.

* et quod *Addam vero quod* * *omnium vilius esse et magis significare visum est :* id est, præinductis « addam » unum « quod » inter prædicta videtur « vilius esse » et minus congruere Deo, « et » quod « visum est magis significare », id est apertius ad significandum ea quæ Dei sunt, quoniam
art. xi. dictum est quod per abnegationes et viliora convenientius notificantur divina; D
* quia *quoniam* * *et vermis specie ipsam se ipsam circumformantem divina sapientes tradiderunt :* hoc est, « quoniam sapientes divina », puta theologi, qui sapiunt et cognoscunt divina, « tradiderunt », id est docuerunt, « ipsam » Sapientiam incarnatam « circumformantem », id est, symbolice designantem, « se ipsam specie », id est similitudine, « vermis » : juxta illud
Ps. xxi, 7. in Psalmo, Ego autem sum vermis, et non homo. Quod dixit ad denotandum asper-nationem suam in natura assumpta. Unde subjunxit : Opprobrium hominum et abjectio plebis. Ps. xxi, 7.
In qua re mirandum est et supermirabile, quod tantum dignata est se propter nos humiliare, atque tam vili se nomine designare. Quod item propter humanæ naturæ fragilitatem ac defectuosæ suæ conditionis impuritatem, de quolibet potest homine verificari, juxta illud in Job : Cœli non sunt mundi in conspectu Job xv, 15; xxv, 5, 6.
Dei, quanto magis homo putredo, et filius hominis vermis?

*Sic itaque* * *omnes theosophi,* id est theologi sapientes divina non sola informi ac * alias om. itaque
nuda scientia, sed gustu interno, præsertim Apostoli, *et occulta inspiratione prophetæ,* id est instituti prophetæ ex interna et abdita revelatione Spiritus Sancti, juxta illud Petri : Non voluntate humana al- II Petr. i, 21.
lata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines; *sanctis incontaminatis distinguunt sancta sanctorum :* hoc est, Sancti « distinguunt », id est, distincte notificant, « sancta sanctorum », id est immaterialia et divina excellenter sancta, « sanctis incontaminatis », id est per similitudines et res sacras præclaras, dignitati divinorum proportionatas, quamvis materiales : ut sunt, lux, sol, ignis; *et dissimilem sanctam figurationem honorant,* id est, extollunt « figurationem sanctam » illorum « dissimilem », id est descriptionem et notificationem divinorum per similitudines symbolicas minus dignas : sicut quæ fit per species et nomina bestiarum. *Ut neque divina immundis recte accepta sint,* id est, ita ut nec spirituales et intellectuales substantiæ vere et proprie ac affirmative designatæ sint per formas et res immundas ac viles : imo in his figura et veritas, signum et signatum, similitudo et res, sunt ab invicem secernendæ; *neque mirabilium agalmatum* * *studiosi contem-* * imaginum
*plationis,* hoc est, nec ipsi homines spirituales « studiosi contemplationis », id est laboriosi ac fervidi ad contemplationem et agnitionem, « agalmatum mirabilium »,

id est imaginum præclararum per quas divina illa quasi decentius significari videntur, *tanquam veris remaneant figuris,* id est, similitudinibus sint intenti finaliter, et in illarum consideratione « remaneant tanquam veris », id est veluti in rebus signatis, putando quod unum sint, et unum de alio substantialiter prædicetur.

* honorificant
* negationibus

*Divina itaque honorant* veris depulsionibus*,* id est, Scripturæ honorant intellectuales illas substantias negando ab eis hæc sensibilia digniora, *et ad novissima compactarum resultationum* diversis similitudinibus:* id est, etiam ea honorant per similitudines diversas, multum ab eis distantes, discrepantes ac occumbentes, has ipsis divinis attribuendo : quæ similitudines sunt quædam præsentationes « resultationum », id est imitationum, « compactarum », id est compositarum et apte ordinatarum, « ad novissima », id est ad infima designanda, vel, « ad novissima », id est sumptarum ex infimis rebus et per comparationem ad eas.

* imaginationum

*Nihil ergo inconsequens,* id est, nullum inconveniens sequitur, *si et cœlestes essentias ex inconvenientibus dissimilibus similitudinibus reformant*, secundum dictas causas,* id est, ex hoc quod theologi « reformant », id est, iterato notificant ac describunt, « essentias cœlestes », utpote angelos, « ex similitudinibus inconvenientibus dissimilibus », id est per formas ac species sensibiles immaterialibus multum difformes, et hoc, propter « causas » expressas. *Non enim fortassis utique nos in quæstionem quidem ex indi-*

* formant

A

*gentia in anagogen, per diligentem divinorum scrutationem veniremus :* id est, « nos » fideles « fortassis non veniremus » ad proponendum et investigandum hanc « quæstionem », cur scilicet divina per materialia describantur, et hoc, « ex indigentia », id est defectu et ignorantia nostra; nec veniremus « in anagogen », id est elevationem et superductionem intellectus nostri ad intelligentiam horum, « per diligentem divinorum scrutationem » ; *nisi deformitas nos extorqueret manifestatoriæ angelorum formationis,* id est, « nisi » ipsa « deformitas » seu dissimilitudo « formationis », id est declarationis seu descriptionis, « manifestatoriæ », id est declarativæ, « angelorum nos extorqueret », id est, urgeret nos ad ista quærenda, dum non sine admiratione audimus quod incorporea illa per hæc corporalia describuntur ac insinuantur; *non sinens nostrum animum remanere in dissimilibus formarum facturis,* id est, non permittens intellectum nostrum quiescere « in facturis formarum », id est compositionibus similitudinum, « dissimilibus », id est multum discrepantibus a rebus per eas notificatis, *sed luctantem negare materiales passibilitates,* id est, conantem ab angelis negare ac removere passiones et pœnalitates corporales, quum non sint vere in ipsis, *et assuescentem pure extendere se*,* id est, assidue disponentem se elevare, *per visibilia in supermundanas similitudines*,* id est ad cognitionem cœlestium potestatum, quæ super hunc mundum inferiorem sensibilem sunt sublimatæ habitatione, dignitate et gloria.

B

C

* extendi
* altitudines

D

# ARTICULUS XV

EPILOGI IN CAPUT SECUNDUM EXPLICATIO.

TANTA *quidem a nobis dicta sunt* in isto capitulo, *propter materiales et tenebrosas** *divinorum Eloquiorum angeliformes** *imaginum descriptiones*, id est pro elucidatione et explanatione descriptionum « imaginum », id est imaginariarum formarum, quia per imaginarias species angelicorum spirituum sunt ostensæ ac traditæ, « Eloquiorum divinorum », id est, quæ descriptiones in Scripturis habentur : quæ etiam dicuntur materiales et obscuræ, imo ut alia littera habet, Inconvenientes, per respectum ad angelicæ naturæ puritatem ac dignitatem, quia per materialia inferiora aut infima dantur ; attamen propter comparationem ad nostram grossitiem aptæ sunt, quia per ista sensibilia oportet nos manuduci ad invisibilia illa. Consequenter continuat dictis dicenda. *Deinde autem segregare debemus**, id est in speciali capitulo segregatim ac distincte exprimere, *quid ipsam quidem esse hierarchiam æstimamus* definitive, hoc est, qualiter sit describenda, *quidque ab ipsa hierarchia prosunt*, id est, quid ex cognitione et laude hierarchiæ proficiant, *hierarchiam sortientes*, id est, ad ejus notitiam, dilectionem aut societatem pervenientes, prout supra in isto est elucidatum capitulo.

* inconvenientes
* angelicas
* oportet
art. VIII.

*Dux vero sit sermonis*, id est director et moderator verborum meorum ; vel, « dux », id est princeps, sicut in Actibus legitur : Paulum vocabant Mercurium, quoniam ipse erat dux verbi. Mercurius quippe deus eloquentiæ dicebatur. *Christus*, qui vere est totius eloquentiæ princeps, dator, moderator, quum ipse sit unicum Patris Verbum increatusque sermo, juxta illud ad Hebræos : Vivus est sermo Dei et efficax. Sic et sancta Esther oravit : Domine Deus, da in ore meo sermonem bene sonantem ; et sacratissimus Paulus, Ut detur (inquit) mihi sermo in apertione oris mei. Nempe, ut in Proverbiis legitur : Hominis est animum præparare, sed Domini, gubernare linguam. « Dux » ergo « sermonis » mei « sit Christus », id est Unigenitus Dei incarnatus, in unitate personæ Deus et homo, plenissime unctus, secundum illud Psalmi : Unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ participibus tuis. *Et si quidem mihi fas est dicere**, *meus* : id est, omnium Dominus et salvator est Christus, ideo non præsumo absolute dicere, Christus meus ; sed hoc dico sub conditione, utpote, « si fas », id est licitum, « mihi est ». Tanquam dicat : Christum ac Deum omnium specialiter nominare Christum meum et Deum meum, est perfectorum et familiarium Deo, qualem me esse non jacto neque præsumo. In quibus verbis magni et sancti hujus Dionysii commendatur humilitas. Omnium quippe Christus est Deus, sed illorum specialiter qui eum singulariter colunt ac diligunt, quemadmodum tertio Regum beatissimus Elias legitur clamasse ad Dominum : Deus meus, etiamne viduam apud quam ego utcumque sustentor, afflixisti ? Itemque : Deus meus, revertatur, obsecro, anima pueri hujus in viscera ejus. Interdum autem etiam quidam præsumptuosi ita locuti leguntur : ut Balaam in libro Numerorum, Numquid potero immutare verba Dei mei ? Hinc Hugo : Magnum (ait) est hoc, ut peccator et abjectus, de familiaritate confidat Altissimi. Qui scilicet Christus, est *totius hierarchicæ manifestationis inspiratio*, id est inspirator « manifestationis », id est

Act. XIV, 11. Hebr. IV, 12. Esther XIV, 13. Ephes. VI, 19. Prov. XVI, 1. Ps. XLIV, 8; Hebr. I, 9. * Si quidem mihi fas dicere. III Reg. XVII, 20. Ibid. 21. Num. XXII, 18.

cognitionis et declarationis, « hierarchicæ totius », id est omnis hierarchici principatus.

Deinde admonet Timotheum. *Tu vero, o puer.* In quibus patet grandis auctoritas Sancti hujus, qui coepiscopum suum et tam prædilectum Pauli discipulum, nominat puerum. Quod et ideo fecisse putatur, quoniam multum senior fuit illo, cui Apostolus scripsit, Nemo adolescentiam tuam contemnat (I Tim. IV, 12); et quia vice magistri fungitur circa illum quem erudivit. *Secundum sanctam nostræ sacerdotalis traditionis legislationem, ipse sancte et decenter ausculta, mirabiliter dictorum divinus divina in doctrina factus.* Hoc est : « Tu, o puer » Timothee, qui puer es ab innocentiæ puritate, instar illorum quibus Christus post suam resurrectionem locutus est : Pueri, numquid pulmentarium habetis? (Joann. XXI, 5.) Ideo subditur, « secundum legislationem sanctam », id est secundum tenorem sanctæ et evangelicæ legis, « traditionis nostræ sacerdotalis », id est institutionis et doctrinæ nostræ apostolicæ, nobis ab ipsis Apostolis primis et summis sacerdotibus Christianitatis collatæ. Quæ doctrina in libris evangelicæ legis contenta est et descripta, et secundum cujus doctrinam pueri esse debemus, prout apud Matthæum asserit Christus : Nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum (Matth. XVIII, 3). Quod exponens Apostolus : Nolite, inquit, effici pueri sensibus, sed malitia parvuli estote (I Cor. XIV, 20). Verumtamen ista particula ad consequentia potest referri, ut sit sensus : « Tu ipse, puer, ausculta », id est adverte, « sancte et decenter », id est religiose seu devote, « secundum sanctam legislationem nostræ sacerdotalis traditionis ». In qua inter cetera dicitur : Qui ex Deo est, verba Dei audit (Joann. VIII, 47), et item, Beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud (Luc. XI, 28); itemque, Qui habet aures audiendi, audiat (Matth. XI, 15; XIII, 9, 43; Luc. XIV, 35; Apoc. II, XIII, III). In quibus et consimilibus edocetur ut cum omni reverentia, diligentia, imo et operum efficacia, verbum Dei jugiter audiamus, quemadmodum quibusdam scribit Apostolus : Ex qua die annuntiavimus vobis testimonium Christi, audistis illud sicut est vere verbum Dei (I Thess. II, 13). Sic quoque de Thessalonicensibus in Actibus recitatur : Hi sunt qui cum omni aviditate audierunt verbum Dei (Act. XVII, 11). Sic ergo ausculta, qui « factus » es « divinus », id est Deo excellenter intentus et assimilatus per gratiarum charismata, atque per ferventem amorem contemplationemque divinorum, ita quod tu et similes tibi, dii estis per participationem (juxta illud in Psalmo : Ego dixi, Dii estis et filii Excelsi omnes (Ps. LXXXI, 6)) : divinus, inquam, et multum illuminatus, « in doctrina divina », id est in sacris Scripturis, « dictorum mirabiliter », id est factorum ac documentorum divinitus ac supernaturaliter exhibitorum, quæ in Scripturis contenta sunt, et mirabiliter confirmata per præclara miracula, secundum illud Marci : Illi autem profecti, prædicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis (Marc. XVI, 20). In quibus verbis magnus iste theologus conformat se magistro suo, qui ad Hebræos hortatur : Abundantius nos oportet observare ea quæ audivimus, ne forte pereffluamus. Quomodo enim effugiemus, si tantam neglexerimus salutem, quæ in nos confirmata est, contestante Deo signis, et portentis, et variis virtutibus, et Spiritus Sancti distributionibus? (Hebr. II, 1, 3, 4.) Consonant rursus hæc verba magni Dionysii, verbis sanctissimi Pauli Timotheo scribentis : Ab infantia sacras litteras nosti, quæ te possunt instruere ad salutem (II Tim. III, 15).

*Et secreto animi quæ sancta sunt circumtegens,* id est, in abscondito et occulto intellectus tui sancta et mystica hæc dogmata celans, non omnibus, sed incapacibus et indignis : juxta illud Psalmi, In corde meo abscondi eloquia tua (Ps. CXVIII, 11). Isaias quoque ait : Secretum meum mihi (Is. XXIV, 16). De hoc, primo Mysticæ theologiæ capitulo plenius scribit hic theologus : Vide, inquiens, ne hæc aliquis videat indoctorum, etc. *Ex immunda multitudine tanquam uniformia custodi,* id est, absconde a

« multitudine immunda », scilicet carnalibus turbis pertinacibusque hominibus, documenta ista inviolabiliter firma, uniformiter vera, in quibus esse non debet opinio varia, quia divinæ et invariabili veritati innituntur. Unde in Evangelio Dominus protestatur : Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt. *Non enim fas, ut Eloquia aiunt*, id est, licitum non est, sicut Scripturæ affirmant, *in porcos projicere invisibilium margaritarum inconfusum et luciformem beneficumque ornatum*, id est decorem spiritualium doctrinarum, universis corporalibus margaritis pretiosiorum, splendidiorum et pulchriorum : de quibus in Evangelio dicitur, Simile est regnum cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas. Qui decor, est beneficus, id est liberaliter nobis communicatus (unde ad Hebræos dicitur : Beneficentiæ et communionis nolite oblivisci, talibus enim hostiis placatur Deus); et luciformis, id est splendifluus, cœlestique lumini similis, radios veritatis ac salutis emittens ; et inconfusus, id est rite ordinatus, inconfusibilis et inexpugnabilis, juxta illud ad Titum : Verbum sanum, irreprehensibile, ut is qui ex adverso est vereatur, nihil mali habens loqui de nobis. Denique de hac fortissima armatura et inexpugnabili firmitate veritatis evangelicæ legis, optime scripsit Apostolus ad Corinthios : Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, et in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi. Certe contra hanc catholicæ fidei firmitatem, ex qua mille clypei pendent, imo potius multa clypeorum millia sunt parata, nec rabies tyrannorum, nec argumenta philosophorum, nec ludificationes magorum prævalere quiverunt. Hunc ergo ornatum non licet « in porcos projicere », id est carnalibus et immundis indocilibusque proponere, quum et Sapiens dicat : In auribus insipientium ne loquaris, quia despicient doctrinam eloquii tui ; et denuo, Qui erudit derisorem, ipse sibi injuriam facit ; itemque, Ubi non est auditus, non effundas sermonem.

Luc. XXI, 33. — Matth. VII, 6. — Ibid. XIII, 45. — Hebr. XIII, 16. — Tit. II, 8. — II Cor. X, 4, 5. — Cant. IV, 4. — Prov. XXIII, 9. — Ibid. IX, 7. — Eccli. XXXII, 6.

Postremo, hanc auctoritatem Scripturæ non allegat hic excellentissimus iste theologus, secundum formam verborum, sed juxta intellectum Scripturæ. Siquidem apud Matthæum docuit Christus : Nolite sanctum dare canibus, neque margaritas vestras projiciatis ante porcos. Doctrina enim proportionanda est capacitati audientium eam. Propter quod quibusdam scripsit Apostolus : Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus ; et rursus, Sapientiam loquimur inter perfectos.

Matth. VII, 6. — I Cor. III, 1. — Ibid. II, 6.

# ARTICULUS XVI

## INTRODUCTIO ET SOLUTIO QUÆSTIONUM QUARUMDAM CONCERNENTIUM PRÆSENS CAPITULUM SECUNDUM.

PRIMO hic quæritur, an spiritualia ac divina verius ac convenientius designentur per negativa et dissimilia, quam per affirmativa et nobiliora. Videtur quod non : quia nominatio rei ordinatur ac tendit ad habendam ejus notitiam ; negativa autem de Deo non exprimunt quid sit, sed quid non sit. Rursus, cognitio fit per quamdam assimilationem, et per similitudinem cogniti exsistentem in cognoscen-

te. Positiva autem et nobiliora, sunt Deo et incorporeis similiora : ergo efficacius ad illorum ducunt notitiam. Amplius, quo effectus est suæ causæ conformior, eo clarius repræsentat eamdem, sicque est clarius medium ad illius cognitionem. — In oppositum videtur auctoritas et doctrina auctoris in littera.

Ad istud videtur breviter respondendum, quod per affirmativa et nobiliora, verius, clarius ac eminentius cognoscuntur immaterialia et divina, loquendo directe, et quantum est ex natura rei, atque ex parte objecti et medii ; sed ex parte imbecillitatis ac defectuositatis nostri ingenii contingit oppositum, et etiam indirecte. Nostra quippe cognitio, ab imperfectioribus ad perfectiora paulatim procedit, et ad errandum proclivis est. Idcirco in primis facilius capimus quid Deus et mentes illæ deiformes angelicæ non sint, quam quid sint. Hinc tertio de Anima dicitur, quod simplicium intelligentia seu cognitio, est per negationem. Facilius enim apprehendimus quod Deus et angeli non sunt extensive magni aut parvi, figurati aut circumscripti, colorati aut sensibiliter lucidi, quam quid sit illa ipsorum simplicitas, aut qualiter terminetur essentia angeli in se aut in loco, ita quod quum sit in aliquo spatio loci, non sit in toto spatio universi. Insuper, quum multi sint non valentes se super sensum et imaginationem, et super cuncta materialia elevare, faciliter possent induci ad æstimandum quod Deus et substantiæ separatæ sint quædam materialia entia, splendidissima ac speciosissima, aut corporea lumina : ad quod vitandum, aptius describuntur interdum per viliora, quæ palam est ipsis substantialiter non convenire. Cognitio tamen per affirmativa et digniora, per similiora et propinquiora, in se perfectior est ac magis distincta, imo perfectæ notitiæ rei per speciem vicinior. Nec obstat quod sanctus iste theologus libro de Mystica theologia edocuit, quod perfectissima Dei contemplatio in præsen-
A ti, est intuitio illa qua ei unimur tanquam omnino ignoto, et in qua omnia auferuntur ab ipso. Hoc etenim contingit ex parte nostri, et quia hoc ipsum quod vere convenit Deo, et quod concipimus affirmative de eo, convenit ei in infinitum excellentius atque perfectius quam intelligere valeamus : sicque auferimus et negamus illa ab ipso, non simpliciter et absolute quantum ad id quod in sua natura sunt, sed quoad modum quo ea capere possumus in hac vita, prout istud infra
B et libris sequentibus diffusius exponetur.

Secundo hic quæritur, an ex rebus creatis possumus aliquid de Deo vere et quidditative cognoscere. Et apparet quod non, ex multis verbis hujus capituli : in quo inter cetera dicitur, quod Deus est super omnem essentiam et vitam, nullo lumine eum characterizante, id est determinante ; et quod omnis intellectus ac ratio, ab ejus expressione, repræsentatione et similitudine deficiunt infinite ; itemque, quod Deus non est secundum aliquid, imo nec
C aliquid eorum quæ sunt, ita quod ignoramus superessentialem ipsius naturam, atque ineffabilem ipsius infinitatem, ac supersubstantialis suæ deitatis beatitudinem. — Circa hæc dico, quod quæstio ista includit et tangit quasi pelagus difficultatum, plurimarumque quæstionum abyssum, an scilicet Deo et creaturis conveniat aliquid univoce, an possimus Deum in sæculo isto intuitive cognoscere, an valeamus de ipso nunc aliquid vere ac proprie et distincte concipere, an Deus sit
D in genere, an prædicata perfectionalia ex natura rei et per prius competant Deo quam creaturis. Verumtamen istæ et consimiles quæstiones, in libro de Divinis nominibus et in volumine de Mystica theologia potius habent locum, et ibi, prout Dominus dederit, ipso præstante solventur. De quibus etiam in collectario super primum Sententiarum, diligenter pro viribus est tractatum.

Tertio quæritur de simplicitate et puritate angelorum, an scilicet vere immate-

riales exsistant. Et probatur quod imo, ex multis auctoritatibus hujus capituli, in quo Theologus non solum nominat eos incorporales et immateriales, sed etiam deiformes simplicitates, aliquando vero immaterialitates. De hac autem quæstione, super secundum Sententiarum dictum est copiose, et perscrutatum est ibi an in angelis sit compositio aut unio aliqua ex materia et forma, ex esse et essentia, ex actu et potentia. Denique quæstio ista de immaterialitate angelorum antiqua est, et tam inter philosophos quam inter theologos præcipuos, fuerunt de ea diversæ opiniones. Plato enim in dæmonibus posuit etiam corporalem materiam, quamvis invisibilem nobis. Unde Apuleius Platonicus, in libro de Deo Socratis, affirmat dæmones esse animalia, corpore aeria, animo passiva, mente rationalia, tempore æterna. In superioribus demum intellectualibus substantiis posuit Plato simpliciorem quamdam materiam, quam Proclus in Elementatione sua theologica nominat schema. Auctor quoque libri de Causis affirmat quod intelligentia est habens hyliathin. Hanc opinionem secuti sunt aliqui magni qui philosophia Platonicorum fuerunt instructi, ut sancti patres Augustinus, Basilius, Cassianus. Aristoteles vero

In II Sent. dist. 8, q. 1.

Cf. p. 21 C'.

A et Peripatetici dixerunt intelligentias esse substantias separatas, id est a materia liberas et semotas. Similiter inter doctores scholasticos sunt de hac re duæ opiniones. Nam Bonaventura, Richardus de Mediavilla, Petrus, ac alii multi, dicunt in angelis esse spiritualem materiam. Porro Guillelmus Parisiensis in libro de Universo, Thomas, Albertus, Ægidius, cum suis sequacibus, fortiter tenent contrarium : quorum opinio probabilior reputatur, præsertim quia doctrinæ S. Dionysii B consonantior esse censetur. Angeli namque nec ad subsistendum, nec ad intelligendum, neque ad movendum active egent materia. Est tamen in eis unio quædam actus atque potentiæ. At vero Origenes, doctor antiquus ac ingeniosissimus homo, in libris Periarchon etiam scripsit quod post summam Trinitatem nulla creata substantia sine materia potest subsistere. Avicebron item in libro Fontis vitæ asserit in cunctis intellectualibus creaturis ac ceteris esse materiam, quam et secundum C se sumptam dicit in omnibus illis ejusdem consistere rationis.

Verum de hac quæstione pertranseo, quoniam utriusque opinionis motiva super secundum Sententiarum cum declarationibus suis diffuse sunt introducta.

## PARAPHRASIS ABBATIS VERCELLENSIS

ANTEQUAM ergo de hierarchiis distincte tractemus, congruum est ut exponamus quæ sit generalis descriptio hierarchiæ (quod fiet tertio capitulo), et quid utilitatis conferat hierarchia quibuslibet personis in se constitutis et ministrantibus ; deinde specialiter laudemus cœlestes hierarchias secundum testimonia Scripturarum eis congruentia (quod fiet quarto, et decem capitulis sequentibus); tandem [dicamus] quintodecimo et ultimo capitulo, quibuslibet formis et figuris sensibilibus cœlestes animi in Scripturis designentur, et ad qualem simplicem veritatem oporteat D reduci per illas formas vel figuras : ne et nos sicut alii multi, stulte arbitremur mentes cœlestes et Deo conformes, multipedes esse (quia dicitur in Ezechiele : Pedes eorum pedes recti), et quasdam esse multorum vultuum (quia rursus dicitur in Ezechiele : Quatuor facies uni), et esse formatas secundum figuram boum, aut leonum, aut aquilarum (ut dicitur ibidem : Similitudo vultus eorum, facies hominis et facies leonis a dextris ipsorum quatuor, facies autem bovis a sinistris ipsorum quatuor, et facies aquilæ desuper ipsorum quatuor ; et in Apocalypsi habetur : In medio

*Ezech.* I, 7

*Ibid.* 6.

*Ibid.* 10.

*Apoc.* IV, 6.

sedis et in circuitu sedis, quatuor animalia plena oculis ante et retro), aut habere trinum alarum ordinem (propter illud quod legitur
*Is.* vi, 2. apud Isaiam : Sex alæ uni, et sex alæ alteri) ; et ne imaginemur super cœlum rotas igneas
*Dan.* vii, 9. (quia dicit Daniel : Rotæ ejus ignis accensus), et thronos materiales quasi necessarios ad reclinationem principatui Deitatis (quia
*Ibidem.* dicitur etiam apud Danielem : Throni positi sunt, et Antiquus dierum sedit), et quosdam equos colorum multorum (juxta quod Zacha-
*Zach.* i, 8. riæ revelatum est, ubi ait : Vidi per noctem, et ecce vir ascendens super equum rufum, et post eum equi rufi, varii, et albi), et principes principum militiæ ferentes lanceas, (quia
*Ezech.* xxiii, 22.23. dicitur in Ezechiele : Ecce ego suscitabo principes principum, et nominatos ascensores eorum). Hæc tamen junctura, Ferentes lanceas, ibi non invenitur in Scriptura. Sed de hujus-
*Job* xvi, 14. modi lancea legitur in Job : Circumdedit me lanceis suis, convulneravit lumbos meos, et
*Sap.* v, 21. non pepercit ; et in libro Sapientiæ : Acuet diram iram in lanceam, et pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos. Et similiter quæcumque alia nobis in Scripturis sacris tradita sunt per formas sensibiles, secundum varietatem signorum manifestantium statum cœlestium animorum. Artificiose enim Theologia utitur formis coaptatis ad significandum mentes infigurabiles, ut dictum est, considerata infirmitate mentis nostræ, et providendo sibi familiarem et connaturalem sursumactionem, prout dictum est supra, reflectendo ad ipsam nostram mentem sanctas anagogicas Scripturas.

Si quis autem arbitretur congrue designari cœlestia in sacris Scripturis signis sensibilibus, tanquam in se ipsis ignota et nobis incontemplabilia, sed inconveniens esse ut tam vilibus signis designentur, et per hoc quasi publicam irrisionem angelicorum nominum fieri ; et debere theologos [ea] signare pretiosissimis sensibilium creaturarum vel corporum, tanquam ipsis angelis per sui pretiositatem quodammodo secundum sensibilium possibilitatem cognatis et familiaribus, neque cœlestibus animis simplicibus et Deo conformibus debere attribuere viles et infimas sensibilium formas, eo quod iste modus videatur et nobis esse ad cœlestia cognoscenda expeditior, et supermundanis mentibus honorabilior. Sed et vilitas formarum forte potest legentes ad talem errorem inducere,

A ut putent supercœlestia repleri multitudine leonum, equorum, et similium animalium, et decantari ibi laudes mugitivas more boum, et esse ibi volatiles angelos ad modum avium, et alia animalia, et materias viliores prædictis (ut designantur lapidibus in Ezechiele *Ezech.* i, 26 ; x, 1, 9 ;
et in Job, et herbis virentibus in Ezechiele) : *Job* xxviii, 3. 6.
et ita quæcumque Scripturarum testimonia describunt hujusmodi sensibilium similitudi- *Ezech.* xxxiv, 14.
nes valde cœlestibus dissimiles, quasi declinando et humiliando ipsa cœlestia ad dedecus et ignobilitatem et passibilitatem. Si quis, inquam, ita ut dixi, arbitratur, ego sic B ei respondeo :

Veritatis inquisitio docet quod Theologia per signorum vilitatem perfecte provideat, ut neque cœlestibus fiat injuria, neque fideles seducantur opinando deformes aut viles materias esse in cœlo. Non enim propter hanc solam causam per visibilia et infima signantur invisibilia cœlestia, ut animus noster, qui non potest immediate extendi ad intelligibiles contemplationes, sed indiget sursumactione familiarium et connaturalium sibi signorum, per ea ad cognitionem cœlestium manuducatur ; sed et propter aliam causam, C scilicet, ut dum quædam signorum, quamvis vilium, fideles illuminant ad cognitionem cœlestium, eorumdem vilitas abscondat reprobis divinam veritatem, ne detur sanctum cani- *Matth.* vii, 6.
bus : quia ut dicit Apostolus, Non omnium *I Cor.* viii, 7.
est scientia.

Quod autem hujusmodi sensibilium signorum vilitas non injuriam cœlestibus faciat, sed veriorem eorumdem ingignat cognitionem, inde patet quia duplex est modus notificandi invisibilia Dei et quælibet cœlestia : unus affirmativus, quasi per similia, ut quum dicitur, Deus lux est ; alius vero quasi nega- *I Joann.* i, 5.
D tivus, est per dissimilia et summe inconvenientia, et quæ videantur ei omnino non congruere. Siquidem supersubstantialem Deitatem quam vocant Scripturæ mentem vel substantiam, ostendentes in ea rationalitatem, et sapientiam ipsi convenientem, et veram essentiam quæ est vera causa omnium exsistentium, vocant etiam ipsam et lumen et vitam : his et his similibus, tanquam inter cetera venerabilioribus, signantes quod Divinitas supereminеat omnibus materialibus, quamvis et illa signa multum deficiant a comparatione veritatis. Est enim Divinitas super omnem substantiam et vitam, adeo ut nullum lumen

digne valeat eam signare; sed et omnis mens A et ratio ab ipsius similitudine incomparabiliter deficit. Alius autem modus est manifestandi divina vel cœlestia per negationes et remotiones dissimilitudinum, ut quando dicitur in Scripturis invisibilis, interminabilis, incomprehensibilis : quibus omnibus non quod ipse est, sed quod ipse non est, signatur. Et iste modus secundus efficacius nos inducit ad cognitionem Dei, quoniam sicut secretius ab apostolica doctrina accepimus, non proprie dicitur Deus aliquid exsistens aut intelligibile. Unde omnia possunt ab ipso vere et proprie removeri, nihil autem proprie affirmari. B Secundus autem modus plus congruit negationibus, quæ propriæ magis sunt, quam primus. Vere enim ignoramus supersubstantialem et incomprehensibilem et ineffabilem infinitatem ipsius, quæ ipsam excedit unitionem. Quum ergo omnia de Deo vere et proprie negentur et removeantur, et nihil proprie de ipso affirmetur, divino occulto convenientior est manifestatio per viliores et dissimiliores formas sensibiles, quam per pretiosiores. Dum ergo sacra Scriptura designat divina et cœlestia formis vilioribus, non eadem per hoc dehonestat, sed honorat; et ostendit C per hoc, quod ipsa supermundane excedant omnia materialia.

Sed neque arbitror aliquem prudentem virum negare quin signa dissimiliora efficacius sursumducant mentem nostram, quam similiora : quia per signa pretiosiora facile posset seduci animus infirmus, ut putaret ad litteram tale aliquid esse in cœlo, scilicet quod sint ibi homines lucidi et fulgentes, vestiti decentissime veste splendidissima, et emittentes a se igneas flammas non urentes nec lædentes : quia dicitur in Ezechiele, Adspectus eorum quasi carbonum ignis, etc. Et D similiter decipi posset mens in similibus signis pretiosis, qualia in Scripturis inveniuntur in designatione animorum cœlestium. Ne ergo hanc incurrant deceptionem qui nihil noverunt altius pulchris sensibilibus, sapientia sanctorum theologorum suscitans mentes ad cœlestia, deponit se ad utendum similitudinibus valde dissimilibus in cœlestium designatione, ne permittat mentem nostram materialibus immersam quiescere in talibus imaginibus, sed per earum turpitudinem valde suscitans et sublevans mentis nostræ vim supernorum apprehensivam, eo quod nec conveniat neque verisimile videatur quod valde materialia et tam deformia, sint proprie comparabilia cœlestibus et divinis.

*Ezech.* I, 13.

Alia præterea est ratio quare per viliores creaturas corporeas congrue cœlestia designantur. Nulla enim res universaliter privatur participatione boni, dicente Scriptura : Vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona. Congrue ergo ex omnibus materialibus designari possunt cœlestia et divina, intellectualibus tamen alio modo habentibus ea quæ sensibilibus longe alio modo tribuuntur. Verbi gratia : furor qui attribuitur irrationalibus, ingignitur* ex motu passibili, et motus ille furibundus plenus est omni irrationalitate. Quando vero attribuitur intellectualibus, signat fortem ipsorum discretionem, et indissolubilem immobilitatem in immutabili stabilitate bonorum quibus Deo conformantur. Et similiter concupiscentia quæ attribuitur irrationalibus, est quædam incircumspecta et materialis passio respectu alicujus rei sensibilis, ingenita et* ex naturali motu vel consuetudine, impetuosa, impetu corporalis appetitus irrationabiliter obtinens quod appetitur, impingendo totum animal in concupiscibile secundum sensum. Quando autem concupiscentiam cœlestibus animis attribuimus, nomine ipsius intelligimus divinum amorem immaterialitatis qui est super mentem, et indeclinabile ad aliud et irremissibile a proprio fervore desiderium contemplationis divinæ et per excessum omnis substantiæ, in solos Sponsi amplexus tendentis, et nulla anxietate afflictæ ut accidit in desideriis carnalium voluptatum, quarum appetitus plenus est anxietate, et satietas pœnitentia; et tendentis ad divinum, purissimum et omnium summum splendorem, qui comprehensores suos omnino errare non patitur illuminando eos ipsa specie veritatis, ad decorem, id est pulchritudinis plenitudinem æternæ et veræ communionis ad Deum, pulchros facientem suos contemplatores et amatores, juxta illud : Nos autem omnes revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tanquam a Domini Spiritu, etc. Desiderium dico, non valens coerceri vel remitti, propter sui fortitudinem ad id quod appetit, et inconversibilitatem* ad illud : quod nulla occasio valet incidere, propter hoc quod pure et singulariter Deum desiderant, et nihil est quod eos possit ab ejus amore revocare vel re-

*Gen.* I, 31.

* ingignitur eis

* vel

II *Cor.* III, 18.

* conversibilitatem *Cf.* p. 51B'.

tardare. Et quia semper Deus est uniformis, A
æqualiter bonus et pulcher, et quia ipse in se
simplicissime habet omnem speciem desiderabilem, ut sapientiam, bonitatem, pulchritudinem, æternitatem, omnipotentiam, etc., et
*Cant.* v, 16. secundum omnia est totus desiderabilis ; ideo
plenarie, intime, irrevocabiliter in se trahit
omnia suorum comprehensorum desideria.
Item, quum inanimatis aut irrationalibus attribuimus insensibilitatem vel irrationalitatem, ostendimus quod priventur sensu vel ratione. Quum autem figurative [illas] attribuimus
cœlestibus substantiis, ostendimus eas excedere sensum et rationem nostram, qui per B
materialia investigamus immaterialia, et utimur sensibus, qui valde sunt alieni a cœlestibus animis. Patet ergo per prædicta, quod
non incongrue designantur cœlestes mentes
per formas sensibiles etiam vilissimas. Quum
enim omnia, etiam corporalia et vilissima existentium, a vere bono esse suum habeant,
secundum omnes ipsorum proprietates habent
quasdam resonantias et repræsentationes intellectualis et superintellectualis decoris, et
possibile est per omnes ipsas sursumagi ad
immateriales archetypias, quæ sunt rationes
Verbi, vel ideæ, vel exemplaria, de quibus C
[libro] de Divinis nominibus ; non quidem
eodem modo, sed valde dissimiliter accipiendo hinc inde proprietates sensibiles, ut scilicet secundum congruentiam intellectualium attribuantur intellectualibus, et secundum
congruentiam sensibilium attribuantur sensibilibus.

Invenitur autem in Scripturis, quod theologi
non solum angelis attribuunt formas sensibiles, sicut dictum est, sed et ipsi Divinitati
quandoque attribuunt digniores formas, vo-
*Malach.* iv, 2. cando eam Solem justitiæ, Stellam matu-
*Apoc.* ii, 28; xxii, 16. tinam, quæ in mente oritur quando homo D
justificatur, et lumen, quia resplendet intelligibiliter et interminabiliter. Unde Psalmista :
*Ps.* iv, 7. Signatum est, inquit, super nos lumen vultus
*Ps.* xxxv, 10. tui, Domine ; et iterum, In lumine tuo vide-
*Joann.* i, 9. bimus lumen. Et S. Joannes ait : Erat lux
vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Aliquando attribuunt
ei mediocres formas, vocando Deum ignem
*Deut.* iv, 24. (unde in Deuteronomio dicitur, Dominus Deus
tuus ignis consumens est) : quia illuminat,
quamvis sine læsione, quum ignis lædat et
*Joann.* vii, 38, 39. urat. Attribuunt etiam illi aquam, sicut habetur apud Joannem : Flumina de ventre
ejus fluent aquæ vivæ; hoc autem dixit de
Spiritu quem accepturi erant credentes in
eum. Daniel quoque : Fluvius, inquit, egre- *Dan.* vii, 10.
diebatur a facie ejus. Et in Ecclesiastico dici-
tur : Ego quasi fluvius Dorix, et quasi aquæ- *Eccli.* xxiv, 41.
ductus. Et hoc ideo, quia vitalibus affluentiis
replet mentes, sicut aqua administrat materialem vitam plantis. De quibus infra, capitulo quintodecimo. Aliquando autem attribuunt
Deo formas infimas, ut unguenti. Unde S. Jo-
annes in prima sua ait epistola : Unctio ejus *I Joann.* ii, 27.
docet vos de omnibus ; et Ecclesiasticus, Un-
guentarius conficiet pigmenta suavitatis ; et in *Eccli.* xxxviii, 7.
Psalmo, Unxit te Deus, Deus tuus, oleo læti- *Ps.* xliv, 8.
tiæ. Et in Actibus S. Petrus ait : Unxit eum *Act.* x, 38.
Deus Spiritu Sancto et virtute. Lapidem an-
gularem : ut est apud Isaiam, apud Job, in *Is.* xxviii, 16.
Actibus, etc. Attribuunt etiam ei formam bel- *Job* xxxviii, 6.
luinam : ut leonis, apud Osee, Consumam eos
ibi quasi leo ; et pantheræ, in antiqua transla- *Act.* iv, 11. *Osee* xiii, 8.
tione, ubi nos habemus, Catulus leonis ; et *Ibid.* v, 14, juxta LXX.
pardi, Sicut pardus in via Assyriorum, oc-
curram eis quasi ursa raptis catulis. Attribu- *Ibid.* xiii, 7, 8.
unt etiam ei formam quæ videtur esse vilior
ceteris, scilicet vermis, quem ipse Dominus
sibi adscribit in Psalmo : Ego autem sum ver- *Ps.* xxi, 7.
mis. — Ita et omnes Deum cognoscentes et
gustantes, qui per Scripturam recitant quæ
sibi occulte divinitus inspirata sunt, in dictis
formationibus bene distinguunt cœlestia et
divina ab imperfectis materiis et immundis,
aliter, ut dictum est, attribuendo cœlestibus
quæ aliquando conveniunt sensibilibus, nullam per hoc maculam cœlestibus impingentes :
quin potius honorant ipsa cœlestia, describendo ea per formas dissimiliores et viliores, ut
per hoc veritas indignis abscondatur, qui despiciunt tam viles descriptiones nec eas curant investigare, et fidelibus pateat, qui (ut
prædictum est) eam per sensibilium collationem diligenter inquirunt, et dum figurarum
significationem intelligere desiderant, non permittuntur in sensibilibus formis tanquam ad
litteram intelligendis permanere, ipsa formarum deformitate eos repellente. Honorificant
ergo theologi divina, removendo ab eis quæ
vere et proprie possunt ab eis removeri, dum
dicunt Deum invisibilem, infinitum, et similia, et comparando ipsum infimis sensibilibus
propter familiares resonantias ipsorum. Non
est igitur inconveniens aut injuriosum cœlestibus animis, quod ipsi designentur formis
viliorum sensibilibus, ratione supra dicta. Ipsa

siquidem deformitas formarum quibus angeli in Scripturis describuntur, turbando mentem nostram, nos induxit ad tantæ ambiguitatis inquisitionem, et per consequens ad sursumactionem per diligentem intelligentiæ spiritualis perscrutationem, ad quam forte non sine hac occasione induceremur, eo quod ipsa deformitas non permittit mentem nostram permanere et quiescere in formationibus tam manifeste dissonantibus a cœlestibus substantiis, sed inducit ad luctandum per investigationem diligentem, ut segreget a cœlestibus concupiscentias materiales et passibilitates alicujus rei sensibilis, et assuescat pedetentim per collationem sensibilium extendi ad cognitionem et contemplationem cœlestium.

Hæc præmisi ad declarandum quod convenienter et utiliter per formas sensibilium et viliores designantur cœlestes substantiæ in Scripturis. Deinde convenit definire hierarchiam, et ostendere quid juvat unaquæque hierarchia mentes in se collocatas. Duxque sermonis hujus sit Christus (si licet sic dicere) meus, qui inspirat manifestationem omnis hierarchiæ. Tu autem, o puer Timothee, secundum apostolicam traditionem audi sancte dicta, sicut sanctum audire decet, factus divinus in doctrina divinorum ; et mentis occulto absconde sancta tanquam uniformia, ab auditu et notitia immundæ multitudinis : quia juxta sententiam Domini, non licet spargere ante porcos mundam et luciformem et mentes pulchrificantem venustatem intelligibilium sive invisibilium margaritarum. *Matth.* VII, 6.

# CAPITULUM III

## QUID SIT HIERARCHIA, ET QUÆ PER HIERARCHIAM UTILITAS.

Est quidem hierarchia, secundum me, ordo divinus et scientia et actio, deiforme quantum possibile similans, et ad inditas ei divinitus illuminationes proportionaliter in Dei similitudinem ascendens. Divina pulchritudo, ut simpla, ut optima, ut consummativa, pura quidem est universaliter omni dissimilitudine, distributiva vero secundum dignitatem uniuscujusque, proprii luminis, et perfectiva in sacrificio divinissimo, secundum ad se ipsam perfectorum compacte immutabilem formationem. Interpretatio igitur hierarchiæ est, ad Deum quantum possibile similitudo et unitas, ipsum habens omnis sanctæ et scientiæ et actionis ducem, et ad suum divinissimum decorem immutabiliter quidem definiens, quantum vero est possibile, reformat. Et suos laudatores agalmata divina perficit, specula clarissima et munda, receptiva principalis luminis et divini radii, et inditæ quidem claritatis sacræ* repleta, eamque iterum copiose in ea quæ sequuntur declarantia secundum divinas leges. Non enim fas est Sanctorum perfectoribus aut sancte perfectis, operari quidem omnino præter propria hostiarum mysteria aut sacras ordinationes, sed neque subsistere aliter, si divinam ipsius claritatem appetunt, et ad ipsam sacre et decenter respiciunt, et reformantur secundum uniuscujusque sanctorum intellectuum analogiam. Nonne ergo hierarchiam qui dicit, sacram quamdam universaliter declarat dispositionem, imaginem divinæ speciositatis

* sacre

in ordinibus et scientiis hierarchicis propriæ illuminationis, sacrificantem mysteria, et ad proprium principium, ut licet, assimilatam?

Etenim unicuique hierarchiam sortientium perfectio hæc est, secundum propriam analogiam in Dei imitationem ascendere, et omnium divinius, ut Eloquia I *Cor.* III, 9; III *Joann.* 8. aiunt, Dei cooperatorem fieri, et ostendere divinam in se ipso actionem secundum quod possibile est relucentem : utpote quoniam ordo hierarchiæ est, quosdam quidem purgari, quosdam vero purgare; et quosdam quidem illuminari, quosdam vero illuminare; et quosdam perfici, quosdam vero perficere : unicuique deiforme adunationi qualicumque modo. Divina beatitudo, quantum in hominibus dicendum, pura quidem est ab omni simul dissimilitudine, plena veri luminis æterni, perfecta, et non indigens simul omnis perfectionis, purgans, et illuminans, et perficiens; magis autem purgatio sancta, et illuminatio, et perfectio, super purgationem, super lumen, anteperfecta, per se ipsam perfecta, per se ipsam perfectionis principium, et omnis quidem hierarchiæ causa, omnisque sacri, secundum supereminentem excelsitudinem. Oportet itaque, ut æstimo, purgandos quidem, puros perfici omnino, et omni liberari dissimilitudinis confusione; illuminandos vero, repleri divino lumine, ad contemplativam habitudinem et virtutem castissimis mentis oculis; reducendos, et imperfectos restaurandos, participes fieri exploratorum sacrorum perfectivæ scientiæ : purgatores vero magnitudine purgationis, aliis tradere propria castitate; illuminatores autem, ut luculentiores animos et ad participationem luminis et distributionem proprie habentes et ditissime, sanctæ repleti caritatis, omnino suum superexcellens lumen in eos qui digni sunt lumine supervehere; perfectores vero, tanquam præceptores perfectivæ traditionis, perficere perficiendos sacratissima doctrina, per inspectorum sacrorum scientiam. Non ergo unusquisque hierarchicæ dispositionis ordo, secundum propriam analogiam reducitur ad divinam cooperationem, illa perficiens gratia et Deo data virtute, quæ Divinitati naturaliter et supernaturaliter insunt, et ab ea superessentialiter acta, et ad possibilem Deum diligentium animorum imitationem hierarchice manifestata?

## ARTICULUS XVII

### ELUCIDATIO INITII CAPITULI HUJUS TERTII : QUID SIT HIERARCHIA.

PRÆMISSIS præambulis, prosequitur Theologus suum intentum, definiens hierarchiam.

*Est quidem hierarchia, secundum me,* id est, prout ego nunc eam accipio, *ordo sacer** * divinus *et scientia et actio,* id est sancta

A ordinatio et congregatio rationalium personarum in scientiis et actibus sibi convenientibus bene disposita ac distincta, *ad deiforme quantum possibile est similata*,* * deiforme quantum possibile similans id est per dona naturæ et gratiæ conformata perfectioni divinæ et exemplari, seu

ei quod habet in Deo correspondens sibi, A *et ad inditas ei divinitus illuminationes proportionaliter in Dei similitudinem ascendens*, hoc est, per illustrationes et gratias sibi a Deo influxas tendens et erigens se « in similitudinem Dei », id est ad participationem et imitationem increatæ similitudinis quam habet in Creatore, cui ipsa se conformare debet.

* alias om. *autem*

*Divina autem* pulchritudo,* id est increatus ille decor qui causa est et exemplar omnis hierarchicæ ordinationis ac speciositatis, *ut simpla, ut optima, ut con- B summativa :* id est, in se ipsa est simplex, una et indivisa, quum sit ipsa Deitatis essentia : unde et « optima » est absolute, et teletarchica, id est aliorum « consummativa » seu perfectiva, reductiva et conversiva in se : quod convenit sibi ut simplæ et optimæ. Sic namque compositum et multiplicatum, ac imperfectum et indigens, oportet reduci ad unum primum, simplex, perfectum et optimum, tanquam ad suum productivum principium ac ultimum finem. *Pura quidem est C universaliter omni dissimilitudine :* hoc est, hæc pulchritudo fontana « universaliter », id est omnimode, « pura est omni dissimilitudine », id est ab omni imperfectione, per quam creatura est Creatori dissimilis. *Distributiva vero secundum dignitatem uniuscujusque, proprii luminis,* id est, communicativa est suæ bonitatis ac lucis, ex sua plenitudine prorsus exuberantissima effluendo, causando, ac aliis influendo lumina gratiæ ac gloriæ et diversa charismata, secundum capacitatem, D conatum, dispositionem seu præparationem ac meritum, imo et sæpe ultra ac supra dignitatem ac meritum singulorum : quoniam abundantia pietatis suæ, merita supplicum excedit et vota. Interdum quoque gratiosissime prævenit indignos et aversos, atque per gratiam prævenientem aut gratis datam, excitat et disponit eos ad gratiam gratum facientem ac veram salutem : quemadmodum Paulum in pessimo itinere vitiosissimoque proposito constitutum, circumfulsit lux de cœlo. (Act. IX, 1-3.) Sic demum infantulos in Baptismo, non juxta ipsorum dignitatem ac meritum, sed secundum misericordiam suam dulcissimam, implet gratia, virtutibus, donis. In hoc tamen probatur Deus non esse personarum acceptor, quoniam nulli quod in se est facienti, negat gratiam suam, et unicuique largitur sicut meretur, imo remunerat supra merita, et punit citra demerita. *Et perfectiva in sacrificio dignissimo*, secundum ad se ipsam perfectorum compacte immutabilem formationem :* hoc est, divina pulchritudo seu bonitas illa æterna, est « perfectiva perfectorum », id est eorum qui perficiuntur, « compacte », id est convenienter ac solide, quia bonum bono modo fieri debet, « in sacrificio dignissimo », id est in saluberrima conversione qua se totos offerunt Deo in holocaustum, cultui ejus se plene ac fervide mancipando, « secundum formationem immutabilem », id est secundum constantem atque immobilem dispositionem mentis ipsorum, qua firmiter statuunt Deo inavertibiliter adhærere ac deservire, juxta illud Apostoli : Stabiles estote et immobiles, abundantes in opere Domini semper. (I Cor. XV, 58.) Nempe, ut Salomon protestatur, Justus quasi fundamentum æternum. (Prov. X, 25.) Vel, « secundum immutabilem formationem », id est juxta invariabilem et æternam præordinationem ac providentiam Dei, qua in se ipso formavit, providit ac statuit ab æterno qualiter sacrificandum et obsequendum sit ei, ipsos etiam elegit qui sibi sic adhærerent. — Insuper potest ita exponi : Pulchritudo seu bonitas Dei, est perfectiva perfectorum, quos quotidie magis ac magis per gratiarum perficit incrementa : et hoc potissime in sacrificio dignissimo, id est in Eucharistiæ sacramento, et ejus celebratione ac devotissima perceptione. Hoc quippe sacramentum est sacrificium sacrificiorum, ad perficiendum communicantes ordinatum, et præfigurativum beatificæ refectionis in patria.

* *divinissimo*

*Interpretatio* igitur hierarchiæ est, ad*

* *Intentio*

* alias om. est

*Deum quantum possibile est * similitudo et unitas :* id est, Deo assimilari et uniri bono modo, quantum creatis mentibus exstat per gratiam Dei possibile, « est interpretatio », id est expositio et descriptio, « hierarchiæ » tam angelicæ quam humanæ; vel, ut alia littera aptius habet, Intentio. Hoc namque intendunt finaliter personæ hierarchicæ, ut per actus suos et per potestates suas atque scientias Deo uniantur, conformentur, et sine fine adhæreant. *Ipsum habens omnis sanctæ et scientiæ et actionis ducem,* id est, « ipsum » omnium Creatorem « habens ducem », id est directorem, institutorem ac principem, totius notitiæ et operationis suæ ad Dei obsequium ordinatæ; *et ad ipsius* divinissimum decorem immutabiliter quidem definiens,* id est, hierarchia constanter et immobiliter determinans cuncta quæ efficit, « ad ipsius decorem divinissimum », id est ad ipsius Dei increatam pulchritudinem repræsentandam ac honorandam, *quantum quidem potest *, reformat,* id est, pro posse complet et perficit personas hierarchicas.

* suum

* quantum vero est possibile

*Et suos laudatores,* id est, eos qui hierarchicam perfectionem laudant, non solum verbis, sed operibus quoque, imitando, et exercendo pertinentia ad vitam purgativam, illuminativam, ac perfectivam, *agalmata divina perficit,* id est, perficiendo facit « divina agalmata », id est imagines deiformes, ita quod in ipsis relucet superbenedictæ Trinitatis imago et similitudo per contemplationem amoremque fervidum divinorum.

Sic etiam facit eos *specula clarissima,* id est valde clara, in quibus dona pietatis divinæ refulgent, et misericordiæ Dei resplendent, quemadmodum hominum vultus in speculo : ita quod diligenter considerantes, charismata gratiæ ipsis collata vere agnoscunt ac fatentur, dicentes : Ecce isti sunt servi Dei ac filii adoptivi. In quibus evidenter innotescit imago Dei : ita quod Deus cernitur, sanctificatur ac honorificatur in eis; et econverso sanctificant et honorificant Deum, hoc est, Deo sancte ac reverentialiter serviendo, ostendunt quod ipse sit magnus et sanctus, aliosque, quantum in ipsis est, ad Dei honorificentiam et debitum cultum inducunt. Unde oramus : Sanctificetur nomen tuum. Et Psalmista hortatur : Magnificate Dominum mecum; Apostolus quoque ad Philippenses : Omnia facite sine murmurationibus, ut sitis sine querela, et simplices filii Dei in medio nationis pravæ atque perversæ, inter quos lucetis sicut luminaria mundi, verbum vitæ continentes. Unde et Christus admonuit apud Matthæum : Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est. Hinc et princeps apostolici chori hortatus est : Conversationem vestram inter gentes habentes bonam, ut in eo quod detrectant de vobis tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum. Porro unum dumtaxat est speculum omnino perfectum, in quo tota Patris perfectio superplenissime splendet, Unigenitus ejus, juxta illud libri Sapientiæ : Candor est lucis æternæ, et speculum sine macula Dei majestatis. *Et munda* a vitiis.

Matth. vi, 9. Ps. xxxiii. 4. Philipp. ii, 14-16. Matth. v, 16. I Petr. ii, 12. Sap. vii, 26.

*Receptiva principalis luminis,* id est Dei Patris, ut in primo capitulo expositum est, aut Spiritus Sancti, secundum illud Psalmi, Spiritu principali confirma me, *et divini radii,* id est Filii Dei, qui est radius plenus, immensus ac primus paternæ lucis, ut in expositione primi capituli est expressum. Unde in libro Sapientiæ dicitur : Emanatio est claritatis omnipotentis Dei sincera. *Et inditæ quidem claritatis sacræ repleta,* id est specula ista intellectualia abundanter impleta « claritatis sibi inditæ sacræ », id est gratiosæ lucis divinæ eis desuper impressæ ac præstitæ; *eamque iterum copiose in ea quæ sequuntur declarantia :* id est, rursus sunt « declarantia eam », id est, communicantia ac transfundentia lumen eis desuper impertitum, « in ea quæ sequun-

art. vi. Ps. l, 14. Sap. vii, 25.

tur », id est in supposita ipsis subordinata et subdita, juxta illud summi Apostoli : Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes. (I Petr. IV, 10.) Hoc autem caritas facit et liberalitas maxima. Hinc ait Salvator : Gratis accepistis, gratis date. (Matth. X, 8.) Quod agunt *secundum divinas leges,* id est juxta præordinationem ac jussionem sapientiæ Dei, qui præfixit et statuit quis quem debeat illustrare, et quantum ac qualiter. Sicque leges divinæ intelligi possunt activæ jussiones et præordinationes Dei increatæ, quæ per respectum ad creata pluraliter designantur, quamvis in re sint una et indivisa sapientia Creatoris, quemadmodum et ideæ. Possunt etiam leges istæ intelligi præcepta personis hierarchicis ecclesiasticisque insinuata, impressa et præstituta. De legibus talibus Dominus ait per Jeremiam : Si cœlo et terræ leges non posui. (Jer. XXXIII, 25.)

Præterea, sicut in corporalibus cernimus quod quædam tam copiose lumen aliunde suscipiunt, quod illud protinus transfundunt in alia, sicut candela una accensa ab alia mox domum aëremque illuminat, sicut et luna illustrata a sole ; ita in intellectualibus quædam a superiori intellectu tam exuberanter illuminantur, erudiuntur, replentur, quod et inferiores mox queunt de plenitudine sua influere, et doctrinarum fluenta diffundere. Unde ad Timotheum Apostolus : Hæc, inquit, commenda fidelibus qui idonei erunt et alios docere. (II Tim. II, 2.) Præterea, præinductis consonant dicta meliorum philosophorum, quantum ad naturalium donorum ac luminum emissionem, receptionem, et communicationem. Unde in libro de Causis asseritur : Ex intelligentiis est quæ est intelligentia divina, quoniam ipsa recipit ex bonitatibus primis quæ procedunt a causa prima, per receptionem multam ; et de eis est quæ est intelligentia tantum, quoniam non recipit ex bonitatibus primis, nisi mediante intelligentia. Multa de hoc scribit Proclus, Avicenna quoque, et Algazel.

Consequenter Theologus declarat diffusius quod jam dixit, personas hierarchicas inferioribus influere juxta leges divinas. *Non enim fas,* id est licitum, *est Sanctorum perfectoribus,* id est superioribus hierarchis, qui tantæ perfectionis ac sapientiæ sunt quod et alios etiam Sanctos possunt perficere perfectoresque facere, *aut sancte perfectis,* id est nec inferioribus, quorum est perfici et sancte vivere in se, *operari quid* omnino,* id est aliquid facere, *præter propria hostiarum mysteria,* id est ultra potestatem et dona gratiarum ipsis concessa, per quæ offerunt Deo sacrificia obedientiæ et hostias cultus divini, juxta illud ad Hebræos : Per ipsum offeramus hostiam laudis Deo semper. (Hebr. XIII, 15.) Sicque per Osee dicitur Deo : Accipe bonum, et reddemus vitulos labiorum nostrorum. (Osee XIV, 3.) *Aut sacras ordinationes,* id est præter statuta et jussa a Deo præfixa, quum in ipsis sit obedientia perfecta et summa, præsertim in comprehensoribus, in quibus omnia sine difficultate ordinatissime fiunt, imo nec fieri aliter queunt. *Sed neque subsistere aliter,* id est, non solum illicitum illis est aliter operari quam dictum est, imo nec aliter valent esse aut in vita manere, *si divinam ipsius claritatem appetunt,* id est, si vere desiderant desuper illustrari : quod utique cupiunt indefesse ; *et ad ipsam sacre et decenter respiciunt,* id est, si pure ac reverenter dirigunt mentes suas ad Deum, eique soli quærunt finaliter complacere, *et reformantur secundum uniuscujusque sanctorum intellectuum analogiam,* id est, si assidue formantur, afficiuntur, replentur, « secundum analogiam », id est proportionem, habitudinem et dispositionem, « uniuscujusque intellectuum sanctorum », id est cujuslibet mentis purificatæ Deo firmiter inhærentis. Sic etenim cupiunt omnia fieri ordinate, ac implent illud Apostoli : Omnia honeste et secundum ordinem fiant in vobis. (I Cor. XIV, 40.) Ad quod mystice spectat illud Proverbiorum : Ne transgrediaris terminos antiquos quos posuerunt patres (Prov. XXII, 28.)

* quidem

Deut. XIX, 14. tui : illud quoque Deuteronomii, Non transferes terminos quos fixerunt priores in possessione tua. Hinc non licet manum in messem mittere alienam, nec eum judicare aut perimere super quem a judi- Rom. XIII, 1. cante jurisdictio non habetur. Etenim quæ a Deo sunt, ordinata sunt.

* Nonne *Nunc* * *ergo hierarchiam qui dicit*, id est, jam patet quod qui exprimit nomen hoc, Hierarchia, *sacram quamdam universaliter declarat dispositionem*, id est, clare affirmat et denotat in communi quamdam sanctam ordinationem et congregationem, *imaginem divinæ speciositatis*, id est effectum consimilem superpulcherrimo Deo, in qua imagine seu effectu increata speciositas repræsentatur, fulget ac innotescit, sicut causa in suo effectu, Sap. XIII, 5. juxta illud libri Sapientiæ : A magnitudine speciei et creaturæ, poterit horum creator cognoscibiliter videri ; *in ordinibus*, id est in multitudinibus seu personis coordinatis, *et scientiis hierarchicis*, id est notitiis et discretionibus per quas personæ in hierarchiis contentæ agnoscunt quid ipsis incumbit agendum, et exsequuntur hoc ipsum. Scientia enim dirigit actionem, et quantum ad hoc, scientia ista practica esse videtur. Scientiis, inquam, *propriæ illuminationis*, id est informationibus et illustrationibus specialiter eis collatis secundum mensuram dignitatis ipsarum, et juxta exigentiam officii sui. De hac scientia dicit ad Timotheum Apo- I Tim. III, 15. stolus : Scias quomodo oporteat te conversari in domo Dei. De qua et apud Osee Osee IV, 6. loquitur Dominus : Quia tu scientiam repulisti, repellam et ego te ne sacerdotio fungaris mihi. Itaque qui dicit hierarchiam, dicit hæc omnia, quoniam ista sunt de ratione hierarchiæ, ut patuit.

*Sacrificantem mysteria*, id est, [prædictam dispositionem] dominica sacramenta ad Dei gloriam Deo Patri offerentem : quod fit in ecclesiastica hierarchia. Nec dubium quin angelica etiam hierarchia ac triumphans Ecclesia, orando pro militanti, pro efficaciori sua exauditione commemoret et alleget quæ et quanta Unigenitus Dei pro ecclesiastica assumpserit, egerit ac pertulerit hierarchia. Sic quoque sacrificat mysteria incarnationis, nativitatis, paupertatis, humiliationis, obedientiæ passionisque Christi. Amplius, hierarchia sacrificat mysteria, id est, universa quæ agit et ministerialiter ac mysterialiter peragit ex inspiratione divina ac abdita, ad laudem, gloriam et honorem refert ac facit Omnipotentis, juxta illud in Psalmo : Voluntarie sacrificabo tibi. Denique, ut in Ps. LIII, 8. Ecclesiastico legitur, Salutare sacrificium Eccli. XXXV, 2. est, attendere mandatis. Et qui totis viribus subdit se Deo, gratissime ei sacrificat ; similiter qui dona gratiæ sibi collata, caritative communicat aliis, et qui creditis sibi talentis utitur fructuose ; maxime autem qui docet iniquos vias Dei, et eos ad Creatorem convertit ; et item qui jugiter ex zelo divini honoris desiderioque ferventi fraternæ salutis, pro Ecclesia, pro vivis ac mortuis, pro cunctis hominibus deprecatur. *Et ad proprium principium, ut est justum* *, *assimilatam*, id est * ut licet Deo ordinate conformatam per actum virtutum et exercitia ad se spectantia, sicut expositum est, et consequenter ostenditur.

# ARTICULUS XVIII

## DE UTILITATE HIERARCHIÆ, SIVE EXSISTENTIUM IN HIERARCHIA.

A ETENIM *unicuique hierarchiam sortientium perfectio hæc est,* id est, ista est vera perfectio cujuslibet suppositi seu ordinis constituti in hierarchia, ac sortiti aliquem gradum in ea, *secundum propriam analogiam in Dei imitationem ascendere,* id est juxta suam proportionem, modum et facultatem, suo se Creatori conformare in omni actu ei placente (juxta illud Apostoli ad Ephesios : Imitatores Dei estote sicut filii carissimi, et ambulate in caritate sicut et Christus dilexit nos), ut scilicet Creator in rationali creatura tanquam in sua imagine per lineas imitationis resplendeat. Hinc apud Lucam ait Salvator : Eritis filii Altissimi, quia ipse benignus est super ingratos et malos. Denique istud est finis, salus, perfectio unicuique enti creato, assimilari pro posse Creatori in actibus congruentibus sibi et complacentibus Deo. Hæc assimilatio reddit creaturam Deo amabilem et dilectam. Nam et similitudo est ratio dilectionis et causa conjunctionis, sicut et dissimilitudo est causa displicentiæ, separationis ac odii.

Ephes. v, 1, 2.

Luc. vi, 35.

*Et omnium divinius est**, *ut Eloquia aiunt, Dei cooperatorem fieri,* hoc est, omnium divinorum divinissimum est, Deo cooperari in conversione errantium et reductione peccatorum ad ipsum, seu etiam in conservatione et profectu eorum in bonis. Hæc autem, « Eloquia », id est Scripturæ, testantur, quum dicat Apostolus : Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus autem incrementum dedit ; Dei enim adjutores (id est cooperatores) sumus. Joannes quoque in tertia sua Canonica : Nos debemus suscipere hujusmodi, ut cooperatores simus veritatis. Deo namque tanquam summo, perfecto et universalissimo bono, proprium est cunctis suam bonitatem communicare, omnes capaces ad salutem adducere, unicuique secundum suam indigentiam providere ac subvenire. Qui ergo visceribus affluunt caritatis ac pietatis, atque in actibus his se Deo pro posse conformant, ac puro amore pro bono laborant communi et universorum salute, recte deiformes et divini, imo et divinissimi nuncupantur. Præterea hæc est pietatis æternæ dignatio mira et admiranda, B inæstimabilis et immensa, quod creaturam ex se defectuosam ac fragilem, dignatur in sui cooperatricem assumere. Idcirco cui hoc gratiæ culmen confertur, nullatenus extollatur, sed Deo humillime regratietur, ferventer ac libentissime obsequatur, omneque bonum quod egerit, universum fructum quem fecerit, Deo grata ac humili mente sincerissime semper adscribat, reputans se indignum ut per ipsum Deus talia operari dignetur, de quibus fatetur Richardus : Nescio an majus C beneficium possit homini a Deo conferri, quam ut per ejus obsequium alii consequantur salutem ; si tamen homo Deo cooperetur ex caritate et vera obedientia. Propter quod subditur : *et divinam in se ipso ostendere actionem** *secundum quod possibile est relucentem,* id est personaliter exhibere et aliis in exemplum ostendere actus divinos, in secreto sui cordis latentes ac radiantes : qui actus sunt, contemplari, diligere, adspirare ad Deum, et esurire ac sitire indesinenter justitiam.

* alias om. *est*

I Cor. iii, 6, 9.

III Joann. 8.

* *et ostendere divinam in se ipso actionem*

Matth. v, 6.

D Consequenter declarat quo sensu jam dixit unamquamque personam in hierarchia constitutam, debere ad Dei imitationem et assimilationem, secundum suam

mensuram, statum, gradum seu facultatem, ascendere.

*Utpote quoniam ordo hierarchiæ,* id est ordinatio et habitudo exsistentium in hierarchia, *est, quosdam quidem purgari,* id est, ad aliquos spectat purgari, *quosdam vero purgare.* Purgari quippe pertinet ad inferiores et subditos, ad imperitos et incipientes, ad animales et laicos; purgare vero, ad prælatos, peritos et spirituales. Horum quoque utrumque aliter fit in ecclesiastica, aliter in angelica hierarchia. Viatores enim ad ecclesiasticam hierarchiam pertinentes, purgant et purgantur ab immunditia culpæ, ab ignorantia et errore; in patria autem non est purgatio ab errore aut culpa, sed a minoratione luminis, et a simplici nescientia quadam, ut infra sæpe habebitur. *Et quosdam quidem illuminari,* id est plenius edoceri, utpote proficientes, *quosdam vero illuminare :* qui idonei sunt alios informare. *Et quosdam quidem* perfici,* id est ad intelligentiam secretiorum et spiritualiorum rerum adduci, *quosdam vero perficere,* id est alios ad spiritualem sapientiam ac mysticorum contemplationem perducere, juxta illud Apostoli : Loquimur sapientiam Dei quæ abscondita est. Verumtamen ista non sunt intelligenda quasi actus isti et impressiones eorum nequaquam pertineant ad eosdem, sed quod non eodem modo, nec simili ratione, neque secundum idem. Imo ad eumdem prælatum spectat eosdem subditos suos nunc quidem purgare, nunc illuminare, nunc autem perficere ; specialiter quoque quosdam purgare, quosdam (puta purgatos) illuminare, quosdam (videlicet illuminatos) perficere, ut caritatis divinæ succendantur amore. *Unicuique deiforme adunationi qualicumque modo :* hoc est, « deiforme », id est aliquid divinæ perfectionis, supple, conveniet isto modo, « unicuique adunationi », id est cuilibet congregationi, tam purgantium quam purgatorum, tam illuminantium quam illuminatorum, tam perficientium quam

II Tim. II, 2.
* alias om. quidem
I Cor. II, 7.

A perfectorum, « qualicumque modo », id est secundum aliquem modum : quia altiori modo convenit purgantibus, illuminantibus et perficientibus, secundum quod tales sunt, quam purgatis, illuminatis et perfectis, in quantum hujusmodi. Juxta quem modum, secundum Philosophum, agens est honorabilius patiente.

Ex hoc tamen non sequitur quod Deo conveniat purgari, illuminari, ac perfici, sed solum purgare, illuminare, perficere, non aliunde, nec per gratiam sibi dona- B tam, sed ex se et per naturam, atque per gratiam quam ipse aliis elargitur, et per quam exercet actus istos in illis. Hinc subditur :

*Divina beatitudo,* id est Deus essentialiter felix, qui est sua beatitudo immensa, *quantum in hominibus dicendum,* id est, prout de hoc inter homines loqui decet, inter quos sobrie loquendum est inde, *pura quidem est simul omni* dissimilitudine,* id est, omnimode et substantialiter munda est, expers et libera ab « omni C dissimilitudine », id est ab omni impuritate, omnique eo quod puritati dissimile est ac repugnans, quum ipsa naturaliter sit sanctitas simplicissima, penitus intensive ac perfectionaliter infinita : ideo non purgatur ab aliquo ; *plena veri luminis æterni :* imo ipsa realiter est lux æterna et illimitata ; *perfecta* simpliciter, id est supra ac extra omne genus, *et non indigens simul omnis luminis*,* id est, nullo penitus lumine indigens : ideo sibi non convenit ab aliquo illustrari, imo ipsa ex D se est *purgans, et illuminans, et perficiens* cetera omnia quæ purgantur, illuminantur, aut perficiuntur : et hoc, immediate aut mediate.

* ab omni simul
* perfectionis

*Magis autem purgatio sancta,* id est, beatitudo illa increata dicenda est potius « purgatio sancta », id est activa purgatio purgans atque sanctificans alios, quia in Deo realiter idem sunt agens et actio : quamobrem ad insinuandum summam simplicitatem in Deo, magis vocatur purgatio sancta, quam purgans ; *et illu-*

*minatio, et perfectio :* id est, conformiter A Deus seu ejus beatitudo, est non solum illuminans omnia, sed etiam ipsa « illuminatio » activa, qua effective et formaliter seu exemplariter cuncta illuminat ; simili modo ipse est sua « perfectio ». Nec solum hoc, sed et ipse est *super purgationem, super lumen :* hoc est, ipse Deus est purgatio omni purgatione creata sublimior, et altiori modo purgans quam intelligere aut exprimere valeamus ; sic item ipse est illuminatio super illuminationem, et lumen incomprehensibile, in- B terminatum, super omne lumen secundum. Et ipse est sua perfectio *anteperfecta,* id est superperfecta, *per se ipsam perfecta,* id est ex propria sua natura infinite perfecta. Accipe hanc dictionem, Perfecta, nominaliter pro re cui nulla omnino deest perfectio. Porro omne finitum, est imperfectum : ubi enim rei perfectio terminatur, ibi ejus imperfectio inchoatur. *Per se ipsam perfectionis principium,* id est propria virtute totius perfectionis causale exordium, quemadmodum in libro Sapi- C
Sap. XII, 16. entiæ legitur : Virtus tua justitiæ initium
Ps. LXV, 7. est ; et in Psalmo : Qui dominatur in virtute sua in æternum. *Et omnis quidem hierarchiæ causa,* id est, tam angelicæ quam ecclesiasticæ hierarchiæ causa effectiva, exemplaris atque finalis, est Deus, a quo bona cuncta procedunt, et omnis
Rom. XIII, 1. derivatur potestas, dicente Apostolo : Non est potestas nisi a Deo. Qui dixit Pilato :
Joann. XIX, 11. Non haberes adversus me potestatem ullam, nisi datum tibi esset desuper. Nec obstat quod per Osee Dominus loquitur, D
Osee VIII, 4. Ipsi regnaverunt, et non ex me, principes exstiterunt, et non cognovi : quia et illorum præsidentium impiorum potestas fuit a Deo, non autem potestatis abusus, neque inordinatus modus pertingendi ad eam, quantum ad ipsam inordinationem. *Omnisque sacri, secundum supereminentem celsitudinem* :* id est, Deus est causa « omnis sacri » dominii, et omnis rei sanctæ et sancti obsequii ; et hoc, « secundum supereminentem celsitudinem » suam, id est juxta infinitam omnipotentiam et incomprehensibilem sapientiam suam, qua ex ipso, et per ipsum, et in Rom. XI, 36.
ipso sunt omnia.

* excelsitudinem

*Oportet itaque, ut æstimo, purgandos quidem, puros perfici omnino,* id est, expedit et ad salutem necessarium est, « purgandos perfici omnino puros », id est ipsa sua purgatione perfecte fieri mundos ab omni labe mortalis peccati in ecclesiastica hierarchia, *et ab* omni liberari dissimilitudinis confusione,* id est per gratiam erui ab omni inordinatione similitudini mentis cum Deo contraria, hoc est ab intellectus ignorantia et errore, a voluntatis quoque malitia, et ab interioris hominis deformatione per passiones ac vitia. Propter quod hortatur Apostolus : Renovamini spiritu mentis vestræ. *Illu-* Ephes. IV, 23.
*minandos vero* oportet *repleri divino lumine,* id est salutari doctrina, ac gratiæ Dei fulgore et incremento. Unde hortatur Psalmista : Accedite ad eum, et illumi- Ps. XXXIII, 6.
namini. Et iterum precatur : Illustra, Do- Ps. XXX, 17.
mine, faciem tuam super servum tuum. *Ad contemplandam* habitudinem et virtutem castissimis mentis oculis,* id est ad intuendum mentalibus oculis efficaciter reformatis, et a carnalitatum affectibus rite detersis, « habitudinem », id est dispositionem, « et virtutem », id est potestatem, hierarchicæ congregationis, gratiosaque opera Spiritus Sancti in ea. Sicque *renovandos** in interiori homine, oportet *participes fieri exploratorum sacrorum perfectivæ scientiæ,* id est consortes in merito ac præmio « exploratorum », id est eorum qui per diligentem scrutationem inquisierunt salubria et divina : ideo additur, « sacrorum », id est rerum sanctarum et sublimium mysteriorum, quæ didicerunt salutari scientia formata per caritatem : ideo sequitur, « perfectivæ scientiæ », quia in talibus scrutatoribus moderatis fuit scientia ista practica, virtutibus juncta, approbativaque boni. De quibus cantamus : Beati qui scrutantur Ps. CXVIII, 2.
testimonia ejus, in toto corde exquirunt

* alias om. ab

* contemplativam

* reducendos, et imperfectos restaurandos

Ephes. I, 17, 18. eum. Hinc ad Ephesios habetur : Pater A gloriæ det vobis spiritum sapientiæ in agnitione ejus, illuminatos oculos cordis vestri, ut sciatis quæ sit spes vocationis vestræ.

* magnitudine *Purgatores vero, magnitudinem* purgationis aliis tradere propria castitate :* hoc est, oportet ipsos quorum est alios purgare, « tradere », id est dare illis purgandis, « magnitudinem purgationis », id est excellentiam purgationis suæ illis communicare, ita quod de sua plenitudine influant illis, « propria castitate », id est B vigore suæ munditiæ et ex habitu virtuoso, non solum verbis hortando, corripiendo, docendo, sed et exemplariter conversando : sic enim correptio et purgatio amplius reputantur ac fortius operantur. Et summe requiritur ut castæ sint vitæ, quia in vitiis castitati contrariis, est maxima turpitudo et scandalositas abhorrenda. Verumtamen purgatores non faciunt istam purgationem in aliis, nisi dispositive ; nec sua virtute, sine adjutorio Joann XV, 5. gratiæ ejus qui ait : Sine me nihil pote- C I Cor. III, 7. stis facere. Ideo ait Apostolus : Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat ; sed qui incrementum dat Deus.

*Illuminatores autem, ut luculentiores animos et ad participationem luminis et distributionem proprie habentes et ditis-* * caritatis *sime, sanctæ repleti claritatis*, omnino suum superexcellens lumen in eos qui digni sunt lumine supervehere.* Ordo et sensus verborum est : « Illuminatores », qui habent alios illustrare et edocere, « ut », id est tanquam, « habentes » oculos cor- D dis et « animos luculentiores », id est clariores ac magis peritos, « proprie et ditissime », id est directe et valde præclare ac abundanter, « et ad participationem luminis », id est ad receptionem illustrationis a superioribus suis, « et » ad « distributionem », id est ad communicandum gratiam suæ illuminationis inferioribus suis, utpote « repleti sanctæ claritatis », id est copiose perfusi ac pleni claritate salubris scientiæ et luce sacræ Scripturæ : hos ergo illuminatores oportet « omnino supervehere », id est diffundere et superinducere, « lumen suum superexcellens », id est supernaturalem valdeque eminentem suam doctrinam, illuminationem et gratiam, « in eos qui digni sunt lumine », id est in mentes benevolorum atque docilium discipulorum et subditorum suorum, qui se humiliter applicant ad discendum. Nempe, ut scriptum est, In malevolam animam non introibit sapientia. Sap. I, 4. In Deuteronomio quoque legitur : Qui appropinquant pedibus ejus, Deut. XXXIII, 3. accipient de doctrina illius. Sunt enim nonnulli duri, inobedientes, indociles, de quibus in libro Job inducitur : Ipsi fuerunt rebelles lumini. Job XXIV, 13. De talibus etiam Christus deprompsit : Lux venit in mundum, Joann. III, 19. et dilexerunt homines tenebras magis quam lucem.

*Perfectores vero, tanquam præceptores perfectivæ traditionis,* id est eos quorum est perficere alios : qui sunt « præceptores traditionis », id est scientiæ, « perfectivæ », id est sapientiæ spiritualis, quæ sublimiter perficit sua subjecta : non quod habeant scientiæ imperare, sed quod per sapientiam suam præcipere habent inferioribus ut ad susceptionem scientiæ perfectivæ se præparent, et qualiter se ad eamdem disponere debent, juxta illud Proverbiorum : Si sapientiam invocaveris, et Prov. II, 3-5. quæsieris eam quasi pecuniam, et sicut thesauros effoderis illam, scientiam Dei invenies. Hos itaque perfectores oportet *perficere perficiendos,* videlicet illuminatos, *sacratissima doctrina, per inspectorum sacrorum scientiam,* id est per notitiam dulcem, affectivam et experimentalem contemplativorum, qui sancti sunt et sacra assidue speculantur. Hæc namque scientia est formata, et protinus ad sincerissimum Dei accendit amorem. De qua ad Philippenses Apostolus : Oro, inquit, ut caritas Philipp. I, 9. vestra magis ac magis abundet in scientia. Nemo autem idoneus est et condignus instruere alios ad exercitationem internam, ad contemplationem sinceram, ad

culmen perfectionis, ad efficacem et quotidianum in omni virtute profectum, nisi qui in istis vere expertus est et magister per practicam : nam per ethicam, tanquam per januam, ad theoricam introitur.

* Non Ex præhabitis jam concludit : *Nonne* ergo unusquisque hierarchiæ dispositionis ordo,* utpote tam ordo purgantium, quam illuminantium, et item perficientium, in hierarchia recte dispositus, *secundum propriam analogiam,* id est secundum gradum, mensuram et habitudinem suam, *reducitur ad divinam cooperationem,* id est, redit et convertit se atque pertingit ad actum quemdam hierarchicum per quem Deo aliquo modo conformatur et cooperatur in reductione aliorum ad ipsum ? quod est valde præclarum, videlicet aliis providere, succurrere, præesse, et prodesse ad participandum ac obtinendum a Deo munera gratiæ in præsenti, dona gloriæ in futuro, seu incrementum in ipsis. *Illa perficiens,* id est, ordo hujusmodi agens et exsequens opera illa, *gratia et Deo data virtute,* id est per gratiam ac virtutem a Deo infusam : quæ opera sunt, purgare,
*Divinitati illuminare, perficere ; *quæ Thearchiæ*,* id est divino et increato principatui, Deo omnipotenti omnibus præsidenti, *naturaliter*
*unita sunt *et supernaturaliter insunt*,* id est, actus isti conveniunt Deo ad extra « naturaliter », id est ex propria sua natura, quæ est puritas summa, a qua effective omnis pur-
Marc. II, 7. gatio, præsertim a culpa. Quis enim potest dimittere peccata, nisi solus Deus ? Cui
Job XIV, 4. sanctus Job ait : Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine ? nonne tu qui solus es ? « Et supernaturaliter », id est super omnem modum quo conveniunt rebus et naturis creatis, quum in Deo sint idem, purgans et purgatio, illuminans et illuminatio, perficiens et

A perfectio ; soloque jussu facit hos actus secundum ordinationem sapientiæ suæ, et juxta æternæ prædestinationis suæ tenorem, quemadmodum in Exodo protestatur : Miserebor cui voluero, et clemens Exod.
ero in quem mihi placuerit. Alia autem XXXIII, 19.
littera habet pro *insunt,* Unita sunt : quia hi actus in Deo realiter idem sunt, et ab eodem exercentur. Unde subjungitur : *et ab ea supernaturaliter* acta,* id est ex- * superessentialiter
pleta atque exhibita a Thearchia, hoc est divina superprincipali virtute, quæ per se
B ipsam quosdam personaliter et immediate purgat, illuminat, perficit, quosdam per alios, ut infra dicetur. *Et ad possibilem Deum diligentium animorum imitationem hierarchice manifestata :* id est, actus isti sunt manifestati, id est declarati et nobis ostensi, « hierarchice », id est principative, « ad imitationem », id est, ad hoc ut eos sectemur, mutuo nos purgando, illuminando, perficiendo, secundum quod summus ille princeps instituit ac præcepit, qui hoc fieri jussit per carita-
C tem : ideo dicitur « ad imitationem animorum », id est intellectuum, « diligentium Deum, possibilem » eis per gratiam Dei. Nam sine caritate nihil est Deo acceptum, et ipsa compaginat membra Ecclesiæ, movetque superiores ad provisionem, purgationem, directionem et salutem inferiorum. Hæc ergo quæ Deo conveniunt per naturam, ecclesiasticis et personis hierarchicis conveniunt meritorie solum, per gratiam et caritatem ac virtutes infusas, per quas Deo supernaturaliter con-
D formamur, et in eo sic confortamur, quod ad actus istos meritorie exercendos efficimur apti atque idonei. Caritas quippe vita est et decor, ac supernaturalis similitudo increati amoris, qui est Spiritus Sanctus.

# ARTICULUS XIX

INTRODUCTIO ET SOLUTIO QUÆSTIONUM QUARUMDAM CONCERNENTIUM PRÆSENS CAPITULUM.

CIRCA hæc quæritur, an præinducta definitio hierarchiæ convenienter sit posita. Videtur quod non. Primo, quoniam pars non prædicatur de toto : ordo autem est pars hierarchiæ, quum in qualibet hierarchia cœlesti consistant tres ordines. — Secundo, quoniam hierarchia est multitudo intellectualium personarum, seu congregatio earumdem : quæ non sunt ordo, scientia et actio, quum ista sint accidentia : nam et ordo videtur esse relatio. — Tertio, quia in militanti Ecclesia est ordo hierarchicus, et purgatio, illuminatio, atque perfectio, etiam inter illos qui non sunt in caritate et gratia. Alioqui esset incertum an inter viatores consistat ordo
*Eccle.* IX, 1. hierarchicus, de quibus ignotum est an digni sint amore an odio. Multi quoque doctores sunt et prælati qui alios purgant, docent, perficiunt : qui nihilo minus mortalibus vitiis sordent. — Quarto, quia in ministris ecclesiasticæ hierarchiæ rarissima est talis ac tanta eminentia puritatis et luminis atque perfectionis, qualis et quanta describitur hic requiri ac pertinere ad purgatores et illuminatores ac perfectores : et ita in ecclesiastica hierarchia essent paucissimi qui hos actus veraciter exercerent. Imo videmus quod aliqui vitiosi et litterati excellentius purgant, docent, accenduntque proximos, quam quidam præsidentes virtuosi et idiotæ. — In oppositum est auctoritas Dionysii magni et sancti.

Dicendum, quod sicut Apostolus ad He-
*Hebr.* XI, 1. bræos describit fidem dicendo, Fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium ; [ubi] non ponit formaliter ipsam fidei definitionem, sed tangit essentialia atque formalia fidei, ex A quibus definitio ejus potest formari; ita hic facit Theologus. Ex verbis namque Apostoli formatur ista definitio fidei : Fides est habitus mentis quo in statu viæ primo inchoatur vita æterna in nobis. Nam vita æterna in patria, est earum rerum adeptio quas in præsenti vita speramus. Hinc fides vocatur substantia, id est inchoatio quædam, sperandorum, quæ per hoc quasi incipiunt aliquo modo esse in nobis, quod creduntur. Prima namque inchoatio rei interdum appellatur substantia B ejus, potissime dum tota res virtualiter continetur in tali principio. Unde et habitus primorum principiorum nominatur substantia tota scientiæ. Simili modo verba S. Dionysii rediguntur in hanc hierarchiæ definitionem : Hierarchia est principatus seu ordo divinus per scientiam et actionem distinctus. In qua definitione sumitur ordo, non pro uno solo choro aut gradu, sed pro plurium ordinatione seu ordinata collectione. De his in Scripto secundi sanctus disseruit Thomas : Hierarchia dicitur sacer principatus. In omni C autem principatu requiritur gradus potestatis et finis intentus. Et ita in principatu hierarchico finis est, Deo assimilari per actus præfatos : quem finem personæ ad hierarchiam pertinentes nequeunt adipisci nisi per congruas ac debitas actiones, ad quas etiam exigitur ordinata potestas ad actus producendos, atque scientia dirigens in agendo. Propterea quatuor hæc in definitione hierarchiæ ponuntur, ordo, scientia, actio (intelligendo sub nomine D ordinis, gradum et efficaciam potestatis; per scientiam vero, principium dirigens; per actionem autem, medium ad finem perducens) et assimilatio Dei sicut finis in-

tentus. — Ad primum itaque et secundum A patet ex jam dictis solutio.

Ad tertium respondetur, quod beatissimus Dionysius definit hierarchiam secundum statum suum perfectum et esse completum ; sic quoque tractat de ea secundum aliquid supremum in ea. Quamvis ergo ratio essentialis ipsius hierarchiæ pensetur penes dona gratiæ gratis datæ, attamen, quoniam dona illa non sufficiunt ad salutem, nec sine donis gratiæ gratum facientis in actum meritorium queunt procedere, ob hoc dona gratiæ gratum fa- B cientis adduntur aut subintelliguntur in descriptione hierarchiæ, tanquam ad complementum ejus spectantia.

Ad quartum dicendum, quod Sancti frequenter ex devotionis suæ fervore loquentes, tractant de certis materiis secundum supremum statum seu gradum earum, ut quum B. Augustinus in libro de Nomine christiano, Christianum describens : Christianus est, inquit, qui Christum in omnibus imitatur, qui nulla movetur injuria, cujus mensam nullus peregrinus ignorat, C cujus conversatio jugiter est in cœlis. Climacus quoque in libro suo monachum describens : Monachus, ait, est qui solum quæ Dei sunt cogitat, agit et loquitur ; monachus est ordo et consistentia incorporalium, in corpore sordido consummatus ; monachus est qui divinis indesinenter intentus est, Christo unitus in omni loco et tempore, in omni actu, negotio et processu. Conformiter S. Gregorius in Pastorali, pastorem seu prælatum describit quod præ omnibus sit contemplatione sublimis, exte- D riorum occupatione contemplationem non minuens, nec interiorum exercitatione exteriora omittens. Ita et ferventissimus Dionysius in isto capitulo et alibi sæpius loquitur de rebus circa quas versatur, penes supremum perfectionis earum : quod tamen non requiritur ad quemlibet gradum ac statum ipsarum. Præterea Deo assimilamur non solum per dona gratiæ gratum facientis, sed item per dona gratiæ gratis datæ. Unde in Exodo judices dii vocantur, juxta illud : Diis non detrahes ; et rursus, Servus applicabitur ad deos. Præcipue vero fit assimilatio ista per utraque dona : de qua assimilatione potissime loquitur hic Sanctus iste. — Ad ultimum respondetur, quod sicut experientia docet, præsidentes et prædicantes, quamvis sint parvæ litteraturæ, dummodo sint ferventes et excellentes in devotione, communiter prædicant multo fructuosius quam qui sola informi pollent scientia, nec Deitatis fervent amore.

*Exod.* XXII, 28. *Ibid.* 8.

Secundo hic quæritur, an ponenda ac distinguenda sit triplex hierarchia, videlicet supercœlestis, et cœlestis, ac subcœlestis. Videtur quod imo, auctoritate quorumdam dicentium quod sicut hierarchia cœlestis angelica imitatur hierarchiam supercœlestem divinam, sic hierarchia subcœlestis ecclesiastica imitatur angelicam. In oppositum est, quod in divinis et increatis Personis non est ordo potestatis, nec superioritas aut inferioritas, neque purgatio.

Et respondendum, quod de hac re sunt duæ opiniones, quarum diversitas consistit in verbis potius quam in re. Quidam etenim dixerunt, quod non sit concedenda aliqua hierarchia supercœlestis in Personis divinis : quam opinionem secuti sunt Albertus et Thomas. Et tamen omnes responsiones eos ad hoc moventes concedit opinio alia, quam sequuntur Hugo, Bonaventura, et alii quidam. Sic quippe scribit Albertus : Hierarchia non dicitur ordo divinus quo divinæ et increatæ Personæ ordinantur. Non enim in eis est hierarchia, sicut aliqui fingunt, dicentes triplicem esse hierarchiam, videlicet supercœlestem, cœlestem, et subcœlestem. Non enim dici potest sine errore Arii, quod una Persona divina aliam purget, illuminet, aut perficiat, aut quod habeant scientiam et actionem subordinatam, quum in omnibus sint æquales. Thomas quoque : Secundum quosdam, ait, in divinis Personis est quædam hierarchia, quam dicunt supercœlestem, et esse attendendam se-

cundum ordinem naturæ in divinis Personis. Sed hoc non est conveniens, nec secundum intentionem Dionysii : quoniam in divinis Personis ponere principatum unius ad alteram, hæreticum est : aut quod Pater purget Filium, vel quod id quod Patris est, recipiatur in Filio modo inferiori. — Porro Hugo de S. Victore, in præambulis commentarii sui super hunc librum disseruit : Tres sunt hierarchiæ, in quarum descriptione Theologus ac narrator hierarchiarum et potestatum sacrarum quæ in cœlis et in terris sunt, opus consummatum explicuit. Prima principalisque, omnium forma atque exemplar ceterarum, est summa et ineffabilis potestas Trinitatis, simplex, una et uniformis, sine gradu et differentia. Hæc Hugo. Ex quibus apparet, quod non ponit hierarchiam in superbeatissima Trinitate et angelis ac hominibus secundum eamdem rationem, sed potius secundum vocabuli significationem. Hierarchia namque, ut patuit, interpretatur sacer principatus : qui utique est in divinis, non unius Personæ divinæ super aliam, sed trium supervenerabilium æternarum Personarum super omnem creaturam angelicam et humanam. Attamen Thomas dicit, quod nec secundum vocabuli significationem hierarchia sit in divinis. Quod non apparet, quum (sicut jam tactum est) hierarchia, secundum nominis interpretationem, non plus dicat quam sacrum principatum. Hinc, sicut in textu principatus Deitatis jam appellatus est Thearchia, a Θεός, quod est Deus, et ἀρχός, princeps, quasi principatus Deitatis sit, quoad vocabuli interpretationem posset et hierarchia vocari. Verum de nominum usu immoderate contendere, dum constat de re, videtur inane.

Tertio quæritur, utrum in angelis sint purgatio, illuminatio, et perfectio. Videtur quod non : quia in ipsis est puritas ab omni immunditia libera. Nec est eis ignorantia aut nescientia, dicente Gregorio : Quid est quod nesciunt, qui Deum cuncta scientem conspiciunt? Itemque : Qui Deum in se clare vident, nihil est in creaturis quod in ipso videre non valeant. Amplius, omnes angeli sunt vere beati, ergo perfecti : non ergo convenit eis ab invicem perfici. — In oppositum est auctoritas S. Dionysii.

Circa hæc scribit Albertus : Contra istud contrarie est erratum. Quidam enim, ut magister Hugo de S. Victore, ausi sunt et præsumpserunt damnare hunc librum, dicentes in angelis nullam esse illuminationem inferiorum angelorum per superiores. Alii pertinaciter defenderunt angelos inferiores nunquam visuros faciem Patris seu divinam essentiam in se ipsa, sed solum secundum quod splendet in angelis superioribus. Hæc Albertus. In quibus valde admiror quod tantum errorem imponit fidelissimo doctissimoque Hugoni, qui ob eminentiam suæ scientiæ, dictus est secundus seu alter Augustinus, atque ut Richardus fatetur, fuit præcipuus temporis sui theologus ; quem etiam Cancellarius in experientia et sapore mysticæ theologiæ adnumerat B. Bernardo et quibusdam aliis Sanctis. Præterea ipse Hugo librum istum Dionysii de Angelica hierarchia, catholice ac valde reverenter exposuit, in nullo negans, sed in omnibus salvans eum : qui item in expositione tertii hujus capituli apertissime scribit, quod angeli superiores angelos inferiores illuminant. — Insuper Thomas quoque affirmat in Scripto secundi Sententiarum et alibi : Circa hæc quidam contrarie opinati sunt. Nam quidam dixerunt angelos inferiores nunquam visuros divinam essentiam. Quibus obviat quod ait Salvator, Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei : quod de angelis inferioribus ad custodiam hominum deputatis expressum est. Alii dixerunt omnes angelos a solo Deo illuminari, negantes totum istud quod Dionysius de angelis tradit : quod tamen auctoritatibus Scripturarum munitum est, et dictis concordat philosophorum.

*Matth.* xviii, 10.

Præterea advertendum est, quod quantum ad beatificam visionem in clara vi-

sione divinæ essentiæ consistentem, omnes A Sancti in patria immediate illustrantur a Deo; nullus tamen eorum plenarie comprehendit essentiam Dei nec omnipotentiam ejus, cognoscendo eam tam perfecte et clare sicut ex sua natura cognoscibilis est : imo et a tali cognitione deficiunt infinite, quoniam sicut superexcellentissimus Deus infinitæ est actualitatis, ita et cognoscibilitatis. Angeli ergo superiores, quo Deum clarius atque felicius contemplantur, eo plura secreta vident in eo de ejus effectibus, præsertim de mysteriis B gratiæ et rationibus mysteriorum ipsius, de regimine universi, de retributionibus hominum, de mirabilibus evangelicæ legis divinæ, de operibus Dei concernentibus statum naturæ et gratiæ, secundum quæ angelorum officia dispensantur ac distinguuntur, et circa ad extra versantur. De his ergo et rationibus horum, angeli superiores illuminant inferiores, non creando in illis novam lucem aut speciem, sed confortando seu irradiando quod inest, sive per nutus et intelligibilia signa, prout C de isto infra dicetur.

Ad objecta ergo dicendum, quod in angelis est purgatio, non a culpa, nec a reprehensibili ignorantia aut confusione turbata, sed a nescientia simplici quorumdam effectuum, ad beatitudinem principalem seu præmium essentiale non pertinentium. Insuper, quamvis omnia possint in Deo cognosci, tamen Deus, qui est speculum sapientiale ac liberum, ostendit se Beatis secundum quod novit expedire et condecens esse, meritis Beatorum congruere, ordini quoque concordare hierarchico. Postremo, omnes Beati sunt perfecti in genere suo, non tam absolute ut Deus, cui nil deest, sed quantum eorum requirit felicitas. In accidentalibus tamen quibusdam præmiis, perfectionibus et gaudiis, potest eis deesse : quod nihilo minus totum permodicum est respectu felicitatis principalis ac præmii essentialis, multiplicis quoque notitiæ et mercedis accidentalis quas habent. — Amplius, non oportet quod tres actus isti hierarchici in Beatis distinguantur realiter : in quantum enim illuminatio ignorantiam pellit ac removet, purgationem includit, nec reale quid addit purgatio.

Denique, quod hæc S. Dionysii doctrina de illuminatione angelorum inferiorum a superioribus, consonet dictis philosophorum, ex Elementatione Procli et libro de Causis facile est probare : in quibus habetur, quod intelligentiæ inferiores projiciunt visus suos super formam universalem quæ est in intelligentiis primis, et quod substantiæ intellectuales superiores diffundunt bonitates suas atque scientias super inferiores.

## PARAPHRASIS ABBATIS VERCELLENSIS

EST autem secundum nos hierarchia, sancta rationalium personarum congregatio, D per gradus et officia ordinate distincta, cum scientia et operatione sibi competentibus, ad Dei conformitatem prout sibi possibile est assimilata, et per illuminationes sibi divinitus infusas, juxta cujusque capacitatem ad Dei imitationem sursumacta. Divina autem pulchritudo, cui assimilandæ sunt hierarchiæ angelorum et hominum, sicut simplex, et bona, et principaliter consummativa, universaliter munda est ab omni non se decente, et est distributiva proprii luminis secundum capacitatem uniuscujusque illuminatorum, et per ipsius luminis distributionem perfectiva est ea perfectione quæ perfectos maxime assimilat Deo, secundum intransmutabilem ipsorum conformitatem ad Deum, divinæ pulchritudini coaptatam, qualis est in patria. Intendit autem hierarchia assidua speculatione in Deum,

desiderans secundum suam possibilitatem assimilari et uniri Deo, ipsum habens ducem omnis sanctæ cognitionis et operationis, indeclinabiliter adspiciens ad divinam pulchritudinem, et eam contemplando, ab ipsa tanquam pulchrifica informata; et personas in se contentas Deum laudantes, faciens esse divina insignia, et clarissima et immaculata specula, susceptiva radii principalis et thearchici luminis, et impleta sancte * claritate divina sibi per eumdem radium infusa, ita quod superiores ipsam claritatem suis inferioribus copiose cum splendore influant, secundum quod divinitus est eis constitutum. Illicitum est enim et superioribus qui perficiunt et inferioribus qui ab eisdem perficiuntur, aliquid operari præterquam singulis ordinatum est a Deo principe perfectionis. Siquidem necessaria est eis divinæ ordinationis observantia, ad hoc ut in suæ felicitatis statu persistant, et divina claritate ipsos deificante perfruantur, et ad ipsam reformentur juxta cujuslibet sanctarum mentium capacitatem : quod summe desiderant. Patet ergo ex præmissis, quod hierarchiæ nomine generaliter designatur sancta quædam congregatio, divinam in se repræsentans pulchritudinem, et speciales operationes propriæ virtuti commensuratas exercens secundum exigentiam potestatis et scientiæ sui sacri principatus, et assimilata secundum sui possibilitatem ad proprium principium, scilicet Deum.

* sancta

Unicuique enim hierarchicæ personæ perfectio est, ad Dei imitationem secundum propriam congruentiam reductam esse, et fieri Dei cooperatricem : quod efficacius omnibus divinam ingignit conformitatem, et repræsentat divinam operationem in se ipso * secundum quod sibi possibile est manifestatam, juxta illud : Dei enim adjutores sumus. Verbi gratia, ordo hierarchiæ est, ut inferiores purgentur, illuminentur, et perficiantur a superioribus suis, et superiores purgent, illuminent, et perficiant inferiores suos. Hæc autem purgatio, et illuminatio, et perfectio, activa et passiva, secundum creaturæ possibilitatem aliquatenus conformat Deo hierarchicas personas. Divina enim beatitudo, secundum quod ab omnibus hominibus laudari potest, munda quidem est ab omni dissimilitudine æternæ suæ plenitudinis : cui aliquatenus assimilantur hierarchicæ personæ in quantum purgantur. Item Divinitas plena est sempiterno lumine : cui

* ipsa

I Cor. III, 9.

A aliquatenus assimilantur hierarchicæ personæ in quantum illuminantur. Est etiam perfecta, ut nihil desit suæ perfectioni : cui aliquatenus assimilantur hierarchicæ personæ in quantum perficiuntur. Est etiam Divinitas purgans, illuminans, et perficiens, imo ipsa purgatio super omnem purgationem, et illuminatio super omne lumen, et perfectio super omnem perfectionem, per se perfecta, perfectionis princeps, et omnis hierarchiæ causa, ab omni quantumlibet sacro secundum excessum segregata : cui aliquatenus assimilantur hierarchicæ personæ in quantum inferiores B suos purgant, illuminant, et perficiunt, et habent super ipsos præcipuam purgationem, illuminationem, et perfectionem, nec quidquam luminis ab eis percipiunt, sed de sua plenitudine eis influunt, et sublimiter eisdem præsunt. Oportet ergo purgatos, mundos omnino fieri, et liberari ab omni non luminoso. Illuminatos autem oportet adimpleri divino lumine, sursumactos in intellectibus et suspiriis pure et summe divinum lumen desiderantibus, ad plenius obtinendam et firmius possidendam divinam contemplationem. Perfectos autem oportet esse transductos ex imperfe- C ctione sive perfectionis minoritate, et percipere augmentum perfectivæ scientiæ, experientis intimæ gustum sapientiæ. Purgativos autem aliorum oportet inferioribus tradere de abundantia suæ castioris purgationis ; et illuminativos, tanquam lumini divino familiarius conjunctos, et eodem abundantius adimpletos, inferioribus suis secundum ipsorum capacitatem ipsum lumen superinfluere ; perfectivos autem, tanquam expertiores in traditione perfectiva, inferiores suos perficere sanctiori doctrina, per experientiam internorum gustuum sapientiæ. — Unusquisque ergo in ordine D hierarchico constitutus, secundum propriam proportionem sursumagitur ad divinam cooperationem, in se et operatione sua quodammodo per gratiam et virtutem divinitus sibi concessas illa repræsentans quæ sanctæ Trinitati naturaliter, imo supernaturaliter insunt, et ab ipsa supersubstantialiter fiunt : videlicet, quia Pater quum sit plenitudo essentiæ, vitæ, sapientiæ, bonitatis, potentiæ, et omnino plenitudo omnis plenitudinis desiderabilis, a nullo accipiens, sed propria sola auctoritate supersubstantialiter consistens, omnem eamdem plenitudinem supernaturaliter et supersubstantialiter dat Filio,

ipsum generando, et eamdem ipse cum Filio dat supernaturaliter Spiritui Sancto, ipsum supersubstantialiter spirando, quum in ipsa sancta Trinitate non sit gradus superior vel inferior, sed superioritatis et inferioritatis quoddam superintellectuale et supersubstan- A tiale exemplar, scilicet auctoritas et subauctoritas. Quæ ergo in Divinitate sunt et fiunt supersubstantialiter, manifestantur hierarchiis ad hoc ut sanctæ mentes in eis constitutæ, quæ Deum diligunt, possint aliquatenus divina cognita imitari.

# CAPITULUM IV

## QUID SIGNIFICET ANGELORUM COGNOMINATIO.

IGITUR hierarchia, quid est, bene (ut æstimo) a nobis definita, angelica hierarchia deinde laudanda, mirabilesque ejus in Eloquiis formarum facturæ, supermundanis oculis intuendæ, ut ascendamus in deiformissimam eorum simplicitatem per mysticas formationes. Et simul omnis hierarchicæ scientiæ principium laudabimus in divina religiositate et perfectissimis gratiarum actionibus.

Primum simul omnium illud dicere verum, ut bonitate universali superessentialis Divinitas, eorum quæ sunt essentias substituens, ad esse adduxit. Est enim hoc omnium causa *, et super omnia bonitatis proprium, ad communionem suam ea quæ sunt vocare, ut unicuique eorum quæ sunt, ex propria definitur analogia. Omnia igitur quæ sunt, participant providentiam ex superessentiali et causalissima Divinitate manantem. Non enim fortassis essent, nisi eorum quæ sunt essentiæ et principii assumptione. Exsistentia igitur omnia esse ejus participant (esse enim omnium, est superesse Divinitatis); viventia autem, eamdem super omnem vitam vivificam virtutem; rationalia autem et intellectualia, eamdem super omnem et rationem et intellectum per se perfectam et anteperfectam sapientiam. Clarumque quia circa eam illæ essentiarum sunt, quæcumque innumerabiliter ab ea acceperunt. — Sanctæ ergo cœlestium essentiarum dispositiones, super ea quæ tantum sunt, et irrationabiliter viventia, secundumque nos rationalia, in hierarchiæ traditionis participatione factæ sunt. Invisibiliter enim in divinam imitationem se ipsas conformantes, et ad divinam similitudinem supermundane adspicientes, et formare appetentes intellectualem suam speciem, copiosiores pulchre habent ad eam communiones : attendentes quidem sunt omnem vitam. Ipsæ ergo sunt primo et multipliciter et semper ad summum, quantum fas est, in confirmatione divini et inflexibilis amoris intentæ, et principales illuminationes immaterialiter et pure recipientes, et ad ipsas ordinatæ, et intellectualem habentes omnem vitam. Ipsæ ergo sunt primo et multipliciter in participatione Dei factæ, et primo et multipliciter manifestatrices divinæ occultationis. Propterea et ultra omnia, cognominatione

* causæ

angelica selectim dignæ factæ sunt, eo quod primo in se ipsas edunt divinam illuminationem, et per se in nos deferunt quæ supra nos sunt manifestationes. Sic
*Act.* VII, 53; *Galat.* III, 19. quidem, ut Theologia ait, per angelos nobis donatæ sunt. Et gloriosos quosque ante legem et post legem nostros patres angeli ad divinum reducebant, quod agendum introducentes, et ad rectam veritatis viam ex errore et vita immunda reducentes, aut ordines sacros mysteriorum supermundialium, aut occultas visiones, aut divinas quasdam antepraedicationes prophetice revelantes.

Si autem quis dixerit et inde immediate fuisse quibusdam Sanctorum theophanias, discat et hoc sapienter ex sacratissimis Eloquiis, quomodo hoc quidem
I *Tim.* VI, 16. quod est Dei occultum, nemo vidit neque videbit. Theophaniæ autem Sanctis factæ sunt secundum decentes Deum, perque quasdam sacras videntibus proportionalium visionum manifestationes. Ipsa igitur sapientissima Theologia visionem illam quæ in ipsa est descripta, revelavit, divinam quasi in forma informium similitudinem, ex videntium in divinum reductione pulchre vocari theophaniam, quasi per ipsam videntibus divina facta illuminatione, et quidem divinis ipsis sancte perficientibus.

Has autem divinas visiones gloriosi patres nostri perceperunt per medias cœlestes virtutes. Aut non et sacram legislationem Eloquiorum traditio velut per se
*Exod.* XXXI, 18. quidem dicit ex Deo Moysi donatam, ut etiam vere nos doceat divinos eam esse
*Act.* VII, 53; *Galat.* III, 19. et sacros characteres? Docet autem et hoc sapienter Theologia, per angelos eam in nos provenire, tanquam divino legali ordine illud legaliter ponente, hoc est, per prima secunda in divinum reduci. Etenim non solum et in superpositis et in subjectis animis, sed et in æque potentibus, ipsa lex definitur ex superessentiali omnium ordinationis principio, hoc est, per unamquamque hierarchiam primas et medias et ultimas esse et ordinationes et virtutes, et minorum esse diviniores doctores et manuductores in divinam adductionem et illuminationem et communicationem.

Video autem quia et divinum Christi humanitatis mysterium angeli primum docuere, deinde per ipsos in nos scientiæ gratia descendit. Sic igitur divinissimus
*Luc.* I, 11-20. Gabriel Zachariam quidem summum sacerdotem edocuit mysteria, hoc est, prophetam fore ex ipso contra spem gratia divina nasciturum puerum, divinitus et
*Ibid.* 26-35. salutariter mundo manifestandæ virilis Jesu divinæ operationis; Mariam quoque, quomodo ipsa foret divinum ineffabilis divinæ formationis mysterium. At alius
*Matth.* I, 20, 21. angelorum Joseph erudiebat quomodo vere implerentur divinitus promissa proge-
*Luc.* II, 9-12. nitori David. Alius vero pastores, tanquam multorum reditu et silentio purgatos,
*Ibid.* 13, 14. evangelizavit; et cum eo multitudo exercitus cœlestis illam valde laudabilem tradebant his qui in terra sunt doxologiam. Respiciamque ad excellentissimas Eloquiorum luminis apparitiones. Video enim quod et ipse Jesus supercœlestium essentiarum superessentialis essentia, ad id quod secundum nos est immutabiliter veniens, non resilit a se ordinata et assumpta humana ordinatione; sed obediens subditur Patris et Dei per angelos dispositionibus, et per medios ipsos annuntiatur
*Matth.* II, 13. Joseph, a Patre disposita Filii ad Ægyptum recessio, et iterum ad Judæam ex

Ægypto transductio ; et per angelos ipsum videmus sub Patris legislationibus ordinatum. Insto enim dicere, ut scienti nostris sacerdotalibus traditionibus expressa, et de angelo ipsum Jesum confortante ; aut quia et ipse Jesus per nostram salutarem, beneficam et manifestatoriam veniens ordinationem, Angelus magni consilii appellatur. Etenim, ut ipse Angelus dixit, quæcumque audivit a Patre, annuntiavit nobis.

*Matth.* II, 19, 20. *Luc.* XXII, 43. *Is.* IX, 6, juxta LXX. *Joann.* XV, 15.

# ARTICULUS XX

### EXPLANATIO INITII CAPITULI HUJUS QUARTI : QUID JAM DICTUM, ET QUID ADHUC DICENDUM.

PRÆCEDENTI capitulo descripsit hierarchiam in generali, nunc descendit ad tractandum de angelica hierarchia.

*Igitur hierarchia, quid est, bene (ut existimo*) a nobis definita,* id est, postquam jam bene definivimus hierarchiam in communi, declarando quid sit, *angelica hierarchia deinde laudanda,* id est, consequenter nunc « laudanda » et describenda est « hierarchia angelica ». *Et mirabiles* ejus in Eloquiis formarum facturæ, supermundanis oculis intuendæ :* hoc est, « facturæ », id est figurationes et compositiones, « formarum ejus », id est specierum et similitudinum hierarchiæ istius, « mirabiles », id est sublimes, ac mystice assignatæ « in Eloquiis », id est Scripturis divinis (de quibus facturis, formis et similitudinibus, est modo tractandum, de quibus et secundo capitulo dicta sunt aliqua in communi), « intuendæ », id est, considerandæ sunt modo in speciali, « oculis supermundanis », id est spiritualibus, illuminatis, supra hunc mundum sensibilem elevatis, juxta illud Apostoli : Contemplantibus nobis non quæ temporalia sunt, sed quæ æterna. *Ut ascendamus in deiformissimam eorum simplicitatem,* id est, quatenus erigamur in notitiam et ad contemplationem simplicitatis eorum quæ divinæ simplicitati valde conformia sunt respective loquendo, videlicet comparatione inferiorum ac materialium rerum, quamvis absolute loquendo, ab excellentia et plenitudine ac puritate divinæ increatæ simplicitatis deficiant infinite. Nempe in Deo sunt idem, esse, posse et agere ; intellectus quoque, et species intelligibilis, atque objectum ; cognoscere et velle, voluntas et intellectus : quod longe est a creaturis. Præterea in formationibus angelorum per sensibiles species, et in imaginariis visionibus eorumdem apparitionibusque forinsecis, multiplicitas et compositio sunt, per quas ad notitiam simplicitatis, id est immaterialitatis, invisibilitatis et intellectualitatis, manuduci et erigi nos oportet. *Per mysticas formationes,* id est per formas et apparitiones jam tactas.

* æstimo — * mirabilesque — II *Cor.* IV, 18.

*Et simul omnis hierarchicæ scientiæ principium laudabimus,* id est, pariter extollemus Deum, fontem et causam totius scientiæ quæ inest et convenit hierarchiis angelicis. Quem laudamus in tam præclaris suis effectibus, juxta illud in Ecclesiastico : Benedicite Dominum in operibus suis. Deinde ex effectibus suis ascendendo ad ejus notitiam, laudabimus eum pro posse etiam in se ipso, secundum quod ipsum poterimus contemplari per fidem rationibus credendorum illumi-

*Eccli.* XXXIX, 19.

natam, et per sapientiæ donum. Sic autem laudabimus *in divina religiositate,* id est per devotissimum ejus cultum, mente ab omnium carnalium atque inanium rerum occupatione, affectione et curis supervacuis relegata, ne sit laudatio tantum in verbis, injuria vero in factis. (*Prov.* xxviii, 9.) Qui enim avertit aurem suam ne audiat legem, oratio (haud dubium quin et laudatio) ejus erit exsecrabilis. (*Eccli.* xv, 9.) Non enim est speciosa laus in ore peccatoris. Ideo ait Salvator : (*Luc.* vi, 46; *Matth.* vii, 21.) Quid dicitis mihi, Domine, Domine, et non facitis quæ dico? Sumitur ergo hic B religiositas, pro spiritualitate, devotione seu latria, quæ est virtus moralis, pars- A que justitiæ, Deo cultum ac cærimoniam offerens. Hinc Ecclesiasticus asserit : Religiositas custodiet et justificabit cor. (*Eccli.* i, 18.) *Et teletarchicis* *, id est perfectissimis, *gratiarum actionibus,* id est totis viribus Deo regratiando, et confitendo ex intimo corde quod ineffabiliter a condignis gratiarum actionibus omnino deficimus. Si enim parentibus et magistris æquivalens reddi non potest, quanto magis Deo, cujus beneficia sunt incomparabiliter multa et magna? a quo ipsi quoque parentes ac magistri sortiti sunt quidquid boni habent aliisve impendunt : quod autem est causa causæ, est causa causati.

* *perfectissimis*

## ARTICULUS XXI

### QUOD ANGELICA HIERARCHIA PRIMO ET AFFLUENTER RECIPIENS DIVINA DONA, DEFERT EA AD NOS, ET PROPTER HOC RITE ANGELICA NUNCUPATUR.

CONSEQUENTER præconia angelicæ hierarchiæ incipit recitare, gratias agere, a beneficio creationis incipiens.

*Primum simul omnium illud dicere verum,* id est, « illud verum » est « dicere primum omnium simul », id est in primis ante alia pariter jam dicenda, *ut bonitate universali superessentialis Thearchia* *, *eorum quæ sunt essentias substituens, ad esse adduxit,* id est, quod « Thearchia », id est divina potestas, « superessentialis », id est super omnem rerum universitatem consistens, « substituens essentias eorum D quæ sunt », id est, naturas rerum sub sua excellentia condens et collocans, utpote inferiores se, « adduxit » ea « ad esse », id est, de non esse ad esse perduxit per creationem, juxta illud in Genesi : (*Gen.* i, 1.) In principio creavit Deus cœlum et terram. Et hoc, « bonitate universali », id est liberaliter ac mere gratuite, non necessitate naturæ, sed ex sua purissima bo- C nitate volens suam perfectionem rebus communicare. Quæ bonitas Dei appellatur universalis, non per prædicationem, sed quoniam communicat omnibus semetipsam, nec aliquid relinquit expers sui communicatione. Etenim proprietas boni est esse diffusivum sui ipsius. Propter quod Proclus duodecimo theoremate fatetur : Omnium entium principium et causa prima, bonum est. In Apocalypsi quoque inducitur : Dignus es, Domine Deus noster, accipere honorem, et gloriam, et (*Apoc.* iv, 11.) virtutem, quia tu creasti omnia, et propter voluntatem tuam creata sunt. Hæc autem bonitas Dei, est viva et intellectualis : idcirco est amor Dei ad creaturam. Hinc alibi S. Dionysius protestatur, quod amor Dei non reliquit eum sine germine esse. Et Plato ait in primo Timæi : Dicendum cur conditor universi omne hoc instituendum putaverit. Et respondet : Optimus erat. Porro ab optimo invidia lon-

* *Divinitas*

ge relegata est : hinc voluit Deus bona A provenire.

*Est enim hoc omnium causa,* id est, bonum primum et increatum, est omnium ceterorum causa effectiva, exemplaris, atque finalis. Hinc loquitur Damascenus libro secundo : Quoniam ergo bonus et superbonus est Deus, non contentus est sui ipsius contemplatione ; sed ex superabundantia suæ bonitatis acceptavit creare quædam quibus benefaceret, et participatura sua bonitate, ex non ente ad
Sentent. II, dist. 35, Quod autem. esse deduxit. De hoc Magister libro se- B cundo, ex verbis Augustini in libro de Doctrina christiana, diffusius scripsit. *Et super omnia bonitatis proprium,* id est, divinæ bonitati « proprium » est « super omnia », id est præcipue et præ ceteris bonis, *ad communionem suam ea quæ sunt vocare :* id est, non solum de non
Rom. IV, 17. esse in esse producere dignatur, qui vocat ea quæ non sunt, tanquam sint, sed insuper ea quæ condidit, ad majorem suæ bonitatis participationem invitare, monere, perducere. Nam ab eodem provenit C rei esse, et bene esse, ut Plato et Proclus fatentur. Hinc namque conservat effectus suos in esse, atque ad proprios fines diri-
Jacob. I, 5. git eos. Ipse enim dat omnibus affluenter, ut dicit Jacobus. Unde in libro de Causis profertur : Causa prima est creans res, et influens bonitates super illas influxione completa : quoniam ipsa est bonitas cui non est finis. Recte ergo admo-
Ps. XXXIII, 6. nuit sanctus David : Accedite ad eum, et
Hebr. IV, 16. illuminamini ; atque Apostolus, Accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ ejus. D Denique vocat nos ad susceptionem beneficiorum suorum, tam naturalium quam supernaturalium et gratuitorum, imo et gloriosorum : in quo patet incomprehensibilis bonitas, amor ac munificentia ejus. *Ut unicuique eorum quæ sunt, ex propria definitur analogia,* id est, secundum quod præfixum est et congruit unicuique enti creato, juxta proportionem, mensuram et capacitatem naturæ et exsistentiæ
Matth. XXV, 15. suæ, juxta evangelicum illud : Dedit unicuique secundum propriam virtutem. Ubi scribit Hieronymus : Non pro largitate aut parcitate donantis, sed pro accipientium viribus. Deus namque indidit ordinem rebus, et diversis capacitatem impressit diversam.

*Omnia igitur quæ sunt, participant providentiam ex superessentiali et causalissima Divinitate manantem :* id est, cuncta creata sub increata Dei providentia cadunt, « providentiam » quoque creatam, id est effectum providentiæ Dei, seu bonum provisum, « participant » : providentiam, inquam, « manantem », id est profluentem, « ex Divinitate superessentiali et causalissima », id est potentissima et fecundissima ad causandum. Causalitas quippe et providentia sunt duæ præcipuæ proprietates divinæ. Idcirco de increata Sapientia, a Sapiente prolatum est : At- Sap. VIII, 1.
tingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter. Hinc in Job scriptum est : Quem constituit alium super Job XXXIV, 13.
terram ? aut quem posuit super orbem quem fabricatus est ? Ideo dixit Philosophus : Entia nolunt male disponi. Proclus quoque : Omne (inquit) divinum provi- Instit theol. CXXII.
det secundis, et ereptum est ab his quibus providetur. *Non enim fortassis essent,* id est, creata non subsisterent, *nisi eorum quæ sunt essentiæ et principii assumptione,* id est nisi acceptione suæ essentiæ et suæ initialis productionis, qua sunt quod sunt. Quod utique certum et planum est, quum nulla res producat se ipsam, nec id quod est in potentia perducatur in actum, nisi per aliquid prius exsistens in actu. Idcirco secundum Philosophum, præter et ante potentiam et actum, oportet esse et quærere causam efficientem ac unientem. Qui iterum probat quod quamvis in eodem potentia præcedit actum, in diversis tamen actus præcedit potentiam. Verumtamen sanctus hic pater, etiam in re certa tam sobrie et quasi ambigue loquitur, ut reprimat nos ab assertione et immoderata defensione in dubiis et incertis.

*Exsistentia igitur omnia esse ejus participant,* id est, in aliquo imitantur perfectionem esse divini, non illud idem numero, nec partem ipsius, quod prorsus indivisibile simplicissimumque consistit. *Sap.* I, 14. Unde scriptum est : Creavit enim, ut essent, omnia ; et alibi, *Job* XII, 9. Quis ignorat quod manus Domini fecerit hæc omnia ? Hinc Pharaoni quasi aliter sentienti, per Ezechielem Dominus dixit : *Ezech.* XXIX, 3. Audi, Pharao, draco magne, qui dicis, Meus est fluvius, et ego feci me ipsum. *Esse enim omnium, est superesse Divinitatis,* id est, increatum et invariabile esse Dei quod est super omne aliud esse infinibiliter elevatum, est esse omnium rerum : non utique formale aut substantiale atque intrinsecum, sed causale et exemplare, a quo omnibus communicatum est esse et vivere, quod in se ipso superpurissime manet singulare et unicum, nequaquam secundum se communicabile substantialiter differentibus ac diversis. Per quod excluditur quorumdam mendosus ac pessimus error, dicentium quod esse Dei sit formale esse universorum. Qui etiam error in libro de Causis reprobatur, ubi legitur : *Cf.* p. 21C'. Causa prima non est habens hyliathim, quoniam ipsa est esse tantum. Quod si dixerit aliquis, Necesse est ut sit ei hyliathim, dicemus quod hyle ejus est infinitum, et individuum suum est bonitas pura.

*Viventia autem, eamdem super omnem vitam vivificam virtutem :* id est, res vivæ participant eamdem causam primam, quæ est prima et summa vita, imo potius supervita, in qua omnis vivendi nobilitas, beatitudo, perfectio, cum immensa eminentia supersimplicissime continetur: quæ est virtus vivifica, id est vitam efficiens et conservans in cunctis quæ vivunt quocumque genere vitæ. *Rationalia vero* et intellectualia, eamdem super omnem rationem et intellectum perfectam* et anteperfectam sapientiam,* id est, homines et angeli participant eamdem causam primam intellectualem ac sapientialem, quæ est super omnem rationem ac intellectum

* *autem*

* *per se perfectam*

A creatum, et super omnem intellectum ac rationem per infinitam excellentiam, secundum quod nos in præsenti capere possumus quid sit intellectus et ratio Dei, quæ in Deo nil penitus superaddunt divinæ essentiæ aut esse divino. Estque causa prima, sapientia anteperfecta, id est superperfecta, et per se, essentialiter ac independenter, non participative, sapientia.

Hoc ipsum etiam Proclus deprompsit dicendo : Omnis partialis intellectus participat ea quæ super intellectum est, unitate, B et omnis partialis anima, et omnis partialis corporis natura. Et rursus : Omnium, inquit, intellectu participantium præcedit ἀμέθεκτος intellectus ; et eorum quæ vita, vita ; et eorum quæ ente, ens. Verumtamen in his verbis Procli videtur et fertur aliquid occulti erroris includi : quia videtur ordinem quemdam et distinctionem realem insinuare in ipsis rerum formalibus, separatis idealibusque principiis, quemadmodum etiam Aristoteles frequenter imponit Platoni. Nam et theoreC mate centesimo primo præhabitis verbis Proclus subjunxit : Ipsorum autem horum, ens quidem ante vitam, et vita ante intellectum. Quod etiam in commentario juxta Platonis exponit doctrinam, quamvis in istis valde difficile sit resolutum habere intellectum. Etenim juxta hæc, res istæ inferiores ab alio (hoc est ab autoente, id est a per se ente) haberent esse, ab alio (id est ab autovita) vivere, ab alio (utpote ab autointellectu) intelligere. Nihilo minus ipsemet Proclus, qui videtur D fuisse maximus resolutissimusque Platonicus, ait theoremate tricesimo quarto : Omne quod secundum naturam convertitur, ad id facit conversionem a quo et processum propriæ subsistentiæ habet. In cujus commentario adjecit : Appetibile omnibus est intellectus, et procedunt omnia ab intellectu, et totus mundus ab intellectu habet substantiam. — Præterea auctor libri de Causis, qui peripateticus fuit, præinductis sanctissimi Dionysii verbis evidentius consonans, propositione octa-

vadecima testatur : Res omnes habent essentiam propter ens primum, et res omnes vivæ sunt motæ propter vitam primam, et res omnes intelligibiles habent scientiam propter intelligentiam primam. Itaque, sicut et S. Thomas in commentario suo super librum de Causis testatur, in hac re B. Dionysius correxit Platonicorum doctrinam, declarans idem in re esse primum et per se bonum, primum quoque per se ens, et primum per se vivens, et primum per se intelligens : sicque ab eodem creata participant bonitatem et essentiam, vitam et intellectum.

*Clarumque,* id est, certum est, *quia circa eam illæ essentiarum sunt,* id est, quod ceteris propinquiores sunt Deitati seu primæ causæ, « illæ » de numero « essentiarum », id est illæ essentiæ seu naturæ, *quæcumque innumerabiliter ab ea acceperunt,* id est, quæ abundantius ac multiplicius dona naturæ ac gratiæ et gloriæ desuper sunt sortitæ : quæ dona a nobis distincte nequeunt numerari, sicut nec sciri in via. Porro intellectuales ac nobiliores creaturæ dicuntur esse circa Deum et Deo viciniores, non loco, sed similitudine quadam, quum incircumscriptibilis Deus vere ubique sit. Injusti autem longe ab eo sunt, quemadmodum in Proverbiis Salomon loquitur : Longe est Dominus ab impiis. [Prov. xv, 29.] Verum, ut David expressit, Prope est Dominus omnibus invocantibus eum. [Ps. cxliv, 18.] Itaque quo Deum magis puriusque diligimus, quo corda nostra ad ipsum magis convertimus, et in ejus gratia magis proficimus, atque quo ipsum plus desideramus ac venerari optamus, eo ei propinquiores efficimur. Hinc Jacobus monet apostolus : Appropinquate Deo, et appropinquabit vobis. [Jacob. iv, 8.]

*Sanctæ ergo cœlestium essentiarum dispositiones, super ea quæ tantum sunt, et irrationabiliter viventia, et secundum* nos rationalia, hierarchicæ* traditionis participatione factæ sunt.* [* secundumque] [* in hierarchiæ] Hoc est : « Dispositiones sanctæ », id est sancti ac sapienter dispositi ac distincti chori ange- A lorum, « factæ sunt », id est prælati et eminentiores effecti, « super ea quæ tantum sunt », id est super creata inanimata, quibus solum convenit esse, « et » super « viventia irrationabiliter », id est super bruta, « et » super « rationalia secundum nos », id est super rationales creaturas, quæ rationales sunt per rationem discurrendo, secundum quod moris est nobis et ipsimet experimur, « participatione traditionis hierarchicæ », id est, per hoc quod participes facti sunt illuminationis B hierarchiæ cœlestis, quæ eminet ecclesiasticæ hierarchiæ. Omnibus his creatis altiores sunt angeli dignitate specifica ; subtilitate et simplicitate naturæ, quia incorporales ; duratione, quoniam immortales ; habitatione et loco, quia empyrei cœli cives ; gubernatione et principatu, quoniam hominum sunt rectores, custodes, adjutores ac defensores ; sapientia et scientia, quia nostri sunt magistri et doctores ; felicitate et gloria, quia jam vere et sine fine felices. Hinc minimus angelo- [Matth. xi, 11.] C rum major est maximo viatore, quantum ad id quod in præsenti est : quamvis aliqui viatores prædestinatione majores sint aliquibus angelis.

*Invisibiliter enim in divinam imitationem se ipsas conformantes,* id est, cœlestes illæ essentiæ ac mentes angelicæ « conformantes se ipsas in imitationem divinam », id est se extendendo et actuando ad actus præclarissimos per quos intellectualis creatura suum Creatorem imitatur et ei assimilatur ; *et ad thear-* D *chicam* similitudinem supermundane adspicientes,* [* divinam] id est, supernaturaliter intendentes ac satagentes conformari similitudini thearchicæ, id est divinæ bonitati ac pietati, seu increatæ imagini, ad quam imitandam sunt conditæ ; quod agunt « supermundane », id est altiori modo quam homines in hoc mundo, et sine interpolatione ; *et formare appetentes intellectualem suam speciem,* id est, pulchritudinem suam internam mentalem optantes perficere ac decorare ; *copiosiores pulchre*

*ad eam habent communiones*, id est, communicationes et assimilationes ad Deitatem habent decore ac splendide, multo abundantiores quam viatores. *Attendentes quidem* omnem vitam,* id est, certe considerantes vitam gloriæ in qua sunt, in qua ceteræ vitæ per ineffabilem excellentiam continentur et includuntur; potissime vero « attendentes omnem vitam », id est perfectissimam illam vitam increatam, tanquam objectum et finem, quæ est vera, incommutabilis ac supersimplicissima vita, in qua realiter idem omnino sunt vivens et vita, visque vitalis ac vivere, imo esse, vivere et intelligere, velle atque diligere : ad cujus vitæ gloriam et honorem referunt semetipsos et omne quod agunt. De qua vita ait Salvator apud Joannem : Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso. Insuper mentes illæ supernæ attendunt omnem vitam tam superiorum quam inferiorum, etiam animalium vilium, quatenus ex comparatione illorum excellentiam suæ beatissimæ vitæ plenius perpendentes, gratias præclariores referant Creatori.

* quidem sunt

Joann. v, 26.

Præterea advertendum, quod angeli a primo suæ beatificationis instanti, perfecte conformati sunt Deo etiam per gloriæ dona ; neque in hac conformatione ac imitatione divina crescunt aut proficiunt, sed immobiliter manent. Verumtamen, sicut dicuntur desiderare in Deum prospicere, quem indesinenter inspiciunt, quoniam sine fastidio eum jugiter contemplantur, et in æternum sic contemplari affectant ; sic quoque cupiunt pulchritudinem suam spiritualem intellectualem, hoc est deiformem intellectum et omnem sapientiam, scientiam operationemque ejus, ac sancti sui amoris fervorem, perficere et formare, seu potius in collata sibi perfectione ac decore servare, certi quod in perpetuum facillime [ea] conservabunt, imo nunquam amittere poterunt. Postremo, quantum ad actus hierarchicos, et regimen Ecclesiæ militantis ac gubernationem

I Petr. I, 12.

A corporalium creaturarum, non cessant se Deo conformare et ejus gubernacula imitari, juxta præfixam sibi legem ac jussionem omnia obedientissime atque promptissime exsequendo, quemadmodum tangit et Plato in secundo Timæi, inducens Deum motoribus orbium ac causis cœlestibus præcipientem : O dii deorum ! quorum pater idem opifexque ego. Hujus inferioris mundi sementem ego faciam, vobisque tradam ; vos cetera exsequi par est, imitantes meam solertiam. Intelligentes igitur B jussionem patris, filii exsecuti sunt ita.

*Ipsæ ergo sunt primo et innumerabiliter* et semper ad summum, quantum fas est, in conformatione* divini et inflexibilis amoris intentæ :* id est, mentes angelicæ « sunt intentæ primo », id est ante rationales creaturas et eminentius eis, « et innumerabiliter », id est multipliciter valde, seu innumerabilibus modis ac gradibus, sicut et ipsæ innumerabiles nobis sunt, et forsan innumerabiles species specialissimas habent, « et semper », C id est in ævo et sine interruptione, « ad summum », id est summe præ aliis creaturis, « quantum fas est », id est licitum [eis ita tendere] : sunt, inquam, intentæ « in conformatione amoris divini et inflexibilis », id est in actuali amore Dei immobili, in quo sunt confirmati, ita quod amor ille ab eis flecti nequit, nec obliquari aut averti a suo objecto : per quem ferventissimum amorem Deo præcipue conformantur. Amor namque jungit amantem amato, facitque eos eadem velle et D nolle, imo et unum esse : sicut multitudinis credentium erat cor unum et anima una. Unde dixit Apostolus : Qui adhæret Deo, unus spiritus est ; et Salvator, Si diligitis me, mandata mea servate. *Et principales illuminationes immaterialiter et pure recipientes :* id est, mentes illæ cœlestes suscipiunt a Deitate « pure », non symbolice, nec per involutionem phantasmatum, « et immaterialiter », sine appendiciis corporalitatis, et absque omni admixtione immundæ affectionis ac cul-

* multipliciter *confirmatione

Act. IV, 32.

I Cor. VI, 17. Joann. XIV, 15.

pæ, « illuminationes principales », id est illustrationes beatificas quæ jugiter manent, seu lumina gloriæ (juxta illud, In lumine tuo videbimus lumen), illuminationes quoque præcipuas de causis et rationibus divinorum effectuum, mysteriorumque fidei. Etenim mentes illæ quo Deo sunt magis unitæ, eo exuberantius irradiantur ab ipso, confessionem laudis divinæ indutæ, amictæ lumine ut vestimento.

*Ps.* xxxv, 10.

*Ps.* ciii, 1. 2.

*Et ad ipsum* * *ordinatæ,* id est, ad Deum ordinatissime sunt conversæ, ad cujus amplexum, cultum ac venerationem ordinaverunt et retulerunt se inavertibiliter et complete, tanquam ad finem beatificum vere ac summum ; *et intellectualem habentes omnem vitam,* id est, tota eorum vita est intellectualis et principaliter contemplativa, de sensitiva vero vita nihil habent, et potentiæ earum solum sunt intellectivæ : propter quod a philosophis intelligentiæ appellantur. Nihilo minus quædam earum sunt ministratorii spiritus, et multa exterius operantur. In assumptis quoque corporibus interdum apparent, in quibus et videre et audire, manducare ac bibere nonnunquam videntur, quamvis aliter sit : non enim illis uniuntur aut utuntur corporibus ut formæ substantiales, sed tanquam motores, prout de hoc infra diffusius exprimetur.

* *ipsas*

*Hebr.* i, 14.

*Ipsæ ergo sunt primo et innumerabiliter* * *in participationem* * *Dei factæ,* id est, participationem donorum ac luminum Dei abundantius ac primordialiter sunt sortitæ. Unde in libro de Causis asseritur, quod causa prima non cessat illuminare intelligentiam, et intelligentiæ superiores recipiunt ex bonitatibus causæ primæ receptione multa. *Et primo et multipliciter manifestatrices divinæ occultationis,* id est, mentes illæ primo ac multipliciter manifestant divina secreta. Superiores enim angeli communicant et revelant angelis inferioribus secreta sibi desuper revelata, secundum quod noverint hoc Deo placere ; inferiores etiam angeli manifestant hominibus ea quæ norunt illis esse pan-

* *multipliciter*
* *participatione*

A denda. Propter quod ait Amos propheta : Non faciet Dominus verbum, nisi revelaverit secretum suum ad servos suos Prophetas. Hinc Damascenus affirmat libro secundo : Angeli sancti sunt lumina intellectualia ex primo et æterno lumine illuminationem habentia, non lingua et auditu indigentia, sed sine sermone voce prolato tradentia sibi invicem consilia et intelligentias. Propter quod alii dicunt quod angeli, revelationum quæ a Deo sunt susceptivi sunt prima relatione : quoniam prius revelantur ac proferuntur eis divina secreta quam hominibus, qui idcirco dicuntur revelationum susceptivi relatione secunda.

*Amos* iii, 7.

B

*Propterea et ultra omnia, cognominatione angelica selectim dignæ factæ sunt :* id est, mentes illæ supernæ « factæ sunt dignæ cognominatione angelica », hoc est, « dignæ factæ sunt » præ aliis creaturis angeli nuncupari, « selectim », id est egregia ratione et speciali electione ; *eo quod primo in se ipsas edunt,* id est, formant et capiunt, ac quasi spiritualiter masticant, *divinam illuminationem,* id est revelationem secretorum, *et per se in nos deferunt quæ supra nos sunt manifestationes,* id est, per se ipsos nobis insinuant « manifestationes », id est revelationes eis palam ostensas, « quæ supra nos sunt », id est nostram naturalem cognitionem atque investigationem transcendunt ; vel, « supra nos sunt », id est de causis ac rebus quæ superiores sunt nobis, ut sunt mysteria Christi et Ecclesiæ, ac multi divini effectus, et sacra ac sacramenta. Verumtamen omnia ista ordinatissime fiunt : et quædam revelantur hominibus immediate ab Angelis infimi chori, ut ea quæ concernunt determinatas personas ; quædam immediate ab Archangelis, quemadmodum sacratissimæ Virgini Gabriel archangelus Verbi incarnationem denuntiavit; quædam per Principatus, quorum est regnis præesse. Unde in Daniele Michael locutus legitur Gabrieli : Gabriel, fac istum (utpote Danielem) intelligere visionem.

C

D

*Luc.* i, 26 *et seq.*

*Dan.* viii, 16.

Denique angelus, nuntius interpretatur. A
Propter quod etiam homines interdum an-
geli nominantur, ut legati et Prophetæ
*Is.* XXXIII, 7. ac sacerdotes, juxta illud in Isaia : Angeli
pacis amare flebunt. Et Malachias ait :
*Malach.* II, 7. Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et
legem requirent ex ore ejus, quia angelus
Domini exercituum est. Apostolus quo-
I *Cor.* XI, 10. que : Mulier, inquit, debet velare caput
suum propter angelos, id est sacerdotes.
*Agg.* I, 13. Insuper in Aggæo, ubi habemus, Dixit
Aggæus nuntius Domini de nuntiis Do-
mini, alia habet translatio, Dixit Aggæus B
angelus Domini de angelis Domini. Sic et
de beatissimo Præcursore Dominus per
*Malach.* III, 1. Malachiam est locutus : Ecce ego mitto
angelum meum. Verum præ omnibus istis
cœlestes spiritus excellentius angeli no-
minantur, ob causam jam introductam ;
specialissime tamen spiritus infimi ordi-
nis, ut patebit.

*Sic quidem,* id est certe, *ut Theologia,*
*Act.* VII, 53; *Galat.* III, 19. id est sermo divinus, utpote sacra Scri-
ptura, *ait, per angelos nobis datæ* sunt,*
* *donatæ* id est, revelationes divinæ nobis exhibitæ C
sunt per angelos sanctos. Hoc in libris
Moysis primo ac copiose docetur, quomo-
*Gen.* XII, XIII, XV, XVII, XVIII, XXII, XXVI, XXVIII, XXXII, XXXV. do angeli apparuerunt patriarchis Abra-
ham, Isaac, Jacob, ipsique Moysi et Aaron,
ac Josue. Deinde in libro Judicum reci-
*Exod.* III, IV, VI, XI *et seq.* tatur quomodo apparuerunt atque locuti
sunt Gedeoni, et parentibus Samsonis. Unde
*Josue* I, V *et seq.* in Actibus B. Stephanus contestatur : Deus
*Judic.* VI, VII, XIII. misit Moysen in Ægyptum ad Pharaonem
cum manu angeli qui apparuit ei. Rursus
*Act.* VII, 35. *Ibid.* 53. ibidem loquens Judæis : Accepistis, in-
quit, legem in dispositione angelorum, et D
non custodistis. Paulus quoque ad Hebræ-
*Hebr.* II, 2. os : Si qui per angelos dictus est sermo,
factus est firmus. Hinc subditur :

* *quosque* *Et gloriosos vere* ante legem et post
legem nostros patres angeli ad divinum
reducebant :* id est, sacratissimi « angeli »
reduxerunt « patres nostros », tam « ante
legem » Mosaicam quam « post » eam,
nec dubium quin et sub ea, « ad divi-
num », id est ad Dei obsequium, et ad
cognoscendum divina secreta, ut in Ge-
nesi recitatur de Noe, cui Dominus loque- *Gen.* VI, VII.
batur de arca atque diluvio, non dubium
quin per angelum. *Quid* agendum intro-* * *Quod*
*ducentes,* id est, qui angeli introduxerunt,
nuntiaverunt ac præceperunt, « quid » ab
hominibus et patribus esset « agendum » :
sicut in Genesi dixit ad Noe, Fac tibi ar- *Gen.* VI, 14.
cam de lignis lævigatis; *et ad rectam ve-
ritatis viam ex errore et vita immunda
reducentes,* id est, convertentes aliquos
hominum ex errore gentilitatis ac aliis
vitiis, et a conversatione carnali, ad ve-
ram viam justitiæ ac salutis. Per quem
etiam modum aliqui fuerunt reducti et
conversi ad fidem et cultum veri Dei, sine
ministerio hominum, sola apparitione et
informatione angelica, non sine inspira-
tione divina : quod et in evangelica lege
factum est sæpius, ut patet de electis illis
decem millibus martyrum, et S. Savinia-
no, etc. Hinc scriptum est in libro Judi-
cum : Ascendit angelus Domini ad locum *Judic.* II, 1, 2, 4.
Flentium, et ait filiis Israel : Eduxi vos
de Ægypto, et noluistis audire vocem me-
am. Cur hoc fecistis? Quod quum audis-
sent filii Israel, elevaverunt vocem suam,
et fleverunt.

*Aut ordines sacros mysteriorum super-
mundialium, aut occultas visiones, aut
divinas quasdam anteprædicationes hy-
pophantice * revelantes.* Id est : Angeli * *prophetice*
ipsi « revelantes » hominibus, « aut or-
dines sacros », id est choros angelicos,
« mysteriorum supermundialium », id est
secretorum cœlestium ac divinorum super
hunc mundum immundum exsistentium :
qualiter scilicet chori illi inter se distin-
guuntur, ac diversa sortiuntur officia, et
in uno summo bono beatificantur, et su-
permundana contemplantur secreta, qui-
bus Deus tanquam amicis carissimis et
velut secretariis et consiliariis sua pandit
occulta : quemadmodum gloriosus Hiero-
nymus refert in Regula sua se frequenter
per hebdomadas in raptu fuisse conti-
nue, angelorumque choris interfuisse, et
de secretis illis cœlestibus plurima didicis-
se. « Aut occultas visiones », id est super-

naturales et abditas apparitiones. Sic enim angelus docuit Moysen de creatione mundi, et multis ignotis quæ præcesserunt *Gen.* XLI, 16, 25-32; *Dan.* II, 19, 23, 36-45. diluvium. Similiter angeli instruxerunt Joseph patriarcham et Danielem prophetam de significatione somniorum Pharaonis et Nabuchodonosor regum, sive per illuminationem solam internam, sive per revelationem externam, aut per imaginariam ostensionem. « Aut divinas quasdam anteprædicationes », id est prænuntiationes desuper factas, « hypophantice », id est prophetice. Angeli enim primo acceperunt a superioribus angelis, vel a Deo; deinde prædixerunt hominibus, ut tempore opportuno ab hominibus crederetur, imo et verum esse sciretur, quod tam diu fuit prædictum. Unde apud Joannem loquitur Christus : Nunc dixi vobis priusquam fiat, *Joann.* XIV, 29. ut quum factum fuerit credatis. Per quod etiam, ut Josephus scribit, reprobatur ac innotescit perfidia incredulorum providentiam divinam negantium. Sic enim per Isaiam prædixit destructionem Babylonis *Is.* XIII, 19-22. perpetuam, atque per Jeremiam, quod captivitas filiorum Israel in Chaldæa duraret annis septuaginta. Potissime autem de *Jer.* XXV, 11; XIX, 10. Christo et ejus mysteriis, a Prophetis prænuntiata sunt plurima, ex quibus fides roboratur catholica.

# ARTICULUS XXII

### OBJECTIONIS DE VISIONIBUS SEU APPARITIONIBUS DEI IMMEDIATIS SOLUTIO ; ET QUOD VISIONES QUÆDAM RITE VOCENTUR THEOPHANIÆ.

SI *autem quis dixerit,* contradicendo his verbis meis, *et inde,* puta a Deo seu divino secreto, *immediate fuisse quibusdam Sanctorum theophanias,* id est divinas apparitiones atque propheticas revelationes fuisse factas aliquibus sanctis hominibus non per angelos, *discat et hoc sapienter ex sacratissimis Eloquiis,* id est, ex Scripturis sanctis addiscat « sapienter », ita ut addiscendo sapiens fiat, et docilem se præbeat. Addiscentem enim *Is.* VII, 9, juxta LXX. oportet credere. Et Isaias fatetur : Nisi credideritis, non intelligetis. *Quomodo hoc quidem quod est Dei occultum, nemo vidit neque videbit,* id est, hoc discat quod « nemo vidit neque videbit », in vita hac vivens vita humana, clare per speciem, « occultum Dei », id est incomprehensibilem sapientiam sive essentiam ejus, et secretum consilii sui secundum quod continetur ac splendet in ipso. De hoc allegata sunt multa : sicut illud Joannis, *Joann.* I, 18; I *Joann.* IV, 12. Deum nemo vidit unquam. Unde et Paulus *Rom.* XI, 34. deprompsit : Quis cognovit sensum Domini? Et in libro Sapientiæ habetur : Quis *Sap.* IX, 13. hominum poterit scire consilium Dei? aut quis poterit cogitare quid velit Deus? Hoc est quod apud Jeremiam legitur : Quis *Jer.* XXIII, 18. adfuit in consilio Domini, et vidit, et audivit sermones ejus? *Theophaniæ autem Sanctis factæ sunt,* id est, revelationes divinæ exhibitæ sunt sanctis hominibus, *secundum decentes Deum, perque quasdam sacras videntibus proportionalium visionum manifestationes.* Ordo verborum est : Revelationes « factæ sunt Sanctis per manifestationes quasdam sacras », id est imaginarias visiones communiter : ideo subditur, « visionum », id est apparitionum, « proportionalium videntibus », id est proportionatarum, connaturalium et aptarum videntibus sanctis hominibus, quibus conveniens est per sensibilia et imaginarias ostensiones ad notitiam divinorum ac immaterialium introduci, ut patuit in primi expositione art. VII. capituli. Sic etiam condecet Deum sapientissimum omnia ordinate agentem, os-

tendere mortalibus viatoribus divina secreta. Hinc additur, « secundum decentes Deum », id est secundum ostensiones et manifestationes quas decuit Deum adhibere in hominum instructione prophetica. Quod totum efficit Deus per creaturam subjectam, id est ministerio angelorum.

Verum his objici posset quia non sequitur : Homines in hac vita non valent divinam clare essentiam, nec secretum sapientiæ ejus in se ipso prospicere; ergo non possunt a Deo revelationem propheticam aut visionem cœlestem per imaginarias similitudines immediate suscipere. — Præterea, dona gratiæ gratum facientis immediate a Deo accipiunt etiam infantuli in Baptismo; ergo et dona gratiæ gratis datæ, quum dona illa sint multo meliora quam ista. — Amplius, Sancti interdum fatentur se Deum in hac vita clare vidisse,
*Gen.* XXXII, 30. dicente sancto Jacob, Vidi Dominum facie ad faciem ; et beato Job, Auditu auris au-
*Job* XLII, 5. divi te, nunc autem oculus meus videt te. — De Moyse quoque Dominus ait in libro
*Num.* XII, 6-8. Numerorum ad Aaron et Mariam : Si quis fuerit inter vos Propheta, in visione apparebo ei, aut per somnium loquar ad eum ; at non talis servus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est : ore enim ad os loquor ad eum, et palam, non per ænigmata, videt Deum. Sed et
II *Cor.* XII, 2. Apostolus scribit se raptum fuisse usque ad tertium cœlum.

Et respondendum [ad primum], quod argumentatio illa bene concludit quod viatores non vident immediate in Deo ea quæ ipsis desuper revelantur. Quod si ita se habet, rationabilius dicitur quod ministerio angelorum eis insinuentur, quoniam Deus qui ordinis auctor est et amator, operatur in ultima per media in quibus aliud tali non obstat ordinationi aut actui. Nec tamen negandum est, nec S. Dionysius negare intendit, quin Deus immediate per se possit quemcumque hominem in præsenti de quibuscumque illustrare, docere, hortari. Regulariter tamen et de lege communi sic agit sicut hic Theolo-

A gus docet. Per quæ patet ad primum solutio. — Ad secundum dicendum, quod dona gratiæ gratum facientis per creationem infunduntur ac dantur : idcirco a solo Deo fluunt immediate, quamvis causæ creatæ valeant dispositive ad illorum infusionem cooperari. — Ad tertium, quod Sancti illi viderunt clare ad oculum angelum in assumpto corpore apparentem, et in persona Dei loquentem. Aut in imaginaria visione ita viderunt : ut quum asserit Isaias, Vidi Dominum sedentem super *Is.* VI, 1.
B solium excelsum et elevatum. Et simili modo loquitur tertio libro Regum Michæas. III *Reg.* XXII, 19.
— Ad quartum, de Moyse et Paulo sentit Augustinus in libro de Videndo Deum, quod privilegio gratiæ magnæ ac specialis viderunt Deum per speciem : in qua visione potuerunt et alia multa Deo per se revelante cognoscere. Nec tali visione durante vixerunt vita sensitiva humana : imo maxime fuerunt ab omni sensu alienati. Et quamvis hoc de solis Moyse et Paulo ita legatur et comprobetur, an ta-
C men et aliis sit concessum, quis novit ? Imo et de supermundissima Virgine non æstimo dubitandum. Prophetæ demum communiter asserunt Dominum eis locutum esse et apparuisse, quoniam Deo jubente et cum lumine Dei creato viderunt. Sicque David testatus est : Audiam quid lo- *Ps.* LXXXIV, 9.
quatur in me Dominus Deus.

Denique auctor ex dictis concludit : *Ipsa igitur sapientissima Theologia,* id est divina Scriptura summæ sapientiæ contentiva et descriptiva, provida valde in suis
D eloquiis, et humanæ mentis imbecillitati condescendens, *visionem illam* de invisibilibus *quæ in ipsa est descripta* per species corporales : ut quum dicitur, Vidi Domi- *Is.* VI, 1.
num sedentem super solium excelsum; *revelavit, divinam quasi in forma informium similitudinem,* id est, docuit, « similitudinem divinam », utpote rei divinæ significativam, et ejus imaginem seu repræsentativam, « informium », id est incorporalium, formam materialem et circumscriptam figuram non habentium in

propria natura, « quasi in forma », id est A descriptorum quasi formam haberent corporalem visibilem, *ex videntium in divinum reductione pulchre vocari theophaniam :* id est, Scriptura edocuit hujusmodi visionem « pulchre », id est magistraliter, appellari « theophaniam », id est apparitionem divinam, « ex reductione videntium in divinum », id est, ob hoc quod visio illa reducit, convertit et elevat eos quibus ostenditur, ad divinum, id est ad intelligendum aliquid de Deo aut rebus divinis, *quasi per ipsam videntibus divina facta* B *illuminatione,* id est, quia per ipsam hujusmodi visionem fit et datur divina illuminatio videntibus et habentibus eam, Dan. IX, 23. juxta illud : Daniel, vir desideriorum, intellige. Ibid. X, 1. Intelligentia enim est opus in visione. Sicque hæc dictio, Quasi, designat hic veritatem, non similitudinem tantum, quemadmodum et apud Joannem : Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre. Joann. I, 14. *Et quidem divinis ipsis sancte perficientibus :* id est, non solum vocatur visio illa divina quia intellectum prætacto modo illuminat, imo etiam quoniam sancta illa corporalia aut imaginarie præsentata, communiter inflammant affectum, et perficiunt mentem sancte, cooperando ei ad proficiendum in sanctitate et æquitate : ut quum per sensibiles similitudines ostenditur aliquid bonis fidelibus de suppliciis reproborum aut gaudiis electorum, aut de ruina Ecclesiæ, quemadmodum loquitur Jeremias : A facie manus Jer. XV, 17. tuæ solus sedebam, quoniam amaritudine replesti me. Et iterum : Quis dabit, inquit, capiti meo aquam, et oculis meis Ibid. IX, 1. fontem lacrimarum? et plorabo interfectos populi mei.

# ARTICULUS XXIII

### QUOD SECUNDA REDUCANTUR PER PRIMA IN DEUM.

H*AS autem divinas visiones gloriosi* C *patres nostri,* puta Apostoli, et Prophetæ, ac Patriarchæ, *perceperunt per medias cœlestes virtutes,* id est, acceperunt a Deo mediantibus angelis sanctis, virtuosis et vigorosis ad exsequendum quidquid eis injungitur et incumbit. Cur autem omnes angelici spiritus etiam appellentur virtutes, infra habebitur.

Istud consequenter declarat et probat.

*Aut non et sacram legis traditionem** *Eloquiorum traditio velut per se quidem dicit ex Deo Moysi donatam?* id est, uti- D que « traditio Eloquiorum », id est doctrina atque historia Scripturarum, « dicit » et narrat « quidem », id est pro certo, « traditionem legis » sanctam, id est continentiam seu tenorem Testamenti legisque veteris, esse « donatam Moysi » in monte Sinai, « ex Deo velut per se », id est tanquam immediate a Deo. Sic quippe Scriptura loquitur frequenter in Exodo : Dixit Dominus ad Moysen, Dabo tibi duas Exod. XXIV, 12; XXXI, 18. tabulas et legem quam scripsi. Ibidem quoque scriptum est : Loquebatur Dominus Ibid. XXXIII, 11. ad Moysen facie ad faciem, sicut loqui solet homo ad amicum suum. Et hoc facit Scriptura, id est Spiritus Sanctus per Scripturas, *ut etiam vere nos doceat divinos eam esse et sacros characteres,* id est ipsam legem esse litteram divinam et sanctam, a Deo, non ab angelo, principaliter datam, ipsamque esse « characteres sacros et divinos », id est figuras et signa rerum sanctarum et divinarum, quæ exprimuntur in lege per verba tanquam per signa atque characteres, id est figurationes.

* legislationem.

*Docet autem et hoc sapienter Theologia,* id est, nihilo minus Scriptura edocuit, *per angelum** *eam in nos provenire,* id est, ministerio angeli eam esse Moysi datam, deinde et nobis. Nam et Apostolus ad Galatas : Lex, inquit, propter transgressiones posita est, et ordinata per angelos in manu mediatoris. *Tanquam divino** *ordine illud legaliter ponente,* id est, veluti ordinatione et dispositione divinitus instituta id exigente. Quæ autem sit ordinatio illa, subjungitur : *hoc est, per prima secunda in divinum reduci,* id est, ut ea quæ sunt secundi ordinis reducantur in Deum per exsistentes in primo choro seu ordine : quod verificatur tam de angelis inter se, quoniam angeli ordinum inferiorum reducuntur in Deum per angelos ordinum superiorum (quod totum intelligendum est de reductione in Deum per actus hierarchicos : angeli enim universi, a principio suæ glorificationis ad Deum inavertibiliter sunt conversi, reducti et simplificati) ; quam de angelis et hominibus inter se, quoniam homines reducuntur et illustrantur per angelos ; quam de hominibus inter se, quoniam subditi per suos præsidentes habent purgari, illuminari, ac perfici. Nec istud solum observatur inter angelos diversarum hierarchiarum ac ordinum, sed etiam inter eos qui unius sunt hierarchiæ ejusdemve chori, inter quos etiam sunt primi, et medii, ac ultimi ; estque sublimiorum reducere inferiores. Hinc sequitur :

* angelos

Galat. III, 19.

* divino legali

*Etenim non solum et in superpositis et** *subjectis animis, sed et in æquipotentibus**, *ipsa lex definitur ex superessentiali omnium ordinationis principio :* id est, « lex ipsa » seu institutio quod secunda reducantur per prima immediatius superposita, « definitur », id est, præscribitur et servatur, « ex superessentiali principio ordinationis omnium », id est a Deo, qui est primum principium, causa et fons totius ordinis et ordinationis cunctorum. Sapientis enim est ordinare : ideo primæ, summæ et infinitæ sapientiæ Dei est omnia

* et in

* æque potentibus

A ordinare, et inordinata per culpam, ordinare per pœnam, neque in toto universo aliquid prorsus confusum et inordinatum relinquere, imo juxta decentissimum tenorem providentiæ suæ disponere universa. Nec obstat quod sanctus Job ait, In inferno nullus est ordo : quia hoc dictum est ideo quod omnia sunt ibi turbata, confusa et inquieta, quantum ad se ipsa, non autem respectu providentiæ Dei ac demeritorum. Deinde clarius subditur quomodo istud sit verum. *Hoc est, per unamquamque hierarchiam primas et medias et ultimas esse et ordinationes et virtutes,* hoc est, quod in qualibet hierarchia sunt aliqui chori et spiritus, aliqui ordines et ordinationes atque operativæ virtutes seu vires, primi et principales in hierarchia illa, aliqui medii, et aliqui infimi : sicut in prima hierarchia supremi sunt Seraphim, medii vero sunt Cherubim, et infimi in prima illa hierarchia sunt Throni. In eodem quoque choro ac ordine sunt primi et medii ac ultimi, ut infra magis patebit. *Et minorum esse diviniores doctores et manuductores,* hoc est, lex ista instituit eos qui « diviniores » sunt, id est Deo propinquiores et perfectiores, « esse doctores », purgatores, illuminatores, « et manuductores minorum », id est inferiorum ac minus scientium : doctores, inquam, *in divinam adductionem et illuminationem et communicationem,* id est, ad hoc quod reducantur in Deum per purgationem, et ad hoc quod plenius illuminentur a superioribus suis quantum ad pertinentia ad dispositionem et gubernationem hierarchicam, atque ad hoc quod abundantius participent scientiam et perfectionem altiorum illorum spirituum, qui suppositis sibi spiritibus communicant illuminationes sibi factas a Deo seu aliis superioribus spiritibus, de quibusdam effectibus et mysteriis Dei ac rationibus eorumdem.

Job x. 22.

B

C

D

Circa hæc aliqua possunt quæri, specialiter quomodo in angelis aliqui dicantur æquipotentes, et quomodo unus æquipo-

tentium reducat et illuminet alium, quum A dictum sit sæpius quod illuminare atque reducere, sit majorum et diviniorum. Verum ad istud infra in quæstione dicetur. Nunc tamen breviter tangendo, dicendum quod Theologus loquitur hic de æquipotentia in communi, hoc est in perfectione hierarchiæ ejusdem.

# ARTICULUS XXIV

QUOD REVELATIO MYSTERIORUM CHRISTI PRIMUM ANGELIS, DEINDE PER EOS HOMINIBUS FACTA SIT ; ET ULTIMÆ PARTIS HUJUS QUARTI CAPITULI EXPLICATIO.

CONSEQUENTER probat præhabita per B hoc quod etiam Christi mysteria primo revelata sunt angelis, et per eos hominibus.

*Video autem quia et divinum Christi humanitatis mysterium angeli primum* * docuere *sunt edocti* : id est, oculis fidei cerno et ex Scripturis considero, quod « angeli » sancti « edocti sunt primum », id est, prius quam homines didicerunt a Deo immediate aut mediate, « mysterium », id est sacrum secretum « humanitatis Christi », puta Incarnationis mysterium valde divi- C num, quum concernat Verbum æternum verum Deum, cui hypostatice est unita humanitas Jesu Christi, qui est ipsum Verbum æternum. *Deinde per ipsos in nos scientiæ gratia descendit,* id est, gratia notitiæ seu gratiosa cognitio mysterii hujus, per angelos manifestata et communicata est fidelibus.

* Sic * igitur *Si** (pro quia) *ergo** *divinissimus Gabriel* archangelus, qui est multum divinus et conscius secretorum Altissimi, cujus mentio fit nominatim in veteri novoque D Dan. VIII, 16 ; IX, 21 ; Luc. I, 19, 26. Testamento, videlicet in Daniele et Luca evangelista, *Zachariam quidem summum sacerdotem edocuit mysteria, hoc est, prophetam fore ex ipso contra spem gratia divina nasciturum puerum.* Hoc totum Luc. I, 11, 13, 17. Lucas plenius recitat. Apud quem legitur, quod Zacharia stante ante altare ad offerendum incensum, apparuit ei Gabriel, dicens : Nascetur tibi filius, qui in spiritu et virtute Eliæ præcedet Dominum Christum. Qui filius fuit « contra spem » de antiqua et sterili matre natus : quod fuit contra spem naturæ, gratia Dei supernaturaliter operante et fecunditatem præstante ipsi Elisabeth, quæ etiam tempore suæ juventutis fuit sterilis, jamque in senio duplex habuit impedimentum fecunditatis, quorum utrumque abstulit gratia, id est supernaturale donum gratuitum Spiritus Sancti. Sic (Luc. I, 7.) et Apostolus ad Romanos affirmat ipsum Abraham contra spem in spem credidisse, hoc est contra spem naturæ, in spem gratiæ. — Præterea, quamvis nonnulli dixerunt hunc Zachariam fuisse pontificem, alii tamen probabilius tenent oppositum, (Rom. IV, 18.) et quod fuit unus viginti quatuor sacerdotum qui ex institutione David regis, prophetæ ac patriarchæ, servierunt in templo : qui post pontificem erant supremi. Sicque Zacharias vocatur summus sacerdos, id est unus summorum post pontificem, aut etiam summus ratione suæ sanctitatis eximiæ ac gratiæ prophetalis. Hinc (I Par. XXIV, 7-18.) in Luca habetur quod fuit de vice Abiæ, et quod in ordine vicis suæ, id est tempore suæ hebdomadæ, ingressus est templum. (Luc. I, 5, 8.) De hoc super Lucam plenius scripsi. — « Nasciturum », inquam, « puerum prophetam » *divinitus et salutariter mundo manifestandæ virilis Jesu divinæ operationis* : id est, sacratissimum Joannem Baptistam præconem « operationis divinæ virilis », id est conversationis et actionis (Ibidem.)

Christi divinissimæ ac virilissimæ seu strenuissimæ, « manifestandæ mundo », id est hominibus, « divinitus », id est ex Dei præcepto, « et salutariter », id est valde salubriter ad hominum informationem atque salutem. Unde et Zacharias, Joanne
Luc. I, 76, 77. nato, mox prophetavit : Et tu, puer, Propheta Altissimi vocaberis; præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus, ad dandam scientiam salutis plebi ejus. Porro de operatione Christi manifestanda ho-
Joann. I, 29. minibus, dixit Joannes : Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi ; et rursus :
Ibid. 33. Qui me misit baptizare in aqua, ille mihi dixit : Super quem videris Spiritum descendentem, et manentem super illum, hic est qui baptizat in Spiritu Sancto.

*alias om. in *Mariam quoque, quomodo in* ipsa foret divinum ineffabilis divinæ formationis mysterium :* id est, Gabriel quoque edocuit felicissimam incomparabilemque Mariam, qualiter in ea « foret », id est, futurum et complendum protinus esset, « mysterium divinum divinæ formationis ineffabilis », id est incomprehensibilis in-
Philipp. II, 7. carnationis, qua forma servi unita est formæ (id est naturæ) Dei ; vel, « ineffabilis divinæ formationis » qua corpus Christi instantanee ex purissimis sanguinibus superhonestissimæ Virginis est formatum, organizatum, rationalique anima informatum; aut, « ineffabilis divinæ formationis », id est completionis qua anima Christi eodem quo creata est instanti, formata atque perfecta est omni gratia, caritate, sapientia, imo et beatifica visione. Hinc Unigenitus Patris, ratione assumptæ hu-
Is. XLIX, 5. manitatis ait per Isaiam : Et nunc hæc dicit Dominus formans me ex utero servum sibi.

* At *Ast* alius angelorum Joseph erudiebat quomodo vere implerentur divinitus promissa progenitori David :* id est, alius angelus erudivit S. Joseph, gloriosissimæ Virginis sponsum ac ministrum, quando
Matth. I, 19, 18. cogitavit occulte dimittere eam eo quod vidit eam impraegnatam, quomodo vere in sacratissima et præexcellentissima Virgine
A ejusque prole, protinus erant complenda quæ Deus promisit electo David de unico Dei Filio ex sua stirpe incarnando. Hinc legitur in Matthæo : Ecce angelus Domini Matth. I, 20, 21.
apparuit in somnis Joseph, dicens : Noli timere accipere Mariam conjugem tuam ; quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est. Pariet autem filium, et vocabis nomen ejus Jesum : ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. De quo filio fuit promissum David in Psalmo ; Benedicentur in ipso omnes tri- Ps. LXXI, 17.
B bus terræ. Unde et princeps Apostolorum in Actibus legitur prædicasse : David quum Act. II, 30.
esset Dei propheta, et sciret quia jurejurando jurasset ei Deus de fructu lumborum ejus sedere super sedem ipsius. Unde in Psalmo habetur : Juravit Dominus Ps. CXXXI, 11.
David veritatem, et non frustrabitur eum, de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.

*Alius vero pastores, tanquam multorum reditu et silentio conversos*, evangelizavit :* * purgatos
id est, alius angelus evangelizando
C erudivit pastores ad tantam gratiam coaptatos. Ideo subditur : « tanquam conversos », id est ad Deum reductos ac devotos (alia littera habet, Purgatos), « reditu », id est recessu ac segregatione, « multorum » ab eis, « et silentio », id est quiete cordis et vitatione loquacitatis : nam erat Luc. II, 8.
nox. Sicque tunc verum fuit etiam illud libri Sapientiæ : Dum quietum silentium Sap. XVIII, 14, 15.
tenerent omnia, et nox in suo cursu medium iter haberet, etc. Hinc ait Scriptura : Angelus ad pastores ait, Evangelizo Luc. II, 10, 11.
D vobis gaudium magnum, quia natus est hodie vobis Salvator. *Et cum eo multitudo exercitus cœlestis,* id est militia innumerabilium angelorum, secundum Origenem, *illam valde laudabilem tradebat* his qui* * tradebant
*in terra sunt doxologiam,* id est gloriæ hymnum, juxta illud in Luca : Facta est Luc. II, 13, 14.
cum angelo multitudo cœlestis exercitus laudantium Deum, et dicentium : Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Quod autem in eodem sequitur hymno, Laudamus te, etc.,

B. Hilarius fertur composuisse, quamvis A aliqui aliter dicant. — Præterea, in his verbis docet Theologus, quod solitudine, silentio et quiete, multum disponitur homo ad devotionem, contemplationem ac cœlestium revelationem, atque angelicam apparitionem et informationem : a quibus sociorum inquietudine, fabulatione ac strepitu, homo plurimum impeditur. Ad quod insinuandum, scriptum est : Exiit Jesus in montem solus orare, et erat pernoctans in oratione Dei. (*Matth.* XIV, 23; *Luc.* VI, 12.) Hinc ad Ezechielem Dominus dixit : Egredere in campum, et ibi loquar tecum. (*Ezech.* III, 22.) Isaias quoque ait : In silentio et spe erit fortitudo vestra. (*Is.* XXX, 15.) Ob hoc quoque in Threnis asserit Jeremias : Sedebit solitarius et tacebit, quia levabit se super se. (*Thren.* III, 28.)

*Respiciamque ad excellentissimas Eloquiorum luminis apparitiones,* id est, contemplabor altissimas descriptiones et declarationes « Eloquiorum », id est Scripturarum, « luminis », id est summæ Veritatis, quæ est lumen æternum a quo Scriptura profluxit, dicente Apostolo : Omnis Scriptura divinitus inspirata. (II *Tim.* III, 16.)

*Video enim* oculo fidei, *quoniam* * *et ipse Jesus supercœlestium essentiarum superessentialis essentia,* id est secundum deitatem suam supersubstantialis natura, et causa effectiva intellectualium creaturarum cunctis cœlestibus corporibus altiorum, de quibus Aristoteles dixit : Extra cœlum nihil est, sed sunt ibi entia quædam simplicia, optimam vitam ducentia, et de suis sufficientia ; *ad id quod secundum nos est immutabiliter veniens,* id est, D ad nostræ naturæ assumptionem, ejusque operationes et afflictiones tolerandas, absque suæ deitatis variatione descendens ; *non resilit sub se et bellicali et libenti humana bona ordinatione* * *:* id est, non refugit nec abhorret ab « ordinatione bona humana », id est ab exsecutione gratiosa et dispensatione benigna eorum quæ Deus Pater voluit eum in carne assumpta pro hominibus operari ac pati : quæ erant « sub se », id est valde aliena a suæ excellentia deitatis : ordinatione, inquam, « bellicali et libenti », quoniam Deus Trinitas ordinavit ut pugnando contra adversarias potestates pugnatione libenti, caritativa, spontanea, prævaleret, et genus liberaret humanum. Unde per Isaiam loquitur : Ego qui loquor justitiam, et propugnator sum ad salvandum. (*Is.* LXIII, 1.) De quo fertur in Psalmo : Quis est iste rex gloriæ? Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio. (*Ps.* XXIII, 8.) Cui ait Psalmographus : Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime. (*Ps.* XLIV, 4.) B Qui et suis dixit discipulis : Confidite, ego vici mundum. (*Joann.* XVI, 33.)

* *quod*

* *a se ordinata et assumpta humana ordinatione*

*Sed obediens subditur Patris et Dei per angelos dispositionibus :* id est, Christus secundum assumptam naturam Patri tanquam majori « obediens » (qui et beatissimæ Matri et patri putativo dispensative obtemperavit, juxta illud Lucæ : Descendit cum illis, et erat subditus eis) (*Luc.* II, 51.); « dispositionibus subditur Dei et Patris per angelos », id est ordinationibus et statutis per angelos exhibitis et administratis C circa ipsum secundum quod homo fuit; vel dispositionibus per angelos annuntiatis atque prædictis. Angelus quippe ejus incarnationem Virgini intimavit. (*Ibid.* I, 26-37.) Angelus pastoribus dixit : Et hoc vobis signum, Invenietis infantem pannis involutum, et positum in præsepio. (*Ibid.* II, 12.) Hinc demum scriptum est : Erat cum bestiis, et angeli ministrabant ei (*Marc.* I, 13.); atque alibi : Reliquit eum tentator, et ecce angeli accesserunt, et ministrabant ei. (*Matth.* IV, 11.) Ipse quoque discipulis loquens : Videbitis, inquit, angelos Dei ascendentes et descendentes supra Filium hominis. (*Joann.* I, 51.) Factus est ergo Christus obediens Patri usque ad mortem (*Philipp.* II, 8.), nobis relinquens exemplum, ut sequamur vestigia ejus (I *Petr.* II, 21.) : quia ut libro primo Regum Samuel protestatur, Melior est obedientia quam victimæ, quoniam quasi peccatum ariolandi est, repugnare, et quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere. (I *Reg.* XV, 22, 23.) His consonant verba Apostoli ad Hebræos : Debuit, ait, per omnia fratribus similari. (*Hebr.* II, 17.) Postremo in his verbis Theologus innuit duplicem Christi

naturam, puta : divinam, dicendo, Dispo- A sitionibus Patris ; et humanam, addendo, Joann. XX, 17. Et Dei. Unde et Christus disseruit : Ascendo ad Patrem meum et Deum meum.

*Et per medios ipsos,* id est, mediantibus angelis, *annuntiatur* ipsi *Joseph, a Patre disposita Filii ad Ægyptum recessio,* id est, discessio Christi a Judæa in Ægyptum, « disposita », id est præordinata, « a » Deo « Patre, annuntiatur, » id Matth. II, 13. est, notificata est, ipsi « Joseph », *et iterum ad Judæam ex Ægypto transductio,* id est, relatio Christi de Ægypto in Galilæam etiam per angelum commissa est illi electo Joseph, prout in Matthæo descri- Ibid. 19, 20. bitur, ubi narratur : Defuncto Herode, ecce angelus Domini apparuit in somnis Joseph in Ægypto, etc. Verum ibi subjun- Ibid. 22, 23. gitur : Audiens autem Joseph quod Archelaus regnaret in Judæa, timuit illo ire ; et admonitus in somnis, secessit in partes Galilææ, et habitavit in Nazareth. Ergo non rediit in Judæam, sicut hic dicitur. Et respondendum, quod Judæa interdum accipitur pro toto territorio Israelitici re- C gni, et sic Galilæam Samariamque inclu- Ps. CXIII, 2. dit : ut in Psalmo, Facta est Judæa sanctificatio ejus. Aliquando autem, pro principali parte regni illius : ut quum ait Salva- Joann. XI, 7. tor, Eamus in Judæam iterum. Etenim Ibid. X, 40. quando hoc dixit, fuit in Galilæa, ut Joannes tangit. Juxta istam acceptionem Ju- Act. I, 8. dææ locutus est Dominus Apostolis : Eritis mihi testes in omni Judæa, et Galilæa, et Samaria. — Porro in Evangelio non di- Matth. II, 13, 19. citur quod angeli apparuerunt Joseph, sed singulariter angelus. Ideo ponitur hic for- D tassis plurale pro singulari ; vel quia unus angelus commisit S. Joseph traducere puerum in Ægyptum, et alter angelus reducere puerum in Judæam. Vel si fuit angelus idem (quod probabile reor), pluraliter dictum est, Per angelos, propter iteratam ejusdem apparitionem.

*Et per angelos ipsum videmus sub paternis legibus* * *ordinatum.* (* sub Patris legislationibus) Joannes Scotus : Manifestum (inquit) est hoc. Quod tamen videtur obscurum : quomodo enim ordinatus aut dispositus est Jesus sub legibus per angelos ? Verum est equidem quod ipsemet dixit : Non veni legem sol- Matth. V, 17. vere, sed adimplere. Certum est quoque quod secundum Patris præcepta sit circumcisus, et in templo præsentatus. Quo- Luc. II, 21-24. modo autem factum sit hoc per angelos, non apparet. Hugo igitur sic exposuit : Quia legem per angelos datam servavit, ideo ordinatus est sub paternis præceptis per angelos. Sed hoc textus non videtur prætendere, nec hoc aliud est nisi quod B paulo ante jam retulit : Obediens subditur Patris et Dei per angelos dispositionibus. Potest ergo, ni fallor, ita exponi, quod Jesus ordinatus est sub legibus Patris per angelos, quia in carne mortali in sæculo isto conversans, in cunctis ordinate processit secundum Patris præcepta per angelos Christo in hoc ipso ministerium atque custodiam exhibentes. Nempe, ut in prima parte Summæ suæ, quæstione centesima tertiadecima, Thomas fatetur, quamvis Christus in quantum homo regulabatur a Verbo æterno, atque secundum animam quoad vires ejus superiores, erat comprehensor perfectus, nec ut sic indiguit angelo ; attamen ratione passibilis corporis, fuit viator : sicque debebatur ei angelus custos, non tanquam superior, sed ut minister inferior. Et quoad hoc posset et Christo applicari illud Psalmi : Quoniam angelis suis mandavit de te, ut Ps. XC, 11. custodiant te in omnibus viis tuis. Insuper, sicut præallegato loco asserit Thomas, homo in statu innocentiæ angelum habuit custodem. Quamvis enim sibi non imminebat periculum ab intus, quoniam ordinatus fuit intrinsecus, imminebat tamen ei periculum foris propter insidias dæmonis. Certum est quod Christo in via insidiabantur homines impii spiritusque maligni. — Amplius, circa præhabita scribit Albertus : Quædam est cura essentialis et simplex, quam angelus habet de aliquo, ut ei caveat a peccato atque de periculis : sicque angeli non habuerunt curam de Christo. Alia est cura quasi per

accidens : et ita habuerunt curam de
Christo, instruendo illos quorum curæ
Christus secundum carnem subditus fuit.
Hac tamen responsione aptior esse videtur
jam præinducta. Nam Christo quantum ad
naturam passibilem, pericula et adver-
sa pœnalia imminebant frequenter : sicut
*Luc.* IV, 29. dum Judæi volebant eum præcipitare et
*Joann.* X, 39. capere. In quorum evasione poterant ei
angeli ministerium exhibere, quemadmo-
*Matth.* IV, 11. dum dum tentator reliquit eum in monte,
quamvis et aliis modis poterat illa eva-
dere.

*Insto enim dicere, ut scienti nostris sa-
cerdotalibus traditionibus expressa :* hoc
est, mihi est, id est, mihi incumbit, « di-
cere » tibi Timotheo, « ut », id est tan-
quam, « scienti expressa », id est, ea quæ
expressa sunt, « traditionibus nostris sa-
cerdotalibus », id est evangelicis docu-
mentis, quæ nobis tradiderunt Apostoli,
summi sacerdotes ac præsules, specialiter
Paulus, et Lucas, qui ex ore Pauli evan-
gelium fertur scripsisse ; *et de angelo
ipsum Jesum confortante.* De quo Lucas
*Luc.* XXII, 43. disseruit : Apparuit autem illi angelus de
cœlo, confortans eum, id est, per modum
confortantis se habens, consolatoria ver-
ba loquendo. Qua confortatione Christus
*Hebr.* II, 9. non eguit ; sed aliquantulum minoratus
ab angelis, secundum Apostolum ad He-
bræos, id est minor angelis factus, quan-
tum ad corporis passibilitatem et huma-
nitatem secundum se consideratam, non
ut Verbo unitam, dignatus est in tantum
subjici angelicæ dispensationi secundum
æterni Patris præordinationem, ut etiam
ita ab angelo confortaretur, humanam in
se conditionem demonstrans, non ab an-
gelo auxilium quærens.

* *Aut* *An* quia et ipse Jesus per nostram sa-
* *beneficam* lutarem beneficentiam* et manifestato-
riam veniens ordinationem?* quasi dicat :
Utique, « quia Jesus veniens » in hunc
mundum « per beneficentiam nostram sa-
lutarem », id est per saluberrimam bene-
ficiorum suorum exhibitionem quæ nobis
largitus est, « et » per « ordinationem
A manifestatoriam », id est per divinam præ-
dispositionem seu Patris præordinationem,
ex qua factum est quod Filius Dei est
incarnatus ut manifestaret hominibus Dei
Patris imo et summæ Trinitatis notitiam,
atque mysteriale consilium super modo
et ordine redemptionis generis humani
per Christum, quemadmodum ipse Chri-
stus in Evangelio ait : Pater, manifestavi *Joann.* XVII, 6.
nomen tuum hominibus. Unde et in pri-
ma sua Canonica sanctus effatur Joannes :
Scimus quoniam Filius Dei vivit, et dedit I *Joann.* V, 20.
B nobis sensum ut cognoscamus Deum ve-
rum. *Angelus magni consilii appellatur* *Is.* IX, 6.
secundum assumptam humanitatem, in
qua et per quam hominibus apparuit, et
multa secreta revelavit discipulis, juxta
illud : Quæcumque audivi a Patre meo, *Joann.* XV, 15.
nota feci vobis. Omnia, inquit, id est quæ-
dam de omnibus, non simpliciter omnia.
Nam paulo post adjecit : Adhuc multa *Ibid.* XVI, 12.
habeo vobis dicere, sed non potestis por-
tare modo. Hinc ergo vocatus est, Ange-
lus magni consilii, id est præco et nuntius
C æterni incomprehensibilisque decreti quo
Trinitas adoranda et superbenedicta de-
crevit salvare nos per incarnationis Verbi
mysterium. Verumtamen, Damasceno te-
stante, consilium est ignorantis naturæ,
quum in ipso sit inquisitio de agendis : ita
vero non convenit Deo, sed ut denotat
profundum ac sapientiale decretum. De-
nique particula ista, ex antiqua transla-
tione est sumpta. Siquidem apud Isaiam,
ubi secundum Hebraicam veritatem habe-
tur, Et vocabitur nomen ejus, Admirabilis, *Is.* IX, 6.
D Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri
sæculi, Princeps pacis, sicut translatio
S. Hieronymi continet ; Septuaginta inter-
pretes transtulerunt, Vocabitur nomen ejus,
Magni consilii Angelus. Et hoc, ne Pto-
lemæo regi Ægypti, ad cujus instantiam
transtulerunt, unius Dei cultori, pande-
rent mysterium distinctionis Personarum
in Deo, ut scribit Hieronymus.

*Etenim, ut ipse angelo prædictus*,* id * *ut ipse Angelus*
est sicut Christus prænuntiatus ab angelo,
ut patuit (imo et ab angelo prænomina-

Luc. II, 21. tus, juxta illud : Vocatum est nomen ejus Jesus, quod vocatum est ab angelo priusquam in utero conciperetur. Hinc per Is. XLIX, 1. Isaiam fuit prophetatum : Dominus ab utero vocavit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei), *ait : Quæ-* Joann. XV, 15. A *cumque audivi a Patre meo, annuntiavi vobis**. Hoc scriptum est in Joanne, et ibidem expositum. Itaque patet cur et qualiter Christus angelus nuncupetur : idcirco nec incredibile quod angelorum ministeria circa ipsum exhibita sunt.

**dixit, quæcumque audivit a Patre, annuntiavit nobis.*

# ARTICULUS XXV

INTRODUCTIO ET SOLUTIO QUÆSTIONUM QUARUMDAM CONCERNENTIUM PRÆSENS CAPITULUM.

HIC quæritur, an in angelis sint aliqui æquipotentes. Videtur quod non, quia in angelis non est distinctio materialis, neque per quantitatem, sed tantum formalis, quum sint formæ simplices in se sine materia subsistentes, ut patuit supra, Greg. hom. 34. et sancti Dionysius, Gregorius, Rabanus quoque et alii multi affirmant : talis autem distinctio est specifica, non numeralis individualisve tantum. Præterea, corpora cœlestia quamvis materialia, ab invicem specifice differunt : ergo plus angeli. Non ergo sunt æquipotentes. — Respondetur quod æquipotentia ista potest tripliciter accipi. Primo simpliciter : et ita qui sunt unius speciei aut æque perfecti in naturalibus aut in donis gratuitis, dicuntur æquipotentes ; et si tales sunt in patria, non videtur quod unus reducat neque illuminet alium, quum non sit major aut luminosior alio. Secundo intelligi potest in genere, et ita qui unius sunt hierarchiæ, dicuntur æquipotentes, quæ est æquipotentia remota et secundum quid ; tertio, in specie, hoc est quantum ad ejusdem ordinis gradum aut potestatem : et istæ sunt æquipotentiæ secundum quid, præsertim secunda; horum quoque æquipotentium unus alium illuminat ac reducit. An vero sint plures angeli ejusdem speciei specialissimæ, tactum est supra et tangetur.

Secundo igitur quæritur, an aliqui angeli sint æquipotentes simpliciter, hoc est B speciei ejusdem. Hoc autem est jam ante quæsitum, aliqualiterque solutum, et super secundum Sententiarum diligentius perscrutatum, atque (ut puto) infra certitudinem est, quamvis Thomas ad hoc, quemadmodum ad cetera consimilia, satis affirmative respondeat : propter quod multos habet contradicentes. Denique Henricus de Gandavo doctor solennis, in Summa et Quodlibetis multipliciter probat et tenet, non oportere tot species esse in angelis quot individua, dato quod immateriales consisterent. C Quod et super secundum Sententiarum tenet Albertus, quamvis aliter alibi opinatus sit. Imo et in Scripto secundi, sensit Albertus quod omnes angeli unius sint speciei specialissimæ, in solis gratuitis differentes. Verumtamen in quæstionibus circa istud capitulum scribit : Aliqui dicunt quod omnes angeli ab invicem specie distinguantur. Quod dici oportet, sequendo rationes philosophorum : quæ quum nihil inconveniens secundum fidem contineant, sustineri potest D ista opinio, cui et S. Dionysius magis consentire videtur. Hæc Albertus. Qui in Scripto secundi Sententiarum conscripsit, quod Sancti magis concordant in hoc, quod omnes sint speciei ejusdem. Quod non puto Sanctos magis sensisse ; nec B. Dionysium æstimo consensisse opinioni illi philosophorum, sicut et infra patebit.

Tertio posset hic sciscitari, an angeli sancti ab exordio sæculi præcognoverunt

mysterium Incarnationis, hoc est Dei Filium incarnandum. Cujus quæstionis solutio infra septimo capitulo habet locum. Nunc autem in tantum tangi potest, quod ab exordio suæ glorificationis illud noverunt quoad substantiam rei seu facti, quum ad illius notitiam et exhibitionem A cuncta eorum officia ordinentur. Non tamen sciverunt illud a principio, quantum ad singulas conditiones et circumstantias ejus. Et istud verum est, non de naturali, sed de supernaturali et beatifica angelorum notitia, qua omnia vident in Verbo æterno.

## PARAPHRASIS ABBATIS VERCELLENSIS

Quum in præcedenti capitulo definierimus hierarchiam in generali, deinde laudanda est specialiter hierarchia angelica, et intellectualiter inspicienda sunt testimonia sacræ Scripturæ, in quibus sensibiles formæ angelis attribuuntur ut per earumdem formarum collationem sursumagamur ad contemplandam angelorum simplicitatem, quæ præ ceteris creaturis conformior est divinæ simplicitati. Sed laus ista inchoanda est a Deo, qui est earum et omnium principium : qui a nobis laudandus est, sed non per definitionem, quia definiri a nobis non potest, sed cultu et veneratione principali, et gratiarum actionibus, quantum possumus, perfectissimis.

In ipsius laude hoc ad præsens commemoramus, quod ipse habet omnimodam bonitatis plenitudinem, et ex illa sui plenitudine supersubstantiali, esse accipiunt et ad esse deducuntur omnia exsistentia. Deo enim, qui est causa omnium et bonitas præeminens omnibus, proprium est vocare exsistentia ad communionem sui ipsius juxta uniuscujusque creaturæ capacitatem. Quædam siquidem capaces sunt essentiæ, vitæ, scientiæ, bonitatis et beatitudinis ; quædam, unius tantum istorum, scilicet essentiæ ; quædam, plurium. Omnia ergo exsistentia participant provisiva distributione emanante ex Divinitate, quæ est supersubstantialis et causa omnium. Non enim essent, nisi Deitate, quæ est omnium essentia et principium, participavissent. Inanimata siquidem Deo participant per suum esse. Divinitas enim est esse omnium, quæ est super omne esse suum superessentialis. Viventia autem, per vivificam virtutem participant vita Deitatis, quæ est super omnem vitam. Rationalia autem et intellectualia participant sapientia Dei, quæ est per se perfecta, imo su- B perans omnem perfectionem, et est super omnem rationem et mentem. Manifestum est autem quod illæ substantiæ familiarius ei conjunguntur, quæ multiplicius et copiosius eo participant. — Sancti ergo ordines cœlestium hierarchiarum præeminent et inanimatis et terræ virentibus, et irrationalibus animalibus, et etiam nobis qui rationales sumus. Ipsi enim intelligentias suas pure in Deum extendentes, ad ipsius imitationem se transformant ; et divinam speciem cui assimilandi sunt, comprehensive contemplantur, et illi desiderant conformare suam intelle- C ctualem speciem : et per hoc copiosiores habent communiones ad Deum præ ceteris quæ diximus. Manent autem in tali exercitio infatigabiles et attenti, semper extenti ad superna æternæ Sapientiæ spectacula, juxta cujuslibet capacitatem : et hoc, per fortitudinem divini amoris, a quo nulla occasione possunt deflecti vel retardari. Et ipsi a Deo intus suscipientes immaterialiter et pure principales illuminationes, secundum easdem ordinantur, habentes plenam et integram vitam, in nullo intellectuali sensu deficientem aut diminutam. Illæ ergo cœlestes substantiæ primo et D multiplicius sunt manifestativæ divini secreti. Unde præ ceteris creaturis excellenter dignæ habentur angelica denominatione, eo quod divina illuminatio primo ingignitur illis, et manifestationes divini luminis quæ sunt super nos, per ipsos ad nos deferuntur. Unde dicit Scriptura quod lex est ordinata per angelos. Angeli etiam ad superiorum cognitio- *Galat.* III, 19.
nem et amorem provocantes sanctos patres nostros et ante legem et post legem, et eosdem ab errore infidelitatis et prava conversatione reducentes ad veritatem et justitiam, revelaverunt eis aut ordines cœlestium ani-

*Is.* VI, 2. morum (ut testatur Isaias : Seraphim stabant super illud ; sex alæ uni, et sex alæ alteri. Et *III Reg.* XXII, 19. in libris Regum : Vidi Dominum sedentem super solium suum, et omnem exercitum cœli adsistentem ei. *Dan.* VII, 10. Atque apud Danielem : Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia adsistebant ei); aut occultas *II Cor.* XII, 2. visiones mysteriorum (unde Paulus ait : Scio hominem in Christo, ante annos quatuordecim, sive in corpore, sive extra corpus, nescio, Deus scit, raptum hujusmodi usque ad tertium cœlum. *Dan.* II, 19. Et Danieli revelatum est nocte mysterium per visionem. Cui et angelus alio *Ibid.* X, 21. loco ait : Annuntio tibi quod expressum est *Gen.* XLI, 16, 25-32. in Scriptura veritatis. Et Joseph patriarchæ revelatum est somnium Pharaonis); aut quasdam divinas prænuntiationes : ut ubi Isaias *Is.* VII, 14. ait, Ecce virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel. Et Danieli *Dan.* IX, 23, 24. dictum est ab angelo : Intellige visionem. Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, etc.

Quod si quis putet aliquos sanctorum pa- *Joann.* I, 18; *I Joann.* IV, 12. trum vidisse Deum immediate, attendat quod dicit Scriptura, Deum nemo vidit unquam ; *Exod.* XXXIII, 20. et, Non videbit me homo et vivet. Dei autem apparitiones Sanctis manifestatæ sunt per quasdam formas visibiles vel intelligibiles, Deo quidem utcumque congruentes, et videntibus cognoscibiles. Theologia autem tanquam ex plenitudine sapientiæ emanans, talem apparitionem vocat divinam visionem, tanquam similitudinem invisibilium visibiliter ostensam : quæ vocatur convenienter Dei apparitio, eo quod videntes sursumagit ad divinam cognitionem, et videntes eam divinitus illuminantur, et per eas divinum aliquid edocentur.

Has autem divinas visiones docebantur sancti patres per indicationem cœlestium animorum, ut patet in legis datione. Legitur enim *Ibid.* XXXI, 18; XXXIV, 1 et seq. in Exodo, quod Moyses recepit legem a Domino, non ab angelo. Et Dominus legitur di- *Ibid.* XXIV, 12. xisse Moysi : Dabo tibi lapideas tabulas, etc. Et tamen dicit Apostolus, quod lex ordinata *Galat.* III, 19. est per angelos ; et in Actibus Stephanus, Ac- *Act.* VII, 53. cepistis legem in dispositione angelorum : sacra Scriptura per hoc nobis innuente, quod divina ordinatione constitutum sit ut inferiores sursumagantur per superiores ad Dei cognitionem et amorem. Non solum autem ordines inferiores ordinantur et sursumaguntur per ordines superiores ; sed etiam in quoli- A bet ordine inferiores personæ sursumaguntur per superiores ejusdem ordinis, sicut Deus ordinavit in singulis hierarchiis primos et medios et ultimos ordines, et in singulis ordinibus superiores esse magistros et manuductores inferiorum, ad ducendum illos in divinam illuminationem et communionem.

Aliud exemplum patet apud Lucam, ubi legitur quod Gabriel angelus docuit Zachariam *Luc.* I, 11-20. sacerdotem summum, mysterium quod ipse a Deo didicerat, scilicet puerum de se præter spem divina gratia nasciturum, futurum prophetam qui mundo salubriter manifesta- B ret dominicæ incarnationis mysterium. Idem etiam angelus B. Mariam docuit mysterium *Ibid.* 26-35. quod ipse a Deo didicerat, scilicet Deum assumpturum carnem de illa. Item legitur in Matthæo, quod angelus docuit Joseph vere *Matth.* I, 20, 21. adimpleta esse quæ promisit Deus David de *Ps.* CXXXI, 11. Christo. Alius etiam angelus evangelizavit pastoribus, per solitudinem et silentium purga- *Luc.* II, 9-12. tis ut apti fierent percipiendis revelationibus angelicis, Christi nativitatem ; et cum eodem *Ibid.* 13, 14. angelo multitudo cœlestis exercitus mortalibus formam illam laudabilem ad glorificandum tradidit : Gloria in excelsis Deo, etc. C — Commemoro etiam præcipuas annuntiationes angelorum in terra exhibitas. Siquidem quum Dominus Jesus, qui supersubstantialiter præeminet etiam cœlestibus substantiis, naturam humanam assumeret, manens tamen in perfectione naturæ divinæ, non a se repulit ordinationem quam ipse cum Patre et Spiritu Sancto constituerat, scilicet ut humana hierarchia per angelicam disponeretur ; sed obedienter se subdidit, in eo quod homo, ordinationi Dei Patris per angelos administratæ. Verbi gratia, per angelum an- *Matth.* II, 13. nuntiata est Joseph fuga Domini Jesu in Ægy- D ptum a Deo dispensata, et iterum ejusdem reductio de Ægypto ; et ipse secundum legem *Ibid.* 19, 20. Dei datam per angelos, ut prædictum est, circumcisus est, et oblatus est in templo. Et *Luc.* II, 21-24. plura alia secundum legem impleta sunt, quæ non enumero tibi scienti Scripturas : quale est, quod angelus confortavit Dominum in *Ibid.* XXII, 43. agonia. Ipse etiam Dominus Jesus carne nostra assumpta veniens ad manifestandum no- *Joann.* I, 18. bis divina et cœlestia, dicitur Angelus magni consilii in Isaia, secundum antiquam translationem, ubi nos habemus, Consiliarius. Et *Is.* IX, 6. merito dicitur Angelus, quia ipse hominibus *Joann.* XV, 15. evangelizavit quæcumque audivit a Patre.

# CAPITULUM V

QUARE OMNES CŒLESTES ESSENTIÆ COMMUNITER ANGELI DICUNTUR.

HÆC quidem est, quantum ad nos, causa angelicæ in Eloquiis cognominationis. Scrutari autem (ut æstimo) oportet, ob quam causam theologi omnes quidem simul cœlestes essentias, angelos vocant : ad manifestationem autem venientes supermundialium ipsarum dispositionum, ordinem angelicum specialiter nominant completive terminantem divinas et cœlestes res; ante ipsum vero superposite archangelicos ordinant ornatus, Principesque, et Potestates, et Virtutes, et quascumque his superfirmatas essentias, Eloquiorum cognoscunt manifestatoriæ traditionis. Dicimus autem quia per omnem sanctam dispositionem, excellentes quidem ordines habent inferiorum dispositionum illuminationes et virtutes ; non autem participantes excellentium se sunt ultimi. Igitur sanctissimos excellentissimarum essentiarum ordines, angelos vocant theologi : etenim sunt manifestatores et ipsi divinæ illuminationis. Ordinem vero extremum animorum cœlestium non habent rationem Archas, aut Thronos, aut Seraphim nominandi. Neque enim est in participatione excellentissimarum virtutum ; sed sicut ipse nostros divinos summos sacerdotes reducit ad cognitos ei Divinitatis fulgores, sic et ante se essentiarum adhuc immundæ virtutes reducunt, et ad divinum sunt consummantis angelicas hierarchias dispositionis. Nisi quidem quis et hoc dixerit, communes esse omnes angelicas nominationes, secundum omnium cœlestium virtutum in deiforme et ex Deo datum lumen subjectionem et supereminentem communicationem. Sed ut magis a nobis ratio dijudicata sit, considerabimus sacre in Eloquiis expressas sanctas et decoras proprietates uniuscujusque cœlestis dispositionis.

## ARTICULUS XXVI

ELUCIDATIO HUJUS QUINTI CAPITULI.

QUUM juxta præhabita, nomen angeli annuntiationem designet, et infimo ordini approprietur, recte nunc investigatur, cur universæ illæ intellectuales et A incorporales substantiæ communiter angeli nominentur.

*Hæc quidem est, quantum ad nos, causa angelicæ in Eloquiis cognominationis :*

id est, ista quam expressi capitulo præcedenti, est ratio cur aliqui spiritus vocati sunt angeli, « in Eloquiis » Scripturarum, « quantum ad nos », id est respectu officii sui quod circa homines habent; vel, « quantum ad nos », id est, prout nos considerare valemus; aut certe, « quantum ad nos », id est per comparationem eorum ad ecclesiasticam hierarchiam, et prout ad nostram cognitionem deveniunt : quia ex effectibus et operibus eorum circa viatores, specialia eis imponimus nomina. In cœlesti vero patria, absque hujusmodi nominibus cognoscuntur clare in lumine Creatoris, atque per intelligibiles species mentibus Beatorum inditas et impressas. Intelligentiæ nempe sunt plenæ formis, et similitudines universi relucent in ipsis.

*Scrutari autem (ut æstimo) oportet, ob quam causam theologi omnes quidem simul cœlestes essentias,* id est spiritus intellectuales, empyrei cœli cives et incolas, *angelos vocant* «simul», id est pariter. *Ad manifestationem autem venientes supermundialium ipsarum dispositionum, ordinem angelicum specialiter nominant completive terminantem divinas et cœlestes res.* Id est : Theologi « nominant specialiter ordinem », id est chorum, « angelicum », spiritus « venientes », id est divinitus missos, «ad manifestationem dispositionum ipsarum supermundialium », id est ad manifestandum hominibus ordinantias Dei concernentes homines ipsos particulares secundum quod sunt quædam privatæ personæ : ordinem, inquam, « terminantem completive », id est, perfectionaliter finientem, « divinas et cœlestes res », id est choros ac spiritus hierarchiæ cœlestis : quia ordo Angelorum est infimus et ultimus hierarchiæ supernæ, sicque complet totam illam ordinationem et coordinationem supermundani palatii, utpote cœli empyrei, quod factum, mox angelis est repletum. Vel, « terminantem completive », id est, realiter seu proxime exsequentem, « res divinas et cœlestes », et ea quæ desuper ordinata sunt fieri aut A revelari, quæ originaliter ex Deo sunt instituta, et superioribus choris prius aut copiosius seu clarius revelata, et deinde per intermedios propalantur et infimis. Hinc asserit Hugo : Præceptum divinum a summo deorsum currens, per superiores ordines ad inferiores defertur, donec tandem ad cognitionem deveniens, opere compleatur. Propter quod ordo ille cœlestis ad quem novissime per superpositas virtutes descendit, ac foris nuntiatur ut compleatur, dicitur illud terminare.

B *Ante ipsum vero superposite archangelicos ordinant ornatus :* hoc est, theologi « ordinant », id est, ordinatos affirmant, « ornatus archangelicos », id est Archangelos spiritualiter decoratos perfectionibus naturæ et gratiæ ac lumine gloriæ, imo et beatifica visione, « superposite », id est ascendendo, « ante ipsum », id est super chorum et ordinem Angelorum ; *Principesque,* id est, ordinem Principatuum constituunt super Archangelos, *et Potestates* ponunt super ordinem Princi- C patuum, *et Virtutes* supra Potestates, *et quascumque his superfirmatas essentias, Eloquiorum cognoscunt manifestatoriæ traditiones*,* id est reliquas his superiores substantias, utpote Dominationes, Thronos, Cherubim, ac Seraphim, quas « manifestatoriæ traditiones Eloquiorum », id est doctrinæ Scripturarum declarativæ catholicarum veritatum ad fidem spectantium, « cognoscunt », id est, describunt et nos cognoscere faciunt.

* traditionis

*Dicimus autem quia,* id est quod, *per* D *omnem sanctam dispositionem,* id est in omni ordinatione hierarchica ac supernorum spirituum serie, *excellentes quidem ordines,* id est chori superiores, *habent inferiorum dispositionum illuminationes et virtutes,* id est gratias et fulgores, vires, scientias et irradiationes ordinum inferiorum : sicut in omni toto potestativo videmus quod in parte potestativa suprema continentur eminenter perfectiones ac vires omnium partium inferiorum : ut in Papatu sunt potestates patriarcharum, ar-

chiepiscoporum, episcoporum et sacerdotum; in potestate quoque regali, potestates ducum, comitum et baronum; sic et in intellectivo rationali continentur sensitivum et vegetativum. Hoc Proclus et auctor libri de Causis sæpius contestantur, quod scilicet intelligentiæ et virtutes et causæ superiores, virtualiter continent atque transcendunt inferiores; et quod potest virtus inferior per plura et minus perfecte, potest virtus superior per pauciora ac magis perfecte. *Non autem,* id est non econverso, *participantes excellentium se sunt ultimi.*

*Igitur sanctissimos excellentissimarum essentiarum ordines, angelos,* id est nuntios, *vocant theologi,* id est, auctores Scripturæ et sequaces eorum, etiam superiores choros supernorum spirituum eximie sanctos, nominant angelos, id est nuntios; *etenim sunt manifestatores et ipsi hierarchicæ* * *illuminationis,* id est, quia et illi superiores manifestant, communicant et ostendunt inferioribus mentibus illuminationes et cogitationes sibi divinitus factas. Hoc est quod libro secundo asserit Damascenus : Manifestum est quod qui eminent, inferioribus tradunt illuminationem et cognitionem. *Ordinem vero extremorum* * *animorum cœlestium non habent rationem Archas, aut Thronos, aut Seraphim nominandi,* id est, theologi rationabilem causam non habent quod « ordinem animorum cœlestium extremorum », id est chorum infimorum spirituum supernorum, vocent Principatus, aut Thronos : quemadmodum in ecclesiastica hierarchia simplices sacerdotes non vocantur pastores aut præsules, quamvis præsules et pastores vocentur sacerdotes.

* divinæ

*extremum

*Neque enim est in participatione excellentissimarum virtutum,* id est, ultimus ille ordo non pertingit ad tam excellentem participationem donorum et perfectionum exsistentium in superioribus choris, quod eorum nominibus sit vocandus. Ideo in libro de Causis habetur : Primorum omnium quædam sunt in quibusdam per

A modum quo licet ut sit unum eorum in alio. Quod enim in alio est, est in illo secundum modum illius, hoc est secundum mensuram et capacitatem ac proportionem ipsius. Damascenus quoque : Differunt (inquit) ab invicem illuminatione et statione secundum eminentiam ordinis aut naturæ. *Sed sicut ipse nostros divinos summos sacerdotes reducit ad cognitos ei Divinitatis fulgores,* id est, sicut infimus ille ordo Angelorum purgat, illuminat ac reducit sacerdotes ecclesiasti-

B cæ hierarchiæ ad Deum, communicando eis notitiam divinorum et splendores sapientiæ sibi a Deo collatos; *sic et ante se essentiarum adhuc sacratissimæ* * *virtutes,* id est, ita mentes illæ supernæ, quæ sunt « virtutes sacratissimæ », id est efficaces et vigorosæ substantiæ, quæ sunt « ante se », id est, in dignitate præcedunt infimum chorum Angelorum, quæ virtutes sunt de numero « essentiarum cœlestium », *reducunt et ad divinum* *, id est ad summum ac divinissimum bonum, seu ad

C pleniorem participationem suæ increatæ scientiæ, quantum ad cognitionem divinorum effectuum, prout ad hierarchicam spectat illustrationem, *angelicas hierarchias,* id est choros seu ordines hierarchice ordinatos, *consummantis dispositionis,* id est ultimæ collocationis in hierarchia superna : quæ ultima dispositio complet et terminat hierarchiam eamdem, sicut expositum est.

* immundæ

* divinum sunt

*Nisi quidem quis et hic* * *dixerit :* id est, id quod dixi, nomina superiorum or-

D dinum non communicari inferioribus choris ob causam jam assignatam, verum est, « nisi quis dixerit » *communes esse omnes angelicas illuminationes* *, ita quod in eodem gradu perfectionis conveniant omnibus choris, *secundum omnium cœlestium virtutum in deiforme et ex Deo datum lumen subjectionem,* id est secundum illam dependentiam atque subditionem qua universæ virtutes ac mentes supernæ dependent a Deo et ei subduntur per reductionem earum « in » quoddam « lumen »

* hoc

* nominationes

a Deo eis præstitum et infusum, quod est « deiforme », id est multum simile lumini increato quod Deus est : quod lumen deiforme posset quis dicere lumen gloriæ; *et supereminentem communicationem*, id est, nisi quis dixerit eas pares esse in illuminatione secundum « supereminentem communicationem », id est etiam ob hoc quod eamdem beatificam visionem a Deo accipiunt, quæ est una et par ex parte objecti, et significatur per denarium quem singuli operarii in Evangelio accepisse leguntur. Istud tamen rationabiliter dici non potest, quia nec lumen gloriæ, nec beatifica visio est in eis secundum æqualem gradum perfectionis, sicut nec omnes æque felices sunt. Propter quod dixit Salvator : In domo Patris mei mansiones multæ sunt, id est diversi gradus præmiorum juxta diversam exigentiam meritorum. Hoc etiam improbatur per hoc quod tam diversæ ac distinctæ proprietates, actiones, vires et perfectiones conveniunt distinctis ordinibus. Unde subjungitur :

*Matth.* XX, 2, 9, 10. — *Joann.* XIV, 2.

*Sed ut magis a nobis ratio dijudicata sit*, id est, ut innotescat legentibus et audientibus, quod præassignatam rationem, cur scilicet nomina superiorum ordinum non conveniant infimo choro, discrete tradidimus, recte dijudicando de ea, *considerabimus sacre in Eloquiis expressas sanctas et decoras proprietates uniuscujusque cœlestis dispositionis :* id est, sigillatim pensabimus et in sequentibus capitulis describemus « proprietates » cujuslibet « dispositionis », id est bene dispositi ordinis, « cœlestis » : proprietates, inquam, « sanctas et decoras », id est immaculatas, virtuosas ac splendidas, « expressas sacre », id est vere et irreprehensibiliter positas et digestas, « in Eloquiis » Scripturarum absque admixtione erroris et falsitatis.

# ARTICULUS XXVII

INTRODUCTIO ET SOLUTIO QUÆSTIONUM QUARUMDAM CONCERNENTIUM PRÆSENS CAPITULUM.

HIC quæritur primo, an nomina ordinum inferiorum conveniant superioribus choris. Videtur quod sic, quoniam ordines primæ hierarchiæ non solum includunt in se perfectionem et actum infimi chori, sed et sex ordinum sub se contentorum, ut constat ex dictis, et ex natura cujuslibet totius potestativi. Præterea, a supremis illis ordinibus derivatur non solum ad infimum chorum nuntiatio et manifestatio minimorum annuntiandorum privatis personis per Angelos, imo et manifestatio ac denuntiatio maximorum nuntiandorum personis sublimibus per Archangelos, aut dispensandorum circa regna atque provincias per Principatus, secundum quosdam : sicque omnes ordines illi superiores possent vocari Archangeli ac Principatus. — Respondetur, quod speciali ratione contingit ut ordinum omnium personæ ac spiritus angeli appellentur, quoniam infimus chorus non dicit speciale donum nobilitatis aut perfectionis ultra hoc quod est inferioribus nuntiare : a quo dono nomen sortitus est. Medii vero chori habent et dicunt speciale aliquid ultra illud commune, atque ab illo speciale nomen sumpserunt. Per quod patet solutio ad objecta. Non enim sufficit sola illa inclusio, sed exigitur ut infimum nil nobilitatis superaddat a quo denominetur.

Secundo quæritur, an nomina superiorum ordinum inferioribus choris conveni-

ant. Videtur quod sic, quoniam universi A spiritus illi superni, Creatoris amore ineffabiliter ardent, et eminenter scientifici sunt, in omnibus quoque illis Deus suavissime requiescit. Rursus, aliqui homines sancti, ob suæ dilectionis fervorem, et ob sapientiæ suæ splendorem, et propter tranquillitatis suæ firmitatem, nuncupati sunt Seraphici, et Cherubici, ac Thronici : ergo angelis sanctis etiam infimis multo plus hoc competit. — Et respondendum, quod spirituum supernorum nomina imponuntur ab aliquo quod B ipsis eminentius ac specialius inest et convenit. Quamvis autem universi cives illi superni, absolute loquendo, Creatorem suum toto diligant corde indesinenter et sine interruptione, secundum suum extremum posse, attamen primus ille ordo cum valde præcipuo id agit sancti amoris incendio ; sic quoque secundus chorus, qui Cherubim nuncupatur, respectu infimorum valde præclara Deum limpiditate contemplatur : et ita de aliis. Ob hoc nomina illa non competunt infe- C rioribus choris.

Tertio quæritur, an angeli superiores illuminent inferiores de omnibus quæ superiores ipsi cognoscunt. Videtur quod non, quia sic superiores non plus scirent quam inferiores. Præterea, inferioribus non sunt revelanda mysteria superioribus nota ac revelata, nisi quantum ad infimorum statum, mensuram aut officium pertinet, aut alias rationabilis exigit causa : non autem ad infimos taliter pertinet scire quidquid supremis revelatur seu constat. Insuper, Christo ascendente, angeli inferiores a superioribus aliqua interrogabant (*Is.* LXIII, 1.) quæ tunc usque nescierant, quæ tamen superiores tunc et antea noverant, ut infra septimo habetur capitulo. — Ad istud quidam respondent, quod quum proprietas boni sit bonitatem suam diffundere, et quod sibi collatum est aliis communicare, angeli beati, qui non solum in naturalibus, sed in gratuitis quoque ac supernaturalibus bonitatem Creatoris præeminenter participant, nil sibi retinent proprium : ideo quidquid Deo aut alio superiore revelante agnoscunt, inferioribus juxta capacitatem eorum ostendunt ac pandunt excellenter ex maxima caritate, implentes quod princeps hortatur Apostolorum : Unusquisque sicut accepit (I *Petr.* IV, 10.) gratiam, in alterutrum illam administrantes. Verum, an ista responsio vera et certa sit, malo ambigere, quam temere definire : præsertim quum et cognitio talis in multis spectet ad dona gratiæ gratis datæ, quæ dantur ad utilitatem communem loco et tempore opportuno, prout moderatur ac requirit discretio. Hinc et Raphael angelus loquens Tobiæ : Sacramentum (inquit) regis abscondere bonum est. (*Tob.* XII, 7.)

## PARAPHRASIS ABBATIS VERCELLENSIS

QUUM inter novem ordines angelorum cœ- D lestium, ultimus specialiter dicatur ordo Angelorum, et illi ordini præsint Archangeli, Principatus, Potestates, Virtutes, et ceteri ordines ; quæritur qua ratione in Scripturis, cujuslibet ordinis personæ indifferenter dicantur angeli. Respondetur, quod omnium ordinum inferiorum illuminationes et virtutes plenius illis habent ordines superiores. Inferiores vero non habent illuminationes et virtutes in ea plenitudine in qua habent superiores. Unde quum nomina ordinum singulorum designent speciales ipsorum gratias, ut dicitur infra, (cap. VII *et seq.*) merito superioribus possunt inferiorum nomina attribui, tanquam ipsorum illuminationes a quibus nomina imponuntur, plenius habentibus ; sed non econverso. Unde et ipsi Seraphim vocantur angeli, id est nuntii, quia

ipsi manifestativi sunt divinæ illuminationis. Neque eadem ratio requirit ut ultimi ordinis substantiæ dicantur Principatus, aut Throni, aut Seraphim : quia non æqualiter ut illi participant divinis illuminationibus ; sed sicut Angeli infimi ordinis sanctos hierarchas humanæ hierarchiæ sursumagunt ad splendores sapientiæ sibi cognitos, ita ordines superiores ordinem angelicum, qui ultimus est in ordinibus cœlestibus, sursumagunt ad divinam cognitionem. Quamvis dici possit, quod angelica nominatio communis est omnibus cœlestibus animis, quia unum lumen divinum quod per eos manifestatur, omnes communicant, secundum majus et minus. Sed ut horum clarior sit doctrina, consideremus singulorum ordinum vel hierarchiarum proprietates juxta testimonia Scripturarum nostrarum.

# CAPITULUM VI

## QUÆ PRIMA CŒLESTIUM SUBSTANTIARUM DISPOSITIO, QUÆ MEDIA, QUÆ ULTIMA.

QUANTI quidem sunt et quales supercœlestium essentiarum ornatus, et quomodo secundum eos hierarchiæ perficiuntur, solam diligenter scire dico contemplativam eorum perfectionis principem ; adhuc et eos ignorare * propriɑs virtutes et illuminationes, et suam sacram et superornatam ordinationem. Impossibile enim est nos scire supercœlestium animorum mysteria, et sanctissimas eorum perfectiones : nisi ibi dixerit quis, quæcumque per eos nos tanquam propria bene scientes Divinitas mysteria docuit. Non ergo nos quidem nihil proprio motu dicimus. Quæcumque autem angelicarum speculationum a sanctis theologis contemplata sunt, hæc docentes nos, quantum potentes sumus, exponemus. — Omnes Theologia cœlestes essentias, novem vocavit manifestativis cognominationibus. Has divinus noster sanctus perfector, in tres segregat ternas dispositiones. Et primam quidem esse dicit circa Deum exsistentem semper, et attente ipsi et ante alias immediate uniri traditam. Sanctissimos enim Thronos, et oculosos et pennosos ordines Cherubim Hebræorum voce et Seraphim nominatos, secundum omnibus superpositam propinquitatem circa Deum immediate collocari, ait tradere divinorum Eloquiorum manifestationem. Trinum ergo hunc ornatum, quasi unam et æque ordinatam et vere primam hierarchiam, communis noster magister ait : qua non alia deiformior, et per se præoperantibus Divinitatis illuminationibus immediate intentior. Secundam vero esse ait ex Potestatibus et Dominationibus et Virtutibus completam ; et ternarum novissime cœlestium hierarchiarum, Angelorum et Archangelorum et Principatuum dispositionem.

* cognoscere

*Ezech.* I, 18 ; X, 12 ; *Is.* VI, 2.

# ARTICULUS XXVIII

## ELUCIDATIO HUJUS CAPITULI SEXTI.

* substantiarum

*QUÆ prima cœlestium essentiarum * dispositio, quæ media, quæ ultima.* Hoc est : In isto capitulo edocetur, « quæ » sit « dispositio », id est ordinatio vel hierarchia, « cœlestium essentiarum », id est supernorum spirituum, « prima », id est suprema, hoc est, qui chori et ordines ad primam pertineant hierarchiam, et quis chorus inter illos sit summus, quis medius, et quis ultimus ; « quæ media », id est, quæ dispositio vel ordinatio cœlestium essentiarum, id est supernorum spirituum, sit media, id est, quos ordines B contineat, et quis inter ordines illos sit summus, quis medius, quis extremus ; « quæ ultima », id est, juxta hunc sensum tangetur etiam in præsenti capitulo, quæ sit ultima dispositio essentiarum cœlestium.

* eos

* eorum perfectionis principem

*Quanti quidem sunt et quales supercœlestium essentiarum ornatus, et quomodo secundum eas * hierarchiæ perficiuntur, solam diligenter scire dico contemplativam earum teletarchiam *.* In exordio hujus capituli, magnus Dionysius in primis C propriam imperfectionem considerat ac fatetur : « Dico », inquiens, « teletarchiam solam », id est solam principalem et increatam dominationem mysteriorum supernorum. Dicitur quippe teletarchia, a τελετή, quod est traditio mysteriorum, et ἀρχός, quod est princeps, quasi princeps seu principatus, aut dominator seu activa dominatio mysterialium traditionum. Hanc teletarchiam « contemplativam earum », id est clare cognoscitivam omnium suorum effectuum, dico « scire diligenter » et D plene « quanti quidem », id est quam magni virtute aut numero, « et quales », quantum ad specificam differentiam ultimatam, vel quales in donis naturalibus, itemque gratuitis, « sint ornatus supercœlestium essentiarum », id est ipsæ speciosæ et valde ornatæ supercœlestes essentiæ, utpote mentes angelicæ seu angeli sancti pulcherrimi, « et quomodo hierarchiæ » cœlestes « perficiuntur secundum eas », id est per eas, vel juxta dignitatem et perfectionem earum. Nam ipsæ hierarchiæ instar totius integralis, imo potius per modum totius potestativi, constituuntur et constant ex ipsis ordinibus; et quo ordines ipsi et personæ in eis contentæ, sunt sublimiores et pulchriores, eo hierarchiæ quæ resultant ex illis, sunt perfectiores ac magis præclaræ.

* ignorare

Sed quia ex hoc verbo sequi videtur quod mentes illæ supernæ ignorent se ipsas, seu propriam dignitatem, potestatem, dispositionem ac operationem, auctor hoc removet, addens : *Adhuc* autem *et eos cognoscere **, id est, etiam dico ornatus seu spiritus istos decoros agnoscere *proprias virtutes,* id est vires sibi collatas, *et illuminationes,* id est illustrationes seu informationes passivas quas a Deo et superioribus spiritibus habent intermedii spiritus, vel supremi a solo Deo. Sciunt quoque illuminationes activas quas inferioribus tradunt et influunt. Sic etiam noscunt *et suam sacram et superornatam ordinationem,* id est mutuam suam coordinationem et dispositionem hierarchicam, qualiter omnes ac singuli in suis hierarchiis ac choris sint collocati. Quæ ipsorum ordinatio est sacra ac superornata, id est supernaturaliter et altius quam intelligere hic possimus, decorata.

Sed hic interea advertendum, quod translationes in hoc loco sunt valde diversæ.

Nam aliqui textus habent sicut exposui. Alii habent sic : Adhuc et eos ignorare proprias virtutes et illuminationes, et suam sacram et superornatam ordinationem. Hoc est, ex quo dixi soli Deo constare quales et quanti sint spiritus isti angelici, ideo addo et dico, quod ipsimet nesciunt proprias virtutes et illuminationes ac ordinationes. Sicque exponunt Hugo et Albertus. Porro Joannes Scotus et Joannes Sarracenus, Lincolniensis et Maximus, exponunt primo modo. Quæ expositio verior planiorque consistit. Quod enim sapientissimi spiritus illi non noscerent semetipsos ac dona sibi collata, non conveniret, præsertim quum videant Deum clare in se ipso, totumque ordinem universi in increata sapientia ejus. Philosophi quoque satis probaverunt quod intelligentiæ noscant se ipsas et ordinem suum, virtutem et actum. Unde propositione tertiadecima libri de Causis, habetur : Omnis intelligentia intelligit essentiam suam. Propositione quoque octava : Omnis intelligentia scit quod est supra se, et quod est sub se : verumtamen scit quod sub se, quoniam ipsa est causa ei ; et scit quod est supra eam, quoniam acquirit bonitates ab eo. Idem Proclus ostendit ex hoc quod talis substantia est reditiva supra se ipsam et super proprium actum : quæ reditio est per cognitionem. At vero Lincolniensis tangit occasionem tantæ diversitatis in translationibus istis : Quidam, inquiens, transtulerunt, Ignorare : quod non credimus factum ex ignorantia transferentis, sed ex corruptione sui exemplaris. — Albertus demum declarat qualiter littera queat salvari secundum translationem quæ continet, Ignorare : Dicimus, inquiens, quod substantia, virtus, illuminatio ac ordinatio angelorum, dupliciter considerantur : primo, secundum exitum eorum ab altitudine omnipotentiæ Dei, quæ infinita est in creatione cujuscumque etiam minimi : et ita a solo Deo perfecte sciuntur, qui solus perfecte infinitatem suam cognoscit. Secundo considerantur prout emanatio eorum stat in natura ipsorum determinata : et ita perfecte hæc sciunt, quamvis imperfecte respectu scientiæ Dei.

Præterea, spiritus istos supernos S. Dionysius interdum vocat cœlestes, aliquando supercœlestes : quod utrumque qualiter verum sit, aliquoties est supra expressum.

*Impossibile enim est nos scire,* id est, per naturam non est possibile, nisi forte per revelationem, qua et Paulus multa hinc scivit, *supercœlestium animorum mysteria,* id est sacra secreta civium supernorum, *et sanctissimas eorum perfectiones* quibus a Deo perficiuntur, perfectiones quoque eorum in donis atque virtutibus gratiæ gratum facientis ; *nisi ubi* dixerit quis, quæcumque per eos nos tanquam propria bene scientes Divinitas mysteria docuit :* id est, « nisi » in his « ubi », id est in quibus, « Divinitas docuit nos quæcumque mysteria », id est aliqua secreta, quæcumque sint illa, « per eos », id est per animos illos supernos, « tanquam » per « bene scientes propria » dona atque mysteria divinitus eis data, commissa seu revelata. Quibus utique animis Deo gratissimis et valde acceptis, excellentissime competit dicere quod dixit Paulus apostolus de se et coapostolis suis : Non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis.

* *ibi*

I Cor. II, 12.

*Igitur* nos quidem nihil proprio motu dicimus,* id est, de tam sublimi ac divina materia nihil dicimus proprio sensu aut conceptu, ne simus rei præsumptionis, et irreverenter loquentes de tam præamandis ac honorabilibus creaturis. *Quæcumque autem angelicarum speculationum a sanctis theologis contemplata sunt, hæc edocti* :* id est, nos jam fideliter informati et cognoscentes « quæcumque » vera « speculationum angelicarum », id est considerationum ad angelos pertinentium : vera, inquam, « contemplata sunt a sanctis theologis », id est Apostolis ac Prophetis et eorum illuminatis sequacibus

* *Non ergo*

* *docentes nos*

præcepta et agnita ; *quantum potentes sumus*, id est, secundum quod Deo juvante poterimus, *exponemus*. Unde elicitur quod gloriosus Dionysius in his ab Apostolis et apostolicis viris fuit instructus. Magna est ergo in his auctoritas ejus, nec contradicendum est ei. Considerandum est item quam modeste se habeat in loquendo, temerariam assertionem et omnem præsumptionem vitando. Sic et Plato in primo Timæi de sensibilis mundi productione orsus fari : Mementote, ait, tam me qui loquor, quam vos qui auditis, mortales esse, atque ita in rebus sublimibus mediocrem elocutionem magni cujusdam esse onus laboris.

Consequenter intentum prosequitur. *Omnis** *Theologia*, id est tota divina Scriptura, *cœlestes essentias*, id est intellectuales separatas substantias, hoc est choros seu ordines essentiarum illarum, *novem vocat** *manifestativis cognominationibus*, id est, novem exprimit et appellat nominibus quæ manifestant et significant naturam, proprietatem, actum, dignitatem sive officium illorum spirituum. Quæ nomina infra congruo ordine exprimuntur et exponuntur. Unde subjungitur :

* Omnes

* vocavit

*Has divinus noster sanctus perfector*, id est Paulus apostolus, tuus et meus magister ac institutor, *in tres segregat trinas** *dispositiones*, id est, dividit et distinguit in novem ordines; vel, « in tres trinas dispositiones », id est in tres hierarchias, quarum quælibet continet tres dispositiones, id est tres ordines bene ac sapienter dispositos. Quidam autem per divinum hunc perfectorem, intelligunt B. Hierotheum, virum ex gentilitate conversum, cujus frequenter meminit S. Dionysius, præsertim tertio capitulo de Divinis nominibus, affirmans ibidem eum coram nonnullis Apostolis et aliis multis Sanctis collationem fecisse, tantaque gratia ac sapientia præditum fuisse, quod præclarissimi quoque apostoli, Petrus, Joannes et Jacobus Minor tunc ibi præsentes, super hoc mirabantur. Verius tamen videtur quod per

* ternas

A hunc perfectorem, intellexerit Paulum, quia et paulo post, eumdem perfectorem vocat communem ducem nostrum. Denique, quamvis non habeamus in scripturis beatissimi Pauli, quod distinxerit ordines et hierarchias cœlestes sicut hic recitatur, creditur tamen quod de his ore tenus docuit quosdam discipulorum suorum amplius elevatos, præsertim magnum Dionysium istum, quibus ad totius Ecclesiæ profectum et informationem, insinuavit hæc ipsa et multa arcana quæ in suo didicerat raptu. II Cor. XII, 4.

B *Et primam quidem esse dicit circa Deum exsistentem*, id est, primam atque supremam hierarchiam docet Deo præ ceteris propinquius esse unitam, *semper*, id est per ævum, seu omni tempore discreto, quod aliqui ponunt in comprehensoribus et Beatis; *et attente ipsi et ante medias** *immediate uniri traditam :* id est, primam hierarchiam asseri « traditam », hoc est affirmatum ac traditum seu revelatum esse de ea, quod ipsa « attente », id est diligentissime, « et immediate » uniatur C Deo, « ante medias » dispositiones, id est ante tres intermedios angelicos ordines. Non enim habet directe circa exteriora officia; nec per forinseca obsequia tripartitur : imo distinguitur per actus internos ad fruitionem spectantes, hoc est per fruitionem, cognitionem et tentionem, requietionem seu comprehensionem, imo potius per excellentias quasdam actuum horum, ut cito patebit.

* alias

Hic interea intuendum, quod universi ordines angelorum Deo immediate con- D juncti sunt, et immediate convertuntur in ipsum, æternaliterque stabiliuntur in ipso; attentissime quoque ei intenti sunt quantum ad beatificam visionem ipsius, et quoad ea quæ omnes immediate cernunt in ipso, secundum quod cernunt illa in ipso. Quæ autem de ista immediata et mediata unione et conversione ad Deum dicuntur hic et alibi sæpe, sumenda sunt quantum ad hierarchicam reductionem et illuminationem in cognitione divinorum effectuum, de quibus et quorum ratio-

nibus atque mysteriis superiores illustrant A inferiores. Insuper, quamvis prima hierarchia dicatur immediate conversa, reducta et intenta in Deum, per respectum et comparationem inferiorum hierarchiarum ac ordinum, qui per superiores de aliquibus illuminantur ac reducuntur in Deum ; attamen, ut apparet, etiam inferiores in prima hierarchia, a superioribus suis in aliquibus illustrantur, et per eos reducuntur in Deum : imo et ipsi altiores in suprema hierarchia, non solum a Christo homine, sed ab electissima quoque et B incomparabili Virgine, in quibusdam illuminantur.

*Sanctissimos enim Thronos, et oculosos et pennosos ordines Cherubim Hebræorum voce et Seraphim nominatos, secundum omnibus superpositam propinquitatem circa Deum immediate collocari, ait tradere divinorum Eloquiorum manifestationem.* Id est : Præfatus noster perfector « ait manifestationem », id est manifestam doctrinam, « divinorum Eloquiorum », id est Scripturarum, « tradere », id est docere, C « sanctissimos Thronos », id est valde sanctos angelos exsistentes de ordine Thronorum, « et oculosos », id est spiritualiter multum acutos et perspicaces, « et pennosos », id est contemplativos, contemplationisque penna volantes celerrime ad universa sua objecta, « ordines Cherubim », id est angelos bene coordinatos consistentes de ordine Cherubim, « voce Hebræorum », id est in idiomate Hebræo ita vocatos, in quo Cherub interpretatur plenitudo seu apex scientiæ : quod nomen in libris Moysis ac D Prophetarum sæpe habetur ; « et Seraphim nominatos », id est angelos exsistentes de ordine Seraphim, quod etiam nomen Hebraicum est, et incendentes seu calefacientes interpretatur : hos, inquam, ait « collocari », id est ordinatos ac positos esse, « immediate circa Deum », ita quod non est hierarchia aut ordo cœlestis altior eis, quanquam de anima Christi ac deificatissima Virgine nullum sit dubium quin omnibus istis propinquiores sint Deo, non loco, sed assimilatione ac eminentia gloriæ : et ita intelligendum est quod subditur, « secundum propinquitatem superpositam omnibus », id est loquendo de spirituali approximatione qua hierarchia ista præ ceteris cunctis hierarchiis Deitati proximior, id est sublimior est, Creatorem suum ardentius diligendo, limpidius contemplando, tranquillius continendo. Idcirco quod dicitur, Circa Deum, non est intelligendum quasi localis, corporalis aut circumscriptus sit Deus in deitatis natura ; sed quod Sancti ejus circa eum, tanquam circa objectum, fontem et causam totius suæ salutis, indesinenter versentur, inavertibiliterque figantur inæstimabili prorsus ac summo affectu.

*Trinum ergo hunc ornatum, quasi unam et æque ordinatam et vere primam hierarchiam, communis noster dux dixit* :* hoc est, « dux noster communis », videlicet beatissimus Paulus, qui prædicatione, doctrina, operibus et exemplis nos convertit et reduxit ad Deum, « dixit ornatum hunc trinum », id est coordinationem et congregationem hanc trium ordinum superiorum, esse « hierarchiam quasi unam » aggregative, id est tanquam collectam et reductam ad unum, « et æque ordinatam », id est æqualiter dispositam immediate sub primo, « et vere primam », id est supremam : et hoc, loquendo de perfectione et ordinatione ejus in generali. Quamvis enim in hierarchia hac ordines tres consistant, quorum unus est altior alio ac Deo propinquior, imo in unoquoque eorum sint primi, medii ac ultimi ; omnes tamen personæ et chori hierarchiæ istius in hoc in generali conveniunt, quod eorum actus et cultus seu ministratio immediate circa Deum versatur : idcirco est vere prima per comparationem ad inferiores. *Quia* non alia deiformior,* id est, nulla est alia hierarchia Deo similior in naturalibus atque gratuitis ac gloriæ donis, imo in his ipsa est deiformior ceteris ; *et per se præoperantibus Divinitatis illuminationibus*

* *magister ait*

* *qua*

*immediate intentior :* id est, hierarchia ista est magis intenta « per se », id est sine alia mediante et cooperante, « illuminationibus Divinitatis præoperantibus », id est divinis illustrationibus, influentiis et eruditionibus primo operantibus in ea formaliter : quoniam primo descendunt in istam hierarchiam, variosque effectus causant in ea, ut sequenti clarebit capitulo.

*Secundam vero esse ait ex Potestatibus et Dominationibus et Virtutibus completam :* id est, præfatus noster dux tradidit « secundam » et mediam hierarchiam angelicam « esse completam », id est plenarie constitutam, « ex » tribus istis ordinibus, utpote « Potestatibus, Dominationibus », atque « Virtutibus ». Qui tamen hic exprimuntur non ea forma et serie qua in sua totali hierarchia sunt ordinati, quia in ea supremus chorus est exercitus Dominationum, medius est ordo Virtutum, infimus, Potestatum. Et in hoc gloriosus Dionysius sequitur principem suum Paulum, qui exprimendo ordines angelorum, nunc istum, nunc illum præ-
*Rom.* VIII, 38; *Ephes.* I, 21; *Coloss.* I, 16. exprimit ; nunc istum, nunc illum omittit. In quibus verbis constat, quod in talibus locis intendit ordines materialiter ac vocabulariter explicare et numerare, non formaliter ordinare : unde quosdam ordines quos uno in loco nominare omisit, in alio exprimit, aliis non expressis nec repetitis. Porro, si ad numerum et ordinationem eorum hierarchicam attendisset, probabile est quod omnes simul in eadem recitationis forma ordinaliter expressisset.

* *ternarum*
*Et trinarum * novissime cœlestium hierarchiarum, Angelorum et Archangelorum et Principatuum dispositionem :* id est, prædictus dux noster perhibuit « dispositionem », id est hierarchialem coordinationem et adunationem, « Angelorum et Archangelorum et Principatuum », esse « novissime », id est in ultimo loco « hierarchiarum cœlestium trinarum », id est trium hierarchiarum cœlestium, quarum quælibet tres choros includit.

A Præterea, quoniam juxta præhabita, Ecclesia militans ordinata est instar triumphantis, potest prætacta cœlestium hierarchiarum ordinumque distinctio ac dispositio declarari per simile in Ecclesia militanti, hoc est in ecclesiastica hierarchia. In cujus statu utroque, utpote spirituali atque civili, talis est ordinatio, quod ministrorum principis præcipui, utpote Papæ, aut imperatoris seu regis, aliqui habent obsequium et actionem immediate circa personam hujusmodi superio- B ris, videlicet secretarii, et consiliarii, et cubicularii, et assessores. Istis similes perhibentur tres chori primæ hierarchiæ cœlestis. Alii sortiuntur officia circa regimen communitatis seu regni in generali, non prælati in speciali territorio huic aut illi. Quibus conformes censentur ordines hierarchiæ secundæ. Alii præficiuntur ac præsident determinatis partibus seu urbibus regni : quemadmodum officiati minores, ballivi, sculteti, præpositi. Quibus conformes dicuntur ordines tertiæ hie- C rarchiæ.

Itaque primi tres chori sumuntur ac distinguuntur juxta ea quæ requiruntur ac pertinent ad adsistendum, vacandum inhærendumque Deo, sicut jam dictum est. Sed trium mediorum ordinum distinctio capitur penes diversitatem præsidendi hominibus : ad quam præsidentiam tria concurrunt. Primum est, præcipere quis quid agere debeat, et agentes dirigere : quod spectat ad Dominationes. Secundum est, jussa implere et exsequi : quod pertinet D ad Virtutes. Tertium est, impeditiva arcere : quod spectat ad Potestates, quarum est adversarias potestates frenare. Porro, ultimorum trium ordinum distinctio attenditur penes diversam particularis regiminis limitationem. Nam aliqui præsunt alicui toti communitati : ut Mi- *Dan.* x, 21.
chael olim Synagogæ, modo Ecclesiæ. In
Daniele etiam legitur de principe regni *Ibid.* 13.
Persarum, principe quoque Græcorum. *Ibid.* 20.
Alii dicuntur præesse parti communitatis, videlicet civitati : quod quidam adscri-

bunt Archangelis, quos alii putant præesse sublimibus personis, quibus et majora annuntiant. Alii singulis præsunt ho- A minibus, quibus et minora denuntiant. De his percurro, quoniam infra amplius habent locum.

# ARTICULUS XXIX

INTRODUCTIO ET SOLUTIO QUÆSTIONUM QUARUMDAM HUJUS SEXTI CAPITULI.

CIRCA hæc quæritur, an B. Dionysius congruenter ordinet choros angelicos in propriis hierarchiis. Videtur quod non, (*Greg. hom. 34.*) quoniam sancti patres Gregorius et Bernardus dicunt Virtutes esse primum chorum infimæ hierarchiæ, Principatus vero medium ordinem hierarchiæ secundæ; Dionysius vero hic statuit Virtutes in media hierarchia esse medium ordinem, Principatus autem affirmat esse primum hierarchiæ infimæ ordinem.

Et respondendum, quod ordinationi beatissimi Dionysii simpliciter et absolute est acquiescendum, attamen sine derogatione Gregorii et Bernardi : præsertim quia et sanctus pater Bernardus, in quodam libello quem recolo me legisse, pœnitentiam egit quod in hac re a doctrina Dionysii abiit; et opinative loquitur de ordinum distinctione : Putemus, inquiens, Angelos dici[1] (nisi tu convenientius aliquid considerasti) qui singuli singulis ho- (*Hebr. I, 14.*) minibus dati creduntur, missi in ministerium, secundum Pauli doctrinam, propter eos qui hereditatem capiunt salutis. De (*Matth. XVIII, 10.*) quibus Salvator : Angeli eorum semper vident faciem Patris. Putemus his præesse Archangelos, qui conscii mysteriorum divinorum, non nisi ob præcipuas et maximas causas mittuntur. E quibus magnus (*Luc. I, 26.*) ille archangelus Gabriel missus legitur ad Mariam, ob causam utique qua major esse non potuit. Putemus super istos Virtutes esse, quarum nutu vel opere signa et pro- B digia in elementis sive ex elementis facta apparent ad commonitionem mortalium. Inde est fortassis, quod quum in evangeliis legas, Erunt signa in sole et luna (*Luc. XXI, 25.*) et stellis; paulo post habes, Nam Virtu- (*Ibid. 26.*) tes cœlorum movebuntur : hi nimirum spiritus per quos signa fiunt. Putemus Potestates superiores istis, quarum virtute potestas tenebrarum comprimitur, et coercetur malignitas aeris hujus, ne quantum vult noceat, ne malignari, nisi ut prosit, possit. Putemus Principatus his quoque C prælatos, quorum moderamine et sapientia omnis in terris principatus constituitur, regitur, limitatur, transfertur, mutilatur, mutatur. Putemus Dominationes adeo cunctis supereminere præfatis ordinibus, ut respectu horum ceteri videantur omnes administratorii spiritus, et ad is- (*Hebr. I, 14.*) tos tanquam ad dominos referri regimina Principatuum, tutamina Potestatum, operationes Virtutum, revelationes Archangelorum, curam et providentiam Angelorum. Putemus Thronos alto etiam ab his D evolasse recessu : qui ex eo quod sedent, Throni dicuntur; et ex eo sedent, quod sedet in eis Deus. Neque enim in eis sedere qui non sederent, posset. Quæris quid illam sentiam sessionem? Summam tranquillitatem, placidissimam serenitatem, pa- (*Philipp. IV, 7.*) cem quæ exsuperat omnem intellectum. Talis est qui sedet in Thronis, Dominus Sabaoth, judicans omnia cum tranquilli- (*Sap. XII, 18.*) tate, placidissimus, serenissimus, pacatis-

[1] Quæ sequuntur, a Ven. Dionysio sub *etc* complexa, addita sunt a primis editoribus.

simus : et tales constituit sibi Thronos similimos sibi. Putemus Cherubim ex ipso sapientiæ fonte ore Altissimi haurientes et refundentes fluenta scientiæ universis civibus suis. Et vide ne is sit quem Pro-
Ps. XLV, 5. pheta loquebatur, fluminis impetus lætificans civitatem Dei. Putemus Seraphim, spiritus totos divino igne succensos, succendere universa, ut singuli cives singulæ sint lucernæ ardentes et lucentes : ardentes caritate, lucentes cognitione. O Eugeni, quam bonum est nos hic esse ! quam fore melius, si quando tamen toti sequamur quo ex parte præcessimus ! — Hæc Bernardus, ut patet quinto libro de Consideratione.

Magnus quoque pater Gregorius sine immoderata fatur assertione ; atque in ea auctoritate Apostoli se fundavit, qua ad
Coloss. I, 16. Colossenses disseruit : Sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus. Sed si ex hac sola auctoritate sumitur argumentum quod Principatus sint in media hierarchia et supra Virtutes, multo fortius argumentum accipi potest ex verbis ejusdem Apostoli, qui alibi sæpius ordinat Virtutes super Principatus. Nempe ad Colossenses
Ibid. II, 10. ait de Christo : Qui est caput omnis Principatus et Potestatis. Ad Ephesios quoque
Ephes. I, 20, 21. apertius : Deus, inquit, constituit Christum ad dexteram suam in cœlestibus supra omnem Principatum, et Potestatem, et Virtutem, et Dominationem. Et rursus
Ibid. III, 10. ad Ephesios : Ut innotescat, ait, Principibus et Potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei. Hinc
I Cor. XV, 24. denuo loquitur : Quum evacuaverit omnem Principatum, et Potestatem, et Virtu-
Rom. VIII, 38. tem ; itemque ad Romanos, Neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes. Cui ordinationi angelicorum chororum consonat quod et vertex apostolici agminis in
I Petr. III, 22. prima sua scribit Canonica : Profectus Christus in cœlum, subjectis sibi Angelis, et Potestatibus, et Virtutibus.

Præterea Thomas in prima parte Summæ fatetur quod ordinatio Dionysii melior est quam Gregorii. Dionysius namque

A consideravit proprietates et actus ac ordinationes angelicorum spirituum, ex nominibus eorumdem quæ ipsis in Scripturis attribuuntur. Ideo ordines illos in prima constituit hierarchia, quorum nomina designant unionem cum Deo per dilectionis fervorem, contemplationis sinceritatem, et quietis firmitatem. Illos autem posuit in media hierarchia, quorum nomina universalem dispositionem important, videlicet Dominationes, Virtutes, et Potestates. Principatus demum, Archangelos, et Angelos,
B in ultima collocat hierarchia : quia hæc nomina operis exsecutionem significare videntur. Verum, ut tactum est supra, S. Dionysius de his a Paulo usque ad ter- II Cor. XII, 2, 4.
tium cœlum rapto, et ibi supernaturaliter docto, est informatus. Cujus etiam ordinationem Damascenus secundo sequitur libro, et expositores antiqui.

Verumtamen Gregorius et Bernardus considerationem specialem habuisse putantur, videlicet prout media hierarchia attenditur penes prælationem, ultima pe-
C nes ministrationem. Triplex autem prælatio convenit angelis : prima, qua angeli sancti præsunt angelis sanctis, et hi Dominationes vocantur ; secunda, qua præsunt hominibus, et illos nominant Principatus ; tertia, qua præsunt dæmonibus quos coercent, quos Potestates appellant. Ministratio etiam seu ministerium triplex est : unum in operando ; secundum in docendo seu nuntiando : et hoc vel majora, aut certe minora. Quorum primum pertinet ad Virtutes, secundum hos Sanctos ;
D secundum ad Archangelos ; tertium ad Angelos. — Postremo, doctores scholastici in prædictis communiter S. Dionysium sunt secuti. Unde ait Albertus : Gregorius et Bernardus consideraverunt ordines secundum conformitatem ecclesiasticæ hierarchiæ, in qua principes et prælati superiores sunt illis qui operantur virtutes ; Dionysius autem melius ordinavit secundum proprietatem nominum, quia nomen Virtutis, dicit potentiam incontracte ; [Principatus autem, potentiam limitatam.]

## PARAPHRASIS ABBATIS VERCELLENSIS

NUMERUM, et dignitatem, et gloriam, et dispositionem hierarchiarum cœlestium substantiarum, solus Deus manifestat. Ipse autem bene novit proprias virtutes et illuminationes, et suam invisibilem ordinationem. Nobis autem impossibile est scire illarum substantiarum mysteria et perfectiones, nisi quantum dispensatione divina et ab eisdem erudimur bene scientibus propria. Nos ergo nihil dicemus de eis in hoc tractatu ex motu proprio, sed ea quæ contemplati sunt Apostoli, aut discipuli, et alii Sancti qui scripserunt de statu angelorum, ea nos, prout possumus, exponemus secundum quod nos didicimus.

Sicut ex variis sacræ Scripturæ testimoniis colligitur, novem sunt ordines angelorum expressis nominibus designati : quos S. Paulus apostolus institutor noster, distinguit in tres trinas hierarchias. Et primam hierarchiam dicit collocari circa Dei substantiam, et attente et præ aliis immediate Deo uniri. Et dicit ex Scri- A pturis colligi, quod in hac hierarchia collocentur principaliter et immediate circa Deum tres ordines : quorum ultimus vocatur Throni ; medius Hebraice Cherubim, qui dicitur oculosus, propter multitudinem scientiæ ; summus vero Hebraice dicitur Seraphim, cui attribuuntur alæ, quia supervolat omnibus aliis. Hanc ergo hierarchiam hos tres ordines continentem, docuit nos Apostolus esse sicut unam et coordinatam et primam omnium angelicarum hierarchiarum, quia non est alia Deo conformior, et quia ipsa est immediate vicinior illuminationibus divinæ hierarchiæ primo emaB nantibus quasi de principali fonte. Secundam vero hierarchiam dicit compleri ex tribus ordinibus : quorum primus est Dominationum, secundus Virtutum, tertius Potestatum, ut patet infra. Tertiam vero et ultimam hierarchiam dicit continere tres ordines : quorum primus est Principatuum, secundus Archangelorum, tertius et ultimus Angelorum, ut patet infra.

*Ezech.* I, 18; X, 12. — *Is.* VI, 2. — cap. VIII. — cap. IX.

# CAPITULUM VII

### DE SERAPHIM ET CHERUBIM ET THRONIS, ET DE PRIMA EORUM HIERARCHIA.

HUNC ergo nos recepturi sanctarum hierarchiarum ordinem, dicimus quia omnes cœlestium intellectuum cognominationes, declarationem habent uniuscujusque deiformis proprietatis. Et quidem sanctam Seraphim nominationem, quæ Hebræorum sunt scientes, aut incendentes manifestare, aut calefacientes ; eam vero Cherubim, multitudinem scientiæ, aut fusionem sapientiæ. Pulchre igitur prima cœlestium hierarchiarum ab excellentissimis essentiis sanctificatur, ordinem habens omnibus altiorem : hoc est, circa Deum immediate collocatur, et primo operantes theophaniæ et perfectiones, in eam tanquam proximam principalius deferuntur. Calefacientes ergo nominantur, et Throni, et fusio sapientiæ, manifestativo deiformium suarum habitudinum nomine.

Mobile enim semper eorum circa divina, et incessabile, et calidum, et acutum, et superfervidum, intentæ et forsitan intimæ, et non indigentis, et inflexibilis semper motionis, et superpositorum reductivæ, et active assimilativum*, tanquam recalificans illa et resuscitans in similem caliditatem, et igneum cœlitus, et holocauste purgativum, et incircumvelatum, et inexstinguibile, habentemque se sic semper luciformem et illuminativam proprietatem, omnis tenebrosæ obscurationis persecutricem et manifestatricem, Seraphim nominationes aut manifestationes habent*. — Ipsa vero Cherubim, cognoscibile eorum, et deividum, et altissimæ luminum dationis acceptivum, et contemplativum in prima operatrice virtute divinæ pulchritudinis, et sapientificæ traditionis repletum, et communicativum copiose ad secunda fusioni donatæ sapientiæ. — Ipsa autem altissimarum et compactarum sedium, omni diligenter exaltari ignominia subjectionis, et ad summum supermundane sursum ferens, et omni extremitate ineffabiliter in sublimissimum, et circa vere excelsum totis virtutibus incommutabiliter et stabiliter collocatum, et divini superadventus in omni impassibilitate et immaterialitate acceptivum, et deiferum, et familiariter in divinas susceptiones apertum. Hæc quidem nominum ipsorum, quantum ad nos, declaratio.

* reductive et active exemplativum

* nominatio aut manifestatio docet

Dicendum vero, quam hierarchiam eorum æstimamus. Omnis quidem enim hierarchiæ speculationem, Deum imitanti deiformitate dependentem ineffabiliter esse, et dividi omnem hierarchicam actionem in participationem sacram et traditionem purgationis puræ, et divini luminis, et perfectivæ scientiæ, sufficienter jam a nobis dictum esse arbitror. Nunc autem dicere digne prosequamur excellentissimos intellectus, quomodo jam secundum eos hierarchia ab Eloquiis manifestatur. In primis essentiis quæ post substantificam earum Thearchiam collocatæ*, et veluti in vestibulis ipsius ordinatæ, omnem sunt invisibilem et visibilem superexcellentes factam virtutem, propriam æstimandum est esse et omnino æquiformem hierarchiam. Puras igitur eas esse æstimandum, non ut immundis maculis et inquinationibus liberatas, neque ut materialium receptivas phantasiarum : sed ut omni diminutione mundas et altiores, et omni superfirmato templo, secundum excelsissimam castitatem omnibus deiformissimis virtutibus supercollocatas; et proprio per se motu et eodem motu, secundum diligentis Deum inconversibile ordinis ineffabiliter receptas; et in subjectis* contumeliam omnino nescientes, sed incasualem et intransmutabilem habentes propriæ deiformis specialitatis purissimam collocationem.

* Divinitatem collocatæ sunt

* subjecta

Contemplativasque iterum sensibilium symbolorum, aut intellectualium speculativas : neque ut varietate sacre scribentis* theoriæ in divinum reductas; sed ut omnis immaterialis scientiæ altiori lumine repletas; et formificæ et principalis pulchritudinis, et superessentialis, et ter lucentis contemplatione, quantum fas est, refertas. Communicatione autem Jesu similiter dignefactas : non in imaginibus sacre fictis, formative figurant deificam similitudinem; sed ut vere ipsi approximantes in prima participatione scientiæ, deificum ejus lumen, et quia Deo simile

* sacræ Scripturæ

* subjectissime

ipsis substantialiter * donatum est, communicant hujusmodi, ut possibile est, in præoperatrice virtute, deificis ipsius et humanis virtutibus.

Perfectas autem similiter, non ut sacra varietate analyticam scientiam illuminatas, sed ut prima et supereminenti deificatione repletas, secundum excelsissimam, quantum in angelis, divinorum operum scientiam. Non enim per alias sanctas essentias, sed ab ipsa Divinitate sanctificatæ, in ipsam immediate extenduntur, omnibus supereminenti virtute et ordine; et ad castissimam omnino fortitudinem collocantur; et ad immaterialem et invisibilem pulchritudinem, quantum fas, in contemplationem adducuntur, et divinorum operum scibiles rationes; ut primæ et circa Deum essentiæ flectuntur, et ab ipso perfectionis principe excelsissime sanctificatæ sunt.

Hoc ergo theologi aperte declarant, suppositas quidem cœlestium essentiarum dispositiones superfirmatis ornate erudiri deificas scientias; omnium vero altiores, ab ipsa Divinitate, quantum fas, doctrinam illuminari. Quasdam enim illarum introducunt a prioribus sacre eruditas, Dominum esse cœlestium virtutum, et regem gloriæ in cœlos humanitus receptum : quasdam vero apud ipsum Jesum quærentes, et pro nobis suæ divinæ actionis scientiam discentes; et eas ipsum Jesum immediate docentem. Et prælargiens eis manifestantem suam humanam benignitatem : Ego enim, inquit, disputo justitiam et judicium salutaris. Miror autem quia et cœlestium essentiarum primæ, et tantum simul omnes supereminentes divinis illuminationibus, ut mediate quæstiones reverenter appetunt : etenim non inde interrogant, Quare tua * rubra vestimenta? Apud se ipsas vero deliberant ante interrogare, ostendentes quidem quia discunt, et deificam scientiam appetunt, non autem præsilientes per divinam processionem inditam illuminationem.

*Ps.* XXIII, 10.

*Is.* LXIII, 1, juxta LXX.

* tui

Non ergo prima cœlestium intellectuum hierarchia ab ipsa perfectionis principe sanctificata, quo in eam immediate extenditur, sanctissima purgatione, multo lumine, anteperfecta consummatione proportionaliter eam implens, purgatur, et illuminatur, et perficitur, omni quidem* minoratione pura, primi vero luminis plena, et primo data cognitione et scientia participans perfecta? Comprehendens autem et hoc dixerim, fortassis non immerito, quia et purgatio est, et illuminatio, et perfectio, divinæ scientiæ assumptio : ignorantiam quidem utpote purgans, secundum ordinem, indita scientia perfectiorum doctrinarum; illuminans autem ipsa divina cognitione per quam et purgat, non prius contemplantem quam manifestat per altiorem illuminationem; et perficiens iterum ipso lumine secundum habitum scientia lucidissimarum doctrinarum.

* omnique

Ipsa ergo est, quantum ad nostram scientiam, prima cœlestium essentiarum dispositio, in circuitu Dei et circa Deum immediate stans, et simpliciter et incessanter circumiens æternam ejus scientiam, secundum excelsissimam, quantum in angelis, semper mobilem collocationem : multas quidem et beatas videns pure contemplationes, simplosque et immediate fulgores illuminata; et divino alimento repleta, multa quidem primo data fusione, solaque domestica et unifica divinæ

refectionis unitate; multaque communione Dei et cooperatione digna effecta, ad eam ut possibile, similitudine bonarum habitudinum et actionum; multaque divinorum superposite cognoscens, et divinæ scientiæ et cognitionis in participatione, secundum quod fas est, facta.

Propterea et laudes ipsius Theologia his qui in terra sunt, tradidit, in quibus mirabiliter manifestatur excelsissimæ ipsius illuminationis eminentia. Alii quidem enim eam, sensibiliter dicendo tanquam vox aquarum, reboant : Benedicta gloria *Ezech.* I, 24. Domini ex loco suo. Alii vero illam valde laudabilem et piissimam reclamant *Ibid.* III, 12. theologiam : Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth ; plena omnis terra *Is.* VI, 3. gloria ipsius. Has autem excellentissimas cœlestium animorum hymnologias, jam quidem in his quæ sunt de divinis laudibus, quantum possibile aperuimus, ut dictum est de his in illis, quantum ad nos, sufficienter. Ex quibus in recordationem sufficit dicere tantum, secundum præsens tempus, quia theologicam scientiam ipsa prima dispositio, quantum fas, illuminata est a divina bonitate, per quam tanquam deiformem hierarchiam, et aliis quidem se ipsam deinde tradidit, illud per brevitatem dicendo subintroducens : ipsam piissimam et summe benedictam et omnino benedictam Divinitatem, fas est benedictam esse ex Deum recipientibus, quantum possibile cognosci et laudari intellectibus (ipsi enim sunt, tanquam deiformes, divini loci divinæ, ut Eloquia aiunt, quietis) ; et quia monas est et unitas tres substantialiter, et supercœlestibus essentiis usque ad novissima terræ extendens bonitatem suam in omnia quæ sunt, providentiam, tanquam omnis essentiæ superprincipale principium et causa, et omnia superessentialiter immensurabili continentia circumligans.

## ARTICULUS XXX

### EXPOSITIO INITII HUJUS CAPITULI SEPTIMI : QUOD COELESTIUM INTELLIGENTIARUM NOMINA EARUM DECLARENT PROPRIETATES.

JAM præcedenti capitulo enumeravit novem ordines angelorum, et declaravit in quibus hierarchiis singuli sint locati. Nunc ergo ex ipsorum nominum consideratione determinat quæ sint proprietates, vires et actiones ordinum singulorum ; et theologico more incipit a supremis. Scientiæ namque naturales humanitus adinventæ, ab inferioribus inchoant, et paulatim ad superiora ascendunt, quoniam nostra notitia ab infimis et sensibilibus trahit A exordium ; theologia vero, quia lumini increato innititur, a summo orditur.

*Hunc ergo nos recepturi sanctarum hierarchiarum ordinem,* id est, nos deinceps approbaturi et servaturi præfatam ordinationem cœlestium hierarchiarum et specialium chororum in ipsis, ut capitulo præcedenti expressum est, *dicimus quia omnes cœlestium intellectuum cognominationes,* id est quod singulæ nominationes supernorum spirituum angelicorum-

que ordinum, *declarationem habent,* id A est lucidam significationem, *uniuscujusque deiformis proprietatis,* id est virtutis et actionis divinæ angelicorum spirituum per nomina illa significatorum : hoc est, quod unumquodque nomen ordinis angelorum, designat proprietatem angelorum ordinis per ipsum significati : qua proprietate Deo assimilantur. Quod probat subdendo :

*Et quidem sanctam Seraphim nominationem, qui* Hebræorum sunt scientes,* id est, hi qui sciunt idioma Judæorum, B *aiunt* aut incendentes manifestare, aut calefacientes,* id est, dicunt hoc nomen designare et interpretari « incendentes », seu « calefacientes », ad insinuandum quod angeli ordinis illius supremi præexcellenter ardent Creatoris amore, aliosque inflammant sancti amoris illius incendio. Quamvis enim Beati non crescant in amore illo divino qui ad beatitudinem illorum pertinet, quem ex divinæ bonitatis beatifica visione concipiunt, attamen ex illuminatione qua aliquid novi de effectibus Dei agno- C scunt, quadam ipsius dilectione recenter inardescunt, quæ ad accidentale pertinet præmium, atque permodica est comparatione ardoris quem ex Deitatis concipiunt contemplatione clara et immediata. *Eam vero Cherubim,* id est nominationem illam qua Cherubim designantur, dicunt significare *multitudinem scientiæ,* id est abundantem scientiam, *aut fusionem sapientiæ,* id est communicationem seu transfusionem sapientiæ eis collatæ in inferiores. Cherubim quippe, plenitudo scientiæ D interpretatur. Etenim spiritus exsistentes in ordine isto, ab eminentia sapientiæ sortiti sunt nomen, ita quod divinorum sunt conscii secretorum : non quod sapientiores aut scientiores sint sacratissimis Seraphim, qui quo altiores sunt et sanctiores, eo infinitum illum totius sapientiæ atque scientiæ fontem limpidius intuentur, et plura in eo conspiciunt et agnoscunt ; sed quod [ordo] Cherubim hanc scientiæ eminentiam pro speciali recipit proprietate, tanquam quid distinctivum ipsius ab aliis, et per respectum ad choros inferiores, et item quantum ad ea quæ ad hierarchialem spectant perfectionem.

* *quæ*

* alias om. *aiunt*

*Pulchre igitur prima cœlestium hierarchiarum ab excellentissimis essentiis sanctificatur,* id est, suprema hierarchia cœlestis merito « sanctificatur », id est, excellenter sancta increatæque sanctitati vicinior ac similior esse cognoscitur et laudatur, « ab excellentissimis essentiis », id est a cunctis angelicis mentibus quæ sunt sub ea. Sancti namque in patria se invicem distincte et clare cognoscentes, laudant, glorificant, et honorant se invicem ordinate in Deo. *Ordinem habens omnibus altiorem,* id est ordinationem sublimiorem aliis hierarchiis. Continet quoque in se summum ordinem illum seraphicum : quod ipsemet auctor exponit, addendo, *hoc est, circa Deum immediate collocatur,* non per situalem propinquitatem aut localem accessum, sed per eminentiorem divinæ perfectionis participationem, atque majorem cum Deo assimilationem respectu inferiorum. Nihilo minus in hac hierarchia unus ordo est altero altior, perfectior, ac Deo similior : ideo comparando unum ipsius ordinem ad alium, est ibi mediatio quædam. Verumtamen tres ordines illi in quibusdam conveniunt : propter quod in eadem hierarchia ponuntur, ut tactum est, et clarius nunc diffusiusque tangetur. *Et primo operantes theophaniæ et perfectiones, in eam tanquam proximam principalius deferuntur :* hoc est, « theophaniæ », id est divinæ apparitiones, manifestationes seu illuminationes a Deo emanantes, « operantes », id est non otiosæ, sed fructuosæ et efficaces, « et perfectiones », id est increatæ perfectionis participationes et communicationes, « deferuntur », id est descendunt, « primo » et « principalius in eam », id est supremam hanc hierarchiam, « tanquam proximam », id est Deo propinquiorem. Etenim omne agens primo agit et influit in propinquiora et capaciora.

*Calefacientes ergo nominantur, et sedes*, et fusio sapientiæ, manifestativo deiformium suarum habitudinum nomine :* id est, ordines primæ hierarchiæ « nominantur nomine manifestativo », id est nominibus declarativis et significativis, « habitudinum suarum deiformium », id est proprietatum et gratiarum, donorum et dispositionum suarum divinarum : nominantur, inquam, « calefacientes », sicut expositum est, « et sedes », id est Throni, « et fusio sapientiæ », id est effusivæ sapientiæ eis collatæ, sumendo abstractum pro concreto, et reddendo in his singula singulis : quoniam primus ordo, Seraphim appellatur ; secundus, Cherubim seu sapientiæ effusivus; tertius, sedes seu Throni.

* Throni

# ARTICULUS XXXI

## INTRODUCTIO ET SOLUTIO QUÆSTIONUM, PRÆSENTIS CAPITULI INITIUM PECULIARITER CONCERNENTIUM.

CIRCA hæc quæritur : in quibus tres ordines primi conveniunt, propter quæ in eadem hierarchia ponuntur ; et in quibus distincti sunt, propter quæ ad diversos pertinent choros ; et quomodo tota illa hierarchia perhibetur circa Deum immediate collocari, quum in ea sint tam innumerabiles gradus et species et coordinatio spirituum supernorum. — Ad hæc respondere, ut venerabiles et antiqui nonnulli expositores B. Dionysii humiliter fassi sunt, nobis in vita præsenti valde difficile est. Verum, quia ad aliquantulam horum intelligentiam, imo et omnium quæ in hoc libro traduntur, non minime conferre videntur quæ in Summa contra gentiles sanctus asserit Thomas, aliqua inde tangam.

Itaque, tertio Summæ illius libro testatur : Quoniam inter creaturas intellectuales quædam sunt aliis altiores, oportet quod inferiores intellectualium naturarum per superiores gubernentur. Virtutes namque universaliores, motivæ sunt virtutum magis particularium. Naturæ autem intellectuales superiores, habent formas universaliores quam inferiores : idcirco sunt regitivæ illarum. Amplius, intellectiva potentia propinquior principio, semper invenitur regitiva intellectualis virtutis a principio magis distantis : quod tam in speculativis quam in practicis patet scientiis. Scientia enim speculativa quæ ab alia sumit principia ex quibus demonstrat, dicitur illi subalternata ; scientia quoque activa fini propinquior, architectonica dicitur, respectu scientiæ a fine distantioris. Ergo substantiæ intellectuales primo principio propinquiores, regitivæ sunt aliarum. Præterea, substantiæ illæ superiores, perfectius in se suscipiunt influentias Sapientiæ summæ, qua omnia gubernantur : ergo per superiores illas reguntur inferiores.

Verum his objici posset, quod regere est rem in suum finem dirigere. Quum ergo omnes angelici spiritus sint summo et ultimo fini suo inavertibiliter juncti, amplius regi non indigent. Insuper, omnes angeli sunt confirmati in bono : idcirco sunt agentia infallibilia, nequaquam errantia. Ergo nec dirigi indigent, nec doceri. — Et respondendum, quod unus angelus non regit alium ad obtinendum beatificum finem, qui est fruitiva visio Dei per speciem, sed in his quæ spectant ad hierarchicæ dispositionis perfectionem finalem, in quibus unus docet, illuminat,

et perficit alium. Denique, quamvis angeli nequeant errare neque peccare, est tamen in eis nescientia quædam respectu divinorum effectuum, in quibus unus docet et dirigit (id est illuminat) alium. In quorum cognitione et dispositione et executione nequaquam consistit principalis eorum perfectio, neque salus, imo nec gloriæ similitudo illa præcipua de qua ait S. Joannes (I *Joann.* III, 2) : Carissimi, nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus ; scimus quoniam quum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. At vero per actus hierarchicos, angeli Deo assimilantur secundario, in his quæ ad regimen spectant creaturæ, præsertim humanæ, et eorum quæ ordinem habent ad hominum beatificationem : respectu quorum superiores purgant, illuminant, atque perficiunt inferiores.

Insuper, sicut superiores inter substantias intellectuales sunt eminentioris virtutis, ita perfectius notitiam divinæ dispositionis a Deo percipiunt in hoc, quod usque ad singularia rationem ordinis noscunt per hoc quod a Deo accipiunt. Hæc autem divinæ ordinationis manifestatio, usque ad ultimas intellectualium substantiarum pertingit, juxta illud in Job (*Job* XXV, 3) : Numquid est numerus militum ejus ? et super quem non splendet lumen ipsius ? Sed inferiores intellectus non in tanta perfectione manifestationem illam recipiunt, quod per eam singula ad divinæ providentiæ ordinem spectantia, ab ipsis exsequenda, cognoscere possint, sed solum in quadam communitate. Et quanto sunt inferiores, tanto per primam illuminationem divinitus factam, minus in speciali divinæ ordinationis cognitionem accipiunt : in tantum quod intellectus humanus, qui est infimus secundum naturalem cognitionem, solum quorumdam universalissimorum habet notitiam. Itaque substantiæ intellectuales superiores, perfectiorem prædicti ordinis cognitionem consequuntur a Deo : quam perfectionem inferiores secundum modum eis competentem consequuntur per superiores, quemadmodum universalis cognitio discipuli, per magistrum in speciali cognoscentem perficitur. Sic ergo sublimiores intellectus in sublimiori principio hanc cognitionis perfectionem sumpserunt.

In qualibet autem dispositione Providentiæ, ordinatio ipsa effectuum ex forma agentium derivatur. Oportet namque effectus a causis secundum similitudinem quamdam procedere. Porro, quod agens similitudinem suæ formæ effectibus communicet, est propter aliquem finem. Primum ergo principiorum in Providentiæ dispositione, est finis ; secundum, forma agentis ; tertium vero, ipsa dispositio ordinis effectuum. Supremum ergo in ordine intellectus est, quod in fine ratio ordinis attendatur ; secundum autem, quod in forma ; tertium, quod dispositio ordinis in se ipsa, non in aliquo altiori principio, cognoscatur. — Sic ergo inter illos intellectus qui immediate in Deo perfectam cognitionem ordinis providentiæ divinæ percipiunt, est aliquis ordo : quia supremi et primi ordinis angeli, rationem ordinis Providentiæ sumunt in ultimo fine, qui est bonitas Dei, attamen quidam eorum clarius aliis : et hi omnes dicuntur Seraphim. Secundi vero, rationem ordinis divinæ providentiæ perfecte cognoscunt in ipsa forma divina : et hi dicuntur Cherubim, quod interpretatur plenitudo scientiæ. Scientia namque per scibilis formam perficitur. Unde Dionysius dicit, quod sunt contemplativi divinæ pulchritudinis in prima operatrice virtute. Tertii vero, dispositionem divinorum judiciorum in se ipsa considerant : et isti dicuntur Throni, quia per thronum potestas judiciaria designatur. Hinc, secundum Dionysium, per hanc nominationem signatur quod sunt deiferi, et ad omnes divinas susceptiones familiariter aperti. Nec ista sunt ita intelligenda, quasi aliud sit bonitas Dei, aliud essentia ejus, et aliud scientia ejus dispositionem continens rerum ; sed quia secundum hæc,

alia et alia est consideratio ejus. Hæc Thomas. Qui in eodem capitulo prosequitur istud de sex ordinibus aliis, prout infra suis locis tangetur.

Scribit quoque hæc eadem in prima parte Summæ : Prima, inquiens, hierarchia accipit rationes rerum in Deo ; secunda autem, in universalibus causis ; tertia vero determinat eas ad speciales effectus. Deus quoque est finis angelorum et omnium rerum. Ad primam ergo hierarchiam pertinet consideratio finis ; ad mediam, universalis dispositio de agendis ; ad ultimam, applicatio dispositionis ad opus. Etenim tria hæc in qualibet operatione inveniuntur. Hinc Dionysius considerans naturam angelicarum proprietatum ex nominibus ordinum, posuit ordines illos in prima hierarchia, quorum nomina imponuntur per respectum ad Deum, videlicet Seraphim, Cherubim, Thronos. In media vero hierarchia constituit ordines quorum nomina universalem dispositionem designant, utpote Dominationes, Virtutes, et Potestates. Sed Principatus, Archangelos, et Angelos in ultima hierarchia locavit, quia eorum nomina operis exsecutionem important. — At vero circa finem potest se aliquis habere tripliciter : primo, ipsum in se considerando ; secundo, perfectam ipsius notitiam recipiendo ; tertio, suam intentionem in ipso figendo. Et primo horum modorum habent se Throni ad Deum omnium finem, quia ad hoc elevantur, quod in se familiariter suscipiunt Deum, rationesque rerum in ipso immediate conspiciunt. Quumque hoc sit toti primæ hierarchiæ commune, quemadmodum ultimæ hierarchiæ commune est denuntiare, ob id Throni dicuntur ab eo quod toti primæ hierarchiæ est commune. Cherubim vero se habent ad Deum secundo modo, quoniam excellentiam hanc superaddunt Thronis, quod divina secreta eminenter agnoscunt. Seraphim autem se habent ad Deum tertio modo, quoniam excellunt in hoc, quod Deo præardenter et summe infixi sunt ac uniti. Cujus si-

A mile cernimus in principatu terreno. Quidam enim in curia ipsum regem immediate accedere et alloqui possunt ; aliqui ultra hoc regis noscunt secreta ; alii ultra hoc assidue regi adsistunt. Quorum primis assimilantur Throni, secundis Cherubim, tertiis Seraphim.

Præterea quæritur, an omnium intellectualium ac rationalium creaturarum una sit hierarchia. Videtur quod sic, quoniam omnium harum est una civitas atque societas : de qua in libro de Civitate B Dei loquitur Augustinus.

Respondetur, quod hierarchia dicitur sacer principatus ; in principatu autem oportet principem esse, et multitudinem ei subjectam. Quum ergo sit unus omnium princeps, est una omnium intellectualium creaturarum hierarchia ex hac parte. Si autem consideretur principatus ex parte multitudinis subjectæ, sic principatus dicitur unus, cujus multitudo potest uno et eodem modo suscipere principis gubernationem. Quumque hominibus connaturale C sit divinas illuminationes et directiones suscipere sub sensibilibus formis, angelis vero in intellectuali puritate : constat quod alia sit hierarchia angelica, aliaque humana. — Angeli quoque diversimode divinas illuminationes suscipiunt. Nam superiorum angelorum rationes ac species sunt universaliores quam inferiorum. Rationes quoque et species quibus angeli illustrantur, tripliciter considerantur. Primo, prout a Deo immediate emanant : sicque eas recipere, ad primam pertinet D hierarchiam, quoniam hæc immediate in Deum extenditur, et quasi in Deitatis vestibulis collocatur. Secundo, prout a causis creatis universalibus aliqualiter jam multiplicatæ ac divisæ dependent : sicque a media hierarchia recipiuntur. Tertio, prout applicari singularibus possunt : et ita recipiuntur ab infima. Tres ergo sunt hierarchiæ angelicæ. — Præterea, quanto quis naturas et species, proprietates, vires et actus rerum perfectius noscit, eo distinctius potest assignare gradus et ordines

atque officia rerum. Nos autem angelos valde imperfecte cognoscimus : idcirco distinctionem eorum et ordinem non nisi in communi possumus assignare, quum tamen quamplurimi a se invicem distinguantur natura, actu, officio : imo, secundum quosdam, quilibet angelus proprium ordinem habet multo plus quam singulæ stellæ. Propter quod S. Dionysius in unoquoque ordine ponit primos et me- A dios ac ultimos. Ideo angeli ejusdem ordinis non sunt æquales simpliciter, sed solum in genere. — Postremo, loquendo de ordinibus angelorum prout theologi inde loquuntur, penes dona gratuita, et actus atque officia per respectum ad beatitudinem supernaturalem : sic distinctio ordinum est completive principaliterque a gratia, quamvis partim et inchoative possit dici esse a natura.

# ARTICULUS XXXII

## DE PROPRIETATIBUS ET ACTIBUS SUMMI CHORI, SERAPHIM APPELLATI.

CONSEQUENTER præclarissimus pater, præsul ac martyr, describit proprietates et actus summi chori cœlestis, utpote Seraphim. *Mobile enim semper eorum circa divina, et incessabile, et calidum, et acutum, et superfervidum intente*, et forsitan intimæ, et non indigentis, et inflexibilis semper motionis, et superpositorum reductivæ, et active assimilativum, tanquam recalificans illa et resuscitans in similem caliditatem, et igneum cœlitus, et holocauste purgativum, et incircumvelatum, et inexstinguibilem, habentem* sic semper luciformem et illuminativam* omnis tenebrosæ obscurificationis perscrutatricem* et manifestatricem, Seraphim nominationes aut manifestationes docent*.* Hucusque littera condependet.

** intentæ*

** inexstinguibile, habentemque se*

** illuminativam proprietatem*

** obscurationis persecutricem*

** habent*

Quocirca loquitur venerabilis Hugo : Si ego quod sentio dicam, primum hoc fateor, quia verba audivi, aut non homini dicta, aut non dicta ab homine. Nam ab homine ea dici tam magnum videtur, ut nihil amplius homini dari possit : et hoc ideo forte, quoniam verba ista ab illis verbis nata sunt, quæ audiri potuerunt, dici non debuerunt. Nam ille quidem qui hæc suggerebat vel docebat, usque ad tertium cœlum pervenerat, et intraverat in B paradisum Dei ; ibique verba quædam a Verbo audierat, secreta omnino et silentio proxima. Audivimus de immensis magna, de occultis obscura, de impenetrabilibus profunda. Hæc sunt* quæ nobis scrutanda, vel potius miranda, proposuit auctor hoc loco. Nos autem qui cum turba nondum capere valemus divina, dicere possumus tonitruum factum esse. Qui autem spiritualior est et horum capacior, dicere potest : Angelus locutus est. — Denique dominus Lincolniensis : Verisimile C (inquit) est, hæc verba esse de arcanis verbis quæ Paulus in raptu audivit, vidit, et didicit. Huic tamen Sancto, tanquam specialissimo discipulo et puritate intelligentiæ ac divinis illuminationibus et gratiis privilegiato, quasi cœlestium concivi, ea communicare decrevit.

*II Cor. xii, 4. — Ibid. 2. — Ibid. 4. — Joann. xii, 29. — Ibidem.*

Est ergo ordo et simplex sensus verborum : « Nominationes aut manifestationes Seraphim », id est nomina manifestativa et declarativa proprietatum ordinis summi qui Seraphim dicitur, « docent », D id est designant, « mobile eorum semper circa divina », id est affectivum seu affectuosissimum ipsorum desiderium jugiter circa ea quæ Dei sunt, et ad ipsummet Deum, ad omnipotentiam, sapientiam

et benevolentiam ejus, et ad cetera attributa ipsius, imo et ad supergloriosissimam Trinitatem, « et incessabile », id est desiderium incessabiliter tendens in Deum, non avertibile ab eodem, nullam unquam fatigationem, nec tepefactionem, nec minorationem recipiens, « et calidum » spirituali calore, qui est ipsa affectionis vehementia, non raptim erumpens, neque celeriter transiens, sed inamissibiliter fixa ac permanens, « et acutum », id est subtiliter ac profunde penetrativum usque ad intima sui dilecti, et quasi omni suppresso pudore, injiciens et velut præcipitans se in abyssalem infinitatem superdilectissimi Creatoris, superpulcherrimi sponsi, superdulcissimique superoptimique objecti, quod sua amabilitate, convenientia et sinceritate, sua amœnitate, speciositate, perfectione, incomparabiliter trahit, afficit et delectat, superexcedit, vincit, occupat, possidet et in se prorsus transformat omnem mentem bene dispositam, et ipsum objectum in se, sicuti est, clare inspicientem ; « et superfervidum intente » : id est, designant desiderium istud esse ferventius quam a nobis exprimi possit, cum summa attentione ac plenissima diligentia, absque omni distractione et mentis dispersione, indesinenter infixum ac inhians suo dilecto, ita quod instar aquæ bullientis, effert, extollit et projicit se super se ; quod item incomparabiliter ferventius sit omni affectu circa bonum creatum versante. Et quamvis bono tam infinito securissime et inavertibiliter sit conjunctum, et usque ad omnem satietatem et contentationem fruens eodem, nihilo minus jugiter movetur et tendit in illud per invariabilem continuationem translationis et transformationis sui in illud, atque per totius exclusionem fastidii : quoniam sic inhiat illi objecto, quasi omni momento recenter accendatur et superinflammetur in ipso, ac incessanter validissime renovetur ac deglutiatur in illo. Hinc subditur :

I *Joann.* III, 2.

« Et forsitan intimæ, et non indigentis, A et inflexibilis semper motionis » : hoc est, nomina illa significant desiderium istud esse desiderium affectionis « et motionis forsitan », imo utique, « intimæ », id est internissimæ, non externæ, nec in aliquo distans a se, sed « inflexibilis semper » a suo dilecto, nec « indigentis » bono futuro, quoniam perpetuo præsens habet fruitiveque possidet totius beatitudinis fontem, superdelectabilissimum et superconvenientissimum Deum : affectionis, inquam, « reductivæ », id est conversivæ B ad Deum, « suppositorum », id est inferiorum et subditorum ; « et active assimilativum », id est [præfatum desiderium esse] efficaciter et actualiter conformativum illorum, tam ipsis spiritibus seraphicis, quam fonti totius perfectionis, qui essentialiter caritas est. Propter quod, per spiritualis delectationis fervorem ei potissime conformantur mentes creatæ, dicente Apostolo : Qui adhæret Deo, unus spiritus est.

I *Cor.* VI, 17.

« Tanquam recalificans illa » : id est, C præfatum illud mobile circa divina, utpote affectuosissimum desiderium, jugiter intentum et versans circa Deum, reaccendit et ignit prædicta inferiora agmina secundæ hierarchiæ ; « et resuscitans » illa « in similem caliditatem » sanctæ atque seraphicæ dilectionis.

Non est hoc sic intelligendum, quod angeli secundæ hierarchiæ, seu quicumque angelici spiritus, usquam frigescant, tepescant aut remittantur a caritatis ardore quem habent ex beatifico increati D boni intuitu : in cujus cognitione et dilectione, prout ad beatitudinis essentiam pertinet, nunquam crescunt neque decrescunt ; nec quantum ad hoc, unus supernorum spirituum perficit alium : imo, quoad præmium essentiale, omnes sunt in termino et ultimitate suæ perfectionis ab exordio suæ glorificationis, estque in eis potentialitas tota, quoad hoc, reducta ad actum. Quod aliqui attendentes, displicentiam habuerunt in verbis his illuminatissimi Dionysii, quantumcumque

spiritualibus ac profundis : quoniam superficie tenus sonare videntur, quasi inferiorum angelorum perfectio et inflammatio, a superioribus sint pendentes. Verum ista non fuit fidelissimi ac sapientissimi Dionysii intentio; neque sic dixit inferiora agmina illa superna a supremo Seraphim choro recalificari et in similem caliditatem resuscitari, quomodo apostolus Paulus admonuit Timotheum : Admoneo (inquiens) te, ut resuscites gratiam Dei quæ est in te. Sed totum istud de mutuis illuminatione et calefactione inferiorum spirituum supernorum a superioribus, intelligendum est de influentiis hierarchialium actionum versantium circa effectus divinos, in quibus inferiores a superioribus erudiuntur et accenduntur. Quæ omnia ad accidentale pertinent gaudium, in quo usque ad diem judicii incrementum aliquod suo modo sortiuntur Beati, juxta quod in Evangelio ait Salvator : Gaudium est angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente. Sic nempe et præmium ac gaudium animarum jam beatarum, post diem judicii majus erit ex resumptis et glorificatis corporibus; et quilibet civium supernorum ex uniuscujusque sui concivis societate et gloria, per caritatem et congratulationem amplius dicitur jucundari. Sic quippe cœlestis Jerusalem participatio redundat, et est in id ipsum, juxta Psalmographum. Hæc autem et consimilia quidam non advertentes, maluerunt totum hunc librum insipienter negare, quam ista atque conformia ejus verba sapienter addiscere ac pie interpretari.

II *Tim.* I, 6. — *Luc.* XV, 10. — *Ps.* CXXI, 3.

Insuper, mobile illud : quod tamen revera immobile est, utpote inflexibile, invariabile et inavertibile a suo objecto; quod nihilo minus mobile appellatur, quoniam caritatis est indesinenter ferri ac tendere in dilectum, et versari occuparique circa illum, nec ab actibus istis quiescere. Unde in exordio hujus habetur voluminis, quod omnis Patre moto manifestatio luminum : ubi expressum est, quod Deus Pater dicitur moveri, quia procedit in actum. Itaque, mobile illud, id est ferventissimum desiderium, est « et igneum cœlitus », id est quid supernum, ignitum, non terrenum. Secundum quod etiam Deus dicitur ignis consumens et innocue ardens, ita et cœleste ac deiforme desiderium est tanquam ardentissima facula cœliformiter ardens. « Et holocauste purgativum », id est incensive mundativum inferiorum spirituum, non ab aliqua macula culpæ, sed a minoratione notitiæ aut perfectionis, ut supra expositum est. Porro holocaustum dicitur ab ὅλον, quod est totum, et καυστόν, incensio, quasi totum incensum. Propterea sacrificium legis quod ad divinæ reverentiam majestatis totaliter incendebatur, et usque ad cineres comburebatur, vocatum est holocaustum, ut in Levitico legitur. Itaque desiderium illud mundissimum, igneum et divinum, est purgativum holocauste, id est flammigere et inflammative : quoniam ex hujuscemodi purgatione spiritus sic purgati totaliter accenduntur in Deo, et spiritualiter consumuntur in ipso, quasi absorpti in Deitatis oceano, cujus cultui et amori se manciparunt perfecte, totaliter et omnino, nil sui relinquentes sibimetipsis, quamvis natura et naturalia in ipsis permaneant integra, imo et prorsus impassibilia. Est item hoc igneum, « et incircumvelatum », id est a velaminibus et tegumentis sensibilium rerum et specierum purum ac liberum. Est enim totaliter spirituale, supernaturale, gratuitum, ab omni reflexione ad se ipsum inordinata mundissimum.

art. V. — *Deut.* IV, 24. — *Lev.* I.

Designat etiam cognominatio Seraphim, « inexstinguibilem », id est singularem vim amorosam, nullo occursu minorabilem, juxta illud in Canticis : Aquæ multæ non poterunt exstinguere caritatem, nec flumina obruent illam; « habentem sic semper luciformem et illuminativam », supple, vim : quoniam caritas ista tam vigorosa et fervida, non solum sortitur præfatas ignis proprietates per hoc, quod est fervens et calida, superfervida et acu-

*Cant.* VIII, 7.

ta ; sed item per hoc, quod instar ignis est clara et fulgida, totius caliginis vitiorum et criminum expulsiva : et ita est luciformis, illuminans mentem habentis in se ipsa luce, qua increatæ luci assimilatur, et per quam aptus est etiam alios illustrare, quemadmodum de sacratissimo Joanne Baptista testatur Salvator : *Ille erat lucerna ardens et lucens.* In igne enim sunt splendor et calor : et quamvis per splendorem signetur veritas seu sapientia, hic tamen per utrumque fervor exprimitur sancti amoris, qui pulcherrime in amante splendet ac radiat, nec ullam mortalis culpæ secum compatitur labem, imo nec in Beatis venialem culpam unquam habet admixtam. Ideo subditur, « omnis tenebrosæ obscurificationis per-

*Joann.* v, 35.

A scrutatricem et manifestatricem » : quoniam amor fervens et purus sollicitat mentem ne quidquam admittat quo dilecto valeat displicere, seque discutiat et scrutetur, an quid tale consistat aut reperiatur in ea. Vitia autem obscurant. Quumque faciat mentem se taliter perscrutantem, manifestat ei an quid culpæ in ea sit latens, et protinus eam expellit. Hinc pro ly Perscrutatricem, alia littera habet, Persecutricem. Verumtamen in Beatis, qui sciunt se confirmatos in bono, non habet B hos actus dilectio, saltem pro se ipsis, sed bene pro viatoribus, pro quorum salute solliciti sunt. In bonis vero viatoribus istos actus caritas habet, qui assidue interiora sua considerant ac scrutantur, et quidquid in eis culpabile est, exstirpare conantur.

## ARTICULUS XXXIII

### DE SERAPHICO SANCTÆ CARITATIS ARDORE.

JAM prout donaverit Dominus, diligentius perpendamus quali et quanto sanctæ caritatis ardore mentes illæ seraphicæ suum diligant Creatorem. Quod primo pensatur ex parte objecti, quod est ipse Deus gloriosus, perfectionaliter infinitus, in omni excellentia, sanctitate, sapientia, felicitate, amabilitate et gloria intensive formaliterque immensus. Idcirco ex hac parte, amor ille quo chorus Seraphim diligit Deum, finem non habet.

Porro, quo mentes creatæ sublimioris sunt speciei, vehementiorisque affectivæ in naturalibus suis, eo magis dispositæ sunt ad diligendum Deum intense ac vehementer naturali amore. Sicque philosophi Plato et Avicenna cum suis sequacibus, locuti sunt de intensissimo et calidissimo summarum intelligentiarum amore ad primam causam : de cujus amoris delectatione quidpiam in libro de Causis inducitur. — C Præterea, ex cognitione formata et contemplatione sincera, proportionata scaturit et erumpit dilectio. Quum itaque substantiæ illæ seraphicæ sint tam acutissimæ, clarissimæ ac perspicacissimæ intelligentiæ, palam quod pariformiter sint æstuantissimæ, penetrantissimæ et vigorosissimæ affectionis ad Deum, idque perpetue æque intense, absque interpolatione.

Alius est amor Dei supernaturalis infusus, qui caritas nuncupatur ; ad quem atque ad cujus vehementiam et ardorem D mentes illæ supernæ tanto sunt magis idoneæ, quanto amplioris sunt eminentiæ in naturalibus atque gratuitis, præsertim in perfectionibus gratiæ gratum facientis. Est autem probabilis opinio Magistri Sententiarum pluriumque doctorum, quod in angelis sit correspondentia naturalium et gratuitorum, ita quod excellentiores specifica dignitate, eminentiores sunt gratia-

rum perfectione ac sanctitate. Ex quibus consequeretur, juxta opinionem dicentium quod in angelis tot sunt species quot individua, quod spiritus illi de ordine Seraphim, sint indicibilis dignitatis ac gloriæ, atque in caritatis fervore inæstimabilis præexcellentiæ, etiam unus eorum super alium. Quæ opinio quum sit multum incerta, probabilius reputatur, quod angeli ordinum diversorum distinguantur specifice, et forsitan quidam ejusdem chori. Quumque spiritus illi seraphici tantæ sint eminentiæ in naturalibus, et ad minus in gratuitis, et in Deitatis vestibulis collocati ac proximi Deo, atque ab omni contagione, aggravatione et retractatione corporalis materiæ liberi : constat quod mira et ineffabili sanctæ dilectionis vehementia æstuantissimoque calore feruntur in Creatorem. — Insuper, quum Deus omnipotens universa condiderit ut sua in ipsis resplendeat ac repræsentetur perfectio, atque post emanationem illam æternam qua Spiritus Sanctus, qui amor est, procedit a Patre et Filio, proxima sit et imitatione propinquior effluxio et productio chori seraphici, qui ab amoris excessu Seraphim nominantur; idcirco indicibiliter nimis ardent dilectione in infinitum præamabilissimæ Deitatis ac supergloriosissimæ Trinitatis, in qua unaquæque æterna, superpulcherrima ac infinita Persona diligit quamlibet amore vere ac prorsus immenso. A cujus vehementia omnis amor seraphicus, quantumlibet magnus, deficit infinite ; comparative tamen loquendo, excellenter valde participat illam. — Postremo, beatissimæ mentes illæ seraphicæ, videndo se tam præelectas a Conditore, tot quoque ac tanta præfulgentissima dona ab exordio sine labore sortitas, et ab omni penitus culpa præservatas ab illo, merito incomparabiliter diligunt ipsum, et ferventissime, humillime ac præcordialissime regratiantur eidem, atque inæstimabili devotione, jucundissime, sine interruptione ac fine, totis viribus colunt, venerantur ac laudant eumdem :

A ad quod etiam suo exemplo, quantum in ipsis est, incitant suos concives.

Præterea perpendendum, quod proprietates amoris istius seraphici aptius insinuantur per proprietates amoris illius carnalis, qui amor ἔρως a medicis appellatur. Videmus quomodo amor ille corda suorum omnino rapit in se et in rem dilectam, in quam quasi transfert, transformat et absorbet amantem, nec sinit eum quiescere nisi jungatur dilecto, in quem toto impetu fertur, et acutissime usque ad in-
B teriora uniri conatur. Hæc et alia multa operatur amor ille carnalis prædominans, qui et impellit amantem ad cogitandum de singulis quibuslibet membris, dispositionibus proprietatibusque dilecti. Hæc et consimilia amor spiritualis, ecstaticus, heroicus, seraphicus, divinius, excellentius atque validius operatur in suis subjectis, circa incomparabile et infinitum illud objectum, incomparabiliter amabilius et præamandum.

Denique Richardus de S. Victore : Qua-
C tuor, inquit, sunt gradus caritatis ardentis. Primus est gradus caritatis vulnerantis, juxta illud in Canticis : Vulnerasti cor *Cant.* IV, 9.
meum, Sponsa. Secundus est caritatis ligantis, juxta illud Osee : In funiculis Adam *Osee* XI, 4.
traham eos, in vinculis caritatis. Tertius est caritatis languidum facientis, sicut in Canticis loquitur Sponsa : Fulcite me flo- *Cant.* II, 5.
ribus, quia amore langueo. Quartus gradus est caritatis defectionem virium adducentis, rapientis et absorbentis, secundum illud in Psalmo : Concupiscit et deficit *Ps.* LXXXIII, 3.
D anima mea in atria Domini. — Nonne tibi corde percussus videtur, dum igneus ille amoris aculeus mentem hominis medullitus penetrat, affectumque in tantum transverberat, ut desiderii sui flammam ac gestus cohibere et dissimulare non valeat, desiderio ardeat, ferveat affectu, æstuet, anhelet, profunde ingemiscens et longa suspiria trahens ? Hæc vulneratæ animæ certa tibi sint signa, gemitus atque suspiria, vultus pallens et contabescens. Verumtamen gradus iste interpolationem re-

cipit : sed post modicam interpolationem æstuans, ardor ferventior redit, et fractum jam animum acrius rursum incendit, ac vehementius urit. Sæpe itaque recedens, semperque se ipso major ac fortior rediens, animum paulatim emollit, viresque confringit atque exhaurit, donec plene animum sibi subjiciat ac substernat, ac jugi [sui] memoria occupet totum, et totum obliget sibi, ita ut hoc ei excidere aut aliud cogitare non possit. Post hunc gradum primum sequitur secundus, qui est gradus caritatis ligantis, quando videlicet mens pura, devota et amorosa, hoc unum quod tam valide diligit, oblivisci non potest, nec aliud meditari : quidquid agat aut dicat, hoc semper in ea revolvitur ac perenni memoria retinetur ; hoc dormiens somniat, hoc vigilans omni hora retractat. Hic gradus secundus instar febris acutæ continuo mentem urit ardore, nec die nec nocte sinens eam quiescere. Sicque ascenditur ad tertium caritatis gradum, qui est perfectio caritatis languidum facientis, quæ omnem alium prorsus excludit affectum, dum mens jam nihil præter unum aut [nisi] propter unum diligit : in quo gradu nihil satisfacere, nil sapere animo potest præter hoc unum. In hoc solo quiescit, hoc solo reficitur, hoc solo satiatur. Nihil dulcescit, nil sapit menti, nisi bono hoc condiatur. Cito rejicitur quidquid occurrit quod suo affectui non concordat nec suffragatur. Dum illo fruitur, omnia simul cum ipso habere se A arbitratur, cetera horrent et ei sordescunt. Quartus gradus caritatis est, qui defectionem naturæ viriumque inducit, qui raptum et ecstasim facit, et mentem amantis in suum absorbet dilectum, et obdormire facit in eo, jam exterioribus sensibus sopitis, atque a suis objectis ipsis modo alienatis, abductis, suspensis. Hic gradus humanæ possibilitatis metas excedit ; crescendique terminum nescit, quoniam semper invenit quod adhuc concupiscere et plenius valeat invenire.

B Hæc est perfectissima unio mentis cum Deo in præsenti exsilio : quæ fit desiderio ardentissimæ caritatis, quo mens taliter amans frequenter inopinatis excessibus super se elevatur, tamque intense et intente, tam prædominanter ac integranter superdilectissimo Deo infigitur, quod omnium obliviscitur ceterorum, imo neque se ipsam, neque proprium actum advertit. Itaque, si viator hac fragili carne circumdatus, ad hanc valet caritatis vehementiam, apicem et ardorem, raptum C et alienationem pertingere : qualem caritatis excellentiam et excessum æstimandum est in sacratissimis illis Seraphim esse, quum et omnis perfectio viatorum a perfectione infimi angeli tam vehementer deficiat, ut vix exprimi queat ? Suspiremus ergo ad eos, de quibus loquimur, angelicos choros, et in vera jugiter caritate crescere et proficere enitamur, quoniam caritatis perfectioni essentiale præmium patriæ correspondet.

# ARTICULUS XXXIV

### DE PROPRIETATIBUS MEDII ORDINIS HIERARCHIÆ PRIMÆ, CHERUBIM DICTI.

CONSEQUENTER Theologus proprietates medii ordinis primæ hierarchiæ, utpote Cherubim, exprimit, subdens : *Ipsa vero Cherubim, cognoscibile * eorum, et* D *deividum, et altissimæ luminum dationis acceptivum, et contemplativum in prima operatrice virtute divinæ pulchritudinis, et sapientificæ traditionis repletum, et*

* *cognoscitivum*

*communicativum copiose ad secunda fu-*
* fusioni *sione* donatæ sapientiæ.*

Hoc est : « Ipsa vero », supple, nominatio, « Cherubim », seu ipsum Cherubim nomen, designat « cognoscibile eorum », id est divinum et increatum secretum ab eis cognitum, inferioribus ignotum aut minus notum. Alia littera habet, Cognoscitivum eorum, id est præclarum acumen cognitivæ eorum potentiæ, quoniam in virtute intellectiva specialiter eminent respectu inferiorum. De quibus ait Gregorius : Cherubim, plenitudo scientiæ dicitur ; et superiora agmina illa idcirco Cherubim sunt vocata, quoniam tanto perfectiore scientia plena sunt, quanto claritatem Dei vicinius contemplantur, ut secundum creaturæ modum eo plene omnia sciant, quo visioni Creatoris per dignitatis meritum appropinquant. Bernardus quoque : Putemus Cherubim ex ipso sapientiæ fonte ore Altissimi haurientes et refundentes fluenta scientiæ universis civibus suis. « Et deividum », id est, appellatio Cherubim denotat quod spiritus chori hujus decorantur claritate visionis divinæ, suntque visivi, id est apti videre Deum. Sic etiam notat in illis « acceptivum », id est facultatem susceptivam et capacem, « dationis altissimæ », id est valde sublimis, imo et altioris quam sit in inferioribus choris, « luminum », id est divinarum illuminationum scientialium ac secretarum notitiarum, seu etiam luminum gloriæ. Sic item desi-
A gnat in eis « contemplativum », id est vim contemplativam, « pulchritudinis divinæ in virtute prima operatrice », id est immediate in Deo, qui est prima et summa potestas, omnium creaturarum operatrix.

Designat item « repletum », id est, quod vis intellectiva Cherubim plena est, « traditionis sapientificæ », id est donationis seu illuminationis quæ formaliter efficit sapientes eos qui illam participant, « et communicativum copiose », id est, quod
B spiritus illi Cherubici sunt copiose communicativi, « sapientiæ » ipsis « donatæ, fusione », id est effluxione et effusione ejusdem sapientiæ, « ad secunda », id est super spiritus inferiores. Abundat namque in eis caritas, munificentia, obedientia : ideo quanto copiosius desuper illustrantur
et edocentur ab ipsomet Domino scienti- I *Reg.* II, 3.
arum, eo caritativius liberaliusque communicant aliis datam eis scientiam, juxta Dei commissionem ipsis factam et præordinationem divinam. Etenim Deitatis es-
C sentiam limpidius intuentes, plenius in ea conspiciunt causas et rationes atque mysteria operum ejus, et de eisdem communicant inferioribus. Hinc Proclus Platonicus disseruit : Omnis intellectus, plenitudo ens specierum, hic quidem specierum universaliorum, hic autem particulariorum est contentivus ; et superiores intellectus species habent universaliores, id est plurium repræsentativas, et etiam clarius : idcirco illuminant inferiores.

## ARTICULUS XXXV

### DESCRIPTIO PROPRIETATUM THRONORUM, TERTII PRIMÆ HIERARCHIÆ ORDINIS.

SEQUITUR descriptio proprietatum tertii ordinis, puta Thronorum. *Ipsa autem altissimarum et compactarum sedium,* id est « ipsa » denominatio « sedium
D altissimarum », id est Thronorum cœlestium valde sublimium, « compactarum », id est firmarum et in omni veritate solidissimarum, omni constantia et virtute

tam compaginatarum quod dissolvi non queunt, nec ex alicujus insessione in eis aut supersessione super ipsas, deprimi aut gravari ; *omni diligenter exaltari ignominia subjectionis,* hoc est, significat hos spiritus thronicos esse exaltatos ac liberos « diligenter » omnino ab « omni ignominia subjectionis », id est ab omni vili subjectione; *et ad summum supermundane sursum ferens :* id est, appellatio ista insinuat dignitatem et efficaciam illorum sursum ferentem, id est, nobiliter ac spiritualiter elevantem ipsos, « ad summum », id est Deum altissimum, cujus tam eminenter ac propinque capaces sunt, quod in ipsis sedere asseritur : et hoc, « supermundane », id est, non sicut in hoc mundo sedes eriguntur usque ad sessurum in eis, et deprimuntur sub illo : imo, sicut Deo servire, regnare est, sic Throni isti ex Creatoris sui insessione et superquietione in ipsis, maxime dignificantur ac sublimantur : ideo non sunt ruditer imaginandi instar materialium mundanarumque sedium. Propter quod subditur : *et omni extremitate ineffabiliter insubmissum* *, id est, nuncupatio hæc designat quod spiritus isti sunt non submissi, nec indigne suppositi cuiquam sedenti, sed eminentius quam capere valeamus aut eloqui, ab omni ultimitate immunes sunt, ac ceteris sex choris angelicis cunctisque materialibus rebus sublimiores, quum tamen Dominus protestetur : Cœlum mihi sedes est. Unde et Isaias : Vidi, inquit, Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum. Et Daniel dicit : Adspiciebam donec throni positi sunt, et Antiquus dierum sedit; thronus ejus flammæ ignis. Ipse equidem ministros suos facit ignem urentem. Porro hujuscemodi sedes instar flammarum tendunt in altum, et ab omni extremitate sunt insubmissæ.

* *in sublimissimum*

*Is.* LXVI, 1; *Act.* VII, 49. *Is.* VI, 1. *Dan.* VII, 9. *Ps.* CIII, 4.

*Et circa vere excelsum totis virtutibus incommutabiliter et stabiliter collocatum,* id est, nomen istud significat sacratissimum agmen Thronorum esse « collocatum », id est situm, conjunctum et positum, apud Deum, eo modo quo dictum est supremam hierarchiam quasi in vestibulis Deitatis esse locatam. Denique Deus omnipotens et æternus, est vere (id est independenter et absolute) excelsus, utpote universis et singulis infinite et prorsus incomparabiliter perfectior, dignior, major. De quo loquitur Isaias : Mementote quoniam excelsum est nomen ejus. Itaque « circa vere excelsum » firmatum et positum est agmen hoc, « totis virtutibus », id est cunctis et integris viribus suis, viribus utique naturæ et gratiæ ac gloriæ : ideo additum est, « incommutabiliter et stabiliter », id est omnino constanter : quod convenit illis per gratiam et gloriam, potius quam per naturam, quum scriptum sit in Job : Ecce qui serviunt ei non sunt stabiles, et in angelis suis reperit pravitatem. Nempe, secundum Damascenum libro secundo, angelus non secundum naturam, sed gratia, est immortalitatem suscipiens; ac mente vertibilis, attamen dono gratiæ consummatæ, hoc est munere gloriæ, est confirmatus in bono, et impeccabilis factus, qui secundum naturalia sua consideratus, diceretur mutabilis, quum sermo veritatis testetur : Ecce inter Sanctos ejus nemo immutabilis. Verumtamen Peripatetici putaverunt intelligentias loco et alteratione esse immobiles. At vero juxta similitudinem cathedræ ista dicuntur. Deus enim sedi qua sedet, cuique præsidet, interior atque exterior perseverat : interius replens, exterius regens; interius subtilitate ac simplicitate omnia penetrans, exterius potestate omnia ambiens et conservans. Quod totum, præclarum est menti creatæ : imo nihil creaturæ nobilius, nil ei salubrius, quam adhærere ac subjici Creatori.

*Is.* XII, 4. *Job* IV, 18. *Ibid.* XV, 15.

*Et divini superadventus in omni impassibilitate et immaterialitate acceptivum :* id est, cognominatio ista docet quod spiritus isti susceptivi sunt gratiosi et gloriosi descensus et adventus Dei in eos, qui in se incircumscriptibilis invariabilisque persistens, fertur in mentes illas

desuper advenire, descendere, mansionemque facere, quibus gratiarum infundit charismata et gloriæ dona largitur, vel hæc ipsa conservat in ipsis. Propter quod apud Joannem ait Salvator : Si quis diligit me, sermonem meum servabit ; et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. Sic autem susceptivi sunt Dei et adventus ejus piissimi, « in omni impassibilitate et immaterialitate », id est omnino impassibiliter et immaterialiter. Quod enim in alio recipitur, in ipso recipitur secundum modum ipsius recipientis, ut dicitur in libro de Causis. Propter quod Proclus fatetur, et idem in libro de Causis habetur : Primorum omnium quædam sunt in quibusdam per modum quo licet ut sit unum eorum in alio. Quemadmodum ergo Throni impassibiles et immateriales consistunt, ita impassibiliter immaterialiterque suscipiunt influentias Creatoris, præsertim de passione corruptiva loquendo, et de materia proprie dicta. Est autem et passio quædam perfectiva, sicut intelligere et dona Dei recipere sunt quædam pati. Unde et in substantiis separatis ponitur quod est, et quo est, actus quoque et potentia, secundum Boetium. Atque ut libro secundo asserit Damascenus, incorporeus et immaterialis dicitur angelus, quantum ad nos ; omne vero creatum, per comparationem ad Deum, grossum et quasi materiale invenitur.

*Joann.* XIV, 23.

Signat item nomen hoc, Thronus, *et deiferum,* id est proprietatem internam qua Deum in se gestare dicuntur, quoniam jugiter manet in ipsis. Nam et Apostolus exhortatur : Glorificate et portate Deum in corpore vestro. Multo congruentius portatur in mente : non quod localiter bajuletur, sed quod in portantis corde ubique et semper quiescit, juxta illud Deuteronomii : Amantissimus Domini habitabit confidenter, et in eo quasi in thalamo tota die morabitur, et inter humeros illius requiescet. *Et familiariter in divinas susceptiones apertum,* id est, nomen illud designat quod mentes Thronorum peculiariter specialique aptitudine ac familiari cohabitatione patulæ sunt et reseratæ ad suscipiendum in se fluxiones divinas et quascumque Dei donationes. Mentem namque tranquillissimam ac devotissimam habent ad Deum, qui super quietum et humilem requiescit.

*I Cor.* VI, 20. — *Deut.* XXXIII, 12. — Cf. *Is.* LXVI, 1, 2.

*Hæc quidem nominum ipsorum, quantum ad nos, declaratio,* id est, ista est expositio nominum trium ordinum primæ hierarchiæ, quantum ad nos spectat, aut possibile est declarare. Ipsi vero præclarissimi Throni et ceteri cives superni, multo subtilius norunt rationes et significantias nominum horum, quæ communia sunt tam innumerabilibus beatis spiritibus, et in speciali loquendo, diversis diversimode competunt magis et minus eminenter. Quibus, secundum hoc, nomina possent imponi diversa a scientibus omnia illa : quod nostram transcendit facultatem in vita ista. Imo, ut libro secundo disseruit Damascenus, terminum, id est definitionem quidditativam et speciem specialissimam supernorum spirituum, solus agnoscit Creator illorum. Quod tamen intelligendum est, per inclusionem felicium domesticorum ipsius, quemadmodum solus paterfamilias dicitur esse in domo, quamvis simul cum ipso sint sui domestici.

Circa exposita ista loquitur Hugo : Manifestum est thronos, regnantium ac judicantium esse sedes. Ad regnantem autem sublimitas, ad judicantem vero veritas pertinet. Hinc Thronos merito sedes Dei altissimas nuncupavit, quoniam regnans in eis superiorem non habet, et compactas, quia in eis judicans a veritate non discedit. Quid est compactum ? Hoc est, apte et convenienter conjunctum. Videte juncturam sedium Dei. Junctura sedium, est convenientia judiciorum. Omne judicium, ex alio aliud infert : ex culpa pœnam, ex justitia gloriam, ex merito præmium ; ex qualitate operum, qualitatem retributionum. Junctura ergo Thronorum,

correspondentia est pulcherrima meritorum ac præmiorum. — Præterea S. Bernardus ad Eugenium : Putemus, ait, Thronos ab inferioribus choris alto evolasse recessu : qui ex eo quod sedent, Throni dicuntur; et ex eo sedent, quod Deus sedet in eis. Quæris quid illam sentiam sessionem ? Summam tranquillitatem pla-
Philipp. IV, 7. cidissimamque serenitatem, pacem quæ omnem exsuperat intellectum. Talis est qui sedet in Thronis, Dominus Sabaoth,
Sap. XII, 18. judicans omnia cum tranquillitate, placidissimus, serenissimus, pacatissimus; et B tales sibi constituit Thronos simillimos A sibi. — De quibus et beatus fatur Gregorius : Throni illa agmina sunt vocata, quibus ad exercendum judicia semper Deus omnipotens præsidet. Quia enim thronos Latino eloquio sedes dicimus, throni Dei dicti sunt, hi qui tanta Divinitatis gratia replentur, ut in eis Dominus sedeat, et per eos judicia sua decernat. Unde ait
Psalmista : Sedes super thronum, qui judicas æquitatem. Ps. IX, 5.
In quibus summa pace et amicitia copulatis, et intima voluntate quodam speciali caritatis igne conflatis, tanquam in excelsa et secreta sede præsidet Deus.

## ARTICULUS XXXVI

### DE EXCELLENTIA ACTIONIS HIERARCHICÆ TRIUM PRIMORUM ORDINUM, ET QUALITER SIT IN EIS PURGATIO.

CONSEQUENTER, declarata jam significatione nominum ordinum primæ istius hierarchiæ, tractat de sacra potestate ipsorum. *Dicendum vero, quam hierarchiam eorum æstimamus :* id est, « dicendum » a nobis nunc est, « quam æstimamus » esse « hierarchiam », id est sacram hierarchicam potestatem et coordinationem « eorum », videlicet trium ordinum horum.

*Omnis quidem enim hierarchiæ speculationem, Deum imitanti deiformitate dependentem ineffabiliter esse, et dividi* D *omnem hierarchicam actionem in participationem sacram et traditionem purgationis puræ, et divini luminis, et perfectivæ scientiæ, sufficienter jam a nobis dictum esse arbitror.* Hoc est : « Arbitror dictum jam esse sufficienter a nobis » in isto libro, præsertim capitulo tertio, « speculationem », id est rationem et descriptionem vel considerationem, « omnis hierarchiæ, esse ineffabiliter dependentem deiformitate Deum imitanti », id est a di- C vina quadam perfectione, per quam et in qua personæ in hierarchia contentæ Deo assimilantur. In isto enim, ut dictum est sæpe, consistit ratio hierarchiæ, quod personæ hierarchicæ Deum imitando, invicem sibi communicent dona sibi desuper impertita : nam dictum est capitulo tertio, Hierarchia est similitudo et unitas ad Deum, quantum possibile est. Arbitror quoque satis dictum a nobis, « omnem hierarchicam actionem », puta purgationem, illuminationem, et perfectionem, « dividi in participationem sacram », id est in passivam purgationem, seu receptionem doni alicujus a superiore, « et traditionem purgationis puræ », id est in purgationem activam, qua superior tradit inferiori purgationis munditiam, ab habitu dissimilitudinis seu minoratione perfectionis ipsum purgando, « et » in traditionem « divini luminis », id est activæ illuminationis, qua superior inferiorem illuminat, lucem sibi infusam illi communicando, « et » in traditionem « perfectivæ

scientiæ », id est in perfectionem activam, qua major perficit subditum seu minorem. Unde dictum est supra, quod ordo hierarchiæ est, alios quidem purgare, alios purgari; alios illuminare, alios illuminari; alios perficere, alios perfici.

art. XVIII.

*Nunc autem dicere digne prosequamur,* id est, quia jam ante descripsimus hierarchiam in generali, « prosequamur nunc digne », id est, sicut nunc dignum est et rectus ordo docendi requirit, « dicere », id est tractare, *excellentissimos intellectus,* id est intellectuales substantias trium ordinum supremorum, *quomodo jam secundum eos hierarchia ab Eloquiis manifestatur,* id est, qualiter in Scripturis docetur et declaratur hierarchia esse in tribus illis ordinibus, in quibus, ut patuit, consistit prima et summa hierarchia angelica. Et hoc nunc incipit declarare his verbis :

*In primis essentiis quæ post substantificam earum Thearchiam collocatæ, et veluti in vestibulis ipsius ordinatæ, omnem sunt visibilem et invisibilem * superexcellentes facturam *, propriam æstimandum est esse et omnino æquiformem hierarchiam.* Ordo verborum est : « Æstimandum est esse hierarchiam propriam », id est specialem ac primam, « et æquiformem omnino », id est æqualis potestatis atque consimilem in potestate hierarchica, loquendo de conformitate ista et potestate in generali, secundum quod ad eamdem pertinent hierarchiam : in qua nihilo minus sunt chori ordinesque distincti, quorum unus est altior atque potentior alio; imo in unoquoque eorum sunt primi, et medii, ac ultimi. Sic ergo putandum est esse virtutem specialem et æquiformem « in primis essentiis », id est in supremis illis personis trium primorum ordinum, « quæ post Thearchiam earum », id est post summum et increatum principatum a quo et ipsæ creatæ sunt : ideo additur, « substantificam », id est, qui eos effective produxit et subsistere fecit; « collocatæ », supple, sunt : quia

* invisibilem et visibilem
* factam virtutem.

A in ordine universi, superiorem gradum et locum sortitæ sunt : « et veluti in vestibulis ipsius ordinatæ », id est proxime Creatori suo conjunctæ. Quemadmodum qui in vestibulis domus est, patrifamilias est multum propinquans; sic istæ substantiæ, assimilatione perfectionis sunt Deo viciniores. Potest autem vestibuli nomine prima cœlestis palatii mansio designari. « Omnem sunt visibilem et invisibilem superexcellentes facturam », id est digniores omni creatura visibili et invi-
B sibili quæ citra primam est hierarchiam : non quod Christi humanitate aut gloriosissima Virgine præstantiores sint, nisi in naturalibus donis, in quibus etiam excellentiores sunt sanctis animabus quæ usque ad primos illos choros elevatæ creduntur. Ceterum constat quod nec summus Seraph tantum excedit infimum angelum, quantum anima Christi glorificatissima, præsertim ut Verbo æterno hypostatice juncta, ipsum Seraph supremum.

*Puras igitur eas esse æstimandum.* Imo
C certum est quod universi angeli qui ceteris cadentibus stantes manserunt, puri sunt, non solum per innocentiam, sanctitatem et beatificam visionem, sed etiam ab omni impuritate materialis viscositatis et corpulentiæ mixtionalis. *Non ut immundis maculis et inquinationibus liberatas :* id est, non sic puræ sunt, quasi purgatæ sint a præhabitis immunditiis intellectus aut voluntatis, quia nec venialiter neque mortaliter unquam peccaverunt. Per quod excluditur error Platonicorum,
D dicentium quod in cœlo ab exordio fuit ruina, ipsisque lapsis in hoc mundo aut inferis satis purgatis et castigatis, rursus ascendant ad compares stellas et aulam Patris. *Neque ut materialium receptivas phantasiarum.* Sunt enim essentiæ non sensitivæ, sed pure intellectuales. Idcirco nec actiones nec passiones virium sensitivarum locum habent in eis, nisi metaphorice et secundum apparentiam aut similitudinem quamdam, quum alibi, scilicet quarto capitulo de Divinis nomini-

bus, dicat magnus iste theologus, quod A in dæmonibus sit amens furor, phantasia proterva, et irrationabilis concupiscentia : in quibus tamen, secundum Theologum naturalia integra permanserunt. Hinc erraverunt dicentes dæmones esse animalia corpore aeria, animo passiva, mente rationalia, tempore æterna, prout Apuleius Platonicus libro de Deo Socratis scribit.

* diminutione

*Sed ut omni subjectione * mundas et altiores*, id est ab omni vili servitute peccati et subditione sanctæ libertati et caritati contraria, prorsus immunes : quia B nec a primo illo apostata allici potuerunt, seduci aut vinci. *Et omni superfirmato templo, secundum excellentissimam* * *castitatem omnibus deiformissimis virtutibus supercollocatas.* Id est : Æstimandum, imo et firmiter sentiendum est, essentias illas et mentes supernas, esse [puras quatenus] « supercollocatas », id est eminentiores effectas, « omni superfirmato templo », id est omni alio templo Dei intellectuali et rationali, in quo per gratiam aut gloriam habitat Deus. Templa autem C hujusmodi superfirmata, sunt angelica agmina in bono confirmata, et supernaturaliter per gloriam roborata et immobilitata in Deo. Quum enim de fidelibus viatoribus dicat Apostolus, Templum Dei sanctum est, quod estis vos; potest hoc de comprehensoribus eminentius dici, quorum congregatio etiam appellatur triumphans Ecclesia. Nec obstat illud Apocalypsis : Templum non vidi in ea. Templa quippe materialia manufacta ibi non sunt, dicente Apostolo : Non enim in manu- D facta sancta Jesus introiit. Non tamen ratio templi spiritualis disconvenit Sanctis illis, quum et in prætacta Apocalypsi subjungatur : Dominus Deus omnipotens templum illius est, et Agnus. Sic ergo supercollocatæ sunt omni superfirmato templo, seu cunctis mansionibus regni cœlestis, haud dubium quin per exclusionem suiipsarum, « secundum excellentissimam castitatem ». Palam peritis constat, quod castitas seu continentia, prout est virtus

* excelsissimam

I Cor. III, 17.

Apoc. XXI, 22.

Hebr. IX, 24.

Apoc. XXI, 22.

moralis passionem concupiscentiæ reprimens, non insit immaterialibus illis spiritibus. Sumitur ergo hic castitas extense, pro spirituali puritate et pura adhæsione cum Deo. Cui puritati fornicatio spiritualis opponitur, quæ est in omni peccato mortali, juxta illud Psalmi : Quia ecce qui elongant se a te peribunt; perdidisti omnes qui fornicantur abs te. Hæc enim fornicatio est recessus mentis a Sponso cœlesti. Quæ tamen in vitio idololatriæ præsertim perpenditur : de qua Osee ait, Spiritus fornicationis decepit eos, et fornicati sunt a Deo suo. De qua in Jeremia et Ezechiele fit sæpissime mentio. In ordinibus ergo primæ hierarchiæ est excellentissima castitas, id est ferventissima et integerrima adhæsio mentis cum Deo, per quam ceteris omnibus sanctis angelis præferuntur : nec solum per hujusmodi castitatem, sed et in « omnibus deiformissimis virtutibus », quibus scilicet mens creata Creatori potissime conformatur, ut scilicet sunt sapientia, prudentia, fortitudo, constantia : in quibus, ceteris anteponuntur.

Ps. LXXII, 27.

Osee IV, 12.

Jer. III, XIII; Ezech. VI, XVI, XX, XXIII, XLIII.

Potest quoque ita exponi, quod superpositi sunt omni templo superfirmato, secundum « excellentissimam castitatem virtutibus », id est consideratam et exsistentem in omni deiformi virtute : quia non solum in adhæsione caritatis, sed in omni etiam actu cujuscumque virtutis ac doni, quærunt solius Dei gloriam et honorem finaliter, atque purissime convertuntur ad ipsum absque inordinata reflexione ad se. Quocirca ait Joannes Scotus, et consonat Joannes Sarracenus : Deus propter se solum, non propter aliud, est amandus; omnia vero alia quæ amantur, propter ipsum amanda sunt. Talis quippe dilectio, casta est : nam spiritualiter fornicari est, a caritate frigescere, Deum debito minus diligere, et aliud plus quam oportet amare.

*Et proprio per se motu et eodem motu, secundum diligentis Deum inconversibile ordinis ineffabiliter receptas.* Id est : Æs-

timandum ac sentiendum est, personas has hierarchiæ supremæ, esse [puras quatenus] « receptas », id est in suis receptaculis, locis, choris seu mansionibus constitutas, « motu proprio », id est proprio actu dilectionis, cui essentiale præmium correspondet, hoc est propria conversione atque tendentia, non mediante alio reducente ac dirigente : ideo subditur, « per se », id est immediate : non utique sine Creatoris cooperatione, qui in omni actu causæ secundæ plus agit et influit quam causa secunda; nec sine illius motione interna et excitatione benigna præventioneque pia, aliquid meritorie cogitat, vult aut agit mens quæcumque creata. « Et eodem motu. » Quo enim altioris sunt dignitatis et ordinis, eo simplicius et per pauciora convertuntur ad Deum. Nam Philosophus loquitur quod ea quæ minus distant a prima causa, paucioribus motibus convertuntur ad eam. Proclus quoque : Unumquodque, inquit, procedens ab aliquo, per tot convertitur, per quot a primo procedit. « Secundum inconversibile ordinis diligentis Deum », id est secundum immutabilem ordinem caritatis, qua Deus primo ac summe diligitur : cujus caritatis inconversibilis, invertibilis, invariabilis ordo divinitus institutus requirit ut Deus super omnia sinceriter diligatur, potissime a Beatis, qui nec venialiter unquam ab ordine illo declinant, sicut nos miserrimi viatores. De quo ordine ait Sponsa in Canticis : Ordinavit in me caritatem. (Cant. II, 4.) Porro totum istud factum est in beatissimis illis spiritibus « ineffabiliter » nobis, qui sublimia illa supernaturalia et spiritualissima, in sua puritate et sicuti sunt in se, nec capere nunc valemus, nec eloqui : imo divina illa et immaterialia melius possunt intelligi, quam effari.

*Et in subjecta contumeliam omnino nescientes :* id est, ordines illi supremi, quanto sunt ceteris altiores, tanto et humiliores : idcirco ad choros inferiores nequaquam se habent indignabunde, nec aliquo fastu superbiæ, sed dignantissime atque piissime. Ideo nesciunt per approbationem, neque exercent contumeliam circa illos : imo, quod desuper datum est ipsis, communicant illis caritative, illum sectantes de quo scriptum est : Qui dat omnibus affluenter, et non improperat. (Jacob. I, 5.) Vel sic : « In subjectis contumeliam nescientes », id est, spiritus illi supremi, ex quo non præsunt hominibus, neque ad exteriora mittuntur, idcirco nec contumeliam patiuntur ab illis, quemadmodum Angeli qui singulis præsunt hominibus, qui sanctis illorum instinctibus frequenter rebelles sunt et ingrati, sicque contumeliam patiuntur ab illis : quibus nihilo minus piissime adsunt, condescendunt, consulunt, et pro tot injuriis et offensis, tot et tanta rependunt beneficia omni die. Ab inferioribus quoque ordinibus angelorum nunquam contumeliam sustinent, quia in cunctis subjecti illis ipsis obediunt.

*Sed incausalem semper et intransmutabilem* * *habentes propriæ deiformis specialitatis purissimam collocationem :* id est, ordines illi altissimi, sunt [puri quatenus] « habentes » indesinenter « collocationem purissimam specialitatis propriæ deiformis », id est suæ specialis dignitatis ac gratiæ per quam Deo præ aliis conformantur, tamque sublimiter collocantur, « incausalem », id est a nullo inferiorum causatam ; vel potius, « incausalem », id est inferiorum non productivam immediate et per se, quia non habent ministerium circa illa. Alia littera habet, « incasualem », quia ipsorum collocatio seu ordinatio, nec casui nec fortunæ est subjecta : ideo sequitur, « et intransmutabilem », id est uniformem ac stabilem, quia in illo inavertibiliter sunt firmati et optime ordinati, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. (Jacob. I, 17.) Circa hæc ait Joannes Scotus : Quoties peccamus, angelos nostros quibus commissi sumus, contristamus, eisque contumeliam facimus, qui tamen nostræ salutis

* *incasualem et intransmutabilem*

causa sæpe hic manere dignantur, et nobiscum de loco ad locum migrare. Verum supremi illi ordines habent collocationem suæ specialis excellentiæ firmissimam : quoniam sicut sanctiores sunt ceteris, et A affectuosius se in exordio sæculorum ad suum converterunt Creatorem ; sic gloriosius coronari promeruerunt, et facti sunt mansione sublimiores, et agnitione revelationeque mysteriorum secretiores.

# ARTICULUS XXXVII

## QUALES SINT PRÆDICTORUM ORDINUM CONTEMPLATIONES.

CONTEMPLATIVASQUE *iterum sensibilium symbolorum,* id est, sentiendum est quod præfatæ mentes supernæ sint cognoscitivæ sensibilium signorum et figurarum quæ in sacramentis et Scripturis aut creaturis, ad invisibilium ac divinorum designationem atque notitiam, sunt digesta ac præmonstrata : qualia multa fuerunt in tabernaculo Moysis temploque Salomonis, in imaginaria quoque visione et valde mystica descriptione templi Ezechielis ac Joannis in Apocalypsi. Quorum omnium mysticas significationes et intelligibiles ac invisibiles veritates, spiritus illi cœlestes ex revelatione divina aut mutua norunt. Quidquid enim de his revelatum est sanctis Apostolis ac Prophetis, spiritus illi plenius cognoverunt, quorum ministerio revelata sunt ista hominibus mediate aut immediate. Verumtamen sensibilia ista et materialia ipsi insensibiliter intelligibiliterque cognoscunt, sicut et Proclus et auctor libri de Causis testantur. Nempe, ut libro de Consolatione philosophiæ pulchre deducit Boetius, cognitio fit secundum modum cognoscentis, non cogniti. Eamdem namque rem aliter cognoscit ac intuetur visus, aliter vis imaginativa, aliter ratio ut discurrens, aliter intelligentia ut simplici intuitu cognoscitiva. *Aut intellectualium speculativas,* id est, [æstimandum est eas esse] immaterialium rerum et spiritualium veritatum, necnon supercœlestium theo- B phaniarum divinarumque apparitionum, intuitivas. Hæc enim magis proportionata sunt intellectibus separatis. Unde septimo capitulo de Divinis nominibus magnus doctor iste fatetur : Intellectuales et invisibiles cœlestium animorum virtutes, ex sapientia Dei beatas et simplas intelligentias sunt sortitæ.

*Exod.* XXV-XXVII, XXX, XXXVI-XXXVIII, XL; III *Reg.* VI, VII; II *Par.* III, IV. *Ezech.* XL-XLIV, XLVI, XLVII; *Apoc.* XXI, XXII.

*Neque ut varietate sacre scribentis theoriæ in divinum reductas :* id est, non est æstimandum mentes illas supernas esse « reductas in divinum », id est ad Dei C ac divinorum notitiam, « varietate », id est per varias descriptiones, formas ac species, « theoriæ sacre scribentis », id est divinæ Scripturæ sacra ac divinalia speculantis ac describentis : a qua mentes illæ non instruuntur. *Sed et* omnis immaterialis scientiæ altiori lumine repletas,* id est, existimandum ipsas esse repletas lumine sublimiori, contentivo ac repræsentativo omnis notitiæ immaterialis, id est puræ et abstractæ scientiæ, scientiæ quoque immaterialis, id est imma- D terialium et incorporalium rerum. Sunt enim ab exordio suæ creationis multiplici sapientia ac scientia adimpletæ, ad minus loquendo de sapientia et scientia naturali. Multoque majori sapientia atque scientia sunt impletæ mox ut ad Creatorem suum se meritorie converterunt, et Deum per speciem cœperunt videre : in cujus essentia tanquam in universorum exemplari, ideali ac fontali principio, or-

* *ut*

dinem mundi et multa cognoverunt secreta, secundum quod exemplar illud increatum, sapientiale ac liberum, illis se voluit præsentare, et prout ex dignitate suæ naturæ specificæ ac eminentia meritorum suorum, et dignæ fuerunt et aptæ. Aliqua demum, imo et alia multa, illis desuper sunt ostensa secundum exigentiam et congruentiam temporum et causarum : de quibus altiores et magis illuminati, illuminant inferiores tempore opportuno.

Præterea quæri potest, qualiter mentes illæ immateriales, per formas suas intelligibiles puras et simplices intelligere queant materialia, corporalia et sensibilia, temporalia et mutabilia ista, cognitione etiam distincta, determinata ac propria, quantum ad particulares et singulares circumstantias, proprietates et conditiones. De hujus quæstionis multiplici solutione dicta sunt multa super secundum Sententiarum, secundum diversos doctores. Idcirco pertranseo : tantumdem nunc tangens, quod species illæ et formæ intellectibus angelorum inditæ et impressæ, secundum quod fluunt ab idealibus formis ac rationibus mentis divinæ, magnam et incognitam nobis habent vim præsentandi et illustrandi ac notificandi, juxta dispositionem et ordinationem increatæ sapientiæ Dei, quemadmodum et in inferioribus, imo ac infimis rebus, videmus et experimur esse vires vehementer magnas et admirandas. Intelligentiæ demum superiores, per species universaliores intelligunt plura et magis distincte, quam inferiores per species minus universales : quemadmodum etiam homines eminenter ingeniosi ac eruditi, plura intelligunt in primis et generalibus scientiarum principiis, quam ceteri in particularibus maximis.

*Et formificæ et principalis pulchritudinis, et superessentialis et ter lucentis contemplationis**, quantum fas est, refertas :* hoc est, sentiendum est mentes istas supernas esse « refertas », id est spiritualiter impinguatas, fecundas, impletas, « contemplationis », id est cognitionis præclaræ ac eminentis, « pulchritudinis » increatæ, « formificæ », id est, quæ causa est et factrix omnis formæ creatæ et ideatæ. Est quoque « principalis », imo infinite principalior et speciosior ceteris cunctis, « et superessentialis », quum sit extra et supra omne genus ac ordinem rerum, cujus comparatione omnis pulchritudo creata, est quasi deformitas, « et ter lucentis », id est in omnibus creaturis, potissime simul consideratis, perfectissime resplendentis. Increata enim pulchritudo, quum sit exemplar, causa, et forma omnis creati decoris, in universis et singulis repræsentatur ac splendet, potissime in ordine universi. Nam sicut omnia simul accepta, sunt bona valde, ita et pulchra valde. Quum itaque omnia super tria ponantur, per hoc quod pulchritudo Dei affirmatur ter pulchra, insinuatur omnino perfecta. Dicitur quoque ter lucens, quoniam in donis naturæ, ac gratiæ, donisque gloriæ fulget eximie, prout hoc infra libro de Divinis nominibus evidentius exponetur, Deo præstante. Hinc et Plato in primo Timæi : Incomparabili (inquit) pulchritudine mundus est; etenim operi formam dat opifex Deus. Boetius item : Boetius, lib. III, metr. 9.

Tu cuncta superno
Ducis ab exemplo, pulchrum pulcherrimus ipse
Mundum mente gerens, similique in imagine
|formans.

Insuper dicitur ter lucentis, quia pulchritudo hæc increata, in tribus supergloriosis Personis una et eadem numero consistit ac fulget plenissime, quamvis per appropriationem dicatur esse in Filio, dicente Hilario : Æternitas est in Patre, species in imagine, usus in munere. Hujus ergo pulchritudinis contemplatione refertæ sunt essentiæ et personæ hierarchiæ primæ angelicæ, « quantum fas est » hoc dicere, utpote secundum gradum ac modum suæ possibilitatis, non secundum totam actualitatem et cognoscibilitatem illius tam

* contemplatione

infiniti objecti, quod sibi soli plena comprehensione est cognitum.

*Communicatione autem Jesu similiter dignefactas :* id est, sentiendum est gloriosos spiritus illos dignos esse effectos communicatione meritorum et gloriæ Salvatoris, et agnitione mysteriorum ipsius. Per Christum namque et ejus mysteria gloriosaque merita, reparata est ruina angelica, et multipliciter aucta gloria accidentalis beatitudinis angelorum : qui et Christi incarnationem præcognoverunt, *Luc.* I, 26 *et seq. Ibid.* II, 9-14. prædixerunt, et factam mox publicaverunt, canentes, Gloria in excelsis Deo. Unde ad Timotheum Paulus manifeste inquit : I *Tim.* III, 16. Magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria. Et ad Ephesios : *Ephes.* I, 10. Deus instauravit omnia in Christo, sive quæ in cœlis sunt, sive quæ in terris. Facti sunt ergo participes gloriæ Redemptoris, quemadmodum in Apocalypsi ait Joannes : *Apoc.* V, 6. Vidi, et ecce in medio throni et quatuor animalium et seniorum, Agnum stantem. At vero quod ait, « dignefactas », pro una hic ponitur dictione composita. Quomodo autem factum sit istud, subjungitur.

*Non imaginibus sacrefactis* * *formative figurant divinam* * *similitudinem :* id est, mentes illæ supernæ « non figurant » sibi, id est, per corporalem similitudinem sibi non describunt nec imaginantur, « similitudinem » Dei, « imaginibus sacrefactis », id est sensibilibus formis institutis ad designandum aliquod sacrum, « formative », id est per circumscripta lineamenta : hoc est, non vident Deum imaginaria visione, neque per speculum in ænigmate, I *Cor* XIII, 12. idcirco non proponunt sibi corporeum aliquid ad intelligendum quid sit Deus, et cui ipse sit similis.

* *in imaginibus sacrefactis*
* *deificam*

*Sed ut vere ipsi approximantes,* id est mentes illæ dignissimæ in prima hierarchia exsistentes, tanquam veraciter propinquiores Deo quam alii chori, *in prima participatione scientiæ,* A id est, per hoc quod primo, et abundantius ceteris, ac immediate illustrantur a Deo : quod est scientiam Dei participare ; *deificum luminum* * *ejus,* id est illuminationum et contemplationum Dei, per quæ mentes sanctæ deificantur, hoc est, Deo excellenter assimilantur, juxta illud Joannis : Similes ei erimus, quia videbimus eum I *Joann.* III, 2. sicuti est. Hoc ergo deificum luminum, id est luminis gratiæ et gloriæ, communicant, id est, communiter cum aliis B participant, ac inferioribus influunt. *Et quia Deo simile ipsis subjective* * *donatum est,* id est etiam ideo, quia ab instanti creationis datum est illis esse quid simile Creatori, ita quod similitudo Dei in eis resplendet, et ipsæ dicuntur imago Dei, non per æqualitatem et veritatem naturæ : ideo sequitur, « subjective », hoc est, ipsæ sunt imago seu imagines Dei et similes, per imitationem et participationem perfectionis divinæ, multo præclarius quam animæ rationales, non per C æqualitatem et veritatem divinæ naturæ, per quem modum Unigenitus Dei vocatur et est Dei Patris imago, a cujus perfectione mentes illæ, quantumcumque sublimes, II *Cor.* IV, 4; *Coloss.* I, 15. deficiunt infinite. Est enim duplex imago, utpote naturalis, et imitativa. Primo modo imago imperatoris est in filio suo. Secundo modo est in nummo, juxta illud : Cujus est imago hæc et superscriptio? *Matth.* XXII, 20. *Communicant* ergo mentes illæ *hujusmodi* donis Dei, *ut possibile est, in præoperatrice virtute,* id est immediate in D Deo, a quo immediate illuminantur. « Communicant », inquam, « ut póssibile est », *deificis ipsius et humanis virtutibus,* id est, pro viribus assimilantur seque conformant virtutibus Jesu, tam illis quæ ei conveniunt secundum naturam divinam, ut sunt caritas, justitia, munificentia, pietas ; quam illis quæ Christo conveniunt secundum suam humanitatem, ut sunt humilitas, mansuetudo, gratitudo, officialitas. Videntes namque Unigenitum Dei sic incarnatum, humiliatum, obsecutum

* *lumen*
* *substantialiter*

et passum, admirati sunt, ædificati sunt, et ad imitandum decenter juxta suum modum inclinati, eo modo quo ait Gregorius, A quod videntes Creatorem suum hominem factum, renuerunt ab hominibus adorari ut ante.

## ARTICULUS XXXVIII

### QUOMODO SPIRITIBUS PRIMÆ HIERARCHIÆ CONVENIAT PERFECTIO.

QUONIAM pater et præsul et doctor iste jam supra ostendit, quomodo summis spiritibus istis primæ hierarchiæ conveniat purgatio tam activa quam passiva, et item illuminatio ista duplex ; consequenter idem declarat de perfectione.

*Perfectas autem similiter,* id est, eodem modo sentiendum est eas perfectas perfectione ad actus hierarchicos pertinente, de qua hic sermo, *non ut sacra varietate analyticam scientiam illuminatas,* id est « non » tanquam « illuminatas » seu eruditas « scientiam analyticam », id est expositoriam, resolutoriam et imperfectam, quam postea resolvi et explanari oporteat per evidentiora, et resolvendo usque ad prima principia : imo simplici mentis intuitu conspiciunt veritatem, atque in primis principiis simul intelligunt conclusiones. Non ergo sunt taliter eruditæ « varietate sacra », id est per sensibilium similitudinum ac formarum diversas et varias descriptiones aut propositiones. *Sed ut prima et supereminenti deificatione repletas,* id est tanquam impletas divinitus « deificatione », id est divina assimilatione, « prima » in ordine cœlestium hierarchiarum, « et supereminenti », id est eminentiori quam illa quæ convenit sequentibus choris, *secundum excellentissimam*, quantum in angelis, divinorum operum scientiam,* id est secundum sublimissimam notitiam operum divinorum, quæ angelicis inest spiritibus: de quibus erudiuntur immediate a Deo allocutione et inspiratione interna, exu- B beranter præ ceteris, ut dictum est sæpius. Hinc subditur :

* excelsissimam

*Non enim per alias sanctas essentias, sed ab ipsa Thearchia* sanctificatæ, in ipsam immediate extenduntur :* id est, mentes hæ trium ordinum primæ hierarchiæ « extenduntur », id est, per contemplationem elevantur, « in ipsam » Thearchiam, seu Deitatem omnium principem, « non sanctificatæ per alias sanctas essentias », id est non purificatæ et perfectæ aut reductæ per alios angelicos spiritus : exten- C duntur, inquam, « ab ipsa » Deitate, *omnibus supereminenti virtute, et ordine, et dignitate*,* id est a Deitate, quæ cunctis eminet creaturis et choris « virtute », id est virtutum perfectione seu omnipotentia, « et ordine », id est activa ordinatione, quum sit totius ordinis causa, imo supra et extra omnem ordinem rerum, quamvis ordo universi sistat in ea in ascendendo tanquam in puro actu, sicut in descendendo sistit in materia prima tanquam in pura potentia : non tamen D omnino eodem modo, quia in Deitate sistit tanquam in principio extra ; « et dignitate », id est honorabilitate, auctoritate, universali perfectione ac nobilitate : in quibus omnibus eminet et præfulget supergloriosissimus et superbeatissimus Deus universis et singulis penitus infinite.

* Divinitate

* alias om. *et dignitate*

*Et ad castissimam omnino fortitudinem collocantur,* id est, in dilectione Dei purissima, et in omnimoda ab omni malo continentia, inviolabiliter sunt constituti ; *et ad immaterialem et invisibilem*

*pulchritudinem, quantum fas, in contemplationem adducuntur*, id est, per contemplationem reducuntur immediate « ad immaterialem et invisibilem pulchritudinem » intuendam, tanquam ad finale beatificumque objectum, ad quod contemplatio illa est quasi proxima via, vel potius formaliter unio immediata cum ipso, « quantum fas », id est, quantum licitum vel concessum est. Sunt enim mentes illæ sapientissimæ prorsus discretæ ac reverentialissime se habentes ad Deum, cujus immensitatem, immensamque actualitatem, actualissimam quoque incomprehensibilitatem, sciunt in infinitum excedere omnem suam vim cognoscitivam : idcirco nec volunt nec cupiunt eum comprehendere omnimode, et taliter tamque perfecte sicut ipse comprehendit se ipsum. Nihilo minus vere comprehensores vocantur, et Deum veraciter comprehendunt, id est, immediate in se ipso facialiter clare conspiciunt, nec perfectius eum videre desiderant quam ipsis desuper est præfixum atque promeruerunt. Sunt etenim saluberrime satiati et contentati eo ipso quod habent, secundum quod illud habent. Insuper, sicut communiter dicimus unum Beatorum habere in alio, quod non habet in se ipso, sic omnes habent in superexcellentissimo Creatore, quod non habent in se : quoniam de illius felicitate, perfectione et gloria, vehementius inundantur quam de sua. Et de hoc quod ipse solus se plenarie comprehendit, plus gaudent, quam de hoc quod ipsi eum suo modo comprehendunt : imo mallent se non esse, quam quod ille ad momentum sua tam immensa gloria privaretur. Sic prævalet ac prædominatur in ipsis amor Dei. Præterea, sicut bonum dicit habitudinem quamdam ad appetitum, sic pulchrum ad intellectum seu visum. Quemadmodum ergo ad rationem pulchritudinis corporalis requiruntur ac pertinent tria, videlicet elegans statura, comproportio apta membrorum, ac vividus color; sic ad pulchritudinem spiritualem Dei tria quædam pertinere videntur : quia pro eleganti statura, convenit ei altitudo immensa ; pro comproportione membrorum, convenit ei convenientissima connexio attributorum ; pro vivaci colore, supersplendidissima claritas sua.

*Et ad* divinorum operum scibiles rationes, ut primæ et circa Deum essentiæ, flectuntur*, id est, mentes illæ supernæ tanquam primæ et proximæ Deo, et circa ipsum consistentes per præcipuam divinæ perfectionis participationem, « flectuntur », id est, se ipsas flectunt ac vertunt, « ad rationes operum divinorum scibiles » eis, hoc est ad cognoscendum et contemplandum causas et rationes divinorum mysteriorum atque effectuum cognoscibiles ipsis : non enim queunt omnes hujusmodi rationes cognoscere. Denique Deum in se ipso contemplantes, vultum suum intellectualem quasi dirigunt recte in altum, ac elevant in directum ; dum vero opera Dei rationesque operum ejus inquirunt ac pensant, quasi flectere se dicuntur, id est, ad aliud divertere, non tamen a Deo recedere, perhibentur. *Et ab ipso perfectionis principe*, id est a Deo totius perfectionis causa et fonte, *excellentissime* sanctificatæ sunt*, id est eminentius purificatæ, et omni perfectione virtutum ornatæ. Si autem in naturalibus solis creatæ fuerunt, concreata fuit eis sola sanctitas naturalis ; si vero in gratuitis conditæ sunt, id est in caritate et gratia gratum faciente et donis illis annexis, sic supernaturalis sanctitas fuit eis concreata habitualiter. Per actualem vero conversionem ad summum bonum, adeptæ sunt sanctitatem, cooperando gratiæ Dei, et habitibus illis utendo. Nunc tamen forsitan mentio est de sanctificatione seu perfectione prout est actus hierarchicus, quem non oportet jugiter eumdem numero esse in eis.

* alias om. *ad*

* *excelsissime*

# ARTICULUS XXXIX

E SACRIS LITTERIS APERTE COLLIGI, QUOD ANGELI INFERIORES A SUPERIORIBUS, SUPERIORES AB IPSO DEO ILLUMINENTUR.

HOC *ergo theologi aperte declarant,* id est, istud quod dictum est jam et protinus subditur, auctores et tractatores Scripturæ evidenter ostendunt et docent, videlicet *suppositas quidem cœlestium essentiarum dispositiones,* id est choros angelorum inferiores bene dispositos, *superfirmatis,* id est a superioribus ordinibus, *ornate,* id est sapienter et pulchre, *erudiri deificas scientias,* id est illuminationes et notitias divinorum. *Omnium vero altiores,* id est tres supremos ordines primæ
*Divinitate hierarchiæ, *ab ipsa Thearchia**, *quantum* B *fas, doctrinam illuminari,* id est a potestate divina seu Deo omnipotente immediate, prout decens est, informari. Quod consequenter probat in particulari.

* illarum *Quasdam enim earum**, id est aliquas personas ordinum inferiorum, *introducunt,* id est, dicunt theologi, *a prioribus,* id est a superioribus angelis, *sacre eruditas, Dominum esse cœlestium virtutum,*
* cœlos *et regem gloriæ in cœlo** *humanitus receptum,* id est Christum qui secundum humanam naturam ascendit in cœlum, C « esse » secundum suam divinam naturam, « Dominum virtutum cœlestium », id est creatorem ac summum dominatorem supernorum spirituum, « et regem gloriæ », id est principem majestatis immensæ ac jucunditatis æternæ, de quo ad
I Cor. II, 8. Corinthios scribit Apostolus : Si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. Istud ex psalmo acceptum est,
Ps. XXIII, 7, 9. quo habetur : Attollite portas, principes, vestras, et elevamini, portæ æternales, et introibit rex gloriæ. Circa hæc expositores D allegant B. Hieronymum, perhibentem : Virtutes angelicæ quæ Christo Domino mi-

A nistrabant, ascendente eodem, ad alias fortitudines cœlestes (id est angelicos spiritus præpotentes) clamabant ut panderent januam Domino revertenti, dicentes : Attollite portas, principes, vestras, etc. At spiritus illi angelici, quoniam ascendentem carne indutum conspiciunt, novo mysterio stupefacti, interrogant : Quis est iste rex gloriæ? Accipiuntque responsum : Ps. XXIII, 10.
Dominus virtutum ipse est rex gloriæ. Ibidem.
Jesum igitur ad cœlum triumphali agmine concomitantes, quasi cum exsultatione admirationis interrogant : Quis est iste rex gloriæ? Præcellentes vero virtutes modulata exsultatione respondent : Dominus virtutum ipse est rex gloriæ. Ex quibus elicitur angelos inferiores in hac interrogatione a superioribus esse instructos.

Quocirca quæritur, cur in psalmo eodem admonitio seu commissio vel jussio ista, bis sub eadem forma verborum proferatur, videlicet, Attollite portas, principes, vestras, et elevamini, etc. ; et an ab eisdem prolata sit. Ad quod quidam expositores respondent, quod versiculus iste primo loco positus, a Propheta expressus sit in persona angelorum præcedentium Christum ad inferos descendentem, quum spiritum tradidisset in cruce, ita quod an- Joann. XIX, 30.
geli sancti illi dixerunt infernalibus illis principibus : Attollite portas, etc. Quod Ps. XXIII, 7.
principes illi mirantes, sciscitabantur : Quis est iste rex gloriæ? [Quibus angeli Ibid. 8.
sancti responderunt :] Dominus fortis et potens. Deinde angeli sancti ascendentes cum Christo in ascensione, dixerunt principibus cœli : Attollite portas, principes, Ibid. 9.
vestras. Qui occurrentes, quærebant : Quis Ibid. 10.

est iste rex gloriæ? Ista in expositione libri Psalmorum diffusius explanavi.

Consequenter probat auctor supremos angelos a Deo immediate instructos. *Quasdam vero apud ipsum Jesum quærentes,* id est, theologi introducunt « quasdam » cœlestes essentias, id est mentes supernas, « quærentes apud Jesum », id est immediate a Jesu ; *et pro nobis suæ divinæ actionis scientiam discentes,* id est, ipsi theologi asserunt ipsos spiritus cœlestes supremos fuisse in ascensione « discentes » immediate a Jesu « scientiam B actionis suæ divinæ », id est notitiam atque mysterium operationis suæ divinæ quam pro nostra salute exhibuit, præsertim in passione et ascensione. Fecerant quoque hoc « pro nobis », id est pro nostra ædificatione et instructione, ut videntes sanctos illos angelos summos tam sollicitos ad discendum, inflammemur studio addiscendi salubria, et ordinate quæramus a prudentioribus, quos benevole
Jacob. I, 19. audiamus, juxta illud Jacobi : Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem C
Eccli. V, 13. ad loquendum. Et Ecclesiasticus ait : Esto mansuetus ad audiendum verbum Dei. Hinc unus sanctorum locutus est Patrum : Oportet hominem christianum aut diligenter discere quæ ignorat, aut fideliter docere quæ novit. *Et eas ipsum Jesum immediate docentem,* id est, theologi asserunt quod Jesus immediate per se docuit illos, respondendo eisdem.

*Et prælargiens eis manifestantem suam humanam benignitatem,* id est, ipse Jesus in sua ascensione primo tribuens D mentibus illis superioribus suam piissimam benevolentiam, ipsis videlicet ante alios revelans mysteria suæ passionis et ascensionis, et ineffabilem misericordiam quam impendit hominibus : *Ego enim, inquit, disputo justitiam et judicium salu-*
* salutaris *tare**. Sic transtulerunt Septuaginta. Hieronymus vero, juxta Hebraicam veritatem,
Is. LXIII, 1. sic transtulit : Ego qui loquor justitiam, et propugnator sum ad salvandum.

Ex hac responsione datur intelligi quid A interrogaverunt angeli illi. Primo quippe inter se interrogaverunt avide conferentes : Quis est iste qui venit de Edom, tin- Is. LXIII, 1. ctis vestibus de Bosra? Quod scriptum est in Isaia. Atque, ut ibi dicunt expositores, Edom interpretatur terrenus, vel sanguinolentus, et designat hunc mundum terrestrem, seu terram sanguinibus inhabitantium eam repletam. Bosra vero, tribulatio interpretatur. Angeli ergo illi mysteria incarnationis passionisque Salvatoris tunc usque nondum plene, distincte ac circumstantionaliter cognoscentes ut postea, et cernentes Christum tam gloriosissime ascendentem, admirando et conferendo sciscitabantur : Quis est iste qui venit de Edom (id est, qui de terra, in qua inter Baruch III, 38. homines conversatus est, ascendit) tinctis vestibus de Bosra, id est indumentis ejus fuso cruore perfusis ex pressura tribulationeque passionis? Quod ad litteram in passione ipsius peractum est, et in membris beatissimi corporis sui ex cicatricibus vulnerum patuit etiam tempore ascensionis. Unde in Genesi Jacob patriarcha prædixit : Lavabit in vino stolam suam, Gen. XLIX, 11. et in sanguine uvæ pallium suum. Insuper ipsum ascendentem sic angeli ipsi collaudant : Iste formosus in stola sua (id Is. LXIII, 1. est in carne assumpta, paulo ante miserabiliter passa, sed nunc præclarissime glorificata : de quo prophetavit Psalmista, Speciosus forma præ filiis hominum), gra- Ps. XLIV, 3. diens in multitudine virtutis suæ, id est, propria potestate, multa et valde robusta, ascendens, juxta illud Michææ prophetæ : Ascendet iter pandens ante eos. Ascendit Mich. II, 13. autem Christus propria et increata virtute, in quantum Deus ; propria quoque virtute, in quantum homo, quantum ad hoc quod corpus suum jam glorificatum, dotem habuit agilitatis, qua ad placitum velocissime quivit ascendere.

Porro illis sic inter se conferentibus, Dominus Jesus respondit ad illud quod quæsierunt : Quis est iste qui venit de Edom? Ad quod ait : « Ego disputo justitiam », id est, justas causas redemptionis

generis humani contra antiquum hostem allego, quoniam rationalem creaturam invidiose decepit, « et judicium salutare », id est, salubrem sententiam contra adversarium profero, utpote hominem aliunde deceptum, etiam aliunde esse redimendum. Unde per Isaiam Deus Pater ait de
*Is.* LIII, 10. Christo : Si posuerit animam suam pro peccato, videbit semen longævum. Et rursus ibidem plenius ac clarius loquitur Pa-
*Ibid.* 11, 12. ter : In scientia sua justificabit ipse justus servus meus multos, et iniquitates eorum ipse portabit ; ideo dispertiam ei plurimos, et fortium dividet spolia, pro eo quod tradidit in mortem animam suam, et cum sceleratis reputatus est. Nostræ demum translationis sensus est planus. Ego qui loquor justitiam, id est, viam prædico veritatis, et evangelicam doceo legem ; et propugnator sum ad salvandum, id est defensor, pugil et expugnator pro hominibus deceptis ac perditis, ut devictis per me eorum hostibus, ipsi salventur. Hinc in Evangelio loquitur Do-
*Luc.* XI, 21, 22; *Matth.* XII, 29. minus Jesus : Quum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet ; si autem fortior illo superveniens vicerit illum, universa vasa ejus auferet, et spolia ejus dividet. His auditis, angeli supremi quasi jam licentiati et animati interrogare, quærunt a Chri-
*Is.* LXIII, 2. sto : Quare rubrum est indumentum tuum ? id est, talis ac tantus quum sis, tam justus et innocens ac præpotens ad salvandum, cur tu ipse passus es et morti adjudicatus, et corpus tuum rubricatum est sanguine proprio ? Quibus respondet :
*Ibid.* 3. Torcular calcavi solus, id est, pressuram passionis pro hominum salute pertuli solus. Unde in Threnis loquitur Jeremias :
*Thren.* I, 15. Torcular calcavit Dominus virgini filiæ Juda. Hæc omnia super Isaiam exposui plenius.

Præterea, pro eo quod in textu isto habetur, « suam humanam benignitatem », Lincolniensis posuit, Misericors beneficium. Et in Græco habetur, φιλάνθρωπον, id est misericors. Unde et operatio omnis Christi in carne assumpta, vocatur theandrica, id est deivirilis.

Præterea circa jam præhabita movet auctor hanc quæstionem : *Miror autem quia et cœlestium essentiarum primæ,* id est, inde admiror, quod supernorum spirituum supremi, ad primam hierarchiam pertinentes, *et quæ tantum simul omnes supereminent*,* id est, quæ mentes supernæ tam vehementer excedunt ceteros sex ordines angelorum, *thearchicis*,* id est divinis, *illuminationibus,* quæ in ipsis sunt majores et clariores, immediatiusque Deo, *ut mediate quæstiones reverenter appetunt,* id est, quærunt inter se et libenter audiunt ista interrogari, quasi ipsæ essent de media hierarchia, et instrui possent a superioribus angelis, quum tamen sint in prima, et illuminent mediam. *Etenim non*[1] *inde* interrogant, Quare tua rubra* sunt *vestimenta ?* sicut expositum est. — Ad quod respondet : *Apud se ipsas vero deliberant antea* interrogare,* id est, inter se discutiunt ante actualem interrogationem, an velint ac debeant quærere quod animo conceperunt ; *ostendentes quidem quia discunt,* id est, ita inter se sciscitantur et conferunt, non ut unus eorum informetur ab alio hierarchiæ ejusdem, sed ut per hoc insinuent quod ipsis quoque convenit discere aliqua quæ ignorant de Dei operibus ac Christi mysteriis, *et deificam scientiam appetunt,* id est, per hoc ipsum ostendunt quod cupiunt informationem a Deo de talibus, per quam Deo amplius conformentur ; *non autem præsilientes per divinam processionem inditam illuminationem,* id est, non indiscrete festinantes ad suscipiendum illuminationem divinam, quæ indita est et habetur « per processionem divinam », id est per influxionem et inspirationem in-

* *et tantum simul omnes supereminentes*
* *divinis*
* [id est illico]
* *ante*

[1] Istud *non,* interpres noster omisit : utrum vero fortuitu et humanitus, an de industria et animo deliberato, aliorum sit judicium. Certe prior editio aliunde illud inseruit. (Ed. Colon. ann. 1556.)

ternam a Deo : in quo modestiam et reverentiam suam ad Deum demonstrant.

Verumtamen, sicut inductum est, mysterium Incarnationis noverunt jam factum, et quantum ad substantiam rei sciverunt jam fiendum a suæ glorificationis exordio. Imo et quasdam tanti mysterii circumstantias cognoverunt etiam ante Christi passionem, videlicet locum et tempus, et quædam Christi mysteria atque miracula, non tamen universas particulares conditiones, proprietates, vires et efficientias : unde de talibus sunt desuper eruditi. Imo inferiores ordines inde aliqua conceperunt etiam per beatissimorum Apostolorum prædicationem et opera, quemadmodum per ea quæ jam effectualiter sunt impleta, aliquid scire possunt, quod ante vel non sciverunt, vel non tam omnifarie ac distincte. Ad quod insinuandum scripsit Apostolus ad Ephesios : Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia hæc, in gentibus evangelizare investigabiles divitias gratiæ Christi, et illuminare omnes, quæ sit dispensatio sacramenti absconditi a sæculis in Deo, ut innotescat Principatibus et Potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei, secundum præfinitionem sæculorum, quam Deus fecit in Christo. Et certe, quando hæc scripsit Apostolus, fuerunt Christi mysteria in effectu completa, et declarata copiosius quam in Christi ascensione. Nec sequitur : angeli a principio viderunt Filium Dei per speciem, ergo viderunt omnia illa in ipso, præsertim dum fierent. Talia enim nullam mutationem fecerunt in Verbo æterno.

*Ephes. III, 8-11.*

# ARTICULUS XL

## CONCLUDITUR EX PRÆALLEGATA SCRIPTURA, PRIMAM HIERARCHIAM IMMEDIATE A DEO PURGARI, ILLUMINARI, ET PERFICI.

NUM* *ergo prima cœlestium intellectuum hierarchia,* id est, nonne suprema illa trium ordinum hierarchia, *ab ipsa teletarchia**, id est a divina et increata potestate omnibus principante, *sanctificata,* id est sancta effecta, ut paulo ante prolixius expositum est, *quo in eam immediate extenditur,* id est, eo ipso quo sine alio ordine mediante ad Deitatem reducitur, imo se ipsam ad illam convertit, *sanctissima purgatione* quam a Deo sortitur, *multo lumine,* id est copiosa illuminatione qua a Deo illustratur, *anteperfecta consummatione,* id est excellenter perfecta completione, *eam implens,* id est, hierarchiam hanc perficiens Deitas summa, *proportionabiliter**, id est secundum capacitatem, dignitatem et aptitudinem ejus (tamen, secundum Scotum, ponitur hic implens, pro implente, per figuram quæ a grammaticis hypallage appellatur), *purgatur, et illuminatur, et perficitur?* id est, secundum hunc modum prima hierarchia purgatur, illuminatur, atque perficitur, non ab alia hierarchia aut angelico ordine, sed immediate a Deo. *Omni quidem minoratione pura,* id est, prima illa hierarchia sic purgatur, ut sit immunis ab « omni minoratione », id est diminutione et deficientia puritatis pertinentis ad eam, *primi vero luminis plena,* id est plena lumine primo et increato, secundum mensuram pertinentem ad ipsam hanc hierarchiam. Vel dicitur, plena luminis primi, id est supremæ illuminationis hierarchicæ, quia immediate

* *Non*

* *perfectionis principe*

* *proportionaliter*

illuminatur a Deo, et plenius quam ceteræ hierarchiæ. *Et primo data cognitione et scientia participans perfecta :* id est, hierarchia hæc prima « participans », id est, partim communicans, « cognitione data primo », id est illuminatione eminentiori, quæ primo gradu dignitatis collata est ei a Deo ; sic quoque participans « perfecta scientia » in suo genere, et universaliori quam sit inferiorum angelorum scientia, ut frequenter expressum est.

Consequenter declarat, quod distinctio trium actionum hierarchicarum, sit in angelis potius distinctio secundum rationem, quam realis. *Comprehendens autem,* id est multa summatim breviterque concludens, *et hoc* quod mox subditur, *dixerim, fortassis non immerito.* Sobrie loquitur, docens incautam assertionem esse vitandam. *Quia et purgatio est, et illuminatio, et perfectio, divinæ scientiæ assumptio.* Id est : Intellectualis ac formata susceptio scientiæ divinitus datæ, « est » realiter « purgatio » mentis illam suscipientis, in quantum mens per ipsam a nescientia quadam et minoratione puritatis mundatur. (Talis quoque scientiæ infusio, sive collatio, aut certe causatio, videtur esse activa purgatio, et dum unus et idem purgatur, et purgat : purgatur, inquam, a superiore, et purgat inferiorem. Duplex illa purgatio non est idem in re : purgatio enim activa est in purgante, quem et ita denominat ; passiva vero purgatio, in purgato, quem et denominat ipsa.) « Et illuminatio », id est, assumptio illa scientiæ est realiter ipsa illuminatio, in quantum mens per illam veritatem prospicit et cognoscit : et qui influit eam, active illuminat ; qui vero recipit eam, illuminatur, non per expulsionem erroris, sed per agnitionis augmentum aut clarificationem. Eadem quoque hæc ipsa scientiæ assumptio, est « et perfectio », id est realiter idem quod perfectio ista hierarchica, in quantum mens per ipsam formatur, atque reducitur ad totius datorem ac fontem perfectionis. Non enim de informi et nuda, sed formata et affectiva scientia, ista dicuntur. Verumtamen perfectionem quidam dicunt esse inflammationem divini amoris : quem modum loquendi in hoc volumine sanctus hic doctor non habet. Inflammatio quoque ista amoris, ex agnitione divinorum fluens effectuum, in scientia ista hierarchica virtualiter continetur.

*Ignorantiam quidem utpote purgans,* id est, pro certo assumptio ista scientiæ est purgatio, « utpote purgans ignorantiam », id est nescientiam quamdam, non culpæ immunditiam, *secundum ordinem,* quia purgatio illuminationem præcedit secundum ordinem naturæ aut generationis : Deus namque non nisi a purgatissimis mentibus cernitur, ut Augustinus fatetur ; *indita scientia perfectiorum doctrinarum :* id est, scientia superioribus præstita, quæ est cognoscitiva « perfectiorum doctrinarum », id est eminentiorum notitiarum et contemplationum, hæc, inquàm, est purgans inferiores. *Illuminans autem,* id est, assumptio illa scientiæ est etiam illuminans mentem, *ipsa divina cognitione* quam formaliter causat in ea, *per quam* illuminationem *et purgat* a nescientia : [illuminans, inquam, mentem] *non prius contemplantem,* id est mentem quæ non contemplatur nec scit veritatem quæ ei per illuminationem notificatur, « prius » *quam manifestatur* * *per altiorem illuminationem,* id est, quam ei manifestetur a superiore per illustrationem majorem quam habuit ante. *Et perficiens iterum ipso lumine,* id est, assumptio ista scientiæ divinæ est rursus mentem perficiens eodem lumine scientiali quo purgat et illuminat, *secundum habitum scientia lucidissimarum doctrinarum,* [id est, perficiens eam in « scientia lucidissimarum doctrinarum » quæ est] « secundum habitum » bonitatis et possessionem virtutum, in quibus completive consistit scientia formata lucidissimarum veritatum, quæ non sunt lucidissimæ nisi vir-

* manifestat

tutibus decorentur. Etenim ille veritatem A optime scit, qui eam didicit non solum legendo aut audiendo, sed etiam experiendo, gustando ac opere exsequendo. Ideo Christus locutus est : Beati mundo corde, *Matth.* v, 8. quoniam ipsi Deum videbunt.

# ARTICULUS XLI

### PRIMI ORDINES COLLOCANTUR IMMEDIATE CIRCA DEUM.

IPSA *ergo est, quantum ad nostram scientiam, prima cœlestium essentiarum dispositio,* id est, præinducta ordinatio, actio et habitudo trium primorum angelicorum chororum, est prima et suprema hierarchia cœlestis, secundum quod nos eam scire, distinguere atque describere jam valemus. Cœlestibus autem cognita est distinctius et clarius valde. Nempe, ut scriptum est in libro Sapientiæ :
*Sap.* IX, 16. Difficile invenimus quæ sunt in terra; et quæ in prospectu sunt, cognoscimus cum labore : quæ autem in cœlis sunt, quis investigabit? Hinc in Ecclesiastico legi-
*Eccli.* XLIII, 36, 37. tur : Multa sunt abscondita majora his; pauca enim vidimus operum ejus, et pie agentibus dedit Dominus sapientiam. *In circuitu Dei et circa Deum immediate stans.* Hoc totum spiritualiter intelligendum est : quia nec angeli, quum sint simplices immaterialesque spiritus, situaliter stant; nec circumscriptus est Deus, ut in circuitu ejus angelicæ mentes esse localiter æstimentur. Sed condescendunt Scripturæ nostræ capacitati infirmæ, ut in D circuitu Dei esse dicantur, qui imitatione virtutum, contemplatione et dilectione, ei propinquiores consistunt; et item qui undique confluunt et congregantur ad ipsum, vel ei concorditer sunt intenti, in quo-
*Matth.* XVIII, 20. rum medio ipse se esse affirmat. Sicque
*Ps.* LXXXVIII, 8. Propheta deprompsit : Deus qui glorificatur in consilio Sanctorum, magnus et terribilis super omnes qui in circuitu ejus
III *Reg.* XXII, 19. sunt. Sic et propheta Michæas tertio libro Regum : Vidi, inquit, Dominum se- B dentem, et omnem exercitum cœli a dextris ejus et sinistris. Cur autem prima hierarchia dicatur circa Deum stare immediate, dictum est sæpe, quanquam Christus homo et deificatissima Virgo propinquiores sint Majestati, et primam hierarchiam transcendentes ac illustrantes.

*Et simpliciter et incessanter circumiens æternam ejus scientiam,* id est perpetue intenta contemplationi æternali sapientiæ Dei « simpliciter », id est sincerissime et solum intellectualiter, sine omni pli- C ca duplicitatis et reflexione indecenti ad proprium, quum Deus sit ibi omnia in I *Cor.* XV, 28.
omnibus. *Secundum excellentissimam* *, * *excelsissimam*
*quantum in angelis, semper mobilem collocationem,* id est juxta perfectissimam quietationem, mansionem et fixionem, quantum in universitate cœlestium spirituum dici potest, aut esse possibile est. In qua collocatione indesinenter circa Deum versantur, ac feruntur ac elevantur in ipsum : ideo additur, « semper mobilem », id est jugiter in Deum tendentem, tanquam in summum objectum et ultimum finem, qui omnia ordinavit et movet ad se. Omnia enim propter se ipsum opera- *Prov.* XVI, 4.
tus est Dominus, ut Salomon ait. Unde et philosophi dixerunt, quod causa prima movet omnia, etiam superiora et summa in entibus, sicut desideratum movet desiderantem, seu desiderium ejus. Nihilo minus collocatio illa supernorum in Deo et circa Deum, recte quoque vocatur immobilis, in quantum inavertibiliter ac beatissime in summo bono sunt confirmati

ac prorsus assecurati. Et de ista mobilitate et immobilitate Dei et supernorum, art. v. dictum est plenius supra, in expositione primi capituli. Postremo in libro de Divinis nominibus, capitulo quarto, diffusius agitur de triplici motu Dei et angelorum, videlicet recto, et obliquo, ac circulari. Nam et de ipsa sapientia summa Sap. vii, 24. scriptum est : Omnibus mobilibus mobilior est sapientia.

Deinde de eminentiis primæ hierarchiæ subjungit : *Multas quidem et beatas videns pure contemplationes :* id est, hierarchia hæc « videns », id est, in Deo immediate conspiciens, « pure », id est clare, imo et clarius aliis, « contemplationes », id est agnitiones secretorum Dei, « multas » numero per respectum ad visa et cognita, « et beatas », id est formaliter beatificas quantum ad secundum præmium, intelligendo istud de contemplationibus divinorum effectuum. Porro Beati unico actu vident Deum et ea quæ in Deo immediate conspiciunt per divinam essentiam. Quæ autem per inditas sibi species noscunt, diversis actibus contemplantur, nisi per eamdem intelligibilem speciem repræsententur. *Simplosque et immediate fulgores illuminata,* id est, hierarchia hæc « illuminata immediate » a Deo, videt « simplos fulgores », id est, irradiationes habet a Deo simplices, non ita partitas et diversificatas sicut habent chori et hierarchiæ ea inferiores. Quod enim in alio recipitur, recipitur in eo secundum modum et dispositionem ipsius : ideo, sicut mentes illæ pulcherrimæ hierarchiæ supremæ, sunt majoris unitatis et simplicitatis in suis naturis; ita quæ communicata sunt ipsis, sunt vehementioris unitatis et simplicitatis, sicut in libro de Causis probatur. *Et divino alimento repleta,* id est beatifica fruitione increatæ bonitatis atque immensæ suavitatis saluberrime re- Ps. xvi, 15. fecta ac saturata (juxta illud, Satiabor Ps. xv, 11. quum apparuerit gloria tua ; et item, Adimplebis me lætitia cum vultu tuo), *multo quidem, primo** data fusione,* id est, repleta est « multo », id est copioso hujusmodi alimento, « fusione primo data », id est communicatione Dei hierarchiæ illi abundantius impertita ac facta : etenim dona gloriæ sunt illi hierarchiæ exuberantius condonata.

*multa quidem primo

*Solaque domestica et unifica divinæ refectionis unitate, multa quoque** communione Dei et cooperatione digna effecta, ad eam ut possibile.* Id est : Hierarchia illa « digna effecta » est, quantum « possibile » est ex parte ipsius, videlicet secundum totum meritum suum, imo et supra illud, quia Deus remunerat ultra condignum, « sola », quia ipsa dumtaxat : digna, inquam, effecta est « unitate », id est simpliciori ac magis unita participatione, « refectionis », id est fruitionis « divinæ, domestica », id est familiari, « et unifica », id est unificante et simplificante eam in Deo, quem quo clarius vident, et quo plenius ipso fruuntur, eo fiunt ei conformiores, et magis unum in ipso, eminentius quoque simplificati in eo, juxta illud : Ut sint consummati in Joann. xvii, 23. unum. Non enim divisi sunt mente, dispersi aut evagantes ab illo simplicissimo uno, quod est ipsa unitas prima. Etenim ista refectio gloriosa ac prorsus dulcissima, totaliter ac potentissime trahit et allicit, afficit et accendit, transformat et absorbet Beatos in Deum. « Multa quoque communione Dei », id est abundanti omnino et multiplici communicatione divinæ bonitatis ac munificentiæ ejus : quo enim quis Deo est vicinior, similior, carior, eo Omnipotens divitias gloriæ suæ et suorum charismata munerum exuberantius illi communicat ; « et cooperatione » Dei digna effecta est, id est, hierarchia illa præ ceteris est Creatori cooperans, non immediate exsequendo circa exteriora, sed quia omnium causa Deus per eam purgat, illuminat, perficit, regit, movet, et actuat inferiora ; quod autem est causa causæ, est causa causati. Denique talis effecta est *similitudine bonarum habitudinum et actionum,* id est per conformi-

*multaque

tatem habituum divinorum seu virtutum sublimium, utpote caritatis, sapientiæ, scientiæ, liberalitatis, zeli divini honoris, justitiæ, pietatis, prudentiæ, « et actionum » procedentium ex illis supernaturalibus, infusis, virtuosis efficacissimisque habitibus, qui nunquam in illis sunt otiosi.

* *Multaque*

*Multa vero* divinorum superposite cognoscens,* id est hierarchia illa suprema A contemplans « multa divinorum » secretorum ac operum « superposite », id est excellentius aliis hierarchiis, *et divinæ scientiæ et cognitionis in participatione, secundum quod fas est, facta,* id est, constituta est « in participatione divinæ » et increatæ « scientiæ, et cognitionis », id est contemplationis, « secundum quod fas est », id est, prout competit mentibus tam prædignis.

# ARTICULUS XLII

## QUIBUS LAUDIBUS HIERARCHIA PRIMA DEUM COLLAUDET.

P*ROPTEREA et laudes ipsius Theologia his qui in terra sunt, tradidit:* id est, quum talis ac tanta sit eminentia primæ hierarchiæ, ob hoc « Theologia », id est sacra Scriptura seu auctores ipsius, imo Spiritus Sanctus per eos, « tradidit », id est, notificavit ac dedit, « his qui in terra sunt », id est hominibus, « laudes ipsius », id est præconia quibus et per quæ ipsa hæc hierarchia Deum collaudat. *In quibus,* videlicet laudibus, *mirabiliter manifestatur excelsissimæ ipsius illuminationis eminentia,* id est, excellentia illuminationis primæ hierarchiæ miro et sublimi modo ostenditur. Quod consequenter per testimonia certa declarat.

*Alii quidem enim eam, sensibiliter dicendo tanquam vox aquarum, reboant,* id est, quidam spiritus primæ hierarchiæ « reboant », id est, exclamant laudem Dei, « dicendo sensibiliter tanquam vox aquarum », id est sonando instar aquarum multarum dum concitantur ventis aut cadunt deorsum, vel tanquam vox plebium vel mentium plurimarum, juxta illud, Aquæ multæ, populi multi. (*Apoc.* XVII, 1, 15.) Hoc Sanctus iste ex Ezechiele allegat, qui in libro visionum suarum loquitur : (*Ezech.* III, 12.) Audivi post me vocem commotionis magnæ. Et quæ fu-B erit vox illa, subjungitur ibi, et hic quoque commemoratur, quum subditur : *Benedicta gloria Domini ex loco suo.* (*Ezech.* III, 12.) Porro Ezechiel habet etiam : Audivi sonum ala- (*Ibid.* I, 24.) rum, quasi sonum aquarum multarum, quasi sonum sublimis Dei. « Benedicta gloria Domini », id est sancta ejus majestas, seu magnificentia operum ejus, quæ ex loco suo resultat aut innotescit : qui locus est regnum cœlorum et chori angelici. At vero spiritus cœlestes qui istud resonabant, ab Ezechiele Cherubim nuncupan-C tur, juxta illud : Elevaverunt Cherubim (*Ibid.* XI, 22.) alas suas.

*Alii vero illam valde laudabilem et piissimam reclamant theologiam : Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth; plena omnis terra gloria ipsius.* Hoc sumptum est ex eo quod scriptum est in Isaia : Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum, et ple- (*Is.* VI, 1-3, juxta LXX.) na erat domus a majestate ejus, et ea quæ sub ipso erant, replebant templum. Seraphim stabant super illud : sex alæ D uni, et sex alæ alteri ; duabus velabant faciem ejus, et duabus velabant pedes ejus, et duabus volabant. Et clamabant alter ad alterum, et dicebant : Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercitu-

um ; plena est omnis terra gloria ejus. De quorum expositione verborum multa possent induci : quæ super Isaiam, in opusculo quoque de Missa, sunt introducta. Porro, quod dixerunt ter, Sanctus, mysterium innuit superpræstantissimæ Trinitatis, cujus et unitas deitatis insinuatur, dum singulari additur numero, Dominus Deus Sabaoth, id est exercituum, vel omnipotens. Hoc canticum vocatur theologia, id est sermo de Deo. Est autem solus Deus per essentiam sanctus, alii per gratiam.

Verum circa hæc oritur quæstio, quia, ut Sanctus iste alibi docet, visiones propheticæ præsentatæ sunt ministerio angelorum infimæ hierarchiæ : quomodo ergo laudes prætactæ Prophetis præfatis insinuatæ, adscribuntur Cherubim et Seraphim? Ad quod fortasse poterit responderi (cap. xiii.) quemadmodum infra in textu respondetur, quod angelus de quo loquitur Isaias, (Is. vi, 6.) Volavit ad me unus de Seraphim, fuit de choro inferiori, nihilo minus Seraphim dictus est, quia directus ab aliquo Seraph : ita hic forsitan dici posset, quod angeli de quibus fatur Ezechiel, erant missi a Cherub ; illi vero de quibus cecinit Isaias, a Seraph.

*Has autem excelsissimas* * *cœlestium animorum hymnologias,* id est decantationes istas hymnorum ac laudes « animorum cœlestium », id est supernorum spirituum, « excelsissimas », id est valde sublimes, quibus ipsi Deum glorificant, *jam quidem in his quæ sunt de divinis laudibus,* id est in libro totali aut partialibus libris quos fecimus de laudibus Dei, *quantum possibile aperuimus,* id est, descripsimus et exposuimus « quantum » nobis fuit « possibile » ; *et* * *dictum est de his in illis,* id est de his laudibus Dei in illis libris, *quantum ad nos,* id est juxta nostram possibilitatem et exiguitatem, *sufficienter :* quoniam Deus non requirit ab homine ultra vires ipsius, hoc est ultra vires naturæ ac gratiæ homini concessas. Verumtamen, quantum est ex parte superaltissimi Dei, nulla creatura potest eum

(* excellentissimas) (* ut)

A sufficienter laudare, quemadmodum scriptum est in Ecclesiastico : Glorificate Dominum quantumcumque potueritis, supervalebit adhuc ; benedicite Dominum et exaltate eum quantum potestis, major est enim omni laude. (Eccli. xliii, 32, 33.) Etenim sicut infinita est bonitas, sanctitas, sapientia, honorabilitas, perfectio Dei, ita et laudabilitas ejus. — Denique ex hoc loco probatur divinum et ferventissimum Dionysium, de laudibus Dei speciale compilasse volumen, cujus ad nos non pervenit translatio. Attamen B aliqui putaverunt per volumen illud intelligendum esse librum de Divinis nominibus, in quo Deus variis modis laudatur : quod reprobatur, quia in libro illo de istis hymnologiis nulla fit mentio.

Deinceps aliquid tangit summatim ex codice illo, quod valet ad intelligendum præhabitas hymnologias et auctoritates Ezechielis et Isaiæ. *Ex quibus in memoriam* * *sufficit dicere tantum, secundum præsens tempus,* id est, pro præsenti « sufficit tantum dicere » et repetere ex illis C scriptis de laudibus Dei, « in memoriam », id est pro commemoratione dictorum ibidem, et ad recordandum hæc ipsa. Sic et Apostolus ad Romanos : Tanquam, inquit, in memoriam vos reducens. (Rom. xv, 15.) *Quia theologicam scientiam ipsa prima dispositio, quantum fas, illuminata est a thearchica* * *bonitate,* id est, quod « dispositio ipsa prima », id est suprema hierarchia recte disposita, « illuminata est », id est erudita, « scientiam theologicam », id est cognitionem divinorum, « quantum fas », D id est, decens et possibile ei fuit, « a bonitate thearchica », id est Deo essentialiter bono, principe summo ; *per quam primam dispositionem, tanquam deiformem hierarchiam,* id est sicut per hierarchiam præ ceteris Deo similiorem et viciniorem, *et aliis quidem se ipsam deinde tradit* *, id est, Deus etiam inferioribus choris dona sua largitur, in quibus dat se ipsum. Prima etenim hierarchia ex ordinatione divina sequentibus ordinibus communicat illuminationes, inflam-

(* recordationem) (* divina) (* tradidit)

mationes et jucunditates sibi concessas, A juxta sensum frequenter præhabitum.

*Illud per brevitatem dicendo subintroducens,* id est, ego hoc breviter subintroduco. Vel sensus est, quod increata Dei bonitas fuit breviter « subintroducens », id est insinuans, *ipsam piissimam et summe benedictam et omnino benedictam Thearchiam* *, id est potestatem Dei principalissimam, summe ac naturaliter piam, *quantum* fas est, benedictam esse a theodichis**, id est, a supernis illis spiritibus Deum in se recipientibus esse laudatam et glorifi- B catam, prout illis fuit possibile, non quantum illa digna fuit laudari : quæ utique laude et honoratione in infinitum majori est digna, quam totum simul universum ei valeat exhibere, impendere, aut offerre. Ideo non extollamur, neque inaniter gloriemur, etiam si omne quod poterimus, in ejus obsequio expenderimus : præsertim quia nec aliquid boni nisi ab ipso habemus (I *Cor.* IV, 7), nostraque merita ejus sunt munera, et quasi pannus menstruatæ sunt (*Is.* LXIV, 6) universæ justitiæ nostræ ; totum quoque C quod sumus, possumus et habemus, ejus amori, honori ac servituti debemus. Propterea in Evangelio ait legifer noster : Quum feceritis omnia quæ præcepta sunt (*Luc.* XVII, 10) vobis, dicite : Servi inutiles sumus ; quod debuimus facere, fecimus. *Quantum possibile cognosci et laudari intellectibus,* id est, quantum a creatis mentibus possibile est eam agnosci et commendari. Nam toto intellectu et affectu, totisque viribus, Deum inspiciunt, admirantur, laudant ac venerantur. Verumtamen, absolute loquen- D do, non esset Omnipotenti impossibile creare intellectuales substantias cunctis spiritibus primæ hierarchiæ perfectiores, a quibus ipse excellentius cognosceretur et laudaretur, quam ab istis. Verum ipse supersapientissimus et superliberrimus Deus, in numero, pondere, et mensura (*Sap.* XI, 21) constituit universa ; et inter nihil creare, et tot ac tanta creare quot et quanta ipse creare posset, hoc censuit medium observare, utpote universum facere tale ac tantum, quale et quantum condidit ipsum.

* *Divinitatem*
* alias om. *quantum*
* *fas est benedictam esse ex Deum recipientibus*

*Ipsi enim sunt, tanquam deiformes, divini loci thearchicæ* (ut Eloquia aiunt) quietis,* id est, mentes illæ supernæ primæ hierarchiæ, quum sint Deo simillimæ, « sunt loci divini », id est divina et spiritualia loca incircumscriptibilis Dei, nullo penitus indigentis. Sunt etenim throni et templa, domus et loca Creatoris in ipsis per gratiam et gloriam habitantis, residentis, et quiescentis, juxta illud : Dominus in templo sancto suo, Dominus in (*Ps.* X, 5) cœlo sedes ejus. Sunt igitur loca « thearchicæ quietis », id est divinæ requietionis. Deus namque potissime quiescit in se ipso, in quo æternaliter requievit antequam quidquam condidit a principio. Deinde quiescit in mentibus puris, tranquillis, contemplativis ac fervidis, juxta illud : In pace factus est locus ejus. Hinc (*Ps.* LXXV, 3) additur : « ut aiunt Eloquia », id est verba sacræ Scripturæ, ex quibus ista probantur. Nam et per Isaiam Dominus loquitur : Quiescam, et considerabo in loco (*Is.* XVIII, 4) meo. Sic demum Deus in se ipso gloriosus exsistens, etiam ex loco et de loco suo gloriosus apparet, et benedicitur ejus majestas ab omni hujuscemodi suo loco. Hinc et in Daniele legitur : Benedictus es, (*Dan.* III, 54) Domine, in throno regni tui.

* *divinæ*

*Et quia monas est et unitas tres substantialiter.* Tanquam dicat : Idcirco in hymnologia illa dulcissima jam expressa, ter dictum est a mentibus illis Seraphicis, Sanctus, Sanctus, Sanctus, et singulari numero additum, Dominus Deus, quoniam ipse Dominator omnipotens, sicut in essentia unus est, imo simplicissima unitas et indivisibilissima monas, ita trinus est in personis : non per accidens aliquod, aut solum propter tria attributa ipsius, quæ dicuntur potentia, sapientia, bonitas aut benevolentia ; sed est tres seu trinitas substantialiter, ita quod quælibet divina, æterna et increata Persona, est realiter et substantialiter Deus, hoc est ipsa essentia seu substantia Deitatis, quamvis Personæ hæ summæ ac adorandæ, per re-

lationes ab invicem distinguantur. Istud ergo in libris de divinis laudibus diximus.

Deinde subdit cur addiderint : Plena est omnis terra gloria ejus. *A* * *supercœlestibus essentiis usque ad novissima terræ perveniens**, id est, a summis illis supermundanis spiritibus inclusive pertingens, seque incorporaliter extendens, usque ad infimas terræ partes, *optima sua in omnia providentia**, id est provisione sua perfecta ac universali, qua non solum cœlestium, sed etiam omnium terrenorum providentiam habet. Unde in libro Sapientiæ asseritur : Attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter. Sic enim attingit ubique, imo et penetrat universa, per suam incircumscriptibilem majestatem perfectionaliter infinitam ac superpurissimam simplicitatem, juxta illud libri Sapientiæ : Attingit ubique propter suam munditiam. Ideo scriptum est in Jeremia : Numquid non cœlum et terram ego impleo, dicit Dominus ? In Job quoque : Excelsior cœlo est, et quid facies ? profundior inferno, et unde cognosces ? Longior terra mensura ejus, et latior mari. Sic ergo ad omnia per suam providentiam ac veram præsentiam se extendit, *tanquam omnis essentiæ superprincipale principium et causa*, id est sicut vere exsistens exemplare ac fontale principium effectivaque causa omnis entis quod citra ipsum est. Omnia enim entia ab una prima causa procedunt, secundum Proclum : a qua, juxta Philosophum, omnibus derivatum est esse ac vivere. Nil etenim certius est, quam quod ante omnia quæ sunt per participationem, esse oporteat unum per essentiam ; et quod ante temporalia et imperfecta, causata ac dependentia, necesse sit esse aliquid vere æternum et perfectum, incausatum ac independens. Quod quum sit infinitum, universis ac singulis infinite ac incomparabiliter superexaltatum ac præeminens, merito appellatur superessentiale principium. *Et omnia superessentialiter immensurabili continentia circumligans*, id est, cuncta conservans, complectens, circumterminans, ambiens, « continentia immensurabili », id est conservatione indeficienti, omnem mensuram transcendenti, quantum est ex parte ipsius. Nec enim aliquid horum sine ipsius manutenentia posset in momento subsistere aut durare. Quumque in aliis locus sit conservativus locati, ipse econtrario conservativus est omnium, quæ dicuntur loca ipsius. Ipse ergo superbeatissimus et supergloriosissimus et superincomprehensibilis Deus, est ante omnia, non solus ; post omnia, non præventus ; in omnibus, non inclusus ; extra omnia, non exclusus ; supra omnia, non elatus ; infra omnia, non oppressus ; ex quo, et per quem, et in quo sunt omnia.

* Et *extendens * bonitatem suam in omnia quæ sunt, providentiam

Sap. VIII, 1. — Ibid. VII, 24. — Jer. XXIII, 24. — Job XI, 8, 9. — Rom. XI, 36.

# ARTICULUS XLIII

### QUÆSTIONUM TRIUM, PRÆHABITA CONCERNENTIUM, EXPEDITIO.

Circa præhabita quæritur, quomodo verum sit quod Theologus ait in isto capitulo, purgationem, illuminationem, et perfectionem, esse unum seu idem in re. Si enim sic esset, non viderentur realiter tres actus hierarchici. — Ad hoc Thomas et Albertus respondent, quod dicuntur tria seu tres actus, ratione trium effectuum, qui sunt, expulsio nescientiæ, manifestatio veritatis, et in finem reductio ; attamen unum sunt quantum ad formam agentem, quod est lumen immis-

art. XL.

sum, per quod nescientia illa seu luminis A minoratio removetur, mens quoque ad intuendum veritatem clarificatur, et ita in Deum reducitur. Porro ignorantia seu nescientia illa, in angelis nequaquam rationem culpæ sortitur, nec privative accipitur, sed in ratione simplicis oppositionis, sicut cæcitas in talpa.

Quæritur item, quomodo verum sit quod
art. XXXIX. in isto fertur capitulo, quod angeli sancti inter se sciscitantur et conferunt, tanquam scientiam appetentes, et illuminari cupientes. Talis enim appetitio, quum sit B desiderium boni nondum adepti, videtur quædam pœnalitas et inquietudo mentis. — Dicendum, quod Beati sunt divinæ voluntati plenarie conformati : hinc omnia agunt ordinatissime, nec cupiunt aliquid nisi secundum ordinem providentiæ Dei. Ideo sine omni pœna et inquietudine optant illuminari et erudiri prout Creator voluit et decrevit, atque in hoc jucunde et optime contentantur, nec importune præveniunt tempus.

Insuper investigatur, qualiter sanctus iste theologus asserat primam hierarchiam immediate a Deo dumtaxat purgari, art. XL.
illuminari, ac perfici, quum in ea sint tres chori, quorum unus est multum sublimior alio, et in unoquoque illorum sint primi, medii, et ultimi, quorum nonnulli vident Deum clarius aliis, imo et plura secreta contemplantur, dictumque est quod talia inferioribus manifestant. Sic ergo non solum Throni illuminantur a Cherubim ac Seraphim, Cherubim quoque a Seraphim ; sed etiam medii in ordine Seraphim, a primis et superioribus chori illius. — Ad istud nil aliud audeo respondere, nisi quod tantus theologus docet in textu. Verumtamen Albertus scripsit in suo commentario, quod quamvis ordines primæ hierarchiæ dicerentur mutuo se purgare, illuminare, perficere, non sequeretur quin vere dicerentur veritates etiam in Deo immediate cognoscere : siquidem unum et idem modis pluribus sciri potest.

## PARAPHRASIS ABBATIS VERCELLENSIS

HANC ergo quam ab Apostolo didicimus, C angelicarum hierarchiarum ordinationem tractaturi, dicimus quod cujuslibet dictorum ordinum nomen, declarat aliquam proprietatem ejusdem ordinis, scilicet gratiæ, vel officii, vel dignitatis, vel operationis : secundum quam proprietatem ille ordo Deo conformatur. Dicunt autem Hebræi, quod hoc nomen, Seraphim, interpretatur incendentes vel calefacientes ; Cherubim vero, per interpretationem significat multitudinem cognitionis, aut effusionem sapientiæ. Congruum autem est, ut talibus supremis substantiis ordinetur prima hierarchia, quæ super ceteras exaltatur, et circa Deum immediate collocatur, et ad quam, tanquam Deo proximam, principalius deferuntur primæ Dei influxiones et perfectiones. Nominantur autem isti tres ordines, ut diximus, Seraphim, id est calefacientes, et Cherubim, id est effundentes sapientiam, et Throni, id est sedes : quibus nominibus deiformes singulorum proprietates manifestantur.

Interpretatio autem hujus nominis, Seraphim, id est, incendentes et calefacientes, juxta naturales proprietates ignis, qui incendit et calefacit, nobis signat sempiternam mobilitatem substantiarum illius ordinis circa divina, et incessabilitatem, et caliditatem, et acumen, et excedentem fervorem sempiternæ motionis earum in Deum, quæ attentissima est, et irremissibilis, et in aliud desiderabile nunD quam inclinans. Signat etiam in eisdem substantiis esse virtutem quæ assimilat inferiores suos sibi et Deo, operando in eis augmentum fervoris, et reducendo eos sublimius in divinam similitudinem, faciendo eos etiam similiter confervere sibi. Signat etiam in dictis

substantiis esse virtutem per spirituale incendium perfecte purgativam, et proprietatem lucentem et illuminativam aliorum, propter luminis copiam non valentem velari, et propter copiam fervoris inexstinguibilem, semper uniformiter se habentem, expulsivam et destructivam omnis tenebrositatis obfuscantis. — Manifestatio vero interpretationis hujus nominis Cherubim, signat quod substantiæ illius ordinis habent virtutem excellenter cognitivam, et divinorum mysteriorum inspectivam, et supremæ influxionis luminum divinorum post Seraphim susceptivam, et contemplativam principaliter divinæ pulchritudinis, et repletam sapientifica sapientiæ divinæ distributione, et valentem copiose communicare inferioribus suis donatam sibi sapientiam. — Nominatio autem altissimorum et elevatorum Thronorum, ipsos docet per elevationem præcipuam longe removeri ab omni indigna subjectione, et invisibiliter sursum ferri super hierarchiam secundam, et sensibilium extremitati incomparabiliter superponi, et circa Deum vere altissimum omni conatu inconcusse et stabiliter collocari, et esse susceptivos divini superadventus sine ponderosa oppressione aut situ, qualem habent materialia, et esse deiferos, et familiariter apertos ad Deum in se suscipiendum.

Declarata horum trium nominum significatione, deinde laudanda est prima istorum ordinum hierarchia. Reor autem sufficienter dictum esse supra, quod omnis hierarchiæ (cap. III.) intentio ineffabiliter dependet a divina imitatione et conformitate, et omne hierarchicum negotium dividi secundum sanctam perceptionem a superioribus et traditionem ad inferiores, purgationis, et divini luminis, et perfectivæ scientiæ. Nunc autem opto dicere digne, quomodo Scriptura sacra manifestat primam hierarchiam ornari primis et dignissimis substantiis, quæ proxime post majestatem constitutæ sunt quantum est in angelis, et quasi in vestibulis Divinitatis per immediationem ordinatæ, omnem visibilem et invisibilem aliam supergressæ sunt sanctam virtutem. Harum ergo hierarchia prima est, et omnino [Deo] conformis. (*Ibidem.*) Quum autem dixerimus supra, quod ordo hierarchiæ est, alios purgari, alios autem purgare, alios illuminari, et alios illuminare, alios perfici, alios autem perficere : considerandum est ergo, qualiter hæc accipienda sint in istis cœlestibus substantiis.

A Quæ quidem purgari dicuntur, non quasi ab immundis maculis et inquinationibus liberentur, quas nunquam habuerunt, neque a materialibus phantasiis, quasi aliquando eas habuerint, quum nulla talium eis acciderit ; sed quia ex abundantia munditiæ, quasi a quadam minoratione puritatis purgantur, quum puritas in eisdem augetur et intenditur ; et ipsæ secundum præcipuam castitatem, super alias deiformes virtutes se inferiores collocantur, scilicet super omnes substantias mediæ et infimæ hierarchiæ. Et obtinent ineffabiliter ordinem a Deo, ferventissime et stabilissime B Deum amantem, ut ab ejus amore nunquam valeant averti, Deo se in illas et illas in se uniformiter movente per se ipsum, id est non per medias angelicas substantias, sicut per illas movet in se inferiores hierarchias. Neque aliquando aliquid inferius diligendo, diminuunt in aliquo divinum suum amorem, sed habent præ ceteris specialem et excellentem præcipuæ puritatis firmitatem, qua Deo proprie præ ceteris conformantur : quæ nunquam cadit per inferiorum amorem, sed semper ascendit per divini amoris flammam ; et nunquam transmutatur, sed semper firmiter et C uniformiter perseverat.

Contemplativæ autem dicuntur primæ illæ substantiæ, non quod ipsæ secundum modum nostrum fundant contemplationes suas in imaginariis umbris rerum sensibilium, aut in variis anagogicis expositionibus Scripturæ sacræ ; sed quia adimplentur altiori lumine quam inferiores hierarchiæ, universalis et intellectualis cognitionis Dei. Replentur etiam secundum suam capacitatem, contemplatione divinæ pulchritudinis, quæ ipsas et omnes veros sui contemplatores pulchrificat, et superat omnem pulchritudinem et substantiam, et D plene et integre lucet in singulis trium divinarum Personarum. Sed et gloriam humanitatis Domini Jesu plenius ceteris participant : non communicando ipsi sub figuris sacramentorum, sicut nos, quorum sensibilis communicatio significat invisibilem communionem et assimilationem ad Deum ; sed per propriam speciem ceteris vicinius et copiosius immediate participant cognitionem luminum ipsius, quibus ipsæ super omnem aliam creaturam singulariter Deo assimilantur et uniuntur. Et eisdem, per ipsum et post ipsum, quantum est in angelis, donatum est supreme Deum imitari ; et in ipso immediate, et in prima et

immediata fontali luminum effusione, communicant ipsius virtutibus eas excellenter deificantibus, et ipsis benignissime et largissime impensis.

Perfectæ autem dicuntur istæ primæ substantiæ, non tanquam illuminatæ perfectiva scientia, quæ à variis Scripturæ testimoniis aut creaturæ spectaculis per expositionem vel rationalem collationem resolutis est acquisita; sed sicut adimpletæ primo et excedente lumine divino, eas Deo assimilante : et hoc, secundum supremam scientiam divinæ operationis, quantum est in angelis. Quod semel positum, in consimilibus locis est subintelligendum, eo quod Salvator noster secundum humanitatem, et beata Virgo, summis angelis sint superiores, et ad Deum magis accedentes *, et sola anima Salvatoris sit ad Deum vere et singulariter immediata, et ea mediante, de ipsius plenitudine accipiant et angeli et homines. Non enim illæ primæ intelligentiæ hierarchicæ gubernantur ab aliis cœlestibus substantiis, sed ab ipsa majestate, eo quod ad ipsam majestatem sine mediatione aliorum angelorum vel animorum extenduntur, tam virtute quam ordine omnes alios ordines vel hierarchias excedentes; et per immediatos Sponsi amplexus, in præcipua divini amoris castitate stabiliuntur omnino ineffabiliter; et ab ipsa Divinitate * adducuntur ad contemplandum immaterialem et intelligibilem divinæ pulchritudinis speciem, secundum singulorum capacitatem. Et quum ab ipso principe perfectionis gubernentur, docentur ab eodem scientificas rationes divinarum operationum, tanquam primæ substantiæ et immediate circa Deum collocatæ.

* ascendentes

*Joann.* I, 16.

* Deitate

Colligitur autem ex testimoniis sacræ Scripturæ, quod inferiores angelorum ordines docentur scientias se deificantes a superioribus ordinibus; summi vero angeli sublimius illuminantur ab ipsa Divinitate *. Quod inferiores doceantur a superioribus, ostenditur in Psalmo : Quis est iste rex gloriæ? Ubi intelligitur quod superiores angeli docuerunt inferiores in ascensione Domini, aliqua incarnationis suæ mysteria. Quod autem summæ substantiæ angelicæ doceantur a Deitate, ostenditur in Isaia, ubi leguntur summi angeli inter se quasi conferendo et admirando dicere : Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? Non quia alias essentias discendi gratia interrogaverint, sed quod non

* Deitate

*Ps.* XXIII, 10.

*Is.* LXIII, 1.

A præsumpserunt, præveniendo ejus gratuitam revelationem, interrogare Dominum aliquas illius mysterii profunditates, donec eis daret interrogandi fiduciam. Quarum tamen scientiam se desiderare ostendebant : ideo primo inter se sic admirando conferunt, Quis est iste? etc. Ipso vero eis immediate dicente et docente, Ego sum qui loquor justitiam, et propugnator sum ad salvandum; postea cum immediate allocutæ sunt, dicentes, Quare ergo rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari? Per quam immediationem ostenditur quod illæ fuerint B summæ virtutes angelicæ.

*Is.* LXIII, 1.

*Ibid.* 2.

Prima igitur cœlestium animorum hierarchia, ut dictum est, ab ipsa Divinitate gubernata, eo quod ad ipsam immediate extenditur, plene juxta suam proportionem castissima purgatione purgatur, multo lumine illuminatur, præperfecta * perfectionis operatione perficitur, munda exsistens ab angelicæ puritatis minoratione, et plena primo lumine, et particeps perfectæ scientiæ cognitionis primo a Deo in angelos effusæ. Ut autem has tres operationes hierarchicas breviter comprehendam, dico quod et purgatio, et illuminatio, et perfe- C ctio, est divinæ scientiæ assumptio, perfectivarum doctrinarum cognitione, secundum gradus ordinum, indita, mundans ab ignorantia, id est ab altioris cognitionis minoritate; et illuminans ipsa divina cognitione per quam et purgat, mentem per altiorem cognitionem, ad conspiciendum ea quæ prius non inspexit; et ipso lumine perficiens mentem plena et habitudinaria scientia luculentarum doctrinarum.

* *vel* quam perfecta

Hæc est ergo, et sic secundum scientiam meam laudanda, prima angelorum hierarchia, stans per inflexibilem erectionem in circuitu Dei et circa Deum sibi intimum et D impenetrabilem, sine mediatione aliorum angelorum, et solam æternam Dei cognitionem indesinenter ambiens, per incessabilem fervorem desiderii contemplationis, secundum supremum gradum, quantum est in angelis. Et in gradu illo sunt supremæ substantiæ firmiter collocatæ, ut inde amoveri non valeant. In Deo autem semper moventur desiderio et contemplatione. De hoc Daniel. Et est illa prima hierarchia videns pure multas profundiores theorias beatis contemplationibus, et illuminata simplicibus et immediatis splendoribus divinæ claritatis, et adimpleta nutrimento divinæ dulcedinis, et unita summe

*Dan.* VII, 10.

simplici, et invariabili, et unificæ unitati divinæ contemplationis * affectum reficientis et satiantis ; et digna habetur multa luminis effusione, immediate a Deo emanante in intelligentias, et multa communicatione virtutum, et cognitione luminum, et cooperatione hierarchicarum operationum : et hoc, per specialem assimilationem ad Deum in bonis habitibus virtutis et scientiæ, et hierarchicis operationibus. Et divina multa mysteria super alias cœlestes substantias cognoscit, et secundum suam capacitatem particeps fit hierarchicæ scientiæ intellectualis et superintellectualis cognitionis.

* epulationis

Unde sacra Scriptura laudes illius summæ hierarchiæ mortalibus tradidit, in quibus excessus suæ supremæ illuminationis manifestatur. Ezechiel siquidem, quasi per signum sensibile sonitus aquarum, laudes illius exprimit, dicens : Benedicta gloria Domini de loco suo : ut loci nomine prima hierarchia intelligatur, in qua Deus principaliter, quantum est in angelis, requiescit. Isaiasque in ejusdem hierarchiæ laudibus venerandam illam Dei laudem commemorat : Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth ; plena est omnis terra gloria ejus. Istas autem et hujus- A modi primæ hierarchiæ laudes tractavimus in libro de divinis laudibus, ubi de his sufficienter, ut nobis videtur, dictum est. Et de ibidem dictis sufficit ad præsens commemorare, quod quum prima hierarchia secundum suam facultatem divina scientia illuminetur ab ipsa Divinitate, ipsa hierarchia tanquam divinæ bonitati conformata, de eadem divina scientia distribuit hierarchiis inferioribus seriatim. Hoc etiam breviter commemoro, quod venerabilis et superlaudabilis et universaliter laudabilis Divinitas, ab hujusmodi primæ hierarchiæ substantiis benedicitur et laudatur B quantum possibile est ipsam Divinitatem cognosci vel laudari ab intelligentiis eam recipientibus. Illæ enim substantiæ, tanquam ceteris Deo conformiores, sunt loca divina et Deitatis requies, secundum Scripturas. Et ipsæ laudant unum Deum in Trinitate Personarum, dicendo ter, Sanctus, et semel, Dominus : quæ a summis intelligentiis cœlestibus, usque ad omnia extrema mundi sensibilia, optime omnia disponentem extendit providentiam suam, tanquam superprincipale principium, et causa omnis rei, et cuncta supersubstantialiter immensurabili continentia constringens. C

*Ezech.* I, 24 ; III, 12.

*Is.* VI, 3.

# CAPITULUM VIII

## DE DOMINATIONIBUS ET VIRTUTIBUS ET POTESTATIBUS, ET DE MEDIA EARUM HIERARCHIA.

TRANSEUNDUM autem nunc nobis in mediam cœlestium intellectuum dispositionem, Dominationes illas supermundanis oculis, quantum possibile, explorantibus, et vere potentia speculamina divinarum Potestatum et Virtutum. Etenim unaquæque super nos essentiarum cognominatio, Dei imitatorias earum signat deiformes proprietates. Igitur sanctarum Dominationum manifestativam nominationem, æstimo declarare absolutam quamdam et omni pedestri minoratione liberam anagogen, nullaque tyrannicarum dissimilitudinum ullo modo eam universaliter inclinatam, liberaliter severam dominationem, omni minutivæ servituti superpositam, superiorem subjectione omni, et remotam ab universa dissimilitudine, et dominationis incessanter appetentem, et ad illius ipsius natu-

raliter subsistentis virtutis similitudinem, quantum possibile, et se ipsam et quæ post eam sunt, optime et speciose conformantem, ad nullum vane videntium, sed ad proprie "ON universale conversam, et dominicæ semper deiformitatis in participatione, secundum quod possibile est ipsi, factam.

Ipsam vero sanctarum Virtutum, fortem quamdam et incommutabilem virilitatem in omnes secundum earum deiformitatem operationes, ad nullam susceptionem inditarum ei divinarum illuminationum imbecilliter infirmatam, potenter in imitationem Dei reductam, non relinquentem suimet imbecillitate deiformem motum, sed firmiter ferentem in superessentialem et potentificam virtutem, et ipsius imaginem virtuti similem, juxta quod licet, factam; et ad ipsam quidem ut principalem virtutem potenter conversam, ad secunda vero, virtutem dans * et deiformiter provenientem. * virtutis datricem

Ipsam autem sanctarum Potestatum, æquipotentem divinarum Dominationum et Virtutum, bene ornatam et inconfusam circa divinas susceptiones ordinationem, et ordinatum supermundanæ et intellectualis potestatis, non tyrannice in ea quæ inferiora sunt, potestativis virtutibus præcipitatæ, sed potenter in divina post bene ordinatas reductæ, et post eam deiformiter reducentis, et ad potentificam causalem potentiam quantum fas est assimilatæ, et eam, ut possibile, angelis revelantis in bene ordinatis per ipsam ordinibus potestativa virtute.

Has habens deiformes proprietates, media cœlestium animorum dispositio purgatur quidem et illuminatur et perficitur, quemadmodum dictum est, a divinis illuminationibus inditis sibi secundo per primam hierarchicam dispositionem, et per mediam illam secunda manifestatione delatis. Itaque, per alium dictum venientem in alium angelum auditum, symbolum faciemus a longe superperfectæ et per processionem occultæ in sequentia perfectionis. Nam sapientes circa sacras nostras immolationes, aiunt per se ipsas lucentes divinorum plenitudines, per alias contemplativarum participationum perfectiores esse. Sic æstimo et angelicorum ordinum immediatam participationem primo in Deum extentorum, perfectiorem esse per medietatem perfectorum. Propter quod et a nostra sacerdotali traditione, perfectivæ et lucificæ et purgativæ virtutes, primi intellectus nominantur inferiorum, tanquam per se in omnium superessentiale principium reductorum, et mysticarum purgationum et illuminationum et perfectionum, in participatione, secundum quod eis fas, factorum. Hoc enim est omnino divina ordinatione divinitus promulgatum, per prima secunda divinis participare illuminationibus.

Invenies autem et hoc multoties a theologis expressum. Quando enim divina et paterna humanitas Israel nutritive pro sacra ejus salute corripiens, et ulciscentibus et immanibus nationibus in correctionem tradens, omnigena provisorum in melius transductione, et captivitatem dimisit, et ad priorem clementer reduxit beneficentiam : videt theologorum unus Zacharias unum primorum, ut æstimo, et circa Deum angelorum (communis enim, ut dixi, est omnibus hæc angelica cognominatio) ab ipso Deo discentem de hoc consolatoria, ut dictum est, verba ; alterum *Zach.* I, 13.

Zach. II. 3 et seq. vero subjectorum angelorum, in occursum primi prævenientem tanquam ad illuminationis susceptionem et perceptionem, deinde ab ipso divinum consilium tanquam a summo sacerdote eruditum, et hoc docere theologum conversum, quoniam fructuose habitabitur Jerusalem a multitudine hominum. Alter autem theologorum, Ezechiel, et ab ipsa inquit hoc sacratissime promulgatum esse Cherubim, superfirmata gloriosissima Divinitate. Ipsum enim Israel, ut dictum est, dux exercitus humanitas per disciplinas in melius traducens, justitia divina corrigentibus respondetur, correctos justificavit. Hoc docetur primo modo * post Cherubim lumbos sapphiro præcinctus, qui poderem juxta symbolum hierarchicum induebatur. Reliquos autem angelos, qui secures habebant, divina ordinatio * imperat a priore doceri de hoc divinum judicium. Et * quidem enim dixit mediam pertransire Jerusalem, et dare signum in frontibus correctorum virorum ; aliis autem : Exite in civitatem post eum, et percutite, et nolite parcere oculis vestris ; ad omnes autem super quos est signum, ne appropinquetis. Quid fortassis quis dixerit de dicente angelo ad Daniel, Exivit sermo ? aut de ipso primo ignem ex medio Cherubim recipiente ? aut illud ejusdem, abundantius in ordinis angelici ostensionem, quoniam et Cherub immittit ignem in manus sanctam stolam induti ? aut de vocante divinissimum Gabriel, et dicente ei, Fac illum intelligere visionem ? aut quæcumque alia a sacris theologis dicta sunt de cœlestium hierarchiarum deiformi ornatu, ad quem nostræ hierarchiæ ordinatio, secundum quod possibile est, assimilata, angelicam pulchritudinem quantum in characteribus habebit, formata per eum, et reducta ad superessentialem simul omnis hierarchiæ principem ?

Marginalia: Ezech. IX, 2. — * primus — * taxarchia — * Ei — Ezech. IX, 4. — Ibid. 5, 6. — Dan. IX. 23. — Ezech. X, 2. — Ibid. 7. — Dan. VIII, 16.

## ARTICULUS XLIV

### ELUCIDATIO HUJUS OCTAVI CAPITULI : AC PRIMUM DE DOMINATIONIBUS, PRIMO SECUNDÆ HIERARCHIÆ CHORO.

POST descriptionem et declarationem proprietatum, virium et actionum supremæ hierarchiæ angelicæ, aggreditur Theologus tractare de media hierarchia, et tribus ordinibus qui continentur in ea, ex quibus constituitur ipsa tanquam ex partibus quasi integralibus, sed vere potestativis, ut supra ostensum est.

*Transeundum autem nunc nobis,* id est, procedere jam debemus, *in mediam cœlestium intellectuum dispositionem,* id A est ad mediam hierarchiam supernorum spirituum, ut tractemus de illa. Estque processus iste spiritualis, non localis, sicut in Psalmo : Ibunt de virtute in virtutem. Ps. LXXXIII, 8. Porro, secundum Philosophum, tertio de Anima, in hoc differunt intellectus et sensus, quod intellectus post speculationem sublimiorum et difficiliorum veritatum, fortior est ad intelligendum minora ; sensus vero, post sensationem excellentiorum sensibilium, ad sensationem debi-

liorum impotentior reperitur. Sic ergo A nunc, contemplata hierarchia suprema, facilius poterunt capi quæ de media ac infima jam dicentur. *Dominationes illas supermundanis oculis, quantum possibile, explorantibus,* id est oculis nostris intellectualibus, fide et gratia supernaturaliter illustratis, « explorantibus », id est, sollicite perscrutantibus et considerantibus, « Dominationes illas », id est mentes illas sublimes exsistentes de choro ac ordine Dominationum, *et vere speculativa potentia* Potestatum et Virtutum,* B id est, vi nostra intellectiva, quæ suo acumine et vigore, præsertim adjutorio gratiæ Dei, contemplativa est supercœlestium spirituum exsistentium de aliis duobus mediæ hierarchiæ ordinibus, qui sunt Virtutes et Potestates, hac, inquam, potentia speculativa illorum, explorante et scrutante proprietates et operationes, vires et coordinationes ipsorum.

* et vere potentia speculamina

*Etenim unaquæque super nos essentiarum cognominatio,* id est nomen cujuslibet ordinis « essentiarum », id est an- C gelicorum spirituum, exsistentium « super nos » et præsidentium nobis immediate aut mediate, *Dei imitatorias earum significat* deiformes proprietates,* id est, designat proprietates eorum deiformes, per quas Deo assimilantur : ideo quasi expositorie additur, « imitatorias Dei », id est imitativas bonitatis et liberalitatis divinæ et gubernationis ipsius. De quibus proprietatibus subditur :

* signat

*Igitur sanctarum Dominationum manifestativam nominationem, æstimo declarare,* D id est, puto, imo et firmiter sentio, quod nominatio « Dominationum sanctarum », id est spirituum exsistentium de ordine illo supremo in hierarchia secunda, manifestativa, id est significativa proprietatum chori illius, significet ac nobis declaret, *absolutam quamdam et omni pedestri minoratione liberam anagogen,* id est vim superductivam et elevativam ad summum omnium Dominatorem, « absolutam », id est immunem, « et liberam » ab « omni minoratione pedestri », id est subjectione servili ac vili ; *nullaque tyrannicarum dissimilitudinum ullo modo universaliter eam inclinatam :* hoc est, æstimo « eam » nullo modo, « universaliter » et incontracte loquendo, « inclinatam », id est depressam vel subtractam ab ulla « dissimilitudinum tyrannicarum », id est præsidentiarum abusivarum, quæ impie abutuntur potestate eis concessa, quarum nulla afficit aut incurvat ordinem Dominationum.

Quam etiam anagogen æstimo esse *dominationem liberaliter severam,* id est large maturam, a sua constantia et æquitate inflexibilem, propria commoda propriumve honorem nunquam quærentem, imo bona sibi desuper impertita largiflue communicantem inferioribus, *omni minutivæ servituti superpositam,* id est eminentem et altiorem, quia non subest alicui servituti deroganti veræ et salubri libertati. Est etenim servitus duplex. Una ordinata et salutaris, qua quis servit ac subditur alteri ad sui ipsius salutem atque profectum, sicut boni subditi suo prælato, et creatura Creatori. Sic quoque chori inferiores serviunt et obediunt ordini superiori. Nam et servitus ista et dominatio bona, relationem habent ad invicem, et in innocentiæ statu fuissent. Huic servituti concordat libertas a jugo peccati. Alia est servitus solum ordinata ad honorem seu commodum ejus cui servitur : quæ servitus ex peccato secuta est et pœna peccati originalis, nec locum habet in patria. *Non indigentem subjectionis omnis*,* id est nulla subjectione aliorum sub se indigentem. Quamvis enim multorum agmina angelorum subjecta sint ei, hoc tamen non est ideo quod Dominationum istarum celsitudo indigeat illis, sicut in sæculo isto domini communiter et frequenter indigent subjectione ac servitute ministrorum suorum. *Et remotam ab universa dissimilitudine,* id est longe factam ab omni inordinata dominandi libidine et abusiva præeminentia. Vel hoc

* Superiorem subjectione omni

dicitur, quia ordo Dominationum ad exteriora agenda seu prosequenda non mittitur : propter quod Deo similior perhibetur. Non tamen ei in cunctis est similis : imo infinite est ipso inferior, atque ab ejus omnimoda incommutabilitate ac independentia occumbit ac deficit in immensum.

*Et dominationis* *Kyriarchiæ* * *incessanter appetentem.* Κύριος interpretatur dominus, ἀρχός vero, princeps. Hinc kyriarchia vocatur principale dominium, seu principatus dominicus aut divinus. Itaque ordo Dominationum est appetens indesinenter « kyriarchiæ », ponendo genitivum pro accusativo, id est principatum divinum. Non quod velit esse Altissimo similis, eo modo quo dixit *Is.* XIV, 14. ambitiosissimus ille primus apostata : Similis ero Altissimo. Ille enim voluit ceteris præsidere ac dominari secundum propriam voluntatem et ad sui ipsius honorem, non secundum legem desuper institutam ac divinæ voluntatis decretum. Dominationes autem cupiunt principatum ac præsidentiam Dei ordinate in omnibus sequi, dominando sicut divinitus constitutum est, ad Creatoris honorem ac inferiorum utilitatem. Sic namque et Apostolus *Ephes.* V, 1. monet : Imitatores Dei estote ; et rursus, I *Cor.* IV, 16; XI, 1. Imitatores mei estote, sicut et ego Christi. Hinc explanando subjungitur :

*Et ad illius ipsius naturaliter subsistentis virtutis similitudinem, quantum possibile, et se ipsam et quæ post ipsam* * *sunt, optime et speciose conformantem.* (* eam) Hoc est : Nominatio illa Dominationum designat vim præfatam reductivam, « conformantem optime », id est valde bene, « et speciose », id est decenter ac ordinate, « et se ipsam », id est proprium subjectum, « et quæ post ipsam sunt », id est ordines inferiores, « ad similitudinem », id est ordinatam et congruam assimilationem, « virtutis illius ipsius », id est divinæ et increatæ potestatis, « naturaliter subsistentis », id est essentialiter, non dependenter aut participative exsistentis, et propria auctoritate dominantis : cui ordo Dominationum vult et satagit conformare se et sequentes se, « quantum possibile » est, non transgrediendo limites sibi præfixos. Quod etiam dominatores principes, et prælati ecclesiasticæ hierarchiæ, pro posse facere debent. Propter quod non facientibus ita, dicitur a Sapiente : Audite, reges *Sap.* VI, 2, 5, 6. et judices finium terræ : quoniam quum essetis ministri regni illius, non recte judicastis, neque custodistis legem justitiæ, neque secundum voluntatem Dei ambulastis ; horrende et cito apparebit vobis.

*Ad nullum vane videntium, sed ad proprie* ὌΝ *universale conversam :* hoc est, nomen illud significat vim Dominationum esse « conversam » et reductam « ad nullum videntium vane », id est ad nullum spiritum creatum appetentem quidquam inaniter, qualis fuit impiissimus Lucifer *Apoc.* XII, 7. et qui adhæserunt eidem, qui quæsierunt se ipsos, non Dei honorem ; « sed ad ὌΝ universale », id est ad eum qui vere et proprie est id quod est, quia ipse solus est ipsum esse universaliter et infinite perfectum, universale per causalitatem ac omnis perfectionis inclusionem, non per informationem aut prædicationem. Converterunt enim se ad suum Creatorem, qui ait ad Moysen : Ego sum qui sum ; hæc *Exod.* III, 14. dices filiis Israel, Qui est, misit me ad vos. Ὤν quippe, ut Scotus affirmat, interpretatur « qui est », vel « exsistens ». Atque ut addit Hugo, ὤν apud Græcos dum scribitur per « o » breve, est neutrale, et interpretatur « quod est » ; quum vero scribitur per « o » longum, est masculinum, et significat « qui est ». Hinc Lincolniensis transtulit : Ad principaliter ens.

*Et kyriarchicæ* * *semper deiformitatis in participatione, secundum quod possibile est ipsi, factam :* (* dominicæ) hoc est, nomen Dominationis designat ipsam ab exordio suæ conversionis ad Deum esse « factam », id est constitutam, « in participatione deiformitatis kyriarchicæ », id est conformitatis divinæ subjectorum dominativæ, ita quod ad exemplar et formam atque ad imitationem summi et increati dominii,

dominatur subjectis sibi agminibus. Unde ait Gregorius : Dominari, est subjectos quosque possidere ; ea ergo angelorum agmina, quæ mira potentia præminent, pro eo quod eis cetera ad obediendum subjecta sunt, Dominationes vocantur. Et Bernardus libro de Consideratione : Putemus Dominationes adeo cunctis supereminere ordinibus eas sequentibus, ut re-
Hebr. I, 14. spectu ipsorum, ceteri videantur omnes A administratorii spiritus, et ad ipsos tanquam ad dominos referri regimina Principatuum, tutamina Potestatum, operationes Virtutum, revelationes Archangelorum, curam et providentiam Angelorum. Hinc Thomas in prima parte : Dominorum, inquit, non est nisi præcipere, non autem jussa per se exsequi : ideo nomen Dominationum, importat universale quoddam jussionis principium.

# ARTICULUS XLV

## DE VIRTUTIBUS, MEDIO HIERARCHIÆ MEDIÆ CHORO.

CONSEQUENTER Theologus exponit proprietatem medii ordinis mediæ hierarchiæ.

*Ipsam vero sanctarum Virtutum,* id est, æstimo nominationem « sanctarum Virtutum », id est, hoc nomen, Virtus, quo designantur angelicæ mentes quæ sunt de ordine mediæ hierarchiæ, qui ordo dicitur Virtus seu Virtutes, designare *fortem quamdam et incommutabilem virilitatem,* id est efficaciam seu idoneitatem vel activitatem robustam, incorruptibilem, perpetue fixam, *in omnes secundum earum deiformitatem operationes,* id est ad exsequendum expedite ac prompte omnem actum pertinentem ad eas « secundum earum deiformitatem », id est juxta perfectionem excellentiamque earum in dignitate specifica aut gratuite eis collata, per quam Deo assimilantur in suo gradu ac ordine ; *ad nullam susceptionem inditarum ei divinarum illuminationum imbecilliter infirmatam,* id est non debilitatam exiliter ad illuminationes et influentias quascumque sibi desuper datas et convenientes ; *potenter in imitationem Dei reductam,* id est ad fontem totius potentiæ Deum omnipotentem vigorose conversam, ad quem ipsamet intellectualiter B se convertit, et tam a Creatore quam ab ordine superiori ad illum reducitur : non quod unquam recessit, deviavit, aut aversa fuit ab eo ; sed per creationem ab ipso exivit, protinusque rediit ad eumdem per contemplationem, dilectionem et gratiarum actionem : reducta est ergo « potenter in imitationem », id est ad assimilandum se summe in exsecutione actuum ad chorum suum spectantium.

*Non relinquentem suimet imbecillitate deiformem motum,* id est, præ propria C infirmitate nequaquam omittentem exsequi et indefesse exercere « motum deiformem », id est operationem divinam, qua jugiter circa Deum versatur, et tendit in ipsum, seque extendit in omne quod complacet Creatori : de quo motu dictum est sæpius. *Sed firmiter ferentem,* id est, fortiter ascendentem seque erigentem, *in superessentialem et potentificam virtutem,* id est in divinam et increatam omnipotentiam, quæ causa est, datrix et conservatrix totius potentiæ, *et ipsius imaginem* D *virtuti similem, juxta quod licet, factam :* hoc est, ferentem non solum in virtutem illam superessentialem æternam, sed etiam in virtutem creatam, « factam similem virtuti » illi supremæ, ac per hoc,

« imaginem ipsius » increatæ potentiæ. Virtutes ergo illæ angelicæ sua vi non solum se ferunt et extendunt in Conditorem, sed item in spiritum inferioris gradus ac ordinis, cui communicant bonitates sibi desuper præstitas.

*Et ad ipsam quidem ut principalem virtutem potenter conversam :* id est, nomen istud Virtutis, designat spiritum ordinis hujus esse vigorose reductum « ad ipsam » increatam « virtutem, ut », id est tanquam vere, « principalem » atque finalem, ad quam omnia ultimate tendunt ac referuntur. *Ad secunda vero, virtutem dans et deiformiter provenientem :* id est, ad inferiora designat ipsam esse conversam tanquam principium quoddam « dans eis « virtutem », hoc est, ipsos confortans ad exercendum et exsequendum quod præcipit illis : virtutem, inquam, etiam « deiformiter provenientem », id est descendentem in ipsam. Quemadmodum enim Virtutes istæ angelicæ de hoc medio choro, a Deo caritative liberaliterque recipiunt,

A ita et inferioribus gratiose ac munificenter transfundunt : quod totum intelligendum est, quantum ad exercitia ista in hierarchicis actibus, officiis et obsequiis, circa creata, præsertim circa Ecclesiam.

Præterea certum est, quod non solum ordo Virtutum habet hujusmodi virilitatem et fortitudinem ad agendum ac recipiendum et communicandum convenientia sibi : imo et quilibet ordo cœlestis sortitus est hoc. Verum hic ordo Virtutum habet hoc specialiter ac distincte tanquam B sibi formale. Propter quod inde sumit denominationem, gradum et speciem quamdam, sicut de aliis ordinibus hinc inde expressum est : quemadmodum etiam in numeris et figuris, numerus major includit minorem, et ab ultima unitate suscipit speciem, una quoque figura in se aliam comprehendit, ut tetragonum trigonum ; similiter in formis specificis forma superior totam perfectionem formæ inferioris, aliquid superaddens : unde et species rerum se habere dicuntur ut numeri.

# ARTICULUS XLVI

### DE POTESTATIBUS, TERTIO MEDIÆ HIERARCHIÆ CHORO.

SEQUITUR de expositione nominis infimi ordinis hierarchiæ secundæ.

*Ipsam autem,* supple nominationem, *sanctarum Potestatum,* id est mentium supernarum infimi chori in hierarchia secunda, æstimo designare *æquipotentem divinarum Dominationum et Virtutum, bene ornatam et inconfusam circa divinas susceptiones ordinationem :* hoc est, aptam dispositionem « æquipotentem », id est æqualis potentiæ cum choris superioribus suæ hierarchiæ, videlicet cum potentia sanctarum « Dominationum et Virtutum, bene ornatam », id est pulchre decoratam, et in nullo confusam « cir-

C ca divinas susceptiones », id est ad accipiendum influxiones, illuminationes et commissiones a Deo profluentes fontaliter, utpote immediate aut mediate. Dicitur autem ordo Potestatum æquipotens cum Virtutibus ac Dominationibus, non simpliciter, sed in genere, quantum ad hoc quod conveniunt in quadam proprietate, per quam ad eamdem pertinent hierarchiam, ut dictum est supra in expositione primæ hierarchiæ, præcedenti capitulo. art. xxxi. Constat enim quod ordo Dominationum, D absolute loquendo, sit altioris dignitatis ac majoris potentiæ, quam ordo Virtutum, præsertim quam ordo Potestatum. Quid

autem sit illud commune in quo sunt æquipotentes, inductum est.

*Et ordinatum supermundanæ et intellectualis potestatis, non tyrannice in ea quæ inferiora sunt, potestativis virtutibus præcipitatæ.* Id est : Nominatio Potestatum designat « ordinatum », id est ordinationem activam quam in choris inferioribus faciunt, ordinationem, inquam, suæ « potestatis intellectualis ac supermundanæ », id est cœlestis et supernaturalis suæ potentiæ, per quam causant ordinationem istam in regimine hierarchiali in choris sequentibus. Ordinationem vero specificam et collocationem in suis ordinibus ab exordio sæculi habent immediate a Deo. Potestatis dico, « non præcipitatæ tyrannice in ea quæ inferiora sunt », id est, non præcipitantis se ipsam in subditos aliqua abusione aut tyrannica crudelitate aut violentia, « virtutibus potestativis », id est per vires eis collatas. *Sed potenter in divina post bene ordinatas reductæ :* hoc est, potestatis intellectualis « reductæ potenter in divina », id est conversæ ad Deum et ad actus divinos, « post bene ordinatas », id est post virtutes angelicas et supernas quæ ante et super eam sunt, et rite ad sua superiora, præsertim ad Deum, reductæ sunt. Nam et ipsa per superiores quoque reducta est, et inferiores reducit. Ideo subditur : *et quæ* post eam deiformiter reducentis,* id est, convertentis ad similitudinem Dei ea « quæ post eam » sunt, id est angelos inferiores, *et*

* alias om. *quæ*

A *ad potentificam exusiarchiam**, id est potestatem divinam summam et principalem, omnis secundariæ potestatis radicem et causam, *quantum fas,* id est condecens, *est assimilare**, id est conformare illa inferiora potestati divinæ. *Et eam, ut possibile, angelis revelantis,* hoc est, potestatis « revelantis eam », id est potestatem divinam et æternam, « angelis » ordinum inferiorum usque ad angelos infimi ordinis, ordinato processu : hinc additur, *in bene ornatis* per ipsam ordinibus,* id B est in choris inferioribus qui bene ornantur per Potestates, quantum ad ea quæ illis revelantur ac exsequenda insinuantur per Potestates præfatas immediate vel mediate, *potestativa virtute,* id est vi illa potenti hierarchica, per quam Potestates agunt et influunt in angelos inferiores.

* *causalem potentiam*

* *assimilatæ*

* *ordinatis*

Et certe hæc omnia sunt sane et caute intelligenda. Certum est enim, quod universi ordines angelorum cernunt immediate in Deo omnipotentiam et increatam virtutem ipsius, nec Potestates illam re- C velant inferioribus angelis directe et primo ac immediate in se ipsa. Sed ostensione et obedientia, seu exemplo operis sui, et per manifestationem divinorum operum ac rationum eorumdem, pandunt illis omnipotentiam Creatoris : et quantum ad hoc, reducunt et convertunt illos ad illum, ad quem utique a principio creationis mox inavertibiliter et beatifice sunt conversi, reducti, ac toto posse indesinenter intenti.

## ARTICULUS XLVII

### DE HIERARCHICIS SECUNDÆ HIERARCHIÆ ACTIBUS.

HÆC de expositione nominum et proprietatum ordinum mediæ hierarchiæ sunt dicta. De quorum hierarchicis actibus adhuc subinfertur :

D *Has habens deiformes proprietates, media cœlestium animorum dispositio,* id est, hierarchia supernorum spirituum media habens vires et actiones præfatas, *pur-*

*gatur quidem et illuminatur et perficitur, quemadmodum dictum est, a divinis illuminationibus inditis sibi secundo per primam hierarchiam**. Prima enim hierarchia suscipit primo loco et primo gradu perfectionis illuminationes a Deo, deinde ipsa illuminat hierarchiam secundam ac mediam secundo gradu ac loco. *Et per mediam illam secunda illuminatione* delatis :* id est, illuminationibus transfusis a Deo, mediante prima hierarchia, hierarchiæ secundæ, « secunda illuminatione », id est illustratione facta mediæ hierarchiæ loco secundo. Prima enim illuminatio facta primæ hierarchiæ est immediate a Deo ; deinde secundo loco prima hierarchia illuminat mediam.

* hierarchicam dispositionem

* manifestatione

*Itaque, per alium dictum venientem in alium angelum auditum, symbolum faciemus a longe superperfectæ et per processionem occultæ in sequentia perfectionis.* Hic probat quod dixit, videlicet unum seu inferiorem angelum illuminari per alium, puta superiorem. « Itaque, dictum per alium », id est sermonem prolatum per alium unum, « auditum venientem in alium angelum », cui ille alter loquebatur, « faciemus symbolum », id est signum et evidens ac quasi sensibile argumentum, « perfectionis » divinæ et increatæ « a longe superperfectæ », id est in infinitum perfectæ et longe perfectioris quam capere valeamus, « et occultæ », id est invisibilis ac nobis non notæ, nisi multum imperfecte, « per processionem in sequentia », id est per emanationem et diffusionem bonitatum suarum in creaturas : per quam processionem ipsa aliqualiter innotescit, et excellentia sapientiæ suæ pulchre ostenditur, qua tam ordinate omnia agit, et per angelorum ministeria taliter operatur. *Etenim* sapientes circa sacras nostras immolationes, aiunt,* id est, periti in evangelica lege, et circa sacramenta ac sacrificia ejus bene instructi, dicunt, *per se ipsas lucentes divinorum plenitudines,* id est illuminationes divinas ex sua natura limpidiores et pleniores, et per consequens magis lucidas ac intelligibiles, *per alias contemplativarum participationum esse perfectiores,* id est, per hoc esse et fieri magis aptas ad intelligendum ab inferioribus, quod a media hierarchia participatæ sunt, et receptæ a prima hierarchia : quia per hoc magis contractæ et particulariores effectæ sunt, ideoque capacitati inferiorum magis proportionatæ, ut frequenter est declaratum. *Sic æstimo et angelicorum ordinum immediatam participationem primo in Deum extentorum, perfectiorem esse per medietatem extentorum* :* id est, puto quod illuminationes angelorum primæ hierarchiæ, quæ immediate ad Deum erectæ sunt et reductæ, sint perfectiores illuminationibus aliarum hierarchiarum, quæ extenduntur et reducuntur in Deum per primam hierarchiam, quantum ad cognitionem divinorum effectuum, non quoad beatificam divinæ essentiæ visionem ac fruitionem.

* Nam

* perfectorum

*Propter quod et a nostra sacerdotali traditione, perfectivæ et lucificæ et purgativæ virtutes, primi intellectus nominantur inferiorum :* id est, ob causam hanc « intellectus primi », id est mentes supernæ in prima hierarchia locatæ, « nominantur a nostra sacerdotali traditione », id est a scriptura quam nobis tradiderunt sancti et sapientissimi sacerdotes evangelicæ legis, « virtutes perfectivæ, et lucificæ », id est illuminativæ, « et purgativæ inferiorum », utpote hierarchiarum et ordinum sequentium ; *tanquam per se in omnium superessentiale principium reductorum,* id est tanquam conversorum in Deum, qui est universorum « principium » effectivum « superessentiale », quia omnem rerum ordinem et categoriam prædicamentalem transcendens, « per se », id est per intellectus et angelos hierarchiæ supremæ, *et teletarchicarum* purgationum et illuminationum et perfectionum, in participatione, secundum quod eis fas est*, factorum,* id est, inferiorum illorum ordinum « factorum », id est constituto-

* mysticarum

* alias om. est

rum, « in participatione purgationum et [A] illuminationum et perfectionum teletarchicarum », id est divinarum, quas sortiuntur a Deo mediante prima hierarchia, « secundum quod eis est fas », id est possibile, quia non valent eas recipere in tanta universalitate et puritate ac eminentia, sicut mentes primæ hierarchiæ eas a Deo immediate suscipiunt.

*Hoc enim est omnino a divina taxiarchia* divinitus promulgatum,* (* omnino divina ordinatione) id est a summa et increata virtute omnium ordinativa, institutum ac manifestatum. Taxiarchia interpretatur principium ordinis, seu princeps ordinationis, secundum Lincolniensem. Hoc itaque divina lege omnia ordinante, sancitum est, *per prima et** (* alias om. et) *secunda divinis participare illuminationibus,* id est inferiora per superiora suscipere illuminationes supernas hierarchicas in cognitione secretorum operum Dei. Verumtamen lumen gratiæ gratum facientis, fides, spes, caritas, ac ceteræ virtutes infusæ, lumenque gloriæ et beatifica visio, sunt efficienter immediate a Deo, quamvis creatura possit in talibus dispositive cooperari. Nec dubium quin omnes Beati multa divinorum operum in- [B] tuentur immediate in Deo, divinam videndo essentiam; inferiores tamen non tot et tanta, neque tam clare ut superiores : idcirco in talibus a superioribus illustrantur.

# ARTICULUS XLVIII

## DEMONSTRATIO EORUM QUÆ PAULO ANTE DICTA SUNT, QUOD SCILICET SECUNDA HIERARCHIA RECIPIT ILLUMINATIONES PER PRIMAM.

*INVENIENS* autem et hoc multoties* (* Invenies) *a theologis expressum.* Frequenter quippe theologi, id est auctores Scripturæ, hoc protestantur in libris sacris, quod unus angelus docet, mittit, illuminat alium, imo et præcipit ei, haud dubium quin superior inferiori. Quod consequenter ex testimoniis comprobat Scripturarum.

*Quando enim divina et paterna humanitas,* id est pietas Dei : humanum namque uno modo est idem quod pium; *Israel conversibiliter** (* nutritive) *pro sacra ejus salute corripiens,* id est, Israeliticum populum pa- [D] terne castigans, tanquam in populo illo familiariter habitans, præsertim in templo et cordibus devotorum, *et ulciscentibus et immanibus nationibus in correctionem tradens,* id est, plebem illam exponens Chaldæis, qui erant valde crudeles et vindicativi, « in correctionem », id est, ad hoc ut pro suis corrigerentur excessibus, et castigati salvarentur. Illa [C] enim fuit intentio piissimi Dei Patris, quamvis plurimi Judæorum illorum in suis sceleribus obstinati non pœnituerunt : propter quod æternaliter perierunt. De quibus apud Jeremiam Dominus dixit : Induraverunt facies suas supra petram, (Jer. v, 3, 9.) et noluerunt reverti : numquid super his non visitabo, et in gente tali non ulciscetur anima mea? Porro de immanitate atque ferocia Chaldæorum scriptum est apud Joelem : Gens ascendit super terram meam, (Joel i, 6.) fortis et innumerabilis, dentes ejus ut dentes leonis. De quorum maxima ferocitate plura scribuntur a Joele. Unde in (Ibid. ii, 2-11.) Daniele Azarias deprompsit : Dedisti nos (Dan. iii, 32.) in manibus iniquorum et pessimorum. Quam misericorditer vero consuevit Deus Israeliticum populum castigare, innuitur secundo libro Machabæorum, quo legitur : Non sicut in aliis nationibus Dominus pa- (II Mach. vi, 14-16.) tienter exspectat, ut eas, quum judicii dies venerit, in plenitudine peccatorum

puniat : ita in nobis statuit; corripiens vero in adversis, populum suum non derelinquit. Hinc subditur : *omnigena provisorum in melius traductione, in captivitatem* dimisit,* id est, plebem illam captivari permisit, imo et fecit, « traductione provisorum omnigena in melius », id est traditione providorum patrum omnino perfecta, ut scilicet captivatio illa eis esset medicinalis, sic quod vexatio ipsis tribueret intellectum, juxta illud in Jeremia : Castigabo te in judicio, ut non tibi videaris innoxius; non autem te faciam in consummationem ; *et ad priorem clementer reduxit beneficentiam,* id est, populum illum de captivitate illa Babylonica liberavit, deditque eis beneficia consueta, id est, dare tunc cœpit de novo, saltem quibusdam.

* *transductione, et captivitatem*

*Is.* xxviii, 19.

*Jer.* xxx, 11.

*Vidit* theologorum unus Zacharias unum primorum, ut æstimo, et circa Deum angelorum.* Iste Zacharias est unus duodecim Prophetarum minorum, penultimusque eorum : qui fuit in Judæa post reditum a Babylonica captivitate. Et visio ejus de qua hic sermo, fuit ei ostensa septuagesimo et ultimo captivitatis illius anno, quæ tot annis duravit, prout Jeremias prædixit. « Vidit » itaque Zacharias imaginaria visione « unum primorum angelorum », exsistentium « circa Deum », id est pertinentium ad primam hierarchiam, quæ dicitur collocata in vestibulis Deitatis et immediate circa Deum, ut capitulo præcedenti expositum est. Et quasi quis diceret, Cur spiritum illum nominas angelum, quum angelus sit nomen chori infimæ hierarchiæ? respondet : *Communis enim, ut dixi, est omnibus hæc angelica cognominatio,* id est, nomen angeli commune est universis spiritibus cœlestibus, cujuscumque sint ordinis, ut patuit supra quinto capitulo. Vidit ergo Zacharias unum angelorum *ab ipso Deo discentem de hoc,* id est de liberatione filiorum Israel a captivitate præfata, *consolatoria, ut dictum est, verba.*

* *Videt*

*Zach.* i, 12.

*Jer.* xxv, 11; xxix, 10.

*Zach.* i, 13.

*Alterum vero subjectorum angelorum,* A *in occursum primi prævenientem,* id est, Zacharias vidit in eadem prophetica apparitione, « alterum angelorum subjectorum », id est alium quemdam de numero angelorum inferiorum, ascendentem « in occursum primi », id est angeli illius superioris qui videbatur de cœlo descendere, *tanquam ad illuminationis susceptionem et perceptionem,* id est ad accipiendum illustrationem ab illo angelo superiori. *Et* deinde ab ipso divinum consilium tanquam a summo sacerdote eruditum,* B id est, Zacharias tunc etiam vidit angelum illum inferiorem « eruditum ab ipso » angelo superiori, « tanquam a summo sacerdote », id est, sicut in lege Moysis inferiores sacerdotes docebantur a pontifice, ad quem spectabat in difficilioribus respondere, ut in Deuteronomio legitur ; vel, « tanquam a summo sacerdote », id est a valde sublimi angelo, dante sacra responsa ac divina respondente oracula ; « consilium divinum », id est sententiam Dei de re petita, ut statim dicetur ; *et* C *hoc docere theologum conversum :* id est, Zacharias tunc vidit « conversum », id est angelum illum inferiorem vertentem se ab angelo illo superiori cujus illuminationi et allocutioni fuit intentus, ad ipsum Zachariam, « et docere theologum », utpote Zachariam prophetam, « hoc », id est responsum istud quod subditur : *quoniam fructuose habitabitur Jerusalem,* id est, quod civitas illa metropolis in Judæa, puta Jerusalem, inhabitabitur copiose et opulenter, *a multitudine hominum,* id est præ D nimia hominum multiplicatione in ea. Sic habet antiqua translatio. Porro Hieronymus transtulit : Absque muro habitabitur Jerusalem, præ multitudine hominum et jumentorum. Sed sensus redit in idem : quoniam sensus est, quod præ frequentia habitatorum urbis illius, tanta esset securitas seu copia populi, quod munimento murorum non indigerent; vel omnes inter mœnia civitatis capi et commorari non possent, juxta illud in Isaia : Angustus mihi est locus, fac spatium mihi ut habitem.

* alias om. *Et*

*Deut.* xvii, 8-13.

*Is.* xlix, 20.

Præterea, ut ista clarius intelligantur, A oportet verba Zachariæ recolere, qui in
Zach. I, 12, 13. principio sui libri loquitur : Dixit angelus : Domine exercituum, usquequo tu non misereberis Jerusalem et urbium Juda quibus iratus es? iste jam septuagesimus annus est. Et respondit Dominus angelo verba bona, verba consolatoria.
Ibid. II, 3, 4. Rursus quoque ibidem habetur : Ecce angelus qui loquebatur in me, egrediebatur. Et alius angelus egrediebatur in occursum ejus, et dixit ad eum : Curre, loquere ad puerum istum, dicens : Absque B muro habitabitur Jerusalem, præ multitudine hominum et jumentorum. Ex quibus datur intellectus textus istius.

Consequenter sanctus hic auctor idem probat auctoritate Ezechielis.

*Alter autem theologorum, Ezechiel, et ab ipsa inquit hoc sacratissime promulgatum esse Cherubim, superfirmata gloriosissima Divinitate :* id est, alius theologus, puta « Ezechiel, inquit hoc », id est divinum consilium istud, « sacratissime promulgatum esse » ipsi « Cherubim », C id est alicui spiritui exsistenti de medio ordine supremæ hierarchiæ : qui ordo Cherubim appellatur ; « ab ipsa superfirmata », id est firmissima ac omnipotenti, « gloriosissima Divinitate » : quod consilium patefactum est a Cherubim angelo inferiori, a quo etiam manifestatum est Ezechieli. Porro, de quo ordine fuerit angelus supremæ hierarchiæ, de quo jam ante locutus est Zacharias, non exprimit Dionysius, nec de hoc aliquid audeo di-
cap. XIII. cere assertive : sed sicut infra docet hic D
Is. VI, 6, 7. Sanctus angelum illum qui purgavit labia Isaiæ carbone ignito, missum fuisse ab uno de ordine Seraphim, ideoque ipsum quoque ab illo missum, vocatum Seraphim esse ; sic angelus iste inferior, qui docuit Zachariam de habitatione filiorum Israel in Jerusalem et templi constructione, forsitan fuit de ordine Throni, qui interpretatur sedes seu mansio Dei.

*Ipsum enim Israel, ut dictum est, dux exercitus humanitas per disciplinas in melius traducens, justitia divina corrigentibus respondetur, correctos justificavit.* Hoc est : « Humanitas », id est pietas Dei, « dux exercitus », id est princeps et ductrix Israeliticæ plebis, « traducens » plebem illam « in melius », id est ad vitam emendatiorem, « per disciplinas », id est castigationes paternas et per salubres doctrinas, juxta illud Isaiæ : In tri- Is. XXVI, 16.
bulatione murmuris doctrina tua eis. Unde Jeremias ait : Castigasti me, Domine, et Jer. XXXI, 18.
eruditus sum quasi juvenculus indomitus. Hinc in Job docetur : Beatus homo Job V, 17, 18.
qui corripitur a Domino. Increpationem ergo Domini ne reprobes : quoniam ipse vulnerat, et medetur ; percutit, et manus ejus sanabunt. Quæ pietas Dei « respondetur », id est correspondenter impenditur, « corrigentibus », id est peccata sua per paterna Dei flagella delentibus, « divina justitia », id est ex consideratione justi judicii Judicis summi ; vel, « divina justitia », id est, exigente æquitate divina, quæ hoc judicat justum, seu condecens bonitatem divinam, ut pœnitentibus et patienter patientibus virgam paternam, indulgeatur et misericordia impendatur, juxta illud Nahum : Non consurget du- Nahum I, 9.
plex tribulatio. Ideo subditur : « correctos justificavit », id est, justos judicavit ac coronavit. Ideo dicitur in libro Sapientiæ : Qui abjicit disciplinam, infelix est. Sap. III, 11.
Quamobrem Salomon dixit : Qui confessus fuerit scelera sua, et reliquerit ea, Prov. XXVIII, 13.
misericordiam consequetur. Hoc totum in populo Judæorum tempore Babylonicæ captivitatis impletum est : in qua multa præfigurata sunt mystice. Nam et ipsa fuit figura captivitatis spiritualis sub jugo peccati, et servitute ac potestate diaboli, a quibus per gratiam Dei pœnitentiamque eripimur. Quam captivitatem Deus per Jeremiam prædixit duraturam annis septuaginta : Quum cœperint, inquiens, Jer. XXIX, 10.
impleri in Babylone anni septuaginta, suscitabo super vos verbum meum bonum. Hinc Daniel narrat : Ego Daniel intel- Dan. IX, 2.
lexi in libris numerum annorum de quo

factus est sermo Domini ad Jeremiam A prophetam, ut complerentur desolationis Jerusalem anni septuaginta.

*Hoc docetur primus post Cherubim lumbos sapphiro præcinctus, qui poderem juxta symbolum hierarchicum induebatur.* Primus ille post Cherubim, videtur fuisse spiritus quidam angelicus, qui in revelatione horum mox a Cherubim fuit illuminatus, et per quem descendit revelatio eorumdem usque ad Ezechielem. Fuit autem primus ille indutus (ut in visione apparuit) « poderem », quæ est B vestis sacerdotalis, ad designandum quod instar sacerdotis, aliis (de quibus statim dicetur) angelis præfuit. Fuit quoque ad « lumbos sapphiro præcinctus », ad insinuandum puritatem ac dignitatem naturæ angelicæ, munditiam etiam castitatis ad sacerdotes spectantis, contra vitia carnis, quæ vigent in lumbis. Propterea additur : « juxta symbolum hierarchicum », id est secundum morem sensibilium signorum quæ in actibus hierarchialibus adhibentur in ecclesiastica hierarchia, at- C que in apparitionibus quæ per angelos ostenduntur hominibus. *Reliquos autem angelos, qui secures habebant, divina ordinatio imperat a priore doceri de hoc divinum judicium :* hoc est, « ordinatio divina », id est Deus ordinans universa, « imperat a priore », id est, jussit ab angelo qui post Cherubim exstitit prior, « doceri angelos reliquos » habentes in manibus suis « secures » ad occidendum iniquos, « judicium divinum », id est censuram Dei de illo negotio quod exercere debe- D rent circa transgressores prætactos. *Ei quidem enim dixit pertransire mediam Jerusalem,* id est, angelo illi primo post Cherubim, Deus per Cherubim, seu ipsi Cherubim Deo committente, præcepit ut iret per medium urbis Jerusalem, *et dare signum in frontes* correctorum virorum,* id est scribere signum Thau in frontibus virorum qui pœnituerunt de propriis culpis, et gemebant de alienis. *Aliis autem,* id est, inferioribus qui habebant secures præcepit Dominus : *Exite in civitatem post eum,* id est post angelum scribentem signum Thau in frontibus inhabitantium Jerusalem, *et percutite, et nolite parcere oculis vestris; ad omnes autem super quos est signum* Thau, *ne appropinquetis,* id est, nullum eorum in quorum frontibus est signum Thau occidatis neque lædatis.

* frontibus

Verum, ut ista clarius intelligantur, recolenda est scriptura in qua ista habentur. Nam auctor ista allegat secundum translationem Septuaginta interpretum, qua tunc utebatur Ecclesia. At vero secundum translationem Hieronymi, ita habemus : Ecce sex viri veniebant de via portæ superioris, vir quoque unus in medio eorum vestitus erat lineis, et atramentarium scriptoris ad renes ejus. Et vocavit Dominus virum indutum lineis, et dixit ad eum : Transi per mediam civitatem, et signa Thau super frontes virorum gementium et dolentium super cunctis abominationibus. Et illis dixit, audiente me : Transite per civitatem sequentes eum, et percutite. Non parcat oculus vester. Omnem autem super quem videritis Thau, ne occidatis. (Ezech. IX, 2-6.)

Deinde idem probatur aliis multis auctoritatibus et exemplis, quod scilicet angeli primæ hierarchiæ revelant quædam et imperant angelis mediæ hierarchiæ, et angeli mediæ hierarchiæ, angelis tertiæ ac infimæ hierarchiæ, et illi hominibus ecclesiasticæ hierarchiæ personis.

*Quid fortasse* quis dixerit,* id est, quid potest aliquis dicere, *de dicente angelo ad Daniel, Exivit sermo,* id est de angelo qui dixit ad Danielem, Exivit sermo? De hoc Daniel ita refert : Quumque orarem, Gabriel dixit ad me : Ab exordio precum tuarum egressus est sermo ; ego autem veni ut indicarem tibi. (Dan. IX, 20-23.) De isto (inquam) negotio nil aliud dici potest, nisi quod superior angelus docet inferiorem. Nam et paulo ante in eodem Propheta legitur : Factum est quum ego Daniel viderem visionem, et quærerem intelligentiam ejus, audivi vocem dicentem : Ga- (Ibid. VIII, 15, 16.)

* fortassis

briel, fac istum intelligere visionem. Et ille qui dixit hoc Gabrieli, fuit angelus superior eo : imo, secundum quosdam, [Dan. x, 21.] fuit Michael, qui tunc princeps exstitit Synagogæ. *Aut de ipso primo ignem ex medio Cherubim recipiente?* id est, quid potest quis dicere de angelo illo superiori et primo post Cherubim, induto podere, qui ex medio Cherubim ignem accepit? [Ezech. x, 2.] Unde in Ezechiele legitur : Dixit Dominus ad virum qui indutus erat lineis : Ingredere in medio rotarum quæ sunt subtus Cherubim, et imple manum tuam prunis ignis quæ sunt inter Cherubim, et effunde super civitatem. Ex quo constat, quod angelus altior jussit hoc angelo inferiori, Deo desuper committente. Nec oportet hæc isto in loco planius explanare, quia ad hoc solum hic allegantur ut pateat quod inter angelos est ordo hierarchicus, ut prolatum est sæpius. *Aut illud ejusdem, abundantius in ordinis angelici ostensionem,* hoc est, « aut » quid designat « illud » oraculum « ejusdem » visionis ipsius Ezechielis, « abundantius », id est, quod evidentius valet ad declarandum propositum, quod scilicet superior angelus inferiorem illustrat et dirigit, *quoniam et Cherub immittit ignem in manus sanctam stolam induti,* id est, quod Cherub legitur ibi ignem misisse in manus angeli stola induti? Sic namque in Ezechiele scriptum [Ibid. 7.] est : Extendit Cherub manum suam de medio Cherubim ad ignem, et dedit in manus angeli induti lineis. Quo probatur, quod ille indutus stola seu lineis, fuit inferior ipso Cherub a quo ignem accepit.

*Aut de vocante divinissimum Gabriel,* id est, quid dici potest de angelo vocante Gabrielem valde divinum, *et dicente ei,* [Dan. viii, 16.] *Fac illum intelligere visionem,* id est, tu, o Gabriel, fac illum, videlicet Danielem, intelligere visionem ? Præterea Gabriel appellatur hic divinissimus, non quia de prima aut secunda fuit hierarchia, ut aliqui putaverunt, prout Magi-

A ster Sententiarum recitat libro secundo ; sed quia Verbi æterni incarnationem an- [Luc. i, 26 et seq.] nuntiavit gloriosissimæ et excellentissimæ Virgini, ejusdem quoque Verbi incarnati passionem apertissime prænuntiavit Da- [Dan. ix, 26.] nieli, ut in Daniele habetur.

*Aut quæcumque alia a sacris theologis dicta sunt de cœlestium hierarchiarum deiformi ornatu?* id est, alia quæque similia a sanctis Prophetis et aliis authenticis viris expressa et scripta « de ornatu », id est decore et ordinatione in- B violabili cœlestium, idem testantur, quod scilicet angeli angelis præsunt, denuntiant, influunt, imperant. *Ad quem,* videlicet angelicæ hierarchiæ ornatum, *nostræ hierarchiæ ordinatio,* id est dispositio ecclesiasticæ hierarchiæ, *secundum quod possibile est, assimilata,* id est, secundum quod decuit conformata, *angelicam pulchritudinem quantum in characteribus,* id est imaginibus, *habet* *, id est, ange- [* habebit] lorum pulcherrimæ ordinationi conformatur, et eam nunc « habet » in spe et C inchoatione ac aliqua imitatione, quantum in imaginibus et figuris et sensibilibus signis potest haberi, præsertim in imaginibus summæ Trinitatis, hoc est in rationabilibus mentibus per caritatem et gratiam, per contemplationem et dilectionis fervorem, ac per alia diversa præclara et peralta Spiritus Sancti charismata; *formata per eum, et reducta ad superessentialem simul omnis hierarchiæ principem :* id est, ecclesiastica hierarchia « per eum », id est per ornatum angelicæ hie- D rarchiæ, « formata » est, id est decorata et qualificata ac ministerialiter instituta, fontaliter autem et principaliter a Spiritu Sancto. Christus quoque in terra Ecclesiam suam ordinate instituit ac distinxit ; plenius autem post ascensionem, misso desuper Spiritu Sancto. Quosdam enim [I Cor. xii, 28; Ephes. iv, 11.] dedit Apostolos, quosdam Prophetas, quosdam doctores, etc., prout ad Corinthios scribit Apostolus. Angeli demum formant, informant, regunt, custodiunt, afficiuntque Ecclesiam, saltem dispositive : per

quos et reducitur finaliter ad Deum, qui est superessentialis fons, institutor, radix, conservator et consummator omnis hierarchiæ, tam angelicæ quam humanæ.

Circa capitulum hoc possent aliqua A quæri, præsertim de locutionibus angelorum, et coaptatione hominum electorum ad diversos choros ac ordines angelorum. De quibus et consimilibus circa finem opusculi hujus intendo aliqua scribere.

## PARAPHRASIS ABBATIS VERCELLENSIS

POST primam hierarchiam tractandum est de media, intellectualiter contemplando tres ordines ipsius, scilicet Dominationes, Virtutes, et Potestates. Quodlibet autem istorum trium nominum, signat aliquam ipsius ordinis proprietatem, per quam ipsius ordinis substantiæ Deo conformantur. Nomen ergo Dominationum signat substantias illius ordinis ab omni inhonesta servitute et indecenti subjectione liberas, ad Deum sursumagi per primam hierarchiam, et nulla violentia premi secundum varias hujus mundi miserias, sed habere indissolubilem dominationem, supereminentem omni servituti indebitæ, non valentem ab aliquo violenter subjici, et segregate excedentem omnem mutabilitatem, eo quod una sit illarum dominatio, et indesinenter desiderans Deum, qui est princeps dominationis, et ad ipsius similitudinem et imitationem, secundum suam possibilitatem, et se ipsas et inferiores suos, per bonas gratias et operationes informant, et toto desiderio et contemplatione, non ad ea quæ vane apparent bona, sed ad vere exsistens bonum, convertuntur, et secundum suam capacitatem conformitate Dei, qui est princeps dominationis, semper participant.

Nomen vero Virtutum signat robustam quamdam et inconcussam fortitudinem ad exercendas omnes operationes quæ suo ordini congruunt, juxta gratias et virtutes suas, quibus illius ordinis substantiæ Deo conformantur, neque in aliquo debiliter infirmatam, quominus possit efficaciter suscipere quaslibet illuminationes sibi divinitus inditas, sed potenter divinas operationes secundum suam congruentiam imitantem, nulla pusillanimitate derelinquentem motum quo Deo conformatur, sed firmiter tendentem ad Dei virtutem, quæ supersubstantialis est et effectrix omnis virtutis; et effectivam imaginem ejus- B dem divinæ virtutis secundum suam possibilitatem, conformando et inferiores suos divinæ virtuti, et fortiter conversam ad divinam virtutem, quæ est principalis virtus, et ad inferiores suos procedentem distributione virtutis deiformis.

Nominatio vero Potestatum signat ordinariam potestatem substantiarum illius ordinis, quæ Dominationibus et Virtutibus coordinantur, id est, in eadem hierarchia cum illis collocantur, ad divinas susceptiones sine ulla ordinis confusione vel perturbatione; et signat esse in eisdem ordinationem invisibilem C et supermundanam potestatis intellectualis, ordinate sursumactis, non abutentibus virtute sua tyrannice ad inferiores, sed potenter simul et benigne sursumagentibus ad pleniorem Dei cognitionem, amorem et imitationem, infimam hierarchiam, quæ continet Principatus, Archangelos, et Angelos, et ad Deum qui est princeps omnis potestatis, et causat omnem potestatem, assimilatis, et facientibus Deum angelis inferioribus se resplendere, quantum ipsis angelis possibile est capere, in tribus ordinibus infimæ hierarchiæ angelicæ, qui a Potestatibus bene ordinantur.

D Has habens deiformes proprietates, media cœlestium mentium hierarchia, ut dictum est, purgatur, illuminatur et perficitur a Deitate, illuminationibus sibi secundario inditis per primam hierarchiam, et ipsa prima mediante per secundam luculentiam a Deo delatis. Quod autem una cœlestis mens alia superiore mediante illuminetur, exemplo Scripturarum ostendemus. Sicut enim inter homines illi perfectius edocti sunt qui Salvatorem immediate audierunt, quam qui eisdem sanctis Apostolis et discipulis Domini mediantibus didicerunt; ita est in mentibus cœlestibus, quia clarius et perfectius illuminantur qui in Deum immediate extenduntur, quam qui eis-

dem mediantibus a Deo illuminantur. Unde A traditio Apostolorum docet, quod primæ intelligentiæ sunt et dicuntur purgativæ et illuminativæ et perfectivæ inferiorum, eo quod ipsæ sursumagunt inferiores ad Deum, qui est superprincipale principium omnium, et faciunt eas participes divinarum purgationum et illuminationum et perfectionum, secundum singularum capacitatem. Generaliter siquidem a Deo ordinatum est, ut per superiores, inferiores participent divinis illuminationibus. Et hoc colligitur ex subjunctis exemplis Scripturarum.

Legitur in Zacharia, quod benigna Dei justitia, per salutarem castigationem ad se Israelem convertens, promittit relaxationem captivitatis Babylonicæ. In quo facto designatur universalis electorum correctio per mundi adversitates, et ad emendatiorem et purgatiorem vitam deductio. Ibi enim legitur quod unus angelus, quem arbitror esse de primis qui circa Deum sunt, didicit a Deo
*Zach.* I, 13. verba bona et consolatoria de restitutione ca-
*Ibid.* II, 3 *et seq.* ptivitatis et habitatione Jerusalem. Et alius angelus, ab illo tanquam ab hierarcha suo, discens divinum consilium, docuit Zachariam quod Jerusalem reædificaretur, et a multitudine hominum habitaretur. Item, sicut colligitur ex Ezechiele, quando, ut dictum est, paterna Dei benignitas filios Israel per disciplinam divinæ justitiæ punitos, a pœna inflicta judicavit absolvendos, Divinitatis sen-
*Ezech.* IX, 14. tentia super hoc revelata est Cherubim, et post Cherubim, angelo qui juxta significationem signorum hierarchicorum, dicitur esse vestitus lineis, et atramentarium habere scriptoris in lumbis. Angeli autem (qui designantur ibi per sex viros habentes in manibus vasa interitus) per signum viri lineis induti a Deo docti, docentur Dei judicium de puniendis transgressoribus, et aliis salvandis qui essent signati Thau in frontibus, dum eis di-
citur : Transite per civitatem sequentes eum, *Ezech.* IX, 5, 6.
et percutite. Non parcat oculus vester, nec misereamini : senem, adolescentulum et virginem, parvulum et mulieres interficite usque ad internecionem; omnem autem super quem videritis Thau, non occidatis. Item legitur in Daniele, quod angelus qui revelavit ei Dominicæ B mysteria incarnationis, dixit Danieli :
Egressus est sermo, ego autem veni ut in- *Dan.* IX, 23.
dicarem tibi. Ubi innuitur quod ad alium primo egressus est sermo, qui per alium indicatur Danieli. Item rursus in Ezechiele le-
gitur, quod unus angelus assumpsit ignem *Ezech.* X, 7.
in medio Cherubim, et quod dedit illum ignem in manus alterius angeli, qui designatur per virum indutum lineis : ubi ostenditur, quod aliquis Cherub superior influit Cherub inferiori, et ille alii inferiori. Item legitur in
Daniele, quod quidam angelus, tanquam su- *Dan.* VIII, 16.
perior, injunxit Gabrieli, tanquam inferiori, C ut faceret Danielem intelligere visionem : quam quidem ille superior docuit Gabrielem,
et Gabriel Danielem. Item colligi potest ex *Ibid.* 17-26.
aliis Scripturæ testimoniis, quæ tractant de deiformi bono ornatu cœlestium hierarchiarum, cui nostræ hierarchiæ ordinatio secundum mortalium possibilitatem assimilata, et angelicum decorem in se imaginarie repræsentans, per ipsum sursumagitur ad Deum, qui est substantialis princeps universæ hierarchiæ.

# CAPITULUM IX

## DE PRINCIPIBUS ET ARCHANGELIS ET ANGELIS, ET DE ULTIMA EORUM HIERARCHIA.

RELIQUUS est nobis in contemplationem, ornatus angelicas concludens hierarchias, a deiformibus Principibus, Archangelis, et Angelis dispositus. Et primas quidem dicere necessarium æstimo, secundum quod mihi possibile, sanctarum earum cognominationum manifestationes. Manifestat enim ipsa quidem cœlestium Principum, illud deiformiter principale eductivum, cum ordine

sacro et principalibus decentissimis virtutibus, et ad superprincipale principium eas universaliter converti, et alias hierarchice ducere ad illud ipsum, quantum possibile formari, principificum principium, manifestareque superessentialem ejus ordinationem, ornatumque principalium virtutum.

Ipsa autem sanctorum Archangelorum, æquipotens quidem est cœlestibus Principatibus. Est enim et eorum et Angelorum, ut dixi, hierarchia una et dispositio. Verumtamen, quoniam quidem non est hierarchia, nisi et primas, et medias, et ultimas virtutes habens, Archangelorum sanctus ordo communicative hierarchiæ medietati extremorum recipitur. Etenim sanctissimis Principatibus communicat, et sanctis Angelis : ipsis quidem, quia ad superessentiale principium principaliter convertitur, et ad ipsum, ut possibile, reformatur, et Angelos unificat secundum bene ornatos ejus et ordinatos et invisibiles ducatus ; istis vero, quia et eis prophetico est ordine divinas illuminationes hierarchice per primas virtutes suscipiens, et Angelis eas deiformiter annuntians, et per Angelos nobis manifestans, secundum sacram uniuscujusque divinitus illuminatorum analogiam.

Ipsi enim Angeli, sicut prædiximus, completive consummant omnes cœlestium animorum dispositiones, secundum quod consummandum est : quippe in cœlestibus essentiis habentes angelicam proprietatem, et magis apud nos angeli, quam priores, aptius nominati, quantum circa quid manifestius ipsis est hierarchia, et magis circumornatus. Excellentissimam quidem enim (ut dictum est) dispositionem, tanquam ipsi occulto primitus ordinate proximantem, clam formans, æstimandum ordinare secundam ; secundam vero, quæ completur a sanctis Dominationibus et Virtutibus et Potestatibus, ei quæ est Principibus et Archangelis et Angelis, hierarchiæ præesse, prima quidem hierarchia manifestius, ea vero quæ est post eam occultius ; Principatuum autem et Archangelorum et Angelorum manifestativam dispositionem, humanis hierarchiis per consequentia præcipere : ut sit per ordinem ad Deum ascensus, et conversio, et communicatio, et unitas, et quidem a Deo omnibus hierarchicis optime indita, et communicative superveniens, et cum ornatu sacratissimo processio. Inde Theologia nostram hierarchiam Angelis distri-
*Dan.* x, 21. buit, principem Judæorum populi Michael nominans, et alios gentium diversos.
*Deut.* xxxii, 8, juxta LXX. Statuit enim Excelsus terminos gentium juxta numerum angelorum Dei.

Si autem quis dixerit, Et quomodo Hebræorum populus reductus est solus in divinas illuminationes? respondendum, quia non angelorum rectas dominationes accusari oportet aliarum gentium in non exsistentes deos errore, sed illos ipsos propriis inflexionibus ex ea quæ est in divinum recta reductione recidentes, amore proprio et superbia ipsis visorum divinitus et corrationabiliter cultui. Hoc perhi-
*Osee* iv, 6, juxta LXX. betur et ipse Hebræorum populus perpessus esse. Cognitionem enim Dei (ait) repulisti, et post cor tuum existi. Neque enim coactam habemus vitam, neque per providentium propriam potestatem divina lumina providæ illuminationis revelantur ; sed intellectualium visionum dissimilitudo, superplena paterna bonitate lucis donationem aut omnino non participatam facit, et ad earum reformationem non

distributam, aut participationes facit differentes, parvas aut magnas, obscuras aut claras, unius, et simplicis, et semper eodem modo se habentis, et superexpansi fontalis radii.

Deinde quia et aliis gentibus (ex quibus et nos respeximus in illud omnibus paratum in traditionem et apertum, divini luminis et magnum et copiosum pelagus) non alienigenæ quidam imperabant dii. Unum autem omnium principium, et ad ipsum reduxerunt sequentes, secundum unamquamque gentem sacerdotio fungentes angeli. Melchisedech intelligendum summum sacerdotem exsistentem Domino amicissimum, exsistentem, non non exsistentium, sed vere exsistentis excelsi Dei. Etenim non sic simpliciter Melchisedech theosophi amicum * Dei tantum, sed et sacerdotem vocaverunt. An ut sapientibus aperte significarent, quia non solum ex eis, in ipsum qui vere est Deum, convertit, adhuc autem et alios, ut summus sacerdos, educit, ea quæ est ad veram et solam Divinitatem reductione? Et hoc autem tuam summe sacerdotalem intelligentiam admonebimus, quia et Pharaoni apud ipsos Ægyptios imperante angelo, et Babyloniorum principi præside proprio, omnium providentiæ et dominationis providum et potestativum secundum visiones distributum est; et gentibus illis veri Dei ministri duces statuti sunt, formationum ab angelis visionis manifestatione angelorum continuo sacris viris Daniel et Joseph ex Deo per angelos revelatæ.

* ipsi theosophi non amicum

*Gen.* XIV, 18; *Ps.* CIX, 4; *Hebr.* VII, 1.

*Gen.* XLI, 1-7, 17-24; *Dan.* II, 31-35; IV, 7-14.

*Dan.* II, 36-45; IV, 17-23; *Gen.* XLI, 25-32.

Unum est enim omnium principium et providentia; et nullo modo æstimandum, Judæos quidem pleniter duxisse Divinitatem, angelos autem specialiter, aut æque honorabiliter, aut oppositis, aut deos quosdam alteros imperare aliis gentibus. Sed et eloquium illud, secundum ipsam sacram intelligentiam accipiendum : non ut partiente Deo cum aliis diis aut angelis nostrum ducatum, et Israel in gentis principatum et gentis ducatum contento; sed ut ipsa quidem una simul omnium excelsa providentia, omnes homines salutariter propriorum angelorum restitutoriis manuductionibus distribuente, solo fere ultra omnes Israel in veri Dei illuminationem et cognitionem converso. Unde Theologia quidem se ipsum possedisse Israelem in veri Dei famulatum significans : Facta est portio Domini, ait. Ostendens autem et eum * ceteris gentibus distribuisse cuidam sanctorum angelorum, in cognoscendum per eum unum omnium principium, Michaelem dixit Judaicum duxisse populum : aperte nos edocens, unam esse omnium providentiam, simul omnibus invisibilibus et visibilibus virtutibus superessentialiter supercollocatam; omnes autem per singulas gentes imperantes angelos, in ipsum ut proprium principium, sequentes voluntate essentiali quasque virtutes extendere.

*Deut.* XXXII, 9, juxta LXX.

* eum viritim

*Dan.* X, 21; XII, 1.

# ARTICULUS XLIX

## DECLARATIO INITII CAPITULI NONI : DE PROPRIETATIBUS PRINCIPATUUM, PRIMI TERTIÆ HIERARCHIÆ CHORI.

ELUCIDATIS nominibus ac proprietatibus superiorum sex ordinum ac duarum hierarchiarum primarum, nunc idem fit de infima hierarchia et tribus ordinibus ejus.

*Reliquus est nobis in contemplationem, conatus**, id est residuum studium nostrum circa considerationem hujus materiæ, *angelicas concludens hierarchias,* id est, terminans seu consummans speculationem hujus tractatus, loquendo de ultima angelica hierarchia, *a deiformibus Principatibus**, *Archangelis, et Angelis dispositus,* id est ordinatus inchoari « a Principatibus deiformibus », id est choro supremo tertiæ ac infimæ hierarchiæ : qui chorus dicitur Principatus, estque Deo conformis præ sequentibus choris duobus, « Archangelis, et Angelis ». *Et primas quidem dicere necessarium æstimo, secundum quod mihi possibile, sanctarum eorum** *cognominationum manifestationes.* Hoc est : « Æstimo necessarium » necessitate conditionata, non absoluta. Istud namque necessarium est, si tractatio ista de hoc infimo ordine erit sufficiens, et si horum ordinum proprietates fundamentaliter intelligentur. « Manifestationes », id est significationes, « cognominationum sanctarum », id est sanctorum nominum, « eorum primas dicere », id est primo loco exprimere.

* ornatus

* Principibus

* earum

*Manifestat enim ipsa quidem cœlestium Principum :* hoc est, « ipsa » nominatio « Principum cœlestium », id est nomen Principatuum, designat « quidem », id est pro certo, *illud deiformiter principale,* id est præcipuam eorum proprietatem, per quam in speciali hoc ordine deputantur et collocantur, et qua Deo specialius assimilantur quoad ea quæ ad rationem pertinent hierarchiæ, *et ductivum**, id est dignitatem ducalem, qua inferiorum sunt duces ac principes, non solum Archangelorum et Angelorum, sed etiam hominum, et regnorum atque provinciarum, *cum ordine sacro,* id est cum sancta ordinatione, secundum quod Deus instituit, absque omni fastu superbiæ et abusione, ac curva reflexione ad semetipsos, *et principalibus decentissimis virtutibus,* id est cum vera et præcipua eorum prudentia, per quam agnoscunt modum et formam regendi ac præsidendi ; cum excellenti quoque justitia, quia non commoda sua propriumve honorem, sed Dei in omnibus venerationem, et inferiorum quærunt profectum : et item zelum eorum quo ad Dei reverentiam et subjectorum utilitatem aut salutem fervent ac inardescunt ; obedientiam quoque qua Creatori obediunt, intendendo, descendendo, ac versando circa hæc inferiora ; pietatem et sufferentiam, quoniam propter ingratitudines atque facinora gentium non omittunt nec desinunt benefacere ipsis ; fidelitatem etiam diligentiamque ipsorum circa commissos. Hæc etenim præcipue ad principes pertinere censentur.

* eductivum

*Et ad superprincipale principium eas universaliter converti,* id est, præfatum nomen Principatuum denotat eos generaliter et in omnibus et complete « converti » ac conversos esse ad Deum, in omni actu eorum principativo et opere hierarchiali, non habitualiter tantum, sed actualiter quoque, neque per aliquam operationem externam ab interiori sinceritate, vacati-

one, quiete, simplificatione et contemplatione unquam aut ullatenus impediri ; *et alias hierarchice ducere,* id est mentes inferiorum ad Deum reducere hierarchialiter, hoc est ordinate, quantum spectat ad ipsorum chorum et cathedram, non transgrediendo limites sibi præfixos, *ad illud ipsum, quantum possibile formari, principificum principium,* id est ad fontale illud et æternale principium, factivum et institutivum universi principatus ac principationis, « quantum possibile formari », id est, quantum possibile est ipsos inferiores formari et actuari influentiis Principatuum, ac per eas Deo conformari. Non enim possunt totum recipere quod superioris est chori, neque in tanta simplicitate et perfectione ut est in ordine illo superiori. *Manifestareque superessentialem ejus taxiarchiam *,* id est de- A clarare inferioribus per effectus operum divinorum et per operationes suas hierarchicas, increatam illam exemplarem et excellentissimam ordinationem Principis summi, quæ in hierarchiis ab ipsa exemplatis exemplariterque deductis, resplendet quemadmodum causa in suo effectu : quam increatam ordinationem omnes Beati clare etiam et immediate conspiciunt in se ipsa, quantum ad principalem et essentialem ipsorum spectat felicitatem ; *ornatumque principalium virtutum,* id B est infinitum illum decorem æternæ sapientiæ ac idealis et exemplaris prudentiæ Dei, ac ejus beneficentiam et munificentiam, caritatem et pietatem circa creaturas, potissime intellectuales et rationales : quæ omnia in superbeatissimo Deo sunt idem, quamvis formaliter distinguuntur, et in regimine hierarchiali relucent.

*ordinationem

# ARTICULUS L

### DE ARCHANGELIS, MEDIO TERTIÆ HIERARCHIÆ CHORO. QUOMODO PRINCIPATIBUS ET ANGELIS COMMUNICENT.

CONSEQUENTER de Archangelorum nominatione, proprietate et operatione subjungitur :

*Ipsa autem sanctorum Archangelorum, æquipotens quidem est cœlestibus Principatibus,* id est, nominatio « ipsa sanctorum Archangelorum æquipotens est », id est, æqualem significat potentiam, in Archangelis ac « Principatibus », loquendo de illa potentia secundum rationem ejus communem, prout in ea conveniunt tres chori inferiores, et horum convenientia unam et eamdem constituunt hierarchiam, secundum quod per illam potentiam deputantur ad certas et particulares exsecutiones eorum quæ a superioribus tribus ordinibus, utpote Dominationibus, Virtutibus, et Potestatibus, imperata, concepta, C determinata sunt fieri circa ecclesiasticam hierarchiam juxta præhabita. Ex quibus etiam constat qualiter ista æquipotentia ultimæ hierarchiæ sit intelligenda, utpote in quodam communi et secundum quid, non simpliciter et absolute, sicut de aliarum æquipotentia hierarchiarum prolatum est. Hinc expositorie subditur :

*Est enim et eorum et Angelorum, ut dixi, hierarchia una et dispositio,* id est, unus est principatus hierarchicus in genere, et una communis dispositio hierarchialis eorum, id est Principatuum, et Ar- D changelorum, ac Angelorum : idcirco in communi conveniunt. Differunt tamen in speciali. Propter quod subditur : *Verumtamen, quoniam quidem non est hierarchia,* id est, nihilo minus, quum non sit

aliqua hierarchia, *nisi et primas, et medias, et ultimas virtutes habens,* id est, quæ non habeat « virtutes », id est personas vigorosas et efficaces, seu vires hierarchicas purgativas, illuminativas et perfectivas, in genere suo supremas, et medias, ac infimas, *Archangelorum sanctus ordo communicative hierarchicæ* medietati extremorum recipitur.* Hoc est, « sanctus » ille medius « ordo » seu chorus « Archangelorum recipitur », id est, consideratur et coordinatur, « medietati hierarchicæ extremorum », id est in medio extremorum ultimæ hierarchiæ, « communicative », id est, ita quod communicet utrique extremorum suæ hierarchiæ, et in eorum medietate consistat. Recipitur quoque hierarchicæ medietati extremorum, ita quod habeat hierarchicam medietatem, quæ communicativa est extremorum. Est enim duplex medium : unum per abnegationem et exclusionem utriusque extremi, quemadmodum virtus est media ac quædam medietas inter vitia duo extrema. Aliud est medium per participationem seu communicationem, sicut dicuntur medii colores inter extremos : sicque in cœlestibus hierarchiis medii ordines perhibentur, qui cum utroque extremo suæ hierarchiæ communicant, sicut nunc de Archangelis subditur :

* hierarchiæ

*Etenim sacratissimis Principatibus communicat,* id est, cum beatissimis angelis qui sunt de ordine Principatuum, communionem et convenientiam habet ordo Archangelorum, *et Angelis sanctis,* id est cum Angelis gloriosis infimi chori.

*Ipsis quidem,* id est, cum Principatibus communicat, *quia ad superessentiale principium principaliter convertitur,* id est, in omni opere suo hierarchico ad Deum actualiter et finaliter se convertit, sicut et Principatus, *et ad ipsum, ut possibile, reformatur,* id est, illi se assimilare intendit : non quod sit aliquo modo deformatus, sed ut per actus sacros hierarchicos illi fiat similior, id est purgatior, illuminatior, atque perfectior, non per caritatis

A profectum, sed per ampliorem notionem divinorum effectuum ; *et Angelos unificat,* id est, in Deo simplificat, recolligit et reducit, omni eorum actu hierarchiali et obsequio circa ecclesiasticam hierarchiam, ut semper ex multis perfectius redeant ad simplicissimum illud unum, *secundum bene ornatos ejus et ordinatos et invisibiles ducatus,* id est secundum directiones et exemplares actus suos sapientialiter factos, per quos ad sui imitationem incitat Angelos : qui actus sunt B indeviabiliter ordinati, invisibiles, spirituales, et ad Deum relati, decore virtutum, sapientiæ claritate, fervore amoris et omni discretione fulciti.

*Istis vero,* id est, etiam infimo choro Angelorum communicat ordo Archangelorum, *quia et eis hypoprophetico* est ordine divinas illuminationes hierarchice per primas virtutes suscipiens,* id est, quoniam ordo ille Archangelorum a superioribus choris accipit « illuminationes divinas hierarchice », tradendas « eis », id C est insinuandas angelis infimi ordinis, « ordine hypoprophetico », id est processu subprophetali, ab ὑπό, quod est sub, et προφήτης : non quod angelis proprie conveniat nomen et ratio prophetæ, sed similitudinarie, quum videant quasi præsentia ventura, et futura prænuntient. Quumque Archangeli a superioribus audiunt quod inferioribus Angelis nuntient, quasi hypoprophetæ videntur : similiter Angeli prædicando hominibus quod ab Archangelis audierunt ac didicerunt, hypopro- D phetæ respectu Archangelorum per metaphoram appellantur. Ideo sequitur : *et Angelis eas deiformiter annuntians,* id est, ordini infimo ordo archangelicus illuminationes ac futurorum cognitiones revelans « deiformiter », id est taliter ac divine sicut ipse a superiore illas accepit, *et per Angelos nobis manifestans.* Minora enim Angeli immediate Prophetis prædicunt, majora vero ipsimet Archangeli pandunt hominibus, quemadmodum Gabriel Archangelus prædixit Zachariæ Luc., I, 13-20.

* prophetico

plurima de Joanne, ac præelectissimæ Virgini de Domino Jesu Christo. *Secundum propriam * uniuscujusque divinitus illuminatorum analogiam,* id est, hæc omnia fiunt, videlicet istæ illuminationes et manifestationes, communicationes et prænuntiationes, juxta proportionem, mensuram, A dignitatem, capacitatem, habitudinem et dispositionem universorum et singulorum illorum qui illustrati sunt desuper. Nempe quo altiores et digniores consistunt, eo clarius et universalius illustrantur a superioribus suis, clariusque et diffusius illuminant inferiores.

Luc. I, 26-37.
* sacram

# ARTICULUS LI

### DE ANGELIS, TERTIO HIERARCHIÆ TERTIÆ CHORO SEU ORDINE. CUR PECULIARITER ANGELI DICANTUR.

PORRO, quod ordo Angelorum sit ultimus exponit, subdendo : *Ipsi enim Angeli,* prout nomen Angeli contracte et appropriate accipitur, *sicut prædiximus, completive consummant,* id est, perfectionaliter terminant inferius, *omnes cœlestium animorum dispositiones,* id est cunctos supernorum spirituum ordines, intra quos etiam ipsi continentur : et ita sunt finis angelicorum ordinum quasi intrinsecus et inclusus; sunt quoque finis consummans et complens, quoniam ad complementum et venustatem pertinent totius angelicæ hierarchiæ, secundum quod perfectio totius potestativi ac integralis, ex partibus suis resultat, consistit atque dependet; *secundum quod consummandum est,* id est, prout dicendum est ordines illos consummari per ultimos, quum et ultimi illi sint tantæ excellentiæ ac dignitatis, tantæ felicitatis, pulchritudinis et gloriæ, præsertim per supernaturalia charismata gratiæ et gloriæ ipsis communicata, ut capere non possimus : imo sic infimus angelus multo præclarior gloriosiorque consistit, quam prima et summa intelligentia, prout de intelligentiis loquuntur philosophi qui non putabant eas posse pertingere ad claram et immediatam primæ causæ cognitionem per speciem.

B *Quippe in cœlestibus essentiis habentes angelicam proprietatem,* id est mentes illæ supernæ, quæ habent « proprietatem angelicam » (quæ est hominibus annuntiare minora, et singulis quibusque particulariter præsidere), quæ inter cœlestes personas contentæ sunt, *et magis apud nos angeli, quam priores,* id est, qui et circa nos magis sunt præcones ac nuntii Dei, quam ordines altiores, quoniam immediate apparent, nuntiant et loquuntur hominibus communius ac frequentius quam C Archangeli aut Principatus : hinc *aptius nominati,* id est, convenientius nuncupati sunt angeli, quam alii chori, præsertim per comparationem ad nos; per comparationem vero ad animos ipsos cœlestes, illi magis possent angeli appellari, qui primo a Deo illuminationes et revelationes suscipiunt (ut sunt mentes primæ hierarchiæ), et eas sequentibus annuntiant choris. Tanto quoque aptius dicti sunt angeli per respectum ad nos, *quantum circa significantius * ipsis est hierarchia,* id D est, quo illorum hierarchia seu sacer principatus, versatur circa ea quæ nobis sunt significabiliora, utpote circa humana et inferiora, et quo intelligibiles illarum species magis sunt determinatæ et particulares, ac per hoc humano intellectui magis proportionatæ, *et magis circumornatus,* id

* circa quid manifestius

est, quo amplius convenit angelis istis operiri et circumvestiri formis sensibilibus, speciosis ac splendidis, quibus frequenter quasi circumornati videntur quando apparent hominibus. Unde Marcus ait : Marc. XVI, 5. Viderunt juvenem circumamictum stola candida, et obstupuerunt. Postremo ultimus ille ordo angelicus, ecclesiasticæ hierarchiæ est proximus, idcirco hominibus magis proportionatus ad apparendum, annuntiandum, præsidendum, et custodiendum.

*Excellentissimam quidem enim (ut dictum est) dispositionem,* id est supremam hierarchiam cœlestem, *tanquam ipsi occulto primitus ordinate proximantem,* id est, veluti appropinquantem « primitus ordinate », id est primo loco, seu proximo gradu excellentiorique modo, « ipsi occulto », id est incomprehensibili Deo, qui est omni secreto secretior, et omni interiori interior : de quo loquitur Isaias, Is. XLV, 15. Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel ; *clam formans,* id est, qui est secrete et invisibiliter imprimens, perficiens atque efficiens angelicas stationes, *æstimandum sanctificare* * *secundam,* id est, tenendum est purgare, illuminare, perficere hierarchiam secundam ac mediam. *Secundam vero, quæ completur a sanctis Dominationibus et Virtutibus et Potestatibus, ei quæ est Principibus et Archangelis et Angelis, hierarchiæ principari* * *:* hoc est, æstimare debemus, imo pro certo tenere, quod secunda hierarchia principetur ac præsit tertiæ hierarchiæ. Et jam dictum est sæpe, quod secunda hierarchia compleatur seu constet ex tribus ordinibus, qui sunt, Dominationes, Virtutes, et Potestates : et hæc principatur seu præsidet hierarchiæ tertiæ, quæ est ex Principatibus, Archangelis, et Angelis, constans et aggregata.

* ordinare

* præesse

*Prima quidem hierarchia, manifestius,* id est, clarius ac copiosius et universalius illuminatur a Creatore ; *ea vero quæ est post eam,* id est secunda hierarchia, *occultius,* id est, non tam clare, nec sic tam

A immediate illuminatur a Deo, quantum ad cognitionem hierarchicam effectuum divinorum, quemadmodum prima : et tertia mediatius ac minus splendide illuminatur a secunda. Nempe quo Deo sunt propinquiores ac similiores per naturalia atque gratuita, eo eminentius ac immediatius ab ipso illuminantur ; sed quoad beatificam visionem, universi immediate illuminantur divinitus, et impletur quantum ad hoc, illud Jeremiæ : Non docebit Jer. XXXI, 34. ultra vir proximum suum, dicens, Cognosce Dominum : omnes enim cognoscent me, a minimo eorum usque ad maximum, ait Dominus.

B

*Principatuum autem et Archangelorum et Angelorum manifestativam dispositionem,* id est, hierarchiam illam ultimam quæ est manifestativa, id est illuminativa, ecclesiasticæ hierarchiæ, sentiendum est, *humanis hierarchiis præcipere,* id est præsidere et imperare, *per consequentiam* *, id est, sicut hoc sequitur ex prædictis, et ordo exigit universi ; *ut sit per ordinem ad Deum reductio* *, *et conversio, et communicatio, et unitas :* hoc est, quatenus omnia, et specialiter intellectuales ac rationales creaturæ, reducantur ac convertantur ad Altissimum ordinate, et communicatio mutua sit in eis, ita quod superiores communicent inferioribus dona sibi collata, sicque per reductionem et reditionem plurimorum in unum fontale principium, omnes sint aliquo modo unum in illo, ac inter se couniti. Hinc Proclus disseruit : Omnis multitudo participat uno aliqualiter ; et rursus, Omne quod participat uno, unum est et non unum ; itemque, Omne bonum unitivum est participantium ipso.

* consequentia

C

* ascensus

D

*Attamen et* * *a Deo omnibus hierarchicis optime indita, et communicative superveniens, et cum ornatu sacratissimo processio :* id est, quamvis talis sit mutua irradiatio, reductio, communicatio inter ordines angelorum, « attamen processio », hoc est emanatio bonitatis emanantis et concessæ a Deo, est « a Deo indita optime

* Et quidem

omnibus hierarchicis », id est cunctis personis seu choris in hierarchia contentis, et « communicative superveniens », id est liberaliter desuper data, « et cum ornatu sacratissimo », id est cum pulchra et sancta dispositione, et cum donis gratiisque annexis. Dona quippe divina mutuo se decorant, et unum alteri est annexum. Dona quoque gratiæ gratum facientis, sunt immediate a Deo efficienter : in quibus connexa sunt multa, ut fides formata, spes viva, caritas, virtutes infusæ, et septem dona Spiritus Sancti : sicque unumquodque istorum cum sacratissimo ornatu advenit et confertur. Nec sine his donis istaque Dei processione in nos, sufficerent nobis ad salutem actiones et influxiones hierarchicæ, nobis ab angelis impertitæ. Ad quod insinuandum, Moyses in Exodo ait ad Dominum : Si non tu ipse præcedas nos, ne educas nos de loco isto. *Exod.* XXXIII, 15.

*Inde Theologia nostram hierarchiam Angelis distribuit,* id est, ex quo inferiores hierarchiæ a superioribus illustrantur et gubernantur, « inde » est quod « Theologia », id est sacra Scriptura, « nostram hierarchiam distribuit », id est, ecclesiasticam hierarchiam asserit distributam et commissam, « Angelis » infimæ hierarchiæ, ita quod singuli angeli infimi ordinis, singulis præsunt hominibus. Principatus vero, id est angeli supremi ordinis infimæ hierarchiæ cœlestis, præsunt regnis et territoriis. Unde subjungitur : *principem populi Judæorum Michael nominans,* juxta illud Danielis : Nemo est adjutor meus in omnibus his, nisi Michael princeps vester. *Dan.* x, 21. Michael ergo tunc princeps fuerat Synagogæ ; sed nunc princeps est Ecclesiæ. *Et aliarum gentium alteros* *, id est, alios angelos illius tertii ordinis, dicit esse principes aliarum gentium : juxta quod legitur in Daniele, Princeps regni Persarum restitit mihi, et ecce Michael unus de principibus primis venit in adjutorium mihi ; et rursus, Quum egrederer, apparuit princeps Græcorum. * *Et alios gentium diversos* *Dan.* x, 13. *Ibid.* 20.

Deinde ad probandum quod nostra hierarchia commissa sit Angelis ad regendum, alio testimonio utitur. *Statuit enim Excelsus terminos populorum * juxta numerum angelorum Dei.* Hoc scriptum est in Deuteronomio, juxta Septuaginta interpretes, et uno modo ita exponitur : « Excelsus », id est Deus altissimus, « statuit terminos populorum », id est divisiones seu regiones nationum, « juxta numerum angelorum Dei », numerum angelorum istorum numero gentium coaptando. Porro Gregorius in homilia, ad alium sensum trahit versiculum istum, probans ex eo tot homines esse salvandos, quot angeli permanserunt. Verumtamen Hieronymus juxta Hebraicam veritatem sic transtulit : Constituit terminos populorum juxta numerum filiorum Israel. Sicque ad litteram esset et alius sensus, prout super Deuteronomium scripsi. * *gentium* *Deut.* XXXII, 8, juxta LXX.

# ARTICULUS LII

### OBJECTIONIS CUJUSDAM AD LIBERUM ARBITRIUM PERTINENTIS, EXPEDITIO.

CONSEQUENTER auctor solvit objectionem quæ contra hæc fieri posset.

*Si autem quis dixerit,* prædictis objiciendo : *Et quomodo Hebræorum populus reductus est solus in thearchicas * illuminationes ?* id est, si angeli sancti ac præpotentes præsunt singulis gentibus, imo et suppositis etiam infidelibus atque idololatris, quid causæ est quod solus populus Hebræorum, ad « thearchicas », id est * *divinas*

divinas et principales. « illuminationes » A pervenit olim sub lege? Ad quod respondet: *Respondendum, quia non angelorum rectas scientias* * *accusari oportet,* id est, in hoc non oportet, imo nec licet, quod accusemus scientiam angelorum, quasi ex eorum defectu illud acciderit (Lincolniensis transtulit, Præsidentias: quod aptius sonat), *aliarum gentium in non exsistentes deos errore,* id est de « errore gentium aliarum » quæ idola coluerunt, quæ non sunt dii : ideo additur, « in non exsistentes deos », id est, in hoc quod coluerunt ut deos, eos qui non exsistunt dii : juxta illud Jeremiæ, Et certe ipsi non sunt dii. *Sed illos ipsos propriis inflexionibus ex ea quæ est in divinum recta reductione recidentes amore proprio :* id est, respondendum est « illos » fuisse « recidentes », id est lapsos, « inflexionibus », id est inclinationibus ac motibus « propriis, ex ea reductione recta quæ est in divinum », id est a conversione justa ad summum bonum, ad quod angelica inspiratione admonebantur, « amore proprio », id est privato et improbo sui ipsius amore, qui est omnium vitiorum origo, quo ad carnalia, vana et superstitiosa alliciebantur; *et superbia ipsis visorum,* id est ex superba et pertinaci adhæsione ad ea quæ ipsis videbantur, *divinitus et corrationabiliter cultui,* id est, quæ apparebant eis apta cultui Deitatis.

*dominationes vel præsidentias

Jer. II, 11.

*Hoc perhibetur et ipse Hebræorum populus perpessus esse,* id est, in libris Judicum et Regum, in Jeremia et Ezechiele, describitur qualiter etiam populus Israel ad idololatriam lapsus sit, non obstante beatissimi Michaelis præsidentia, aliorumque angelorum custodia ipsis adhibita, exhortationibus quoque et comminationibus legis et Prophetarum. *Cognitionem enim Dei (ait) repulisti, et post cor tuum existi :* id est, Dominus ait per ora Prophetarum populo Judæorum, Cognitionem enim veri Dei abjecisti, et proprii cordis adinventionibus atque erroribus adhæsisti. Unde per Jeremiam loquitur Deus : Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et verterunt ad me dorsum : et per Osee, Quia tu scientiam repulisti, repellam et ego te; et rursus per Zachariam, Cor suum posuerunt ut adamantem, ne audirent legem.

Jer. II, 13, 27. Osee IV, 6. Zach. VII, 12.

*Neque enim coactam habemus vitam,* id est, vita humana non necessitati fatali nec absolutæ coactioni subjecta est, atque ex libero arbitrio procedunt actus humani; *neque per provisorum* * *propriam potestatem divina lumina providæ illuminationis revelantur :* B id est, provisores hominum angeli sancti seu prælati, in sua potestate non habent, quod « divina » ac spiritualia « lumina » sapientialis ac « providæ illuminationis », eruditionis seu exhortationis eorum, revelentur, id est, clare patescant et efficaciter innotescant cordibus horum quos exhortantur et illuminare ac convertere student, quia in hominum libertate est obicem ponere, et oculos cordis infeliciter claudere. Possunt autem hortari, persuadere, comminari, allicere. C Verumtamen intellectus evidentia demonstrationis compellitur. Sed hoc, in his quæ fidei sunt et salutis locum non habet. Porro omnipotenti Deo est proprium, non solum intellectum, sed etiam voluntatem, ad placitum permutare, et sibi omnino subjicere, atque quocumque voluerit inclinare ac vertere, juxta illud in Job : Deus immutat cor principum populi terræ. In Proverbiis quoque dicitur : Cor regis in manu Domini; quocumque voluerit, inclinabit illud. Hinc teste Augustino, est D quædam secretissima et efficacissima gratia Dei, quæ omnem cordis obicem aufert. Hinc admonemur : Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.

*providentium

Job XII, 24. Prov. XXI, 1. Ps. XCIV, 8.

*Sed intellectualium visionum dissimilitudo,* id est diversa dispositio spiritualium oculorum, videlicet intellectuum humanorum, seu considerationum eorum, *superplena paterna bonitate,* id est, pietate Dei Patris exsistente ac jugiter permanente superplena ac infinita, *lucis do-*

*nationem aut omnino non participatam* A *facit*, id est, gratiam Dei quæ cunctis offertur, aut totaliter impedit, ita quod facit eam « non participatam », id est, non receptam in mente, *et ad earum reformationem non distributam*, id est non collatam ad reformationem internam mentium humanarum, impediendo penitus gratiæ infusionem, cujus infusio et actio esset mentis reformatio, hoc est, dum mortale peccatum manet in anima excæcata, recusante se ad radium lucis divinæ ubique fulgentis convertere, juxta illud B

Rom. II, 5. ad Romanos : Secundum duritiam tuam et impœnitens cor tuum, thesaurizas tibi iram ; *aut participationes facit differentes, parvas aut magnas, obscuras aut claras, unius, et simplicis, et semper eodem modo se habentis, et superexpansi fontalis radii :* id est, diversa illa dispositio cordis, « participationes unius » et ejusdem

Hebr. I, 3. « radii » divini et increati, qui est splendor lucis paternæ, simplex, fontalis, et sua infinitate cunctis superexpansus ac præsens, et invariabilis in se, « facit » esse C varias ac distinctas, secundum quod in una mente est indispositio, negligentia, remissio, aut carnalis quædam affectio, major quam in alia.

Denique eorum qui sunt in culpa mortali, est differentia multiplex. Nam quidam sunt habituati in malis, quidam obstinati, quidam nondum assuefacti in vitiis. Habituati in malis, difficulter convertuntur ; obstinati, vix aut nunquam ; nondum assuefacti, facilius compunguntur et emolliuntur, ac gratiam per attritionem ali- D quando sortiuntur. Qui autem in gratia sunt, secundum quod intensius aut remissius se disponunt et applicant, magis aut minus participant. Cujus simile est in oculo corporali : qui si totaliter cæcus sit, nil de sensibili recipit lumine solis ; et quo magis aut minus est dispositus, suscipit plus aut minus. Unde in Evan-

Matth. XXV, 15. gelio legitur, quod Dominus dedit unicuique secundum propriam virtutem. Istud secundum communem cursum sic est.

Verumtamen omnipotens superliberrimus Deus, quosdam gravissimos peccatores subito sic prævenit et compungit, sic alterat et illustrat, sic emollit et inflammat, quod lucem miserationum Dei clarius copiosiusque participant, quam multi exsistentes in gratia, aut culpa minori. Exempla sunt in beatissimis Paulo, Magdalena, Zachæo, Latrone. Dionysius autem hic loqui videtur, quantum est ex parte receptaculorum secundum se. Et sic aliquo modo verificantur quæ in libro de Causis dicuntur, quo legitur : Prima bonitas influit bonitates super res omnes influxione una ; verumtamen unaquæque rerum recipit ex illa influxione secundum modum suæ virtutis, et diversificantur bonitates et dona ex concursu recipientis. Hinc rursus propositione vicesima quarta testatur : Causa prima exsistit in rebus omnibus secundum unam dispositionem ; sed res omnes non sunt in ea secundum dispositionem unam. Quod est, quoniam quælibet res recipit eam secundum modum suæ potentiæ : et diversitas receptionis non est ex causa prima, sed propter recipiens.

Hæc quoque in Proclo diffusius continentur, et sano indigent intellectu. Fuerunt enim philosophi quidam, dicentes quod Deus non sit causa distinctionis et diversitatis ac ordinis rerum ; imo, quod Deus non sit effectiva immediataque causa, nisi unius dumtaxat entis causati, videlicet primæ intelligentiæ. Cujus opinionis fuerunt Avicenna, et Algazel, et auctor libri de Causis, imo et Aristoteles, sicut in libro de Universo Guillelmus affirmat Parisiensis, quia in libro de Cœlo et mundo Aristoteles est locutus, quod ab uno simplici invariabili, æternaliter eodem modo se habente, non procedit immediate nisi tantummodo unum : quæ opinio non solum mendosa est atque hæretica, sed etiam valde irrationabilis, stulta, ac debilissimo motivo innitens. Etenim Deus sublimis et benedictus, universaliter ac infinite perfectus, non est causa rerum

creatarum necessitate naturæ, ac sicut agens pure naturale, sed omnipotenti sua virtute, ac nobilissimo modo, utpote liberrima voluntate ac supersapientissima ratione. Ideo, sicut plura, imo innumerabilia simul et eodem actu intelligit, sic plura ac innumerabilia simul et immediate potest producere invariabilis manens. Quumque sapientis sit ordinare et in suis operibus ordinem ponere, ipsemet supergloriosissimus Conditor opera sua distinxit ac optime ordinavit. Nec prima illa distinctio potuit esse ex parte recipientium, quoniam in prima rerum productione et creatione, nullum fuit reale recipiens non causatum, imo tota rerum substantia, etiam ipsa materia, fuit producta. Gradus quoque et ordo specierum universi, non fuit a casu, nec a causis secundis quæ et in ipso rerum ordine continentur et includuntur; sed fontaliter, exemplariter ac principalissime fuit et est ex institutione summi opificis, unicuique enti creato suam speciem et naturam, A suum gradum ac ordinem præfigentis.

Nec his obviat quod in textu sanctus pater et excellentissimus doctor Dionysius docet, quia non loquitur de prima illa participatione bonitatis ac perfectionis divinæ in rerum creatione, sed secundaria in rerum creatarum gubernatione et illuminatione, in qua diversitas capacitatis et dispositionis ac meriti rerum, multum concurrit et operatur ad varietatem participationum luminis præinducti, radiique divini. Attamen, quoniam dispo- B sitio et præparatio ad lucem ac gratiam Dei, donum est ipsius, sub ejus providentia cadens et ejus effectus, etiam ex hac parte diversitas participationis luminis hujus, radicaliter potius finaliterque reducenda est ad Deum et præordinationem seu providentiam ejus, quam ad rerum capacitatem, dispositionem ac meritum, præsertim in rationalibus creaturis, de quibus hic mentio. Etenim merita nostra sunt dona ipsius, et effectus providentiæ ejus.

# ARTICULUS LIII

## PRÆFICI GENTIBUS OMNIBUS, IMPIIS PERINDE AC PIIS, ANGELOS.

AMPLIUS adhuc probat, quod gentilibus ab exordio boni angeli fuerunt prælati.

*Deinde,* supple, probatur quod dictum est, *quia et aliis gentibus,* qui alii fuerant et extranei a Judæis, et a Judæis quasi aspernanter nationes vocabantur : de quibus in Actibus dicitur, Ergo et in nationes gratia Dei effusa est; et in Psalmo, Dicite in nationibus, quia Dominus regnavit. *Ex quibus et nos respeximus in illud omnibus paratum in traditionem et apertum, divini luminis et magnum et copiosum pelagus, non alienigenæ imperabant* dii.* Hoc est : « Ex quibus » gentilibus C « nos » ex paganismo conversi ac nati, « respeximus », jam conversi ad fidem, « in pelagus illud luminis divini », id est ad lumen increatum, abyssale, immensum, « omnibus » quærentibus illud « paratum in traditionem », id est largitionem, utpote ad hoc quod præstet et ostendat se illis : ideo additur, « et apertum » : quod pietatis suæ januam nemini claudit, et sui aditum nulli negat, sicut ait Salvator : Eum qui venit ad me, non ejiciam foras. Propter quod dixit Psalmista : Accedite D ad eum, et illuminamini, et facies vestræ non confundentur; atque Apostolus, Accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ

Act. x, 45. — Ps. xcv, 10. — Joann. vi, 37. — Ps. xxxiii, 6. — Hebr. iv, 16.

* quidam imperabant

ejus. Unde et libro Sapientiæ protestatur A Sapientia summa : (Sap. VI, 13, 14.) Clara est, et quæ nunquam marcescit sapientia, et facile videtur ab his qui diligunt illam, et invenitur ab his qui quærunt illam ; præoccupat eos qui se concupiscunt. Quod pelagus est (Ps. CXLIV, 3.) « magnum », cujus magnitudinis non est finis, et « copiosum », cujus fundum nemo valet attingere : quod figuratum est per torrentem quem Ezechiel non potuit (Ezech. XLVII, 5.) transvadare. In hoc lumen æternum ac Deitatis oceanum, respicimus nunc per fidem ac sapientiæ donum, contemplatio- B nisque gratiam, juxta illud Apostoli ad Hebræos : (Hebr. XII, 2.) Adspiciamus in auctorem fidei et consummatorem Jesum. (I Tim. II, 4.) Qui utique omnes homines vult fieri salvos; et ut S. Leo Papa disseruit, Misericordiam suam humano generi nunquam negavit, sed omnes in communi mortales ad sui cognitionem abundantissimis semper beneficiis erudivit. Itaque gentibus illis « non imperabant » ab initio « dii alienigenæ », portenta deorum, spiritus dæmoniorum, sed Deus verus et sancti angeli ejus. Quæ C tamen gentes postea ad idololatriam sunt prolapsæ, et servierunt diis alienis. Nec tunc a vero Deo totaliter sunt relictæ, sed deputavit eis angelos in custodes, et unaquæque gens habuit angelum de ordine Principatus rectorem, quemadmodum in Ecclesiastico legitur : (Eccli. XVII, 14.) In unamquamque gentem rectorem præposuit.

*Unum autem omnium principium,* utpote Deus unus et trinus, juxta id Malachiæ : (Malach. II, 10.) Numquid non pater unus omnium nostrum? Numquid non Deus unus creavit D nos? *Et ad ipsum reduxerunt sequentes, secundum unamquamque gentem principantes * angeli :* (* sacerdotio fungentes) hoc est, « angeli » sancti infimæ hierarchiæ, « principantes secundum unamquamque gentem », id est, cuilibet plebi seu homini ipsis commisso præsidentes, « reduxerunt sequentes », id est, homines ipsis commissos et ipsorum inspirationem ac illuminationem sequentes, converterunt ad Creatorem. Unde elicitur et probatur, quod ante Salvatoris adventum multi gentilium ad Deum conversi sunt angelico ministerio sive humano, sive solo interiori instinctu et illuminatione interna, sive etiam concurrente simul exteriori apparitione atque affatu : quod in evangelica quoque lege interdum peractum est. Ad quod quidam allegant quod in Actibus recitatur, quemadmodum Paulo apostolo apud Troadem visio per noctem apparuit : (Act. XVI, 8, 9.) vir Macedo quidam erat stans et deprecans eum : Transiens in Macedoniam, adjuva nos. Qui vir erat (ut dicunt) angelus Macedoniæ præsidens, in specie viri apparens. Verum Macedones illi non videntur conversi ad Deum sine cooperatione et prædicatione humana, utpote Pauli ; nec eunuchus qui in Actibus legitur a Philippo diacono baptizatus. (Ibid. VIII, 38.) Porro Cornelius centurio, antequam ab angelo fuit admonitus ut beatissimum (Ibid. X, 3-6.) arcesseret principem Apostolorum, jam credebat in Deum. (Ibid. 2.)

Quod autem multi gentilium crediderunt in Deum, consequenter ostendit. *Melchisedech intelligendum summum sacerdotem exsistentem Domino amicissimum: exsistentem, non non exsistentium, sed vere exsistentis excelsi Dei.* Hoc est : « Intelligendum », id est, sciendum est, ipsum « Melchisedech sacerdotem summum » in lege naturæ, in qua omnes primogeniti communiter erant sacerdotes, « exsistentem Domino amicissimum », id est valde dilectum, electum et sanctum : « exsistentem », inquam, sacerdotem, « non non exsistentium », id est non falsorum deorum, « sed Dei exsistentis vere excelsi », id est independenter et absolute sublimis, sub quo curvantur qui portant orbem, (Job IX, 13.) et flectitur omne genu. (Philipp. II, 10.) De quo Melchisedech scribit Apostolus : (Hebr. VII, 4.) Intuemini quantus sit hic, cui decimas solvit Abraham patriarcha. Quem Melchisedech dicunt Hebræi filium Noe, dictum alio nomine Sem.

*Etenim non sic simpliciter Melchisedech ipsi theosophi non amicum Dei tantum, sed et sacerdotem vocaverunt :* hoc est, « theosophi », id est sancti theologi,

qui Dei sunt sapientes, « vocaverunt » ipsum « Melchisedech, non simpliciter », id est non absolute, nec sine causa, nec imperite, « non tantum Dei amicum, sed » etiam « sacerdotem » : juxta illud in Genesi, Melchisedech proferens panem et vinum, erat enim sacerdos Dei altissimi. (Gen. XIV, 18.) Per quod datur agnosci, quod alios induxit ad veri Dei culturam. Hinc sequitur : *An ut sapientibus aperte significarent* (id est, utique ideo sic dixerunt theosophi, ut sapientibus reserarent) *quod* * *non solum ex eis, in ipsum qui vere est Deum, convertit,* id est, quod non solum vertit se ipsum in verum Deum ipse Melchisedech, « ex eis », id est, relictis diis alienis, *adhuc autem et alios, ut summus sacerdos, edocet eam* * *quæ est ad veram et solam Divinitatem reductionem* *, id est, ultra id quod dictum est, etiam docuit « alios », puta sacerdotes minores ac subditos, « reductionem eam », id est conversionem salubrem ad verum, solum ac summum Deum?

* quia
* educit, ea
* reductione

Denique Melchisedech istum dicunt Hebræi vixisse annis quingentis, usque ad tempus Isaac et Rebeccæ. Unde quod in Genesi legitur Rebecca consuluisse Dominum, (Gen. XXV, 22.) exponunt quod rogaverit ipsum Melchisedech ut pro ea consuleret Deum super gemellis qui in ejus utero collidebantur.

Præterea aliis Scripturarum auctoritatibus pandit, quod alii Sancti regnis et hominibus etiam perfidis præsint.

*Et hoc autem tuam summe sacerdotalem intelligentiam admonebimus,* id est, o tu, episcope Timothee, « admonebimus intelligentiam tuam summe sacerdotalem », id est pontificalem tuam sapientiam, *quia et Pharaoni apud* * *Ægyptios imperante angelo,* id est, quod ipso « angelo » sancto « imperante », id est præsidente, « Pharaoni » Ægyptiis dominanti, *et Babyloniorum principi præside proprio,* id est, angelo « proprio præside », id est imperante, regi Chaldæorum, Nabuchodonosor nomine, in cujus regno urbs Babylon fuit metropolis; *hominum* * *providentiæ et dominationis providum et potestativum secundum visiones distributum est :* hoc est, « distributum est » tunc hominem « providum providentiæ hominum », id est circumspectum et in rebus humanis industrium, considerativum ac provisivum in futurum, « et potestativum dominationis », id est idoneum præsidere, « secundum visiones », id est, secundum quod apparitiones illæ ostensæ regibus illis innuebant esse agendum, videlicet tales viros esse præficiendos Ægyptiis et Chaldæis. Vel sensus est, quod tunc « distributum est », id est hominibus manifestatum et communicatum, « providum providentiæ hominum et potestativum dominationis », id est Deus verus, qui est primum principium, universorum providentiam habens, et potestativum dominationis, id est omnium potestatem atque dominium, possidens. De quo cantat Ecclesia : Ecce advenit dominator Dominus, et regnum in manu ejus, et potestas, et imperium. (Malach. III, 1.) Quod tunc patefactum est per visiones præfatas.

* apud ipsos
* omnium

*Et gentibus illis veri Dei ministri duces statuti sunt, formationum ab angelis visionis manifestatione, angelis* * *continuo sacris viris Daniel et Joseph ex Deo per angelos revelatæ.* Hoc est : Joseph tunc Ægyptiis est præfectus, Danielque Chaldæis, (Gen. XLI, 40-44. Dan. II, 48.) « manifestatione », id est expositione, « visionis » factæ regibus ante dictis : nam, quia exposuerunt visiones has regibus illis, ab eisdem regibus mox promoti fuerunt ad præsidentiam magnam post reges. Visionis, inquam, « formationum ab angelis », id est imaginariarum similitudinum quæ formatæ fuerunt in interioribus sensibus regum illorum ab angelis sanctis, qui similitudines illas formaverunt ac præsentaverunt in potentia sensitiva interiori imaginativa in somno. Visionis dico, « revelatæ per angelos continuo », id est, confestim postquam reges prætacti habuerunt hujuscemodi visiones, « angelis », id est angelicis hominibus, scilicet « sacris viris », id est « Da-

* angelorum

A niel et Joseph » ; vel, « angelis » inferioribus per angelos superiores : forsitan enim angeli qui regnis illis præsidebant, revelaverunt has visiones angelis custodibus Danielis ac Joseph, ut eas ultra revelarent his viris sibi commissis, et ipsi ulterius eas exponerent regibus.

Ex his innotescit, quod somniales visiones (*Gen.* XLI, 1-7; 17-24.) ostensæ regi Ægypti, qui vidit in somnis primo septem boves pingues, deinde totidem macras, atque deinde septem spicas plenas, et mox post totidem vacuas et adustas ; [regique Chaldæorum, B qui vidit statuam grandem, et arborem altam] (*Dan.* II, 31-35. *Ibid.* IV, 7-14.) : divinitus factæ sunt ministerio angelorum, ad prænuntiandum et præsignandum futura. Non tamen reges illi fuerunt prophetæ, quia non intellexerunt quid præsignabant, sed Joseph ac Daniel, qui ex revelatione superna eas exposuerunt (*Gen.* XLI, 25-32; *Dan.* II, 36-45; IV, 17-23.). Porro Nabuchodonosor vidit primo statuam grandem, deinde post plures dies, arborem altam et pulchram. Pharao autem vidit utramque visionem nocte eadem, quoniam eamdem rem præfigurabant. Ex C quibus ostenditur, quod Deus omnipotens providentiam habeat actuum humanorum, atque notitiam futurorum ac particularium rerum cogitationumque cordis. Cujus oppositum dixit et sæpius scripsit maledictus et infidelissimus ille Averroes. Hinc scriptum est in Daniele : Dixit Daniel Nabuchodonosor regi : Tu, rex, cœpisti cogitare in strato tuo, quid esset futurum post hæc ; et qui revelat mysteria Deus, ostendit tibi quæ ventura sunt (*Dan.* II, 29.). In expositione autem secundi somnii, Daniel regi locutus est : Cum feris erit habitatio tua, donec cognoscas quod dominetur Excelsus in regno hominum, etc. (*Ibid.* IV, 22.) At vero in Genesi Pharao ait ad Joseph : Quia ostendit tibi Deus omnia quæ locutus es, tu eris super domum meam, et ad oris tui imperium cunctus populus obediet ; uno tantum regni solio te præcedam (*Gen.* XLI, 39, 40.). — Præterea, quoniam reges et principes habent rei publicæ curam, ipsis interdum talia ostenduntur propter bonum commune. Sicque in istis declarata est potestas ac providentia Dei.

# ARTICULUS LIV

### DEO CURAM ET PROVIDENTIAM ESSE OMNIUM, ET QUOMODO PER ANGELOS QUÆQUE DISPONAT SEU ADMINISTRET.

U*NUM est enim omnium principium :* nam ordo rerum superius sistit in D uno, quod est actus purus, ideoque incircumscriptibilis et perfectus ; *et providentia* una : quæ est providentia universalis, æterna, distinctissima et perfecta, in mente consistens divina : quam negare, est enormissimum scelus. Propter quod Dominus dixit Ezechieli (*Ezech.* IX, 9; VIII, 12.) : Peccatum filiorum Israel magnum est valde nimis ; dixerunt enim, Dereliquit Dominus terram, et Dominus nos non videt. De quo in libro Job habetur (*Job* XXXIV, 10, 11, 13.) : Absit a Deo impietas, et ab Omnipotente iniquitas ; opus namque hominis reddet ei, et juxta vias singulorum restituet. Quem enim constituit alium super terram? aut quem posuit super orbem quem fabricatus est?

*Et nullo modo æstimandum est* *, *Judæos quidem pleniter duxisse Divinitatem,* id est, nequaquam credendum est quod verus Deus duxit « Judæos pleniter », id est immediate per se sine obsequiis subjectarum creaturarum : imo per angelos duxit eos in eremo, et alibi sic eos direxit (*Exod.* XIII, 21.). Et quamvis scriptum sit, Do-

* alias om. est

minus præcedebat filios Israel ad ostendendam viam per diem in columna nubis, et per noctem in columna ignis ; tamen ad insinuandum quod Dominus fecit hoc angelo mediante ac Dei imperium exsequente, scriptum est in Exodo : *Exod.* XIV, 19. Tollens se angelus Dei qui præcedebat filios Israel, abiit post eos, et pariter cum eo columna nubis. Rursum quoque in Exodo *Ibid.* XXIII, 20-23. Dominus dixit ad Moysen : Ecce ego mittam angelum meum, qui præcedat te, etc. *Angelos autem specialiter aut æque* * *oppositis* *honorabiliter, aut oppositos* * *aut deos quosdam alteros imperare aliis gentibus.* Hoc est, nemo putet sic Deum verum tribuisse ducatum præsidentiamque Judæis, quod alias gentes seclusit a sua providentia ac suo dominio, ita quod angeli soli præsint ac imperent aliis gentibus specialiter aut æque honorabiliter, sicut Deus Judæis, ita quod sint cultu latriæ honorandi a gentibus quibus præsunt, quemadmodum Dominus a Judæis : nec tenendum est, quod Judæi et gentes regantur a diis principiisque contrariis, ita quod Judæi regantur a deo lucis, gentes a principe tenebrarum, creatore corporalium rerum ; aut quosdam alios deos imperare gentilibus, ut Jovem, Neptunum, Apollinem, ut dixerunt idololatræ.

At vero Manichæi posuerunt duo effectiva rerum principia. Porphyrius autem Platonicus concessit legem Judæorum datam a vero Deo, et quod Deus Judæos sibi soli applicuit, volens solus coli ab eis, aliis vero nationibus licentiam dederit colere deos, ut in libro de Civitate Dei narrat et reprobat Augustinus. Hos errores vanos et frivolos S. Dionysius hic confutat, quum et Apostolus sit locutus : *Rom.* III, 29. An Judæorum Deus tantum? nonne et gentium ? *Jer.* X, 3. Jeremias quoque, Leges (inquit) gentium vanæ sunt ; *Exod.* XXII, 20. Moyses item, Qui sacrificaverit nisi Domino soli, moriatur. Et *Jer.* X, 11. iterum ait Scriptura : Dii qui non fecerunt cœlum et terram, pereant de terra. Hinc subditur :

*Sed et eloquium illud,* id est verbum illud in Deuteronomii cantico scriptum et antea tactum : Quando dividebat Al- *Deut.* XXXII, 8, 9. tissimus gentes, quando separabat filios Adam, constituit terminos populorum juxta numerum filiorum Israel ; pars autem Domini populus ejus, Jacob funiculus hereditatis ejus ; *secundum ipsam sacram intelligentiam accipiendum,* id est, exponendum et intelligendum est sicut ibi et alibi docet Scriptura. *Non ut partiente Deo cum aliis diis aut angelis nostrum ducatum,* id est, non sic quasi ipso « Deo » vero « partiente », id est divídente, « ducatum nostrum », id est principatum seu præsidentiam generis humani, *et Israel in gentis principatum et* * * *et gentis* *ducatum contento,* hoc est, quasi Israelitico populo retento ac reservato ipsi Altissimo Deo « in principatum et ducatum gentis », id est, ad hoc quod Deus populum illum servaret ut ei dumtaxat dominaretur ; *sed ut ipsa quidem una simul omnium excelsa providentia,* hoc est, sic intelligenda est illa auctoritas, « ut providentia ipsa excelsa », id est divina et increata providentia, in se « una » et simplex, « omnium » pariter provisiva, et cuncta « simul » gubernans, *omnes homines salutariter propriorum angelorum restitutoriis manuductionibus distribuente,* id est, providentia illa deputante salubriter ac dante homines universos ac singulos « manuductionibus restitutoriis », id est directionibus reductivis et conversivis in Deum, « angelorum propriorum » : quia et unicuique personæ deputavit proprium angelum de infimo choro, atque cuilibet genti proprium angelum de ordine tertio : qui ad hoc hominibus sunt concessi, ut eos reducant ac ducant per viam salutis, et qui per culpam subjecti erant diabolo, per angelorum directionem suo restituantur Creatori ac legitimo Domino, cui soli debent servire de jure, quamvis frequenter aliis obsequantur de facto ; *solo fere ultra omnes Israel in veri Dei illuminationem et cognitionem converso,* id est, quasi seu pene « solo » Is-

raelitico populo « converso » et reducto in agnitionem et « illuminationem veri Dei », ceteris nationibus ad idololatriam et alia scelera magna declinantibus et prolapsis. Sicque propter sua facinora sunt abjecti. Populus vero Israel, quantum ad prædestinatos et electos ex ipso, a Deo assumptus est in gentem peculiarem : quod originaliter ac principaliter adscribendum est infinitæ misericordiæ Dei, quamvis secundario et tanquam causæ meritoriæ, attribuatur meritis patrum eorum, obedientiisque istorum. Quæ omnia sunt effectus et signa prædestinationis æternæ ac pietatis divinæ. Idcirco Moyses locutus est Israeli : Patribus tuis conglutinatus est Dominus, et amavit eos, elegitque semen eorum post eos. Et iterum testatus est : Ne dicas in corde tuo : Propter justitias meas introduxit me Dominus.

(*Deut.* VII, 6; XIV, 2; XXVI, 18. — *Ibid.* X, 15. — *Ibid.* IX, 4.)

*Unde Theologia quidem se ipsum possedisse Israel** *in veri Dei famulatum significans :* hoc est, « Theologia », id est divina Scriptura, « significans se ipsum », id est ipsummet Deum, « possedisse » per gratiam suam « Israel », id est Israeliticam plebem, « in famulatum veri Dei », id est ad cultum divinum : *Facta est portio Domini, ait,* id est, Theologia ipsa testatur quod Israel est « portio Domini », id est pars generis humani a Deo electa ad ejus obsequia, juxta illud Deuteronomii : Te elegit Dominus, ut sis ei populus peculiaris de cunctis populis qui sunt super terram. Per Isaiam quoque loquitur Deus : Hereditas mea Israel. Nempe, quum Deus decrevit naturam humanam assumere ex posteritate sanctorum patriarcharum Abraham, Isaac et Jacob, multis gratiis ac privilegiis illum populum decoravit. Propter quod dixit Psalmista : Non fecit taliter omni nationi.

(* *Israelem* — *Deut.* VII, 6. — *Is.* XIX, 25. — *Ps.* CXLVII, 20.)

*Ostendens autem et eum viritim ceteris gentibus distribuisse cuidam sanctorum angelorum, in cognoscendum per eum unum omnium principium, Michaelem dixit Judaicum duxisse populum.* Id est : Deus testatus est « Michaelem duxisse », id est direxisse, « Judaicum populum », tanquam Synagogæ principem ac rectorem, « ostendens » ipsum Deum « distribuisse viritim », id est singulatim, « ceteris gentibus cuidam angelorum », id est unamquamque gentem commisisse alicui sanctorum angelorum. Quod enim de una gente Hebræorum, et uno ejus custode Michaele disseruit, de aliis etiam dedit intelligi. « In cognoscendum per eum unum omnium principium », id est, ad hoc ut unaquæque gens per illuminationem et directionem angeli sibi præsidentis, agnosceret unum universorum esse conditorem, provisorem ac judicem. Unde habetur apud Joelem : Multa sunt nimis castra Domini (id est agmina seu supposita angelorum), fortia, et facientia verbum ejus.

(*Dan.* X, 21; XII, 1. — *Joel* II, 11.)

*Aperte nos edocens,* id est, Theologia per hoc nos manifeste informans, *unam esse omnium providentiam,* id est Deum habere generalem, imo et distinctam provisionem omnium hominum, imo et rerum universarum. Providentia tamen Dei, proprie dicitur respectu rationalium et intellectualium creaturarum, quarum et curam habet. Propter quod dixit Apostolus : Numquid cura est Deo de bobus? Aliorum vero præscientiam habet. Providentiam, inquam, *simul omnibus invisibilibus et visibilibus virtutibus superessentialiter supercollocatam,* id est incomprehensibiliter superiorem et præeminentem omnibus rerum naturis ac viribus, non causatam nec dependentem a rebus, sed causam earum, nec tamen imponentem rebus necessitatem, imo unumquodque regentem secundum illius naturam. Hæc providentia est una in mente divina, cujus exsecutores sunt causæ secundæ. De qua subtiliter ac profunde tractat Boetius in libro de Consolatione philosophiæ. *Omnes autem per singulas gentes imperantes angelos, in ipsam** *ut proprium principium, sequentes voluntate essentiali quasque virtutes extendere.* Hoc est : Theologia docet « angelos imperantes per gentes singulas », id est, præsidentes gentibus quibuscumque,

(*I Cor.* IX, 9. — * *ipsum*)

« extendere », id est reducere seu erigere, « virtutes quasque », id est quaslibet potestates humanas ac vires rationales, « sequentes », id est, obtemperantes angelicis inspirationibus, ac imitantes obedientiam angelorum promptissimam, « in ipsam » providentiam Dei, ut illam fideliter credant, et ei se sapienter committant, superfluam curam et terrenorum accumulationem vitantes (juxta illud Matthæi : A Nolite solliciti esse in crastinum), seu « in ipsum » Deum omnium provisorem, « ut » in « proprium principium », id est tanquam ad Creatorem. Sequentes, inquam, non ficte, sed vere et ex animo : propter quod subditur, « voluntate essentiali », id est libera et innata, juxta illud primi Paralipomenon : Tu autem, Salomon fili mi, scito Deum patris tui, et servi ei corde perfecto et animo voluntario.

*Matth.* VI, 34.

I *Par.* XXVIII, 9.

# PARAPHRASIS ABBATIS VERCELLENSIS

DEINCEPS tractemus de ultima hierarchiarum, quæ continet Principatus, Archangelos, et Angelos. Nomen ergo Principatuum, signat principalitatem mentium illius ordinis respectu inferiorum, ut qui ordinatione convenienti principali virtuti, in quantum est infima hierarchiarum, deducunt Archangelos et Angelos ad Deum, qui est superprincipalis princeps ; et ipsæ ad eumdem convertuntur, et quas adducunt, et se, secundum singularum possibilitatem, Deo conformant, et per ornatum suarum principalium virtutum, supersubstantialem divinæ ordinationis principatum quodammodo repræsentant.

Nomen vero Archangelorum, qui cum Principatibus in eadem hierarchia ordinantur, signat eos medium ipsius hierarchiæ ordinem habere, scilicet inferiorem Principatibus et superiorem Angelis, juxta quod quælibet hierarchia habet et primas et medias et infimas virtutes. Sic ergo medius ordo Archangelorum communicat utrique extremo ordini suæ hierarchiæ : ordini Principatuum, in quantum et ipse convertitur principaliter ad supersubstantialem principatum, scilicet Deum, et illi secundum suam possibilitatem conformatur, et Angelos inferiores simplificat, ordinate et invisibiliter eos reducendo ad Deum ; ordini autem angelico communicat, in quantum revelativus est cœlestium, divinas quidem illuminationes hierarchice suscipiens per alias virtutes superiores se, et easdem nuntians Angelis, et per Angelos manifestans hominibus, secundum capacitatem uniuscujusque divinitus illuminatorum.

B Angeli enim, ut dictum est, completive terminant inferius omnes hierarchias cœlestium mentium, juxta quod infima proprietas cœlestium ordinum eis ex nominis significatione attribuitur, et illi potius a nobis specialiter vocantur angeli, quam superiores, qui tamen cœlestia manifestant, eo quod ipsorum principatus manifestius quantum ad nos exercetur, et familiarius mundo. Ut enim dictum est, prima hierarchia, quæ occulto divino præ ceteris appropinquat, occultius regit hierarchiam secundam. Secunda vero hierarchia manifestius regit tertiam, quam ipsa regatur C a prima, sed occultius quam infima regat hierarchiam ecclesiasticam. Infima autem hierarchia, quæ continet Principatus, Archangelos et Angelos, immediate præsidet ecclesiasticæ hierarchiæ : ita tamen, quod ordo Principatuum, mediantibus ordinibus Angelorum et Archangelorum ; et Archangelorum ordo, mediante ordine Angelorum ; Angelorum vero ordo, proprie et immediate, ut secundum regiminis seriem, ordinate fiant ad Deum sursumactio, et conversio, et communio, et unitio. Et quidem divini luminis distributio, a Deo indita est omnibus hierarchiis D angelicis et humanis, ordinatissime superveniens ad communicandum omnibus personis hierarchicis. Hinc est quod sacra Scriptura ostendit nostram hierarchiam regi ab infimo ordine, qui dicitur et est Angelorum, dicente angelo ad Danielem : Consurget Michael princeps magnus, qui stat pro filiis populi tui, id est Judaici. Et rursus in Daniele : Nemo est adjutor meus in his omnibus, nisi Michael

*Dan.* XII, 1.

*Ibid.* X, 21.

princeps vester. Ostendit etiam sacra Scri- A ptura, aliis nationibus gentium præesse alios
*Deut.* XXXII, 8. sanctos angelos, ut in Deuteronomio : Constituit terminos populorum juxta numerum filiorum Israel, id est sanctorum angelorum.

Si quis autem quærat, Quomodo soli Hebræi eo tempore per fidem unius Dei illuminati sunt, ex quo aliæ nationes habuerunt rectores sanctos angelos sicut ipsi ? respondemus, quod non fuit culpa seu defectus in angelis recte gubernantibus alias nationes gentium, de eo quod ipsæ gentes idola coluerunt, sed in ipsis gentibus, quæ propriis motibus decidentes [erant] et aversæ a doctrina B inspirationis angelicæ, qua Deum cognoscere et colere invitabantur, tum propter carnales voluptates, tum propter mentis superbiam quam conceperant ex his quæ recta de Deo cognoverant. Ex quibus etiam ratione convincebantur, quod Deus merito sit summe vene-
*Rom.* I, 21. randus. Sed quum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, nec gratias egerunt ; sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum. Quod autem non angeli custodes, sed ipsi idololatræ de errore suo sint accusabiles, colligitur ex eo quod etiam ipse populus Hebræus, tam C ab angelis, quam a lege et Prophetis instructus, per propriam aversionem aberravit, jux-
*Osee* IV, 6. ta illud Osee : Scientiam Dei repulisti ; et
*Jer.* VII, 24. illud Jeremiæ, Abierunt in voluptatibus suis,
*Ibid.* XLIV, 16, 17. in pravitate cordis sui mali ; et illud, Non audiemus ex te sermonem, sed facientes faciemus omne verbum quod egredietur de ore nostro. Item non sunt culpandi angeli custodes de humana pravitate, quia non est suum, cogere nos invitos ad bona. Utimur enim libero arbitrio, quod est simpliciter incoactum. Neque nostræ virtutis est, divinorum luminum revelationem acquirere vel extorque- D re ; sed unus, et simplex, et semper eodem modo se habens, ac omnem intelligibilem et increatam simplicitatem incomparabiliter excedens fons æternæ sapientiæ (de quo in Ec-
*Eccli.* I, 5. clesiastico, Fons sapientiæ verbum Dei in excelsis), omnibus intellectibus superradiat, et juxta intellectualiter videntium dissimilitudinem et varietatem, de plenitudine luminis sui singulis aut nullam participationem sibi eos conformantem distribuit, aut participationes differentes, scilicet parvas et magnas, aut obscuras aut claras, secundum quod mentes magis aut minus in fontem illum extenduntur, et magis aut minus capaces ipsius luminis efficiuntur.

Quod autem non solum Hebræis, sed neque aliis gentibus (ex quibus nos sumus, qui ad infinitam et copiosam divini luminis superabundantiam, tempore gratiæ omnibus paratæ expositam, per fidem respeximus) non præfuerunt dæmones, sed quod unum sit omnium principium, et ad illud sursumagebant sancti angeli, singuli de singulis gentibus suo regimini divinitus commissis, eos qui ipsorum angelorum inspirationes recipiebant et sequebantur, exemplo Melchisedech colligi potest, qui fuit summus sacerdos Dei amantissimus, non alicujus idoli, sed altissimi Dei. Theologi enim Deum sapientes, non tantum vocant Melchisedech amicum Dei, sed et vere *Gen.* XIV,
sacerdotem : ut credentibus aperte signarent, 18; *Ps.* CIX,
quod non solum ipse ad verum Deum erat 4; *Hebr.* VII, 1.
conversus, sed et aliis, tanquam hierarcha, ducatum præbebat, reducendo eos ad veram et solam principalem Divinitatem. Hæc autem commemoravimus tibi episcopo et prudenti, tanquam scienti Scripturas sacras, quod divina provisio quæ omnibus providet, et divina potestas quæ omnibus dominatur, deferebatur per visiones imaginarias Pharaoni, ab *Gen.* XLI,
angelo præsidente Ægyptiis, et principi Ba- 1-7; 17-24.
byloniorum, ab angelo sancto sibi et regno *Dan.* II, 31-35; IV, 7-14.
suo præsidente ; et famuli veri Dei, scilicet Joseph et Daniel, erant a Deo constituti illis temporibus, illis gentibus doctores et inter- *Gen.* XLI,
pretes visionum imaginariarum formatarum 25-32; *Dan.*
in dictis principibus ab angelis ipsis et eorum II, 36-45; IV, 17-23.
regnis præsidentibus, angelicæ annuntiationis a Deo primo principio revelatæ sanctis viris, scilicet Joseph et Danieli, Deo proximis, per medios angelos.

Unum est enim omnium principium ad essendum, et providentia ad gubernandum ; et nunquam arbitrandum est, quod una et principalis Deitas quasi per particularem sortem dominationis principetur Judæis, aliis vero gentibus propria auctoritate dominentur aut angeli boni, æquales in suis potestatibus, aut sibimet oppositi, aut dæmones. Sed scriptura illa, Constituit terminos populorum jux- *Deut.* XXXII,
ta numerum filiorum Israel, sic intelligenda 8.
est, non quasi Deus inter se et alios deos aut angelos dividat principatum hominum, sibi in propriam hereditatem assumendo solam gentem Israel, quam ipse fecerit et rexerit ; sed quod una et singulari divina universorum

providentia, omnes hominum nationes, ad procurandam earum salutem, sub singulis sanctis angelis eas ad cœlestia provocantibus ordinante, solus pene (præter omnes nationes ante tempus Incarnationis) populus Israel ad illuminationem et cognitionem veri Dei conversus est. Unde Scriptura, ostendens dictum populum Israel a vero Deo hereditarie possessum per fidem et specialem cultum, dicit : *Deut.* XXXII, 9. Pars autem Domini populus ejus. In quo ostenditur, populum Israel, sicut et alias nationes, divinitus ordinatum esse sub quodam A sancto angelo, dicendo Michaelem ducem esse *Dan.* X, 21; XII, 1. populi Judaici, ut per ipsum reduceretur ad cultum unius principii universorum : plane per hoc nos docens, unam esse universalem providentiam universarum invisibilium et visibilium virtutum, intellectualiter superlocatam omnibus ; omnes autem angelos sanctos qui singulis gentibus præsident, ad ipsam tanquam ad proprium principium, juxta singulorum electorum capacitatem, extendere eos qui inspirationes suas acceptarent et imitarentur.

# CAPITULUM X

## REPETITIO ET CONGREGATIO ANGELICÆ ORDINATIONIS.

CONNEXA est itaque sic ipsa quidem honorabilissima circa Deum animorum dispositio. Ex perfectiva illuminatione ordinata, immediate in eam ascendendo occultior et manifestior, Divinitatis illuminatione purgatur, et illuminatur, et perficitur : occultior quidem, tanquam invisibilior, et magis simplificata et unificata ; manifestior vero, ut ante data, et primo lucet, et universalior, et magis in eam, ut oportet, forma effusa. Ab ipsa autem iterum proportionaliter secunda, et a secunda tertia, et ex tertia secundum nos hierarchia, secundum ipsam bene ornantis ordinationis legem, in harmonia divina et analogia, ad simul omnis boni ornatus superprincipale principium et consummationem hierarchice reducitur.

Manifestatores autem omnes sunt et angeli eorum qui ante ipsos sunt : ipsi quidem honorabilissimi, Dei moventis ; proportionaliter autem ceteri, ex Deo motorum. Tantum enim omnium superessentialis harmonia, unicuique rationalium et intellectualium sacro ornatu et ordinata ductione prævidit, quantum ipse hierarchiarum unusquisque ordo sacre et decenter positus est. Et omnem hierarchiam videmus in primas, et medias, et ultimas virtutes divisam. Sed et ipsam per singulas specialiter dicendum dispositionem ipsis divinis harmoniis discrevit. Propter
*Is.* VI, 3. quod et ipsos divinissimos Seraphim, ipsi theologi aiunt alterum ad alterum clamare : aperte in hoc (ut æstimo) declarantes, quoniam theologicas scientias ipsi primi secundis tradunt.

Addiderim autem fortassis et hoc non incongrue, quia et secundum se ipsum unusquisque et cœlestis et humanus animus, speciales habet et primas, et medias, et ultimas ordinationes et virtutes ad dictas per unumquemque hierarchicarum

illuminationum proprias anagogas proportionaliter manifestatas, per quas unumquodque in participatione fit, sicut id ipsum et fas est et possibile, superincognitissimæ purgationis, plenissimi luminis, anteperfectæ perfectionis. Est enim nihil per se perfectum, non indigens universalis perfectionis, nisi * perfectissimum et anteperfectum. * nisi vere

# ARTICULUS LV

EXPOSITIO CAPITULI HUJUS DECIMI, QUOD EST REPETITIO, EPILOGUS ET COMPENDIOSA PERSTRICTIO PRÆDICTORUM : ET PRIMO, DE CONNEXIONE TRIUM HIERARCHIARUM.

COMPLETA pertractatione de tribus cœlestibus hierarchiis et novem earum ordinibus, jam breviter recapitulat præinducta.

*Connexa est itaque sic ipsa quidem honorabilissima circa Deum animorum dispositio,* hoc est ordinatio illa supernorum spirituum, qui participatione divinorum donorum et imitatione deiformium perfectionum Deo sunt proximi, utpote quasi in Divinitatis vestibulis collocati, sicut expositum est nono capitulo. [Quæ ordinatio est] « honorabilissima », tum quoniam B Creatori proximior atque conformior, tum quia hierarchica dignitate ac jurisdictione sublimior, tum quia sapientia major, tum quia causalitate et communicatione præclarior. Illuminat enim, et bona sibi desuper præstita large diffundit super hierarchias et choros sequentes. Hæ quippe sunt rationes honorabilitatis et honorationis decentis. Unde scriptum est in Ecclesiastico : Danti mihi sapientiam, dabo et gloriam et honorem. Et Augustinus : Si, inquit, posses me docere quod ignoro, C libentissime merito te sufferrem, non solum verbis increpantem, sed etiam verberibus castigantem. Hinc magistris non potest reddi æquivalens, sicut nec Deo neque parentibus, sed incomparabiliter minus Deo. Sic et Aristoteles duodecimo Primæ philosophiæ, nominat Deum honoratissimum intellectum, quem constat universis ac singulis infinite honorabiliorem.

Eccli. LI, 23.

A

Est item « connexa », id est invicem decentissime coordinata, habens in se primos et medios ac ultimos, primumque chorum ac medium et infimum. Est quoque ad primum et summum bonum recte reducta, et ad mediam hierarchiam rite coordinata.

*Ex teletarchica* *, id est divina et increata, *illuminatione sanctificata* *. Non enim purgatur, illuminatur, aut perficitur ab aliqua hierarchia cœlesti, sed immediate a Deo, prout istud septimo capitulo diffusius fuit expositum. *In eam immediate ascendendo occultior :* id est, hierarchia illa suprema, per hoc quod primo et immediate ascendit, non motu locali, sed elevatione mentali, in illuminationem divinam quam suscipit, et ad primam increatamque veritatem quam contemplatur, est « occultior », id est ignotior nobis, utpote incomprehensibili Deo propinquior, majorisque difficultatis ad cognoscendum, et a nostro sensu seu intellectu remotior, cujus objectum dicitur esse quidditas rei materialis ; *et manifestior,* id est intelligibilior ex sua natura, utpote plus habens de actualitate et formalitate, quamvis nobis occultior sit ex nostri intellectus imbecillitate, qui ita se habet ad manifestissima naturæ quemadmodum visus

* perfectiva
* ordinata

noctuæ ad lumen solare; *Divinitatis illuminatione purgatur, et illuminatur, et perficitur,* hoc est immediate a Deo, sicut jam sæpe expressum est. Per hoc etenim Deus ipsam illuminat, quod veritatem ei ostendit in se ipso, qui est omnis veritatis speculum et exemplar, qui et intelligibiles quasdam species spiritualemque radium mentibus imprimit Beatorum.

*Occultior quidem, tanquam invisibilior,* id est, viatoribus minus nota, quia præ excellentia et copia suæ lucis et actualitatis, intellectum eorum magis transcendit; *et magis simplificata, et* magis *unificata,* id est a suo Creatore constituta in puriori simplicitate et simpliciori unitate, tanquam minus habens de potentialitate et plus de actualitate : sicque minus divisa, et subtilior in natura, ac minus diversificata : imo et per mentis conversionem ad supersplendidissimum totius luminis fontem vehementius atque ardentius simplex effecta, tanquam totalissime illi intenta, unita, et unum in illo ac cum eo effecta; verumtamen non consumpta neque deperdita sua essentia seu natura, sed ea magis deiformi peracta per exuberantiorem æternæ et increatæ unitatis ac simplicitatis participationem. Ideo absolute loquendo, a summa et incomparabili illa simplicitate ac unitate deficit infinite, quantumcumque dicatur illi vicina et proxima : quia hoc totum comparative intelligendum est, quod scilicet aliorum respectu, tam propinqua et similis Creatori suo consistit. Quod Proclus in Elementatione sua theologica tangit, dicendo : Omne quod participat uno, et unum est, et non unum; itemque, Omne (ait) unitum, alterum est a per se uno. Hinc auctor libri de Causis fatetur : Intelligentia est majoris unitatis, quam res secundæ quæ sunt sub ea. Verumtamen, quum mentes illæ supernæ sint immateriales, in nulla earum est substantialium partium unio, neque materiæ et formæ compositio. Differunt tamen in eis, esse et posse ac agere.

A *Manifestior autem**, id est, hierarchia prima ex natura sua cognoscibilior clariorque consistit, præsertim eis qui ipsam in sua limpiditate et puritate cognoscunt; non nobis, quorum cognitio a sensibus et sensibilibus inchoatur, ex quibus ad immaterialium cognitionem ascendimus, vel potius repimus. Itaque manifestior est, *ut ante data,* id est prior facta, non tempore, sed dignitate, juxta illud Ecclesiastici : Prior omnium creata est sapientia. Quod verbum et aliter potest exponi : « ut B ante data », id est ceteris prælata, sicut in Evangelio Joannes effatur de Christo : Qui post me venit, ante me factus est, id est mihi prælatus, secundum Augustinum. *Et prima lucens**. Quemadmodum enim prima hierarchicum lumen a Deo accepit, sic et prima fulget in se, ac aliis lucet, sequentem hierarchiam illuminando. *Et universalior,* non in essendo, sed in intelligendo ac influendo ac operando, quemadmodum in libro de Causis asseritur, quod intelligentiæ superiores habent C formas universaliores, per quas tamen intelligunt plus atque distinctius, quam intelligentiæ inferiores per formas minus universales. *Et magis in eam (ut oportet) formam** *effusa,* id est excellentius reducta atque intenta « in formam », id est in illuminationem divinam principalem, hoc est in Deitatem, totius perfectionis causam fontalem ac principem. Vel sensus est, quod « in eam », id est in istam primam hierarchiam, « magis », id est copiosius, « effusa » est illuminatio illa D activa divina, et lux ipsa illuminans, cujus irradiationem et informationem in rationibus et mysteriis divinorum effectuum, clarius, latius et copiosius prima hæc recipit hierarchia.

* vero

Eccli. I, 4.

Joann. I, 30.

* primo lucet

* forma

Præterea circa hæc multa scribit Joannes Scotus, quæ etiam ex verbis S. Gregorii in Moralibus super Job sumpta videntur, ideoque majoris merito auctoritatis censentur. Hunc (inquit Scotus ille) versum citius intelligimus, si gloriam quam

ante casum habuit primus angelus, ad **A** memoriam revocemus. Cujus eminentiam *Ezech. XXXI, 8, 9.* conspexit Propheta quum dixit : Cedri non fuerunt altiores illo in paradiso Dei, abietes non adæquaverunt summitatem ejus, et platani non fuerunt æquæ frondibus ejus; omne lignum paradisi non est assimilatum pulchritudini ejus, quoniam speciosum feci eum, et multis condensisque frondibus. Hæc consequenter diffuse Scotus prosequitur.

Quocirca pensandum est, quod B. Dionysius non loquitur hic præcise, nec so- **B** lum, nec principaliter, de primo illo supremæ angelicæ hierarchiæ supposito quod communiter Lucifer appellatur, imo nec de ordine illo summo qui Seraphim nuncupatur, sed directe de tota illa hierarchia, ut patet ex textu. Insuper verba Prophetæ quæ allegat, verba sunt Ezechielis, quæ an ad litteram dicta sint de primo apostata illo, non est certum. Imo multi doctores scripserunt super secundum Sententiarum, quod non : quod etiam videri potest ex textu Ezechielis. Dicunt- **C** que aliqui, quod ad litteram sint prolata de rege Ægypti per metaphoram quamdam, vel magis, ni fallor, de rege Assyriorum. Etenim capitulum illud Ezechielis, de rege Ægypti sumit exordium, sed mox *Ibid. 1-3.* ad regem Assur divertit : Factum est, inquit, verbum Domini ad me, dicens : Fili hominis, dic Pharaoni regi Ægypti et populo ejus : Cui similis factus es in magnitudine tua? Ecce Assur quasi cedrus in Libano, pulcher ramis, et frondibus nemorosus. De quo post pauca subjun- **D** guntur verba illa memorata, et alia multa, quæ certum est, saltem mystice posse exponi de principe illo totius contra Deum creatorem rebellionis. At vero paradisus Dei, interdum accipitur pro loco quocumque multum amœno et pulchro, *Gen. XIII, 10.* quemadmodum in Genesi legitur : Elevatis Lot oculis, vidit omnem circa regionem, quæ universa irrigabatur aquis sicut paradisus Domini et sicut Ægyptus.

Verum eadem ratione posset quis dicere, quod nec Isaias ad litteram dixerit quod in libro visionum suarum scriptum est : Quomodo cecidisti de cœlo, Lucifer *Is. XIV, 12, 13.* qui mane oriebaris? qui dicebas in corde tuo : In cœlum conscendam, super astra cœli exaltabo solium meum, etc. Certum est namque, quod Isaias in illo capitulo ad litteram de rege Babylonis locutus sit, de quo post verba præallegata confestim multa adjecit, quæ de Lucifero illo, vel potius tenebrifero, exponi non valent, nisi valde improprie et extorte : quod et prætacti doctores concedunt. Porro gloriosus Hieronymus sensisse videtur, quod Isaias ibidem mixtim loquatur de rege Babylonis, et primo apostata : siquidem aliqua dicit quæ ad litteram proprie exponi non queunt de rege illo; aliqua quoque quæ ad litteram non videntur apte intelligi de primo totius malitiæ inventore diabolo. Idemque apparet esse dicendum de verbis Ezechielis. Istud verius reor, prout super Prophetas illos et super secundum Sententiarum plenius introduxi.

Inter hæc dubitatio oritur, cur de primo illo iniquissimo spiritu dicat Ezechiel, Tu *Ezech. XXVIII, 14, 16.* Cherub extentus et protegens, et posui te in monte sancto Dei, repleta sunt interiora tua iniquitate; quum tamen impius ille dicatur fuisse de ordine Seraphim : unde videtur dicendum fuisse, Tu Seraph, etc. Respondetur quod ideo, ut insinuetur quid fuerit ei incitamentum suæ ambitionis et lapsus : quod fuit excellentia suæ scientiæ, non divini amoris. Cherub enim, plenus scientia interpretatur; Seraph, plenus amore.

*Ab ipsa autem iterum proportionaliter secunda, et a secunda tertia reducitur.* Hoc est : « Ab ipsa » prima hierarchia illuminatur « proportionaliter » hierarchia « secunda » : proportionaliter, inquam, hoc est secundum conditionis et capacitatis seu dignitatis suæ mensuram, non tam plene ut prima a Deo. « Et a secunda » hierarchia, « tertia » proportionaliter illustratur, non tam excellenter sicut secunda a

* ex prima. *Et a* tertia, secundum nos hierarchia :* id est, « hierarchia » ecclesiastica et humana illustratur « a tertia » hierarchia angelica proportionaliter, non penitus tam excellenter nec eo modo quo tertia illa a secunda, quia ecclesiastica hierarchia ab ultima illa angelica illuminatur, ut communiter, per formas et similitudines cap. I. corporales, juxta quod dictum est : Impossibile est aliter nobis lucere divinum radium, nisi formis sensibilibus circumtectum. Hinc sequitur : *secundum ipsam* *ordinationis *bene ornantis taxiarchiæ* legem,* id est secundum ordinationem, institutionem ac jussionem « taxiarchiæ », id est principalis et increatæ dispositionis, omnia « bene ornantis » et ordinantis, quum nihil totaliter expers sit participatione pulchritudinis summæ, et infinita sapientia Dei nil inordinatum relinquat finaliter.

[Reducitur, inquam,] *in harmonia divina,* id est consonantia seu convenientia A ordinis rerum divinitus instituta : in quo ordine, quemadmodum in discantu idoneo et in complexione mixtorum, est convenientia mira et consonantia dulcis et pulchra, ut Plato profunde consideravit, qui omnia ad hujuscemodi harmoniam et numeros retulit : quem pro grandi parte in hoc secutus est Augustinus ; *et analogia,* id est proportionata cohabitudine unius ad alterum. Et ita reducitur *ad simul omnis boni ornatus superprincipale principium et consummationem hierarchice,* B hoc est, universa sanctarum istarum hierarchiarum exsistentia et series redit, atque convertitur ad Deum, qui est « superprincipale principium », et finis ac consummatio « omnis boni ornatus » hierarchicique decoris : ideo additur, « hierarchice », id est, quemadmodum ad hierarchialem pertinet ordinem, qui requirit ut inferiora reducantur ad Deum per superiora.

# ARTICULUS LVI

### IN QUALIBET HIERARCHIA ESSE PRIMUM, MEDIUM ET ULTIMUM ORDINEM, ET IN QUOLIBET ORDINE PRIMAS, MEDIAS ET ULTIMAS PERSONAS.

*MANIFESTATORES autem omnes sunt et angeli eorum qui ante ipsos sunt,* id est, omnes illi intellectus cœlestes, « sunt manifestatores et angeli » superiorum a quibus illuminantur, in quantum inferioribus communicant et revelant, congrua hora, quod a superioribus perceperunt. *Ipsi quidem honorabilissimi, Dei moventis,* id est, mentes supernæ primæ hierarchiæ ceteris digniores, sunt manifestatores ac angeli Dei, a quo immediate illuminantur, moventur seu diriguntur ; *proportionaliter autem ceteri, ex Deo motorum :* id est, conformiter spiritus secundæ hierarchiæ, sunt nuntii et manifestatores spirituum primæ hierarchiæ, a quibus illuminantur, et Dei, per illam per C quam illuminantur a Deo ; angeli quoque infimæ hierarchiæ, sunt immediate manifestatores ac angeli spirituum hierarchiæ secundæ, a quibus illustrantur immediate, et per secundam hierarchiam, sunt manifestatores et angeli primæ hierarchiæ ac Dei : sicque ceteri sunt manifestatores « motorum », id est superiorum, qui a Deo moventur immediate aut mediate.

*Tantum enim omnium superessentialis harmonia, unicuique rationalium et intellectualium sacro ornatu et ordinata* D *ductione prævidit :* id est, omnipotens sapientia Dei, causa omnis harmoniæ creaturarum, in qua est idealium rationum rationabiliumque causarum omnium rerum creatarum, ac divinorum effectuum

convenientia et consonantia optima, contulit omni creaturæ rationali, id est humanæ, et intellectuali, id est angelicæ, « sacro ornatu », id est per decorem naturalium ac gratuitorum donorum ordinatum ad repræsentationem increatæ perfectionis, « et ductione ordinata », id est directione decenti, qua ducit et dirigit unumquodque ad proprium actum ac finem, « prævidit », id est, dare disposuit et donavit, « tantum », id est tam multum de gratia et virtute; *quantum ipse hierarchiarum unusquisque ordo sacre et decenter positus est,* id est, « quantum ordo ipse » cujuslibet hierarchiæ requirit, « et positus » seu statutus « est » facere. Si enim, juxta Philosophum, natura non deficit in necessariis, nec abundat superfluis, quanto magis auctor naturæ in actibus gratiæ et necessariis ad salutem et ad finem intentum ?

*Et omnem hierarchiam videmus in primas, et medias, et ultimas virtutes divisam.* In qualibet enim hierarchia cœlesti tres sunt chori seu ordines, quorum unus est in ipsa hierarchia supremus et primus, alter vero in ea est medius, tertius infimus.

*singulas *Sed et ipsam per singulos* specialiter dicendum dispositionem ipsis divinis harmoniis discrevit :* hoc est, « dicendum » est quod sapientia Dei « discrevit », id est distinxit, « ipsam dispositionem », id est unumquemque angelicum ordinem, « harmoniis ipsis divinis », id est distinctis coaptationibus et coordinationibus, ita quod in quolibet ordine sunt primi, et medii, ac ultimi, ad eumdem ordinem pertinentes. Unde apparet nonnullis, quod angeli etiam ejusdem chori, non sunt omnes speciei ejusdem : quod sequi videretur, si angeli juxta gradum et distinctionem suam in naturalibus, magis aut minus intense mox post suam creationem se converterunt ad Deum, ut opinatur Magister Sententiarum libro secundo, et multi in hoc ipsum sequentes. Porro, qui dicunt hoc, et ultra hoc ponunt in angelis tot species quot personas, haberent adhuc quamlibet harum distinctionum seu partium distinctarum, in alias tres dividere : quod Thomas concedens, fatetur quod loquendo in speciali, non sint ibi aliqui duo omnino ordinis ejusdem, id est, non est accipere duos angelos æquales in tota cœlesti hierarchia. II Sent., dist. 9.

*Propter quod et ipsos divinissimos Seraphim, ipsi theologi aiunt alterum ad alterum clamare :* Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum, ut in Isaia habetur, et supra capitulo septimo expositum est. *Aperte in hoc (ut æstimo) declarantes, quoniam theologicas scientias,* id est divinorum notitias, *ipsi primi secundis tradunt,* id est, spiritus Seraphici superiores tradunt spiritibus Seraphicis inferioribus, qui secum ejusdem sunt ordinis. Verum istud videtur præinductis, præsertim capitulo septimo, obviare : quoniam dictum est ibi, quod prima hierarchia illuminatur immediate a Deo, et solum ab eo. Ad quod paulo post respondebo. *Is.* VI, 3.

## ARTICULUS LVII

### OMNES SIVE ANGELOS SIVE HOMINES HABERE PRIMAS, MEDIAS ET ULTIMAS VIRTUTES.

A*DDIDERIM autem fortassis et hoc non incongrue,* id est, istud quod subditur potero addere forsitan non inepte : et quoniam non præsumo me non posse errare, recte addo, « fortassis ». *Quia et secundum se ipsum unusquisque et cœlestis et humanus animus,* id est, quod quilibet individualis spiritus, tam angelicus

quam rationalis, secundum se et in se A consideratus et sumptus, *speciales habet et primas, et medias, et ultimas ordinationes et virtutes, additas* * *per unumquodque* * *hierarchicarum illuminationum proprias anagogas proportionaliter manifestas* *, id est dispositiones, coaptationes et vires seu gradus hierarchialium illustrationum, « per unumquodque », id est in quolibet ordine seu supposito, superadditas ipsis animorum istorum essentiis, utpote « proprias anagogas », id est sursumductiones et elevationes gradatim B usque in summum, « proportionaliter manifestas », id est notas magis aut minus, secundum quod animi seu spiritus isti sunt magis aut minus cogniti et sublimes ac differentes.

* ad dictas
* unumquemque
* manifestatas

*Per quas unumquodque in participatione fit, sicut id ipsum et fas est et possibile, superincognitissimæ purgationis, plenissimi luminis, anteperfectæ perfectionis.* Hoc est : « Per quas » virtutes, superductiones seu anagogas, « unumquodque », id est quilibet spiritus talis, « fit in partici- C patione », id est, particeps efficitur et aliqualiter similis, « purgationis superincognitissimæ », id est divinæ et increatæ puritatis omnia purificantis, « luminis » quoque divini et æternalis, superplenissimi et immensi, et « anteperfectæ perfectionis », id est divinæ et incausatæ perfectionis, quæ est infinitæ eminentiæ ultra et super omnem perfectionem creatam, quam præcedit æternitate, causalitate, et dignitate prorsus interminata. Per has igitur anagogas atque hierarchicas as- D censiones, quæ in purgatione, illuminatione, et perfectione videntur consistere, fit mens creata participatrix et imitatrix puritatis et luminositatis ac perfectionis proprii Creatoris, in quo realiter idem sunt tria hæc, utpote purgatio increata activa, illuminatio activa fontalis, seu lux prima superplenissima, cuncta illuminans, et anteperfectio, id est summa et absoluta perfectio abyssalis, omnem in se nobilitatem, beatitudinem et excellentiam superimmense ac supersimplicissime possidens et includens, ac omnium perfectiva. Fit, inquam, mens creata in hujusmodi participatione et assimilatione, secundum quod « fas est et possibile », id est decens, et per gratiam dantis possibile aut præfixum, non in eodem gradu aut genere, aut univoca conformatione : imo semper manet superexcellentia Dei prorsus immensa, mensque creata remanet jugiter infra terminos suæ institutionis et dependentiæ ac indigentiæ. Hinc subditur :

*Est enim nihil perfectum, aut nihil non indigens* * *universalis perfectionis, nisi vere perfectissimum et anteperfectum :* id est, citra Deum nihil est absolute simpliciterque perfectum, imo solus Deus est ens superperfectum et anteperfectum, sua incausata ac æternali perfectione transcendens et superans universa. Cujus comparatione totus mundus est tanquam pulvis exiguus, et velut gutta roris antelucani ; et sicut momentum stateræ, respectu suæ immensitatis reputata sunt omnia ista : a quo in tantum dependent ac indigent, ut nec in ictu oculi sine illius conservatione queant subsistere. Ideo scriptum est vere : Vanitati creatura subjecta est ; itemque, Vanitas vanitatum, et omnia vanitas. Nempe hæc vanitas, omni creaturæ secundum se consideratæ et sumptæ, intime mixta inseparabiliterque conjuncta, est quædam privativa proprietas, consequens esse creatum eo ipso quo creatum est ; estque defectus ac quidam occubitus a vero, æterno, independenti et incommutabili esse. At vero perfectio Dei, est universalis perfectio, non certi generis aut ordinis limitati, imo omnium perfectionum supereminentissime contentiva, qua indiget omne creatum, et ipsa nullius est egens.

* Est enim nihil per se perfectum, non indigens

*Is.* XL, 15; *Sap.* XI, 23.

*Rom.* VIII, 20. *Eccle.* I, 2.

*Joann.* XV, 5. *Ps.* XV, 2.

# ARTICULUS LVIII

## INTRODUCTIO ET SOLUTIO QUÆSTIONUM QUARUMDAM CONCERNENTIUM PRÆSENS CAPITULUM.

MODO diligentius perscrutandum, quæ A sint tres istæ ordinationes et virtutes additæ, quæ in unoquoque animo, tam angelico quam humano, reperiuntur. — Ad quod Commentator respondet, quod sunt esse, posse, et agere, seu natura, potestas, et operatio. Omnis etenim animus habet substantiam secundum quam primo est, et virtutem qua in certo ordine continetur, et operationem qua pie agens fertur in finem. Porro, secundum Scotum, tres istæ virtutes et ordinationes, sunt tres gradus virtutum, quibus ad finem pertingitur. Primus est, oculos interiores ac intellectuales habere; secundus, per eosdem considerare; tertius, clare inspicere. Posset quoque quis dicere, quod sit triplex cognitio, videlicet matutina, et meridiana, ac vespertina, de quibus dictum est super secundum Sententiarum. Vel sunt virtus et ordinatio naturæ, et gratiæ, ac gloriæ; aut certe tres actus hierarchici, qui in diversis intellectibus præinductis sunt secundum multiplicem gradum variamque differentiam perfectionis, secundum quod unus animus est altior alio; vel incrementa profectuum, secundum quæ usque in diem judicii crescere perhibentur in cognitione divinorum mysteriorum ac operum. Secundum Albertum vero, tria hæc sunt, cognitio veritatis, delectatio in eadem, et ad bonum affectio. Denique secundum Lincolniensem, tria hæc sunt: conversio ad superius ipso, ut inde recipiat et dirigatur; conversio ad se ipsum, ut se intelligat; conversio ad inferius, ut ipsum sursumducat. — Verumtamen triplex ordinatio ista ac virtus triformis, aliter assignanda videtur in mente humana, et aliter in mente angelica. In mente namque humana sunt tres status, videlicet incipientium, et proficientium, ac perfectorum, gradus quoque virtutum juxta quotidianum profectum. Insuper in mente humana sunt virtutes civiles morales, virtutes quoque purgatoriæ, et virtutes purgati animi.

In II Sent. dist. 4, q. 4.

Consequenter respondendum ad id quod quæsitum est paulo ante, an scilicet unus angelus purget, illuminet, atque perficiat alium ejusdem secum ordinis exsistentem. Et manifeste dicit in isto capitulo S. Dio- B nysius, quod imo, in tantum quod unum de ordine Seraphim protestatur alium ejusdem chori illuminare. Ergo de ceteris eorumdem ordinum angelis hoc videtur non minus dicendum, sed forsitan magis, quum sint majoris potentialitatis et a Deo distantiæ. Quod ergo Sanctus iste dixit jam supra, quod prima hierarchia illuminatur immediate a Deo, et solum ab eo, intelligendum apparet per exclusionem aliarum hierarchiarum et ordinum aliorum, ita quod non illuminatur a se- C quentibus hierarchiis, nec ab earum ordinibus.

Insuper objici potest contra probationem qua Theologus probat hic quod unus de Seraphim illuminat alium, quia videlicet unus clamavit ad alium: Sanctus, Sanctus, Sanctus. Nam et inferior potest clamare ad superiorem, juxta illud Psalmi: Voce mea ad Dominum clamavi. Et in Zacharia conscriptum est, quod angelus clamavit ad Dominum: Usquequo, Domine, non misereberis urbium Juda? Imo D et æqualis clamat æquali, et superior inferiori. Unde in Genesi dicitur: Quum deambularet Dominus in paradiso ad auram post meridiem, clamavit, et dixit,

Ps. III, 5; LXXVI, 2; CXLI, 2.
Zach. I, 12.
Gen. III, 8, 9.

Adam, ubi es? Præterea verba illa Isaiæ ab aliquibus exponuntur, quod clamavit alter ad alterum, id est, mutuo concorditerque clamabant. Respondendum, quod sanctus hic doctor, Spiritu Sancto repletus et ab Apostolo ac apostolicis viris instructus, in auctoritatem sumendus est, et auctoritatem Isaiæ rite exponit, ita quod intelligenda est de clamore quo quis informare intendens, clamat ad alium, ut faciat eum attentum. Et quamvis unus angelus non doceat alium de hoc quod Deus est sanctus in se, tamen secundum quod sanctitas ejus in diversis ejus relucet effectibus, potest inferiorem aliquo modo, sicut præhabitum est, illustrare.

Postremo, circa id quod dictum est, in eodem ordine esse primos, medios, et ultimos, dicit Albertus : Istud concedimus, quum in eodem ordine non sint duo ejusdem ordinis. In quibus verbis insinuare videtur, quod angeli singuli a se invicem specifice distinguantur. Sed, ut patuit, de hoc alibi longe aliter sensit et scripsit, puta quod omnes ejusdem sint speciei, ut patet in Scripto secundi. Amplius, circa illud, Impossibile est aliter nobis lucere divinum radium, nisi circumvelatum, etc., (cap. I.) videtur sentire quod sine speculatione phantasmatum non possumus intelligere in præsenti : de qua re quam diverse alibi sentiat, præsertim in tractatu de Intellectu et intelligibili, constat. In expositione demum hujus capituli scribit, quod diversitas dispositionum in animabus rationalibus, quantum ad dispositionem intellectus, non est ex diversa commixtione contrariorum, sed secundum accessum ad unum primum simpliciter ; diversitas vero commixtionis, est signum diversæ dispositionis animæ. Istud quippe videtur contra commune dictum philosophorum, imo et theologorum multorum, et contra id quod Aristoteles ait : Molles carne, aptos mente esse dicimus. Videtur quoque ex hoc, quod rationalium animarum distinctio mutua, esset specifica, præsertim quum intelligentiarum distinctio, quæ secundum Peripateticos specifica est, capiatur secundum majorem et minorem accessum ad primum ac purum actum. Hæc scholastice breviter tango : de quibus super secundum Sententiarum scripsi diffusius. Sed et ipse Albertus de his alibi aliter sensit ac scripsit, præsertim in libro de Homine, et super librum de Anima.

## PARAPHRASIS ABBATIS VERCELLENSIS

DIXIMUS supra, quod summa hierarchia cœlestium mentium ab ipsa Divinitate gubernata, eo quod ad ipsam immediate extenditur, occultiori et clariori principalis Deitatis illuminatione purgatur, et illuminatur, et perficitur : occultiori quidem, tanquam magis intima, et magis simplificativa et unificativa ; clariori autem, tanquam prius emanante a claritate divina, cœlestibus mentibus prius apparente, et magis universali, et magis ad primum principium effusa. Ab hac vero prima hierarchia sursumagitur ad Deum secunda hierarchia, secundum ipsius possibilitatem ; et a secunda, tertia ; et a tertia, nostra hierarchia sursumagitur ad Deum, qui est et superprincipale principium et consummatio omnis hierarchiæ : et hoc, secundum eamdem legem quam ordinat divinus principatus in sursumactione angelica, verumtamen, juxta quod Deum decet, et nostræ hierarchiæ est possibile.

Omnes autem cœlestes animi sunt manifestativi superiorum seriatim. Verbi gratia : infimi angeli sunt manifestativi Archangelorum et ordinum superiorum ; et Archangeli, Principatuum et ordinum superiorum ; et sic supra. Item summi angeli, id est Seraphim, sunt manifestativi ipsius Deitatis, quæ movet eos ; et Cherubim sunt manifestativi ordinis Seraphim ; et sic deinceps, secundum singulorum

ordinum proportionem. Et commode possunt id agere ordines singuli, quia divina plenitudo cuncta harmonice disponens, cuilibet hierarchiæ vel ordini angelorum et hominum abundanter providit et distribuit in scientiis et virtutibus, ut* quilibet ordo vel persona hierarchica, sanctam sursumactionem et operationem sibi constitutam possit efficaciter perficere. Patet ergo* ex prædictis, quod quælibet hierarchia distinguitur in tres ordines, scilicet primum, medium, et infimum. Et præterea quilibet ordinum distinguitur in tres partes, continendo in se primas, et medias, et ultimas virtutes. Quod colligitur ex eo quod dicit Isaias unum Seraph clamasse ad alterum, ostendens plane quod ipse qui clamavit, docuit eum cui clamavit : et ita ostendit quod in eodem ordine alii aliis divinam distribuunt cognitionem, scilicet superiores inferioribus.

* unde

* autem

*Is.* VI, 3.

Addam etiam ex abundanti non inconvenienter, quod unaquæque mens angelica vel humana bene ordinata, habet in sua singulari A persona speciales primas, et medias, et ultimas ordinationes et virtutes addictas secundum unamquamque hierarchicam personam, et habet in se sursumactiones hierarchicarum illuminationum, manifeste distinctas, et ordinatas juxta proportionem suarum virium naturalium, sicut ante annos viginti diligenter tractavi in claustro S. Victoris Parisiensis, super principium Isaiæ, Vidi Dominum, etc., juxta novam translationem Hieronymi. Per quas sursumactiones unusquisque angelus vel homo hierarchicus participat secundum propriam* capacitatem, supercastissimam Dei B purgationem, et superplenum ejus lumen, et perfectionem ipsius, quæ prævenit et causat omnem creatam perfectionem. Nihil enim est quod sit per se ipsum perfectum, aut quod non indigeat aliena perfectione, nisi solus Deus, qui plenitudo est universalis, et habet universalem plenitudinem propria virtute et natura et auctoritate : quam et habet ante omnia et super omnia.

*Is.* VI, 1.

* suam

# CAPITULUM XI

## QUARE OMNES CŒLESTES ESSENTIÆ COMMUNITER VIRTUTES CŒLESTES VOCENTUR.

HIS autem definitis, illud dignum intelligere, ob quam causam omnes similiter angelicas essentias, virtutes cœlestes vocare consuevimus. Non enim est dicendum, ut in angelis, quoniam omnium novissima est dispositio ipsa sanctarum Virtutum, et quidem novissimarum sanctam et decoram illuminationem, superpositarum essentiarum dispositiones participant, ultimæ vero, primarum nullo modo : et hujus gratia, cœlestes quidem virtutes, omnes divini intellectus nominantur ; Seraphim autem, et Throni, et Dominationes, nullo modo. Participatæ enim extremæ ab excelsissimis sunt universalibus proprietatibus. Ipsi namque Angeli, et ante Angelos Archangeli, et Principatus, et Potestates, post Virtutes ab ipsa Theologia ordinati, communiter sæpe a nobis similiter cum aliis sanctis essentiis, cœlestes virtutes vocantur. — Dicimus autem, quia communiter in omnibus utentes cœlestium nominatione virtutum, non confusionem quamdam uniuscujusque dispositionis proprietatum introducimus. Sed quoniam in tria dividuntur secundum se supermundana ratione omnes divini intellectus, in essentiam, et

virtutem, et operationem; quum simul omnes, aut eorum quosdam, inobservate cœlestes essentias aut cœlestes vocamus virtutes, eos periphrasticos, de quibus sermo est, significare nos æstimandum, ex ea quæ per singulos eorum est, essentia vel virtute. Neque enim superpositam proprietatem facile est jam a nobis discretarum sanctarum Virtutum, minoribus omnino annectere essentiis, in conversione inconfusæ angelicorum ornatuum ordinationis. Juxta enim sæpe a nobis rectam redditam rationem, ipsæ quidem superfirmatæ dispositiones abundanter habent et minorum sacras proprietates. Ultimæ vero, majorum superpositas universitates non habent, particulariter in eas primo apparentibus illuminationibus, per primas proportionaliter eis distributis.

## ARTICULUS LIX

### DECLARATIO CAPITULI HUJUS UNDECIMI.

OSTENDIT Theologus hic, cur universæ mentes supernæ nuncupentur virtutes cœlestes. *His autem definitis,* id est, præinductis jam determinatis, *illud dignum intelligere,* id est, consideratione dignum exsistit, *ob quam causam omnes similiter angelicas essentias,* id est cunctas personas supernorum spirituum, *virtutes cœlestes vocare consuevimus.*

*Non enim est dicendum, ut in angelis,* id est, ad istam quæstionem non est respondendum, sicut supra responsum est (cap. v.) cur omnes cœlestes essentiæ angeli appellentur, *quoniam omnium novissima est dispositio ipsa sanctarum Virtutum,* id est, quod istud sit ideo, quia « dispositio » ista, id est ordo, « sanctarum Virtutum », sit « novissima omnium », id est, ultimum locum tenens inter ordines angelorum. Imo quintum locum sortitur, tam ascendendo ab infimo, quam descendendo ab ordine summo : estque directe in medio ordinum angelicorum, quemadmodum sol in medio planetarum ; quamvis Aristoteles putaverit solem supra lunam proxime collocari, eo quod a luna tantummodo eclipsetur. *Et quidem novissimarum sanctam et decoram illuminationem, superpositarum essentiarum dispositiones participant,* id est, [et quod sic] chori superiores participant illuminationem sanctam et pulchram inferiorum chororum, ut frequenter expositum est. Non tamen participant eam ab inferioribus, sed a superioribus se.

*Ultimæ vero, primarum nullo modo,* id est, angeli inferiorum infimorumve ordinum nequaquam participant illuminationes et proprietates spirituum ordinum eminentiorum, in ea videlicet plenitudine et excellentia qua in superioribus sunt. Attamen aliqualiter eas participant, quum toties habitum sit, quod inferiores a superioribus illustrentur. Lincolniensis quoque testatur : Habet quilibet intellectus angelicus, id est quilibet infimi ordinis angelus, per gratiam, ut ferveat cum Seraphim, ut luceat cum Cherubim, et spiritualis exsistens, dijudicet cuncta cum Thronis ; item cum Dominationibus dominetur sibi subjectis, et fortis sit cum Virtutibus, et ordinatus cum Potestatibus; deinde cum Principibus principetur aliquibus subditis, nuntiet quoque salutaria

quædam minora minoribus cum Angelis, atque majora cum Archangelis. Hinc in homilia plenius scribit Gregorius : Sic in illa summa civitate specialia quædam singulorum sunt, ut tamen sint communia omnibus ; et quod in se quisque ex parte habet, hoc in alio ordine totum possidet. Sed idcirco uno eodemque vocabulo omnes non censentur, ut ille ordo vocari privato uniuscujusque rei nomine debeat, qui hanc in munere plenius accepit. Seraphim namque incendium dicimus, et tamen amore Conditoris omnes pariter ardent; Cherubim, plenitudinem scientiæ, et tamen ibi quis aliquid nesciat, ubi omnes fontem scientiæ Deum vident? Throni, agmina illa vocantur quibus Conditor præsidet : sed beatus esse quis potest, nisi Conditor suus ejus menti præsideat? Quæ ergo ex parte habentur ab omnibus, eis privato nomine adscribuntur qui hæc in munere plenius acceperunt.

*Et hujus gratia, cœlestes quidem virtutes, omnes divini intellectus nominantur,* id est, [non est dicendum quod] ista de causa omnes mentes supernæ nuncupantur virtutes cœlestes; *Seraphim autem, et Throni, et Dominationes, nequaquam**, id est, nullatenus universi illi intellectus dicuntur Seraphim, et Throni, ac Dominationes, quia nec ad illarum dignitatem eminentiamque pertingunt. Cur igitur omnes vocantur virtutes, quum quatuor ordines inferiores ad eminentiam illuminationis ac proprietatis quinti ordinis, qui Virtutes dicuntur, nequaquam perveniant? Istud paulo post solvit. *Participatæ autem* extremæ sunt,* id est, essentiæ seu mentes infimi chori sunt participatæ, id est quantum ad suam proprietatem et illuminationem inclusæ et comprehensæ, *ab excellentissimis * universalibus proprietatibus,* id est a proprietatibus et viribus mentium eminentiorum, [non econtra]; quemadmodum in totis potestativis perfectiones ac vires inferiorum in superioribus includuntur, sicut potestas subdiaconi in potestate diaconi, atque amborum

* nullo modo

* enim

* excelsissimis

A potestas in potestate sacerdotali. Sicque potestas superior dicitur universalior, quoniam major ac latior est in continendo ac operando.

*Ipsi namque Angeli, et ante Angelos Archangeli, et Principatus, et Potestates,* id est quatuor illi chori inferiores, inter quos Archangeli sunt ante Angelos dignitate, non duratione, *post Virtutes ab ipsa Theologia ordinati,* id est a sacra Scriptura nominati atque dispositi in descendendo a Seraphim post Virtutes, *communiter sæ-* B *pe a nobis similiter cum aliis sanctis essentiis, cœlestes virtutes vocantur,* id est, frequenter nominantur « a nobis » in ecclesiastica hierarchia contentis, « virtutes cœlestes, similiter cum aliis sanctis essentiis », id est sicut et aliæ mentes supernæ superiores, videlicet Dominationes, Throni, Cherubim quoque, ac Seraphim.

Consequenter solvit hanc quæstionem. *Dicimus autem, quia communiter in omnibus utentes cœlestium nominatione* C *virtutum, non confusionem quamdam uniuscujusque dispositionis proprietatum introducimus :* id est, hoc affirmamus, quod utendo « nominatione virtutum cœlestium in omnibus », id est, quod omnium angelicorum chororum personas seu spiritus appellando virtutes, non inducimus nec facimus « confusionem proprietatum uniuscujusque dispositionis », id est cujuscumque chori angelici. Imo quilibet chorus manet distinctus ab alio, quoniam nomen virtutis in istis locutionibus D æquivoce sumitur. Hinc sequitur :

*Sed quoniam in tria dividuntur secundum se supermundana ratione omnes divini intellectus,* id est, unusquisque spiritus cœlestis seu mens angelica ac superna, prout sumitur « secundum se », ut subsistens et particularis persona, « in tria » partitur, id est, tria in se habet seu continet. Dividitur, inquam, *in essentiam, et virtutem, et operationem :* non sicut in partes essentiales, nec sicut genus in species, neque ut totum potestativum

in partes suas : sed juxta similitudinem quamdam, sicut totum integrale in partes quantitativas. Non quod vere atque univoce sint in spiritualibus naturis totum integrale et pars quantitativa, sed metaphorice solum : quoniam sicut in rebus corporalibus totum integrale habet partes quantitativas, quæ ad perfectam ejus subsistentiam requiruntur, attamen sine eis, seu absque quibusdam earum, subsistere potest, non tamen perfecte, ut homo sine aure aut naso vel pede ; sic ad perfectam subsistentiam angeli concurrunt, requiruntur et pertinent tria hæc, puta : essentia sua, qua est ; potentia, seu (aptius loquendo) virtus, qua in actum egreditur ; et operatio, qua fini conjungitur, et agit quod sibi præfixum est, et ad quod agendum est institutum et conditum. Denique in unoquoque angelo est essentia una numero solum : quæ essentia est simplex forma in se subsistens et separata, non tamen imparticipata, nec independens, aut illimitata ; quæ essentia est realiter ipsa subsistens persona. Est demum in quolibet angelo duplex virtus, intellectus videlicet, et voluntas ; et operatio multiplex, utpote multi actus intelligendi atque volendi, et motio activa, et productiones diversorum effectuum. Nec differunt in angelis realiter intellectus agens et possibilis, intellectusve speculativus et practicus. Sed essentia, et virtus (seu potentia), et operatio, in angelis realiter distinguuntur. Ideo a divina simplicitate ac unitate multum deficit et occumbit angelus.

*Quum simul omnes, aut eorum quosdam, inobservate cœlestes essentias aut cœlestes vocamus virtutes,* id est, dum unumquemque angelorum seu divinorum intellectuum, seu quempiam eorum, indifferenter appellamus essentiam aut virtutem, sumendo nomen virtutis « inobservate », id est communiter et incontracte, non proprie prout est speciale nomen distincti specialisque ordinis ; *eos periphrasticos, de quibus sermo est, signifi-*

A *care nos æstimandum,* id est, sentiendum est nos significare istas intellectuales simplicesque substantias « περιφραστικῶς », id est per quamdam circumlocutionem, *ex ea quæ per singulos eorum est, essentia vel virtute,* id est sumendo nomen essentiæ ac virtutis communiter, secundum quod unicuique ordini ac personæ mentis angelicæ convenit nomen istud, « essentia », et nomen hoc, « virtus », videlicet, prout in quolibet tali supposito esse dicuntur : attamen, quum quemlibet angelum B appellamus virtutem, sumitur virtus, non pro accidentali potentia, sed pro vigorosa natura atque substantia.

*Neque enim superpositam proprietatem facile est jam bene* a nobis discretarum sanctarum Virtutum, minoribus omnino annectere essentiis :* hoc est, nomen Virtutis proprie sumptum pro ordine speciali, idcirco non convenit angelis universis, quoniam non « est facile », imo difficile et inconveniens est, « superpositam », id est excellentem, « proprieta- C tem Virtutum sanctarum », quæ sunt de quinto choro angelico, « bene discretarum », id est recte distinctarum, « a nobis, annectere omnino », id est sociare simpliciter aut adscribere, « essentiis minoribus », id est inferioribus choris ac angelis ; *in conversione inconfusæ angelicorum ornatuum taxiarchiæ*,* hoc est in reditione et reductione, « ornatuum angelicorum », id est angelicorum ordinum pulchre dispositorum ac sapientialiter distinctorum, « taxiarchiæ inconfusæ », id est D ordinationis divinæ inviolatæ et increatæ, quæ causa est et institutrix distinctionis ac decoris ordinum supernorum, quorum proprietas et distinctio patet et consistit in reductione et reditione seu conversione omnium illorum ad Creatorem.

*Juxta enim sæpe a nobis recte* redditam rationem,* id est secundum rationabilem causam quam frequenter expressimus et assignavimus, *ipsæ quidem superfirmatæ dispositiones,* id est ordines superiores, ceteris eminentiores ac diviniores, ac fir-

* alias om. *bene*

* *ordinationis*

* *rectam*

miter superlocati, *abundanter habent et* A *minorum sacras proprietates*, id est, eminenter et copiose in se includunt, comprehendunt et possident, sanctas vires, virtutes et proprietates ordinum inferiorum, quemadmodum in totis et partibus potestativis, imo et speciebus universi, virtus speciesque superior comprehendit in se vim et perfectionem virtutis et speciei inferioris, et aliquid superaddit, modo quoque sublimiori, quam virtus et perfectio illa in specie inferiori consistit. *Ultimæ vero, majorum superpositas uni-* B *versitates non habent*, id est, inferiores ordines ac naturæ « non habent » neque includunt « universitates », id est universas proprietates, perfectiones et vires, seu universaliores proprietates, « superpositas » eis « majorum », id est ordinum ac naturarum sublimiorum; *particulariter in eis** *apparentibus primo illuminationibus, per primas proportionaliter eis distributis.* Hoc est : Inferiores non participant plene et universaliter proprietates superiorum, attamen suo modo aliquali- C ter eas participant : et hoc dico, « illuminationibus primo », id est primæve ac fontaliter a Deo emanantibus, « distributis », id est collatis, « eis per primas », id est per superiores essentias, « proportionabiliter », id est secundum mensuram et dispositionem earum, « apparentibus », id est resplendentibus, « in eis » illuminationibus « particulariter », id est partim et imperfecte.

* eas

Ista pro magna parte etiam a melioribus ac subtilioribus philosophis dicta inveni- D untur, quantum ad naturalem scientiam et influxum, dispositionem et ornatum, ordinem et consistentiam ac operationes substantiarum separatarum. Nam et in libro de Causis asseritur : Quod est in intelligentiis superioribus per modum sublimiorem, est in intelligentiis inferioribus per modum decliviorem. Rursus in commentario decimæ propositionis libri ejusdem, habetur : Formæ quæ sunt in intelligentiis secundis inferioribus per modum particularem, sunt in intelligentiis superioribus per modum universalem : quoniam primis intelligentiis inest virtus magna, quia sunt vehementioris unitatis et simplicitatis, quum sint propinquiores primo puro, uno ac simplici. Intelligentiæ vero inferiores, sunt majoris multiplicitatis, propter distantiam suam a primo infinito, quod est virtus virtutum. Unde et denuo in eodem dicitur libro : Primorum omnium quædam sunt in quibusdam per modum quo licet ut sit unum eorum in alio. Hæc demum in declaratione Procli diffusius continentur : Omnium, inquit, quæ secundum processum multiplicantur, prima sunt perfectiora secundis, et secunda his quæ sunt post ea, et ita deinceps ; itemque, Omnis processus, per similitudinem secundorum ad prima efficitur; et iterum, Omne producens, similia ad se ipsum ante dissimilia substituit.

Certe beatissimus et illuminatissimus Dionysius egit quod diu post eum S. Hieronymus docuit esse agendum : Istud (ait) facere solemus, quando philosophos legimus, dum libri sapientiæ sæcularis ad nostras deveniunt manus : si quid in eis utile invenimus, ad nostrum dogma convertimus ; si quid vero superfluum de amore vano aut cura sæcularium rerum, hæc radimus, his calvitium inducimus, et in unguium morem, ferro acutissimo desecamus. In Deuteronomio quoque Dominus jussit, ut mulieris captivæ, præsertim gentilis, caput radatur, et supercilia omnesque pili et ungues corporis amputentur, sicque in uxorem ducatur. Quid igitur (ait) mirum, si ego sapientiam sæcularem, propter eloquii venustatem pulchritudinemque membrorum, Israelitem facere cupio, et quidquid in ea erroris aut falsitatis sive libidinis reperero, rado, abscindo, abjicio, sicque ex ea Domino Sabaoth filios genero ? Sic ergo et nos facere congruit, nec immoderate talibus immorari, ne meliora et viciniora saluti negligamus, neque cum Ægypti idolis spiritualiter fornicemur.

*Deut.* XXI, 11-13.

*Hebr.* VI, 9.

## PARAPHRASIS ABBATIS VERCELLENSIS

DEINCEPS quærendum est propter quam causam omnes angelicas substantias cujuscumque ordinis consuevimus vocare cœlestes virtutes. Neque est hic reddere rationem quam supra diximus, omnes cœlestes mentes recte vocari angelos, quum infimus omnium cœlestium ordinum sit ordo Angelorum, et superiores habeant inferiorum virtutes et illuminationes, unde denominantur. Siquidem ordo Virtutum superior est quatuor aliis ordinibus. Unde propter hanc rationem non possunt illi quatuor inferiores communicare nomen Virtutum, quia non eadem plenitudine virtutes et illuminationes earum participant. — Unde prædictæ quæstioni sic respondemus, ad ostendendum quod nulla confusio inducitur proprietatibus aut distinctis nominibus angelicorum ordinum, per hoc quod omnes cœlestes animi communiter vocantur virtutes : quia quælibet mens cœlestis secundum supermundanam cœlestium rationem A habet hæc tria, scilicet substantiam, virtutem, et operationem; quando ergo aut omnes mentes cœlestes, aut aliquas earum, indifferenter vocamus cœlestes substantias, aut cœlestes virtutes, illas de quibus tunc loquimur, sic vocamus quasi per expressionem suarum specialium substantiarum aut virtutum, a quibus easdem sic denominamus. Hoc enim sic faciendo, non intendimus subjectis ordinibus attribuere proprietatem Virtutum in ea plenitudine qua ordo Virtutum eam possidet, quod esset convertere retrorsum et confundere gradus ordinum angelicorum. Ut enim B sæpe diximus et recte, superiores ordines habent sanctas proprietates subjectorum abundantius quam ipsi subjecti. Inferiores vero non in ea plenitudine habent scientias et virtutes, in qua et superiores ; sed particulariter participant secundum singulorum capacitatem, illuminationibus ad illos delatis per superiores.

# CAPITULUM XII

### QUARE SECUNDUM HOMINES HIERARCHÆ ANGELI VOCENTUR.

QUÆRITUR autem et hoc intelligibilium Eloquiorum studiose intuentibus : Si enim participantia excelsiorum universitatum non sunt ultima, ob
*Malach.* II, 7. quam causam secundum nos summus sacerdos, angelus Domini omnipotentis ab Eloquiis nominatur? Est autem non contraria ratio, ut æstimo, ante definitis. Dicimus enim, quia universali et superposita majorum ornatuum virtute relinquuntur ultimi. Mediam enim et proportionalem participant juxta unam simul cunctorum et conjunctivam societatem. Quale est : Sanctorum Cherubim ordo participat sapientiam et scientiam altiorem ; sub ipsis autem essentiarum dispositiones participant quidem et ipsæ sapientiam et scientiam, particularem tamen ad illos, et subjectam. Et quidem omnino in participatione sapientiæ et scientiæ esse, commune est omnibus deiformibus intellectibus. Attente autem, et primo,

aut secundo, aut infra, nequaquam commune, sed sicut unicuique ante propria definitur analogia. Hæc autem et de omnibus divinis mentibus non fortassis quis errans definiet. Etenim, sicut primi abundantius habent minorum sanctas pulchrasque proprietates, sic habent ultimi eas priorum, non tamen similiter, sed infra. Nihil ergo (ut æstimo) inordinatum, si et secundum nos summum sacerdotem, angelum Theologia vocat, juxta virtutem propriam participantem angelorum prophetica proprietate, et ad manifestativam eorum similitudinem, quantum possibile hominibus, extentum. — Invenies autem quia et deos Theologia vocat, et cœlestes et supernas essentias, et apud nos amicissimos Dei et mirabiles viros. Et quidem divinum secretum superessentialiter simul omnibus et remotum et supercollocatum, et nullum ab eorum quæ sunt, simile nominari proprie et omnino valet. Verumtamen quæcumque et intellectualium et rationalium, ad unitatem ejus, et qualiscumque virtus, universaliter convertitur, et ad divinas ipsius illuminationes, quantum possibile, incessabiliter extenditur, secundum virtutem, si justum dicere, divina imitatione et divina univocatione digna facta est.

*Ps.* LXXXI, 1; *Exod.* VII, 1; XXII, 8, 28.

# ARTICULUS LX

### EXPOSITIO CAPITULI HUJUS DUODECIMI.

MOVETUR ac solvitur hic quæstio ex præhabitis sumens originem. Etenim dictum est præcedenti capitulo, idcirco inferiores choros et angelos non vocari nominibus superiorum, quia inferiores non participant proprietates superiorum tam plene ut in superioribus sunt. Unde apparet quod personæ ecclesiasticæ non essent Angeli nuncupandi, potissime quum plus distent ab Angelis, quam Angeli ab Archangelis.

*Quæritur autem et hoc intelligibilium Eloquiorum studiose intuentibus,* id est ab his qui studiose intuentur, considerant, student, inquirunt veritatem et intellectum « intelligibilium Eloquiorum », id est Scripturarum : quæ dicuntur Eloquia intelligibilia, id est spiritualia, pura et quasi immaterialia, quoniam docent et hortantur nos sensibilia et terrena transcendere, atque divina et immaterialia totis

A affectare præcordiis. Sensibilia quippe et intelligibilia in hoc differunt, quod sensibilia sunt grossa atque corporea ; intelligibilia vero, abstracta a materia, et ejus appendiciis depurata. *Si enim participantia excelsiorum universitatum non sunt ultima,* hoc est, « si », pro quia, « ultima », id est ima et inferiora, non participant universitates, id est universas perfectiones, seu universaliter illuminationes, « excelsiorum », id est sublimiorum ordinum, ut in fine præcedentis capituli clarius expositum est, *ob quam causam secundum nos summus sacerdos,* id est pontifex hominum, *angelus Domini omnipotentis ab Eloquiis nominatur?* Scriptum est enim in Malachia : Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirent ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est.

B (marginal letter)

*Malach.* II, 7.

*Est autem non contraria ratio, ut æsti-*

*mo, ante definitis,* id est, objectio ista non A derogat prædeterminatis. *Dicimus enim, quia universali et superposita majorum ornatuum virtute relinquuntur ultimi,* id est, hoc affirmamus quod inferiores deficiunt a « virtute universali et superposita », id est a perfectione et plena ac eminenti proprietate, « ornatuum majorum », id est ordinum superiorum. Attamen aliquid de proprietate participant eorumdem. Unde subjungitur : *Mediam enim et proportionalem participant juxta unam simul cunctorum et conjuncti-* B *vam societatem,* id est, omnes superiores inferioresque ordines simul participant quamdam « mediam » convenientiam et virtutem omnibus comproportionatam, commensuratam et competentem, « juxta societatem unam cunctorum et conjunctivam », id est unitivam eorum ad invicem. Quemadmodum etiam multæ species in uno conveniunt genere, cujus natura et proprietas in diversis speciebus determinatur ad diversos gradus perfectionum in ipsis ; sic et omnes ordines illi angelici C in quibusdam conveniunt, per quæ societatem habent ad invicem, omnesque simul una integra hierarchia angelica nuncupantur. Quod consequenter declarat.

*Quale est,* id est, id quod dixi, tale quid est, et ita se habet ut dixi, sicut nunc quasi exemplariter declarabo. *Sanctorum Cherubim ordo participat sapientiam et scientiam altiorem,* id est, mentes supernæ de ordine Cherubim, « sapientiam », id est divinorum notitiam, « et scientiam » rerum creatarum, sortiuntur a Deo, qui D eis naturalium rerum scientiam concreavit, juxta illud libri de Causis : Causa prima est creans scientias. Qualem vero seu quantam supernaturalium cognitionem habitualem aut actualem concreaverit seu dederit eis ante eorum confirmationem et glorificationem, quis novit? quamvis de hoc diversi diversimode opinentur. De qua re super secundum Sententiarum, plurimorum æstimationes et scripta collegi. Porro in Verbo æterno cognoscunt etiam multa de creaturis. Similiter per scientiam inditam multa de naturalibus et supernaturalibus rebus agnoscunt. Summa vero eorum sapientia, beatifica visio Dei est. Ex illuminatione quoque ordinum superiorum, multa sciunt inferiores. Participant ergo spiritus illi Cherubici sapientiam et scientiam, imo excellentiam grandem in eis. Unde et Cherubim, id est plenitudo scientiæ, seu pleni scientia, nominantur. *Sub ipsis autem essentiarum dispositiones,* id est ordines mentium supernarum sub Cherubim bene dispositi, *participant quidem et ipsæ sapientiam et scientiam* multiplicem, sicut de Cherubim dictum est. Imo sapientiam et scientiam, ut sunt dona Spiritus Sancti, omnes Beati a Deo sortiti sunt. *Particularem tamen ad ipsos*, et subjectam,* id est notitiam non tam generalem ac latam, sed magis contractam, « et subjectam », id est inferiorem scientiæ superiorum.

* illos

Deinde exprimit in quo omnes conveniunt. *Et quidem,* id est pro certo, *omnino in participatione sapientiæ et scientiæ esse, commune est omnibus deiformibus intellectibus,* id est, cunctis creatis substantiis intellectualibus Creatori conformibus, est commune, sapientiam et scientiam participare. Quid enim habent quod non acceperunt? *Attente autem, et primo, aut secundo, aut infra,* id est sapientiam et scientiam participare in tali vel tali gradu, puta « attente », id est speciali aviditate et attentione præcipua, « et primo » loco, quod spectat ad Seraphim, « aut » loco « secundo », quod pertinet ad Cherubim, « aut infra », videlicet loco tertio aut quarto, quod est ordinum proportionaliter inferiorum, *nequaquam commune,* id est, non est commune omnibus, *sed sicut unicuique,* id est prout cuilibet choro, *ante propria definitur analogia :* id est, cuilibet ordini convenit sapientiam et scientiam participare, secundum mensuram sibi a Deo præfixam, et prout ab æterno ei prædeterminatum est, convenienti proportione respectu et compa-

I Cor. IV. 7.

ratione ad alios, ut in omnibus condecens A ordo servetur.

*Hoc* autem et de omnibus divinis mentibus non fortassis quis errans definiet,* id est, de universis illis deiformibus intellectibus aliquis « definiet », id est affirmabit, « fortassis hoc », utpote quod inferiores aliquo modo participant proprietates, virtutes et actiones superiorum, « non errans », quia non errat in hoc. *Etenim, sicut primi abundanter* habent minorum pulchras sanctasque proprietates, sic habent ultimi eas priorum, non* B *tamen similiter, sed infra :* id est, quemadmodum superiores ordines « habent proprietates » præclaras inferiorum cum plenitudine quadam, sic inferiores sortiti sunt proprietates superiorum per imitationem et participationem aliquantam et deficientem : ideo sequitur, « non tamen similiter, sed infra », id est non tam excellenter ut sunt in superioribus choris, « sed infra » gradum eminentiæ tantæ.

* Hæc

* abundantius

Ex quibus concludit : *Nihil ergo (ut æstimo) inordinatum,* id est, nulla de- C ordinatio est, *si et secundum nos summum sacerdotem, angelum Theologia vocat,* id est, quod Scriptura pontificem hominum nominat angelum, *juxta virtutem propriam participantem angelorum hypoprophetica* proprietate,* id est ipsum sacerdotem « participantem », id est communicantem, « proprietate hypoprophetica », id est subprænuntiativa, et quasi prophetali ac annuntiativa, « angelorum », ita quod instar angeli desuper purgatur, illustratur, perficitur, et subditos suos D purgat, illuminat, perficit, ac ea quæ Dei sunt, ipsis annuntiat, atque futura pericula, præmia et tormenta prænuntiat ipsis, « juxta virtutem propriam », id est, prout sibi possibile est, et juxta potestatem et auctoritatem sibi concessam, *et ad manifestativam eorum similitudinem, quantum possibile hominibus, extentam*,* id est secundum virtutem suam « extentam », id est porrectam et elevatam, « ad similitudinem eorum manifestativam », id est ad imitandum manifestationem angelorum, qui ea quæ Dei sunt, manifestant hominibus : quod summus sacerdos pro suis viribus imitando et exercendo, angelis se conformat. Quod rationabiliter dici ac fieri probat jam a majori.

* prophetica

* extentum

*Invenies autem quia et deos Theologia vocat, et cœlestes et supernas essentias, et apud nos amicissimos Dei et mirabiles viros,* id est, in Scripturis poteris invenire, quod tam angelicos spiritus, quam homines virtuosos Deo præcaros, Theologia nominet deos. Unde in Evangelio ait Salvator, Illos dixit deos, ad quos sermo Joann. x, 35. Dei factus est : juxta illud Psalmi, Ego Ps. LXXXI, 6. dixi, Dii estis. In Exodo quoque ait Scriptura : Diis non detrahes ; itemque, Do- Exod. XXII, 28. minus applicabitur ad deos ; et rursus ad Ibid. 8. Moysen, Ecce constitui te deum Pharao- Ibid. VII, 1. nis. Quos certum est non esse nec dici deos, nisi participatione quadam divinarum proprietatum, et assimilatione aliqua virtutum ac sanctitatis, non autem naturaliter aut essentialiter deitatem veram habendo. Propterea subditur :

*Et quidem divinum secretum obscuritate* superessentialiter simul omnibus et remotum et supercollocatum :* hoc est, esse « divinum » et increatum, « secretum », id est incomprehensibile et ignotum quantum ad quid est, et sua « obscuritate », id est caligine, hoc est superlucidissima et incomprehensibili claritate ac majestate, « et remotum » est « et supercollocatum omnibus simul », id est universa in infinitum transcendens, « superessentialiter », id est extra omne genus et super omnem ordinem rerum ; *et nullum ab eorum quæ sunt, simile nominari proprie et omnino valet,* id est, « nullum eorum quæ sunt » a Deo creata aut facta, « valet nominari simile » Deo « proprie », id est naturaliter et univoce, « et omnino » perfecte et omnifarie, sed solum imitative et analogice ac deficienter. Propter quod scriptum est in Isaia : Cui similem fecistis Is. XL, 18. Deum ? aut quam imaginem ponetis ei ?

* alias om. obscuritate

Exod. xv, 11. In Exodo quoque : Quis similis tui in fortibus, Domine? quis similis tui? Atque in Ps. lxxxv, 8. Psalmo : Non est similis tui in diis, Domine, et non est secundum opera tua.

*Verumtamen quæcumque et intellectualium et rationalium, ad unitatem ejus, et qualiscumque virtus, universaliter convertitur :* hoc est, « quæcumque intellectualium et rationalium » creaturarum, « et » generaliter « virtus » quæcumque angelorum aut hominum, « convertitur universaliter », id est omnibus viribus suis, « ad unitatem ejus », id est ad ipsum Luc. x, 42. qui est simplicissimum unum, quod solum ac summe necessarium est, per contemplationem assiduam fervidumque amorem; *et ad divinas ipsius illuminationes, quantum possibile, incessabiliter extenditur,* id est, disponit se et suspirat ad hoc, quod illuminetur a Deo indesinenter, quantum conditioni creaturæ possibile est; *secundum virtutem, si justum dicere, divina imitatione et divina univocatione digna facta est :* hoc est, talis creatura per charismata gratiæ Dei « digna » effecta est « secundum virtutem », id est secundum gradum et excellentiam suæ virtuositatis ac bonitatis, « imitatione divina », ut Dei imitatrix vocetur (juxta illud Apostoli, Ephes. v, 1. Imitatores Dei estote sicut filii carissimi), « et univocatione divina », id est nominatione vocabuli ejusdem cum Deo, ut scilicet participative deus vocetur. Unumquodque enim in illud quodammodo transformatur, quod maxime diligit, et ad quod toto corde afficitur; atque illius nomen sortitur, cujus proprietates et actus potissime sectatur, exercet, continuat. Quumque supergloriosissimi et supersanctissimi Dei vita, sit sui ipsius æterna, superclarissima ac superpura contemplatio, infinita quoque, incessabilis et superardentissima

A dilectio : constat quod viri heroici, contemplativi, et in sancto amore perfecti, merito dii vocentur, maxime comprehensores, quorum tanta est excellentia super nos, quod qui minor est in regno Dei, Matth. xi, 11. major ac perfectior diviniorque consistat, secundum id quod nunc actualiter est, seu secundum præsentem justitiam, perfectissimo viatore, quamvis secundum prædestinationem æternam longe sit aliter.

Denique juxta hunc modum, etiam Plato in Timæo inducit summum Deum loquentem ad causas superiores secundas : O dii

B deorum ! quorum idem pater et opifex ego. De incomprehensibilitate autem et incomparabili excellentia et incognoscibilitate et incognitione veri Dei, ait Proclus theoremate centesimo vicesimo tertio : Ens primum, propter substantialem suam unitatem, incognoscibile et indicibile est omnibus simul secundis. Neque enim meditabile, neque opinabile, neque intelligibile est ens divinum et primum. Imo penitus est ignotum, quum prorsus causam

C non habeat. Theoremate demum centesimo tricesimo tertio : Proprietas (inquit) divina distinxit unitates et bonitates deorum. Neque enim omnes deorum existentiæ adæquantur uni vero Deo : tantam ille ad multitudinem deorum sortitus est excellentiam. De hoc summo et superpræstantissimo ac supermetuendissimo Deo dixit Porphyrius : Hic est universitatis auctor, quem polus, tellus pontusque contremunt, et ipsa numina perhorrescunt. Postremo, ut in Timæo asserit

D Plato : Homini cum Deo est appellationis parilitas, consortiumque naturæ. Verum, quod dictum est, « digna facta est univocatione divina », non est sic accipiendum, quod aliquid de Deo et creaturis dicatur univoce, sed sicut expositum est.

## PARAPHRASIS ABBATIS VERCELLENSIS

QUÆRUNT etiam qui sacras Scripturas intelligere desiderant, noster quare hierar- *Malach.* II, 7. cha dicatur angelus Domini exercituum, quum supra dictum sit, quod inferiores non participant illuminationibus supernorum in eadem plenitudine qua et illi. Respondemus, quod non est hoc contrarium supra dictis. Inferiores enim, licet non in eadem plenitudine, tamen idem lumen participant, alii sublimius, alii inferius. Unde ab eodem possunt denominari. Verbi gratia : ordo Cherubim participat sapientia et cognitione Dei sublimius quam inferiores ordines ; ordines autem inferiores omnes participant sapientia et cognitione, ita quod inferiores semper participant particulariter respectu superiorum. Commune est enim omnibus mentibus deiformibus, participare simpliciter sapientia et cognitione ; sed participare in gradu primi ordinis, vel in gradu secundi, aut cujuslibet inferioris, non est omnibus commune, sed singuli participant secundum gradus proprios. Quod autem de ordinibus angelicis diximus, de omnibus divinis mentibus recte sentitur. Sicut enim superiores mentes habent virtutes et scientias A inferiorum abundantius inferioribus, sic inferiores participant virtutibus et scientiis superiorum, non æqualiter illis, sed inferius. Non ergo inconvenienter hierarcha noster, in sacra Scriptura vocatur angelus : et ipse secundum suam virtutem participat annuntiativa virtute, scilicet proprietate angelorum, et ad imitationem manifestationis angelicæ, docet homines divina et cœlestia. — Etiam invenitur in sacris Scripturis, quod sacra Scriptura tam cœlestes virtutes, quam præcipuæ sanctitatis *Ps.* LXXXI, 1; et excellentiæ viros et Deo carissimos, vo- *Exod.* VII, 1; XXII, 8, 28. cat deos : quamvis divina substantia secun- B dum se ab omnibus et omnium communione supersubstantialiter separetur et elevetur, et omnino nihil exsistentium aliquo modo sit ei comparabile. Verumtamen omnes cœlestes mentes et homines, qui ad unius unitionem secundum uniuscujusque virtutem omnino convertuntur, et secundum ipsorum possibilitatem ad divinas ipsius illuminationes incomprehensibiliter extenduntur : omnes, inquam, juxta singulorum capacitatem, si licet dicere, digni habentur et Dei imitatione, et divina æquivocatione.

# CAPITULUM XIII

### QUARE A SERAPHIM DICATUR PURGATUS FUISSE PROPHETA ISAIAS.

AGE, et hoc secundum virtutem inspiciamus, ut quid a theologis Seraphim *Is.* VI, 6. missus fuisse dicitur. Etenim responderit quisquam, quia non suppositorum quisquam angelorum, sed unus quidam e maximis essentiis in numeris purgat sacerdotem. Quidam ergo aiunt, quia juxta jam ante redditam cunctorum intellectuum societatis definitionem, non unam circa Deum primarum mentium nominat eloquium in theologi purgationem venisse, quemdam vero nobis præstantium angelorum sanctificantem Prophetæ purgationem, Seraphim æquivocatione vocatum fuisse, propter igneam et cœlestem dictorum ablationem peccatorum, et

purgati in divinam obedientiam resuscitationem. Et eloquium, unum ex Seraphim simpliciter dixisse aiunt, non circa Deum collocatorum, sed nobis præstantium purgativarum virtutum.

Alter autem non nimis inconvenientem quamdam mihi præstitit apologiam super hujusmodi statu. Ait enim, quia propriam sacrificativam purgationem, magnus ille qui tunc erat visionem formans angelus in docendum divina theologum, in Deum, et post Deum in præoperatricem hierarchiam, reposuit. Et numquid ergo hæc ratio verax est? Ait enim qui hoc dixit, quomodo divina virtus in omnia veniens implet, et per omnia immensuraliter pervenit, et omnibus iterum est invisibilis, non solum quasi ab omnibus superessentialiter remota, sed et quasi occulte in omnia permittens providas suas operationes. Sed tamen et omnibus intellectualibus proportionaliter superlucet, et propriam illuminationem ingerens pretiosissimis essentiis, per eas quasi primas, in submunitas se bene ornate distribuit secundum uniuscujusque dispositionis contemplationem commensurativam.

Quam ut apertius dicam, et per propria exempla, etsi deficientia Deo ab omnibus remoto, verumtamen nobis manifestiora : Solaris radii distributiones in primam materiam bene distributæ, implent omnium lucidiorem, et per eam manifestius proprios declarant splendores. Accedens vero crassioribus materiis, obscuriorem habet distributivam superapparitionem, ex illuminandarum materiarum ad illuminationis distributivum habitum importunitate ; et paulo post ex hoc ad perfecte vere indistributum coarctatur. Iterum, ignis caliditas magis se ipsam distribuit in capaciora, et ad similitudinem suam bene convenientia et facilia ; ad vero reformationibus contrarias essentias, ipsa nullum aut absconsum primitivæ operationis vestigium manifestat. Et hoc eo amplius, quia his quæ non sunt cognata, per optima sibi habentia admittitur primum : utpote ignita faciens ab igneis facile mobilia, et per hæc, aut aquam, aut alterum quid non facile ignescentium, proportionaliter calefican.

Juxta hanc igitur naturalis ordinationis rationem, supernaturalis ipsa omnis boni ornatus visibilis et invisibilis ordinatio, congruæ dilucidationis claritatem primo apparentem, ut in copiosissimis effusionibus, excellentissimis manifestat essentiis, et per eas quæ post sunt essentiæ divinum participant radium. Hæ enim primo cognoscentes Deum, et divinam supereminenter desiderantes virtutem, et præoperatrices fieri, quantum possibile est, Deo simili virtute et actione dignæ effectæ sunt : et post se essentias ipsæ ad similem virtutem, ut virtus, deiformiter extendunt, copiose ipsis tradentes ex superveniente in eas claritate ; et illæ iterum subjectis ; et per singulas, prima ei quæ est post ipsam, tradit. Ipsa aqua nonne et in omnes proportionaliter pervenit? Est ergo simul cunctis illuminatis principium illuminandi Deus quidem natura, et vere, et proprie, ut luminis essentia, et ipsius esse et videre causalis. Tum deiformiter et Deo similiter permanens superpositum, post se unicuique, divina lumina per se in illud transvehendo. Ergo excellentissimam cœlestium animorum dispositionem, simul omnium reliquarum essentiæ, secundum

quod consequens est, post Deum principium mirantur omnis sacræ et divinæ scientiæ, et divinæ imitationis, tanquam per illas in omnes et nos divina illuminatione distributa. Propter quod et omnem sacram et Deo similem operationem, in Deum quidem quasi causalem referunt; deinde in primos deiformes intellectus, tanquam primos operatores divinorum et magistros. — Non ergo prima sanctorum angelorum dispositio magis simul omnibus habet igneam proprietatem, et effusam divinæ sapientiæ traditionem, et mysticam excelsissimæ divinarum illuminationum scientiæ, et sessivam proprietatem gestantem, divinam susceptionem significantem? Ipsæ vero suppositarum dispositiones essentiarum, igneam, sapientem, scientem, Dei susceptoriam virtutem participant quidem infra, et ad primas adspicientes, et per eas, ut imitatione divina præoperative digne factas, in deiformitatis possibile reductæ. Dictas ergo sanctas proprietates, quarum participatio per primas post ipsas subsistentes fiunt, ipsis illis post Deum tanquam hierarchiis reponunt.

Ait ergo hæc dicens, visionem ab illo susceptam fuisse theologo per unum imperantium nobis sanctorum et beatorum angelorum, et ante illuminativam ipsius manuductionem, in illam sanctam contemplationem reposuisse. Et supersedere videt excelsissimas essentias, quantum in symbolis dicendum, post Deum, et cum Deo, et circa Deum collocatas, et omnibus etiam ipsis superarcane sublimiorem superprincipalem summitatem, in medio superfirmatarum virtutum supercollocatam. Didicit ergo visionibus ipse theologus, quia juxta omnem superessentialem supereminentiam, incomparabiliter supercollocatum est divinum simul omni visibili et invisibili virtuti; atqui, quia omnibus est remotum, ut universale, neque primis eorum quæ sunt essentiis simile; adhuc, et omnium ipsum principium et causam substantificam esse, et eorum quæ sunt, secreta singularitate immutabile fundamentum, ex quo et esse, et bene esse, etiam ipsis summe munitis est virtutibus.

Deinde easdem sanctissimorum Seraphim edoctus est deiformes virtutes : sacra quidem ipsorum cognominatione, quod est ignitum (de quo paulo post nos dicemus, cap. xv.
quantum nobis possibile subintroducere in deiforme ignitæ virtutis), anagogas. Alarum vero expansa sacra formatione, in divinum, in primis, in mediis, in ultimis *Is.* vi, 2.
intellectibus, absolutam et altissimam extensionem. Sed et eorum multificum et multiforme videns intellectualis theologus, et alis distingui eam subtus pedes, et eam subtus faciem visionem, et eum in mediis alis supermotum, ad invisibilem eorum quæ visa sunt, reductus est scientiam, manifestata ei altissimorum intellectuum multivia et multivida virtute, et eorum sacra formidine quam habent supermundane in altiorum et inferiorum superbam et audacem et impossibilem scrutationem; et in commensuratione Deum imitantium actionum incessabile et altivolum semper motionis. Sed et illam divinam et multum pretiosam hymnodiam eruditus est, formante visionem angelo secundum virtutem ipsi theologo, et tradente propriam sacram scientiam.

Docuit ergo eum et hoc, quia purgatio est quantumcumque purgatis, ipsa divinæ claritatis incognitæ, quantum possibile, participatio. Hæc autem ex ipsius

Divinitatis remotis causis, quum omnes sacros intellectus superessentiali occultatione perficit, altissimis circa se virtutibus manifestior quoquomodo est, et magis semetipsam manifestat et distribuit. Deinde secundis, aut novissimis, aut nostris intellectualibus virtutibus, quantum ab ipsa unaquæque secundum deiforme exsistit, sic manifestam suam illuminationem conducit ad propriæ occultationis laudandum ignotum. Lucet autem per singula secundis per prima. Et si oportet breviter dicere, primo ex occulto ad manifestum ducitur per primas virtutes. Hoc ergo theologus didicit ex lucem ducente eum angelo, hoc est, purgationem et omnes divinas operationes per primas essentias relucentes, in omnes reliquas distribui, secundum uniuscujusque ad deificas participationes analogiam. Propter quod et ignite purgativam proprietatem, ipsis Seraphim consequenter post Deum reposuit.

Nihil ergo inordinatum, si purgare dicitur theologum Seraphim. Sic enim purgat Deus omnes, quorum totius purgationis est causa. Magis autem (proximo enim utemur exemplo) sicut secundum nos summus sacerdos per suos ministros aut sacerdotes purgans aut illuminans, ipse dicitur purgare et illuminare, per ipsum purgatis ordinibus, per se in ipsum reponentibus proprias sacras operationes ; sic et propriam purgativam scientiam et virtutem, ipse purgationem theologi perficiens angelus, in Deum quidem, veluti causalem, deinde in ipsum Seraphim, tanquam primo agentem summum sacerdotem, reponit. Veluti fortassis quis dixerit, cum angelica reverentia purgatum edocens : Quia in te ante me perficiendæ purgationis principium quidem est excelsum, et essentia, et creator, et causalis, primasque essentias ad esse adducens, et circa se collocatione continens, et observans inconversibiles et casu carentes, et se ipsum movens in primas propriarum providarum operationum participationes. Hoc enim hic me docens, ait ipsius Seraphim manifestare jussionem. Summus autem sacerdos, et post Deum dux, ipse præstantium essentiarum ornatus, a quo ego purgare deiformiter eruditus sum, ipse igitur est per me te purgans, per quem proprias providas actiones ex occulto et in nos produxit ipsa totius causa et opifex purgationis.

Hæc ille quidem docuit me, tibi autem ego trado. Tuæ autem concesserim intellectuali et discretivæ scientiæ, aut alteram partem dictarum causarum absolvi
* ante a dubitatione, et eamdem honorare ; aut* alteram, tanquam consequens, et rationabile, et æque verum habentem ; aut a te ipso quod vere vero vicinius invenire, aut ab altero discere (Deo videlicet dante, et prius recipientibus angelis), et angelorum amicis nobis revelare per ejus magis amabilem contemplationem.

# ARTICULUS LXI

ELUCIDATIO INITII CAPITULI HUJUS DECIMI TERTII : PRIMA OPINIO CUR UNUS DE SERAPHIM DICATUR MISSUS AD PURGANDUM ISAIAM.

MOVIT sanctus hic auctor, cur ad Isaiæ purgationem dicatur unus de Seraphim missus : quod videtur præinductis contrarium, in quibus præhabitum est quod spiritus primæ hierarchiæ non mittantur ad exteriora agenda.

*Age,* id est eia, *et hoc secundum virtutem inspiciamus,* id est, pro posse consideremus, *ut quid a theologis Seraphim missus fuisse dicitur.* Lincolniensis ponit sic : Cujus gratia ad unum theologorum Seraphim missus esse dicitur. Sic enim

Is. VI, 6. in Isaia habetur : Volavit ad me unus de Seraphim. *Etenim responderit quisquam,* id est, ad hoc forsitan aliquis poterit respondere, *quia,* id est quod, *non suppositorum quis* angelorum,* id est non aliquis angelorum superiorum, qui scilicet fuerit de prima hierarchia, et de primo ordine ejus, qui Seraphim appellatur, *unus vero* quidam ex maximis essentiis in numeris purgat sacerdotem,* id est, « unus quidam » directus « ex maximis essentiis », id est ab aliquo supremorum spirituum, contentus « in numeris », id est in numero inferiorum, « purgat sacerdotem », id est Isaiam prophetam. Porro aliqui habent sic : Quia non suppositorum quis angelorum, id est quod non aliquis angelorum inferiorum, sed unus ex maximis essentiis, id est unus supremorum, in illorum numero collocatus seu eis annumeratus, purgat Prophetam. An vero Isaias fuit sacerdos, apparet incertum : quia ut dicunt Hebræi, et sanctus attestatur Hieronymus, Isaias fuit de stirpe regali, et cognatus regis Ezechiæ, et per

Hebr. VII, 13, 14. consequens ex tribu Juda, ex cujus tribu nemo præsto fuit altari, secundum Apostolum ad Hebræos. Verumtamen tribus regalis et sacerdotalis communiter consociatæ erant connubio. Poterat forsitan ex uno latere esse de stirpe sacerdotali. Si autem non fuit sacerdos legalis de tribu Levi proprie dictus, dicendum quod metaphorice vocatur sacerdos, quoniam sacra dans, et sancta docens. Unde in isto volumine sancti angeli quandoque sacerdotes vocantur, et juxta Joannem Sarracenum et Scotum, hierarchia interpretatur cœleste sacerdotium seu pontificium.

* suppositorum quisquam

* sed unus

*Quidam ergo aiunt, quia juxta jam ante redditam cunctorum intellectuum societatis definitionem :* id est, aliqui dicunt, quod « juxta definitionem societatis intellectuum cunctorum », id est juxta prædeterminatam doctrinam et explanationem societatis, id est communionis et convenientiæ, omnium spirituum supernorum, quos diximus in aliquibus proprietatibus, viribus et actibus convenire : definitionem, inquam, « redditam ante », id est præcedenti capitulo assignatam a nobis ; *non unam circa Deum primarum mentium nominat eloquium in theologi purgationem venisse,* id est, quod « eloquium », utputa sermo Isaiæ prætactus, « nominat », id est affirmat, « venisse in purgationem theologi », id est ad purgandum peccatum Isaiæ loquentis de Deo, « non unam mentium », id est intellectualium substantiarum, exsistentium « primarum circa Deum », id est adsistentium Creatori et proximarum eidem, videlicet in ejus vestibulis collocatarum, ut septimo capitulo expositum est ; *quemdam vero nobis præstantium angelorum,* id est unum angelorum infimæ hierarchiæ præsidentium hominibus et præstantium eis illuminationes ; vel, « præstantium », id est

** sanctificantem Prophetæ purgationem*

digniorum eis; *sacrificantem Prophetæ **, A id est, sacra documenta dantem Isaiæ; vel, « sacrificantem » Isaiæ, id est, oblationes et preces ejus offerentem Deo, per quæ omnia Isaias purgabatur, quemadmodum ad Tobiam Raphael loquitur : Quando orabas cum lacrimis, et sepeliebas mortuos, ego obtuli orationem tuam Domino.

*Tob.* xii, 12.

** æquivocatione vocatum fuisse*

*Seraphim æquivoce vocatum **, id est alia ratione quam spiritus primi et summi chori ita vocantur, qui ab excessu caloris divini amoris, Seraphim nuncupantur. Iste vero angelus dictus est Seraphim improprie et extense, propter participationem et similitudinem actus sui cum actu seraphico : quemadmodum etiam homines in divino amore præfervidi, ac alios eodem inflammantes, dicuntur seraphici, sicut hic ipse magnus Dionysius, Augustinus, Franciscus. Hinc subditur : *propter igneam et cœlestem dictorum ablationem peccatorum,* id est « propter ablationem igneam et cœlestem peccatorum dictorum », id est culparum verborum Isaiæ : quarum culparum in verbis consistentium purgatio dicitur ignea, quia per ignis contactum describitur facta; et cœlestis, quoniam ministerio cœlestis nuntii, scilicet angeli, facta est; *et purgati in divinam obedientiam resuscitationem,* id est ob hoc quod angelus per præfatam purgationem resuscitavit et reaccendit Isaiam, ad obediendum Deo prompte ac fervide in legatione ei commissa.

*Is.* vi, 6, 7.

*Et eloquium, unum ex Seraphim simpliciter dixisse aiunt,* id est, isti dicunt « eloquium », id est scripturam Isaiæ præallegatam, « dixisse simpliciter unum B ex Seraphim » venisse ad Isaiam, *non circa Deum collocatarum*, sed nobis præstantium purgativarum virtutum,* id est « non » unam « virtutum purgativarum collocatarum circa Deum », id est non unam mentium supernarum sublimiorum, quæ purgativæ sunt inferiorum, « sed » unam virtutum, id est unum angelorum, « præstantium nobis » : sicut expositum est. Verumtamen hoc expresse non dicit scriptura illa Isaiæ; sed præsupposito seu ostenso quod angelus ille non fuit de ordine C Seraphim, elicitur ex prædictis quod fuit de infima hierarchia.

** collocatorum*

# ARTICULUS LXII

### LUCIDIOR EORUM QUÆ MODO SUNT DICTA, TRACTATIO.

PORRO, ut hæc clarius intelligantur, tangenda sunt breviter verba Isaiæ : Vidi, inquit, Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum; et ea quæ sub ipso erant, replebant templum. Seraphim stabant super illud, etc. Et dixi : Væ mihi, quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum, et in medio populi polluta labia habentis ego habito. Et volavit ad me unus de Seraphim, et in manu ejus calculus, quem forcipe tulerat de altari. Et tetigit os meum, et dixit : Ecce tetigi hoc labia tua, et auferetur iniquitas tua.

*Is.* vi, 1-7.

Quocirca sciendum, quod totum istud D ostendebatur Isaiæ in visione imaginaria, in qua videbatur ei quod sensibiliter vidit Deum sedentem in loco et solio elevato in aere super templum civitatis Jerusalem, atque quod duo Seraphim stabant super illud, hoc est super templum, unus a dextris Dei, et alius a sinistris. Tunc quoque apparuit Isaiæ in visione, quod unus de Seraphim volavit et abstulit de altari holocaustorum seu incensorum, carbonem ignitum, quo incendere videbatur peccatum Isaiæ, linguam ejus ita purgan-

do. Denique visionem illam imaginariam A repræsentavit angelus sanctus in interiori sensu Isaiæ, in cujus sensu interiori formavit sensibiles similitudines rerum quas Propheta postea se scripsit vidisse. Non ergo vidit illa reali exhibitione. Idcirco ex istis non sequitur, quod aliquis spiritus de ordine Seraphim realiter venit ad Isaiam.

Amplius istam solutionem tangit in homilia B. Gregorius, nec approbans eam, nec reprobans, quamvis fateatur angelos inferiores a superioribus aliquando mitti. Sed an angeli superiores interdum in propriis mittantur personis, relinquit sub dubio.

Gregorius, hom. 34.

Thomas vero in prima parte Summæ, hoc ipsum determinat : Secundum legem, inquiens, rebus a divina sapientia inditam, inferiora per superiora reguntur. Verumtamen in corporalibus ordo iste aliquando non servatur, propter ordinem altiorem, secundum quod, Deo dispensante, expedit ad gratiæ declarationem : ut in illuminatione cæci nati, resuscitationeque C mortui, quæ immediate fiunt a Deo, sine concursu et ordine intermediarum causarum. Deus quoque posset per se immediate hominibus revelare sua secreta ac futura, et angelo inferiori, non per angelum superiorem. Attamen secundum communem cursum ita non facit. Hinc quidam dixerunt, quod quamvis secundum legem communem non mittantur ad exteriora angeli superiores, sed inferiores, ex aliqua tamen speciali ratione et dispensatione, mittuntur quandoque etiam su- D periores. Quod non videtur rationabiliter dictum, quoniam ordo angelorum attenditur penes charismata gratiarum : qui ordo est summus, nec habet altiorem propter quem omittatur, sicut omittitur ordo naturæ propter ordinem gratiæ. Rursus omittitur ordo naturæ propter fidei confirmationem : ad quam confirmationem non prodesset omissio ordinis gratiæ, quum non perciperetur a viatoribus. Insuper nullum ministerium est tam magnum, quod per angelos inferiores exhiberi non valeat, præsertim quum dicat Gregorius : Archangeli sunt qui maxima nuntiant. Incarnationis quoque mysterium fuit maximum B omnium, et tamen per Archangelum fuit annuntiatum. Si autem objiciatur quod ait Apostolus, Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos qui hereditatem capiunt salutis ? dicendum, quod sicut in divinis Personis est missio duplex, una invisibilis, ratione spiritualis effectus, alia visibilis, per formam creatam aut similitudinem sensibilem foris exhibitam ; ita in angelis duplex est missio : una exterior, circa corpoream creaturam, et ita non omnes mittuntur ; alia est missio angelorum interior, secundum actiones intellectuales, prout unus illuminat alium, sicque omnes mittuntur. Hinc cum S. Dionysio est dicendum, quod angeli superiores ad exterius ministerium nunquam mittuntur. Hæc Thomas. In quibus quum consonet magno Dionysio, non contradico : quamvis contrarium dicens, dicere possit, quod sicut ordo gratiæ supra ordinem est naturæ, sic ordo gloriæ sit supra ordinem gratiæ, nisi unum horum includatur in alio. Attamen supra omnes hos ordines, est ordo divinæ providentiæ ac infinitæ sapientiæ Dei : quem ordinem nulli ordines creati possunt plenarie repræsentare.

*Hebr.* I, 14.

# ARTICULUS LXIII

## ALIA QUÆSTIONIS SEU OBJECTIONIS PAULO ANTE FACTÆ ET SOLUTÆ, SOLUTIO.

CONSEQUENTER tangitur alia prætactæ quæstionis solutio.

*Alter autem non nimis inconvenientem quamdam mihi præstitit apologiam super hujusmodi statu :* id est, alius quidam talis ac tantus, quod eum de hac difficultate consulere dignum duxi, « præstitit mihi apologiam », id est satisfactionem, « super hujusmodi statu », id est de tali apparatu, tenore seu dispositione scripturæ præallegatæ ex Isaia, cujus tenor et apparatus videtur et his quæ dixi esse contrarius, nisi bene intelligatur, « non nimis », id est non valde, « inconvenientem » : imo tam convenientem meo judicio, quod dignum statui eam hic recitare, et consentire eidem. Itaque auctor hic minus dicit, et plus innuit. Porro Lincolniensis ponit hanc litteram planius : Alter non nimis inconvenientem præstitit responsionem pro præsenti instantia.

*Ait enim, quia propriam purgativam sacrificationem* *, *magnus ille qui tunc erat visionem formans angelus in docendum divina theologum, in Deum, et post Deum in præoperatricem hierarchiam, reposuit.* Hoc est : Ille mihi asseruit, quod « magnus ille angelus qui tunc erat formans visionem » Isaiæ, sicut expositum est : qui angelus dicitur magnus, eo modo quo quilibet angelus magnus est. Non enim erat de hierarchia suprema aut media, sed extrema, secundum auctorem in textu. « Sacrificationem propriam purgativam », id est operationem illam seu illuminationem et allocutionem, quam exercuit circa Isaiam « theologum docendum in divina », id est erudiendum ab angelo ad intelligendum divina, videlicet quid

*sacrificativam purgationem

A visio illa prophetica designavit : quod angelo illo revelante didicit Isaias. Intelligentia enim est opus in visione, ut Danieli Gabriel ait, qui et ibidem loquitur Danieli : Daniel, vir desideriorum, intellige. Quæ operatio dicitur sacrificatio, quia per eam angelus Deo obtulit sacrificium ei acceptum, hostiam laudis, obedientiæ actum, qui sacrificationi legali præfertur, juxta quod primo Regum libro Samuel protestatur : Melior est obedientia quam victimæ. In Ecclesiastico quoque B fertur : Sacrificium salutare est, attendere mandatis Dei. Dicitur etiam purgativa, tam oris et linguæ Prophetæ, quam mentis suæ, quam erudivit et illustravit. Illam ergo sacrificationem « reposuit » angelus primo « in Deum », id est, Deo eam humiliter et gratanter attribuit et adscripsit, a quo fontaliter principaliterque descendit, « et post Deum, in præoperatricem hierarchiam », id est, adscripsit eam post Deum angelo primæ hierarchiæ, utputa Seraphim : quæ hierarchia vocatur præ- C operatrix. Nam sicut Deo est proxima, sic primo illuminatur ab eo, et sumptam illuminationem communicat inferioribus, sicut et Seraph ille, angelo huic infimæ hierarchiæ. In hac demum locutione totum sumit denominationem a parte, ut moris est.

Dan. x, 1. — Ibid. 11. — I Reg. xv, 22. — Eccli. xxxv, 2.

*Et numquid igitur hæc ratio verax est ?* Verba sunt hæc auctoris sic sciscitantis : Numquid responsio illa est vera et apta ? quasi dicat, Imo. Quod consequenter declarat.

D *Ait enim qui hoc dixit, quomodo divina virtus in omnia veniens,* id est omnipotentia Dei « in omnia veniens », non per sui mutationem aut motum, sed per suæ

bonitatis ac providentiæ operationem, *implet* ea in quæ venit. Nam et omnia implet se ipso ac sua præsentia, in quantum sunt creaturæ ejus, quarum essentiis illa- Jer. XXIII, 24. bitur, sicut per Jeremiam effatur : Numquid non cœlum et terram ego impleo ? * immensuraliter *Et per omnia immensurabiliter* pervenit*, est enim incircumscriptibilis, nec aliqua potest mensura determinari, comprehendi, finiri. Nec obest quod æternitas dicitur ejus mensura, quia secundum actum rationis est hoc, quum ipse sit sua æternitas, et ipsemet vocetur omnium ter- Sap. XI, 21. minator, qui in numero, pondere et mensura constituit universa. Primum quoque in omni genere, censetur esse mensura omnium quæ in illo sunt genere.

*Et omnibus iterum est invisibilis*, id est incomprehensibilis. Corporalibus quoque oculis nequit videri in suæ divini- I Tim. VI, 16. tatis natura : qui teste Apostolo, Lucem inhabitat inaccessibilem. Nec in vita præsenti potest videri per speciem, id est per suam essentiam, de lege communi. Pro- Exod. XXXIII, 18. pter quod Moysi deprecanti, Ostende mihi Ibid. 20. gloriam tuam ; respondit : Faciem meam videre non poteris ; non enim videbit me homo, et vivet. Nihilo minus, nunc videtur per suos effectus, et quia est ; excellentius autem, per sapientiæ donum, et per fidem rationibus credendorum et argumentis credendi illuminatam. Scriptum Job XXXVI, 25. est namque in Job : Omnes homines vident Deum, unusquisque intuetur procul ; et Sap. XIII, 5. in libro Sapientiæ, A magnitudine speciei et creaturæ poterit horum creator cognoscibiliter videri. Omnibus itaque invisibilis est virtus Dei immensa et increata, *non* * quasi ab *solum ab* omnibus superessentialiter remota*, id est, cuncta transcendens suæ perfectionis ac dignitatis immensitate, non locali distantia, quum et in Actibus dicat Act. XVII, 27, 28. Apostolus : Non longe est ab unoquoque nostrum ; in ipso enim vivimus, et movemur, et sumus. *Sed et quasi occulte in* * permittens *omnia præmittens* suas providas opera-* A *tiones*, id est, secretas suas influentias ex sua æterna providentia egredientes, præmittit et præinfundit in omnia, modo nobis occulto. Nam et causa prima plus et primo influit in omne creatum, quam quæcumque causa secunda. Charismata vero gratiarum, lumina sapientiæ et scientiæ, splendores virtutum, caritatis fervorem, visitationes et consolationes internas, secretissime ac multipliciter valde infundit. Propter quod scriptum est in Job : Si venerit ad me, non videbo eum ; Job IX, 11. B et si recesserit a me, non intelligam.

*Sed tamen et omnibus intellectualibus proportionaliter superlucet*, id est, cunctis rationalibus et intellectivis creaturis bene dispositis, desuper fulget et gratiæ suæ fulgorem communicat et immittit « proportionaliter », id est juxta eorum capacitatem ac merita. *Et propriam illuminationem ingerens pretiosissimis essentiis*, id est spiritibus primæ hierarchiæ dignissimis ac valentissimis, *per eas, quasi primas in summa unitas**, id est tan- * per eas quasi primas, in submunitas C quam eminentius ceteris reductas et recollectas in ipsum et in primitias divitiarum suarum. Etenim causa prima est dives in se, et dives in aliis : dives, inquam, non pecunia, sed omnipotentia, perfectione ac gloria infinita. *Se bene ornate distribuit*, id est, dona sua sapienter et ordinate liberaliterque largitur, dans Jacob. I, 5. omnibus affluenter. Nam et Paulo teste, potens est Deus omnem gratiam facere II Cor. IX, 8 ; Ephes. III, 20. superabundare in nobis ultra quam petimus. *Secundum uniuscujusque contem-* D *plativam commensurationem**, id est juxta * dispositionis contemplationem commensurativam adaptationem et proportionem et præparationem cujuslibet mentis creatæ speculativæ, applicantis se illi qui per Jeremiam loquitur : Quis est iste qui applicet cor Jer. XXX, 21. suum ut appropinquet mihi ? Talis enim præparatio et affectuosum desiderium ad bonum divinum, est quasi quidam hiatus atque apertio mentis ad illud suscipiendum.

# ARTICULUS LXIV

## EXEMPLA QUÆDAM PRÆCEDENTEM SOLUTIONEM DECLARANTIA.

DEINDE subjungit sensibilia quædam exempla, quamvis remota et imperfecta.

*Quam,* scilicet Dei illuminationem et ejus varietatem ac multiplicem gradum, *ut apertius dicam,* id est, clarius exponam, *et,* id est etiam, *per propria exempla, etsi deficientia Deo ab omnibus remoto,* id est quamvis multum defectiva et occumbentia a repræsentatione Dei super omnia exaltati (de quo Balaam in Numeris disseruit : Videbo eum, sed non modo, intuebor illum, sed non prope ; et Isaias, Ecce nomen Domini de longinquo venit), *verumtamen nobis manifestiora,* supple, sunt illa exempla : quia a sensibilibus incipit nostra cognitio.

*Num.* xxiv, 17.
*Is.* xxx, 27.

*Solaris radii distributiones in primam materiam bene distributæ,* id est, splendores luminis a sole manantis, bene distributi, id est convenienter communicati et effusi, in rem materialem soli propinquiorem et lucis capaciorem, *implent omnium lucidiorem,* id est, subjectum purius copiosius implent, *et per eam manifestius proprios declarant splendores,* id est, exuberantiam suæ luminositatis clarius pandunt, ita quod corpora sic irradiata, ulterius illuminant alia, ut Venus et Luna.

*Accedens vero crassioribus materiis,* id est, radius solis infundens se impurioribus obscurioribusque subjectis, *obscuriorem habet distributivam superapparitionem,* id est debiliorem luciditatem, quæ vix potest alicui alteri lumen sibi communicatum transfundere : et hoc contingit *ex illuminandarum rerum* inopportunita-*

* materiarum

A *te*,* id est inconvenientia, ineptitudine et dissimilitudine rerum illuminatione indigentium, *ad illuminationis distributivum habitum,* id est ad lumen illud habituale, fixum, firmiterque soli inhærens, quod aliis claritatem infundit diversimode secundum diversam eorum dispositionem : aliter enim recipitur in stellis, aliter in crystallo et vitro, aliter in terra opaca ac luto. Ita lux gratiæ, illuminatio hierarchica, lux divina, abundantius fulget primæ hierarchiæ spiritibus, qui ex pleni- B tudine sibi collata idonei sunt et alios illustrare. Sicque deinceps proportionaliter descendit in secundam, ac demum tertiam, ac tandem in ecclesiasticam hierarchiam : non quod sit lux eadem numero, sed una in genere vel analogia. † *Et paulo post* ad alia adhuc minus apta descendens, *ex hoc* defectu, id est post hunc defectum, *coarctatur* radius solaris ex defectu materiæ, *ad fere* perfecte indistributum,* id est, ad hoc quod nullo modo distribuatur, sive participetur : sicut in C colore nigro, qui causatur ex defectu lucis, modicum retinens de luce ad manifestationem obscuritatis. Ad hunc modum spiritualis lux ad mentes rationales veniens, eas quas puras invenit et defæcatas, perfecte illuminat ; eas vero quas minus aptas reperit, minori claritate et luce obscuriori illustrat. †

* importunitate
* vere

Deinde et aliud subjungit exemplum. *Iterum, ignis caliditas magis se ipsam distribuit in capaciora, et ad similitudinem suam bene convenientia, et bene* D *ducta*.* Talia enim facilius et vehementius calefacit, aut in suam convertit na-

* et facilia

† Hæc quanquam archetypon Dionysii Cartusiani non habet, tamen quia prior editio inseruit, in hac posteriore salva manserunt. (Edit. Colon. ann. 1556.)

turam. Actus enim activorum, sunt in patientibus bene dispositis, secundum Philosophum. Secundum quem etiam susceptivum non est contingens. Porro inter corporalia, sol et ignis, splendor et calor, sunt præcipue repræsentativa Dei ac spiritualium rerum. Propter quod ipsemet Deus in Scripturis Sol sapientiæ, Sol justitiæ, Sol intelligentiæ, ignis, lux, splendor vocatur. *Ad vero reformationibus contrarias essentias, ipsa nullum absconso* primitivæ operationis vestigium manifestat :* id est, caliditas ignis « nullum » primævæ « operationis vestigium » repræsentat, id est, nullum calefactionis effectum producit, « ad essentias contrarias », id est in naturis habentibus in se dispositiones seu qualitates contrarias, « reformationibus », id est calefactionibus per quas ignis conformat sibi calefactibilia (hoc apparet in adamante et crystallo, quæ igne nequeunt resolvi ; nec salamandra igne comburitur, sed nutritur) : et si forsitan forinsecus aliqualiter calefieri videantur, non tamen « absconso », id est in interioribus, calefiunt.

Malach. IV, 2; Sap. V, 6; Deut. IV, 24; Joann. I, 9; Hebr. I, 3.

* aut absconsum

*Et hoc eo amplius,* id est, tanto plus ita est, *quia his quæ non sunt connata*, per opportuna* admittitur primum,* id est, caliditas permittitur operari in sibi contraria, « quæ non sunt » ei « connata », id est conformia, « primum per opportuna », id est primo per quædam sibi magis proportionata; *utpote ignita faciens ab igne* facile mobilia,* id est, calefaciens ea quæ ignis impressionem et calorem faciliter celeriterque recipiunt, ut est vas cupreum aut æreum, *et per hæc, aut aquam, aut alterum quid non facile ignescentium, proportionaliter caleficans,* id est, per vas tale intermedium « caleficans proportionaliter », id est secundum capacitatem rei, « aquam », aut aliud aliquid quod non faciliter ignescit seu calefit immediate per se, ut patet in aqua contenta in olla applicita igni.

* cognata

* per optima sibi habentia

* igneis

# ARTICULUS LXV

EXEMPLORUM ANTE EXPLICATORUM, AD PROPOSITUM APPLICATIO, ET INTENTI CONCLUSIO.

CONSEQUENTER exempla ista ad propositum applicat.

*Juxta hanc igitur naturalis ordinationis rationem,* id est secundum « hanc rationem », descriptionem et proprietatem, « ordinationis », id est cohabitudinis, « naturalis », quæ est inter sensibilia ista activa et passiva, *supernaturalis ipsa omnis boni ornatus visibilis et invisibilis taxiarchia*,* id est summa et increata potestas omnium ordinativa, quæ est origo et causa fontana « omnis boni ornatus » et decoris corporalis ac spiritualis, *congruæ dilucidationis claritatem primo apparentem, ut in copiosissimis effusionibus, excelsissimis* manifestat essentiis :* hoc est, « manifestat claritatem » suæ convenientis ac ordinatæ « dilucidationis », id est illuminationis ac declarationis, « apparentem primo ut in copiosissimis effusionibus », id est liberalissimis communicationibus bonitatum suarum in donis gratiæ et gloriæ : manifestat, inquam, primo « excelsissimis essentiis », id est altissimis spiritibus primæ hierarchiæ, quæ præ ceteris exuberantius illustrantur, ita quod in eis prius ac evidentius apparet ac præsentatur claritas ac munificentia divinarum illuminationum et communicationum. *Et per eas quæ post sunt essentiæ,* id est spiritus seu angeli mediæ hierarchiæ, *divinum participant radium,* id est lumen hierarchicæ irradiationis.

* ordinatio

* excellentissimis

*Etenim primæ* cognoscentes Deum,* id

* Hæ enim primo

est, summæ mentes illæ seraphicæ, cherubicæ, ac thronicæ, Deum in se ipso præ ceteris clarius atque felicius contemplantes, in suis quoque effectibus ipsum limpidius agnoscentes, *et divinam supereminenter desiderantes virtutem,* id est, divinam virtutem sectari eique ordinate assimilari optantes, *et prœoperatrices fieri,* id est ante alias hierarchias effici cooperatrices Dei; *quantum possibile est, Deo senili* virtute et actione dignæ effectæ sunt,* id est, factæ « sunt dignæ Deo virtute senili », id est potestate eis primo loco concessa, et ita se habente per modum senioris ac venerabilioris et præsidentis (nam et prælati, seniores vocantur in prima Petri epistola : Seniores, obsecro, pascite qui in vobis est gregem Dei. Unde Joannes in Apocalypsi : Et viginti quatuor, ait, seniores sedentes), « et actione » hierarchica, Deo excellenter cooperativa in reductione inferiorum ad ipsum : quod est dignitas maxima. Hinc additur :

* simili

I Petr. v, 1, 2.

Apoc. iv, 4.

*Et post se essentias ipsœ ad similem virtutem, ut virtus, deiformiter extendunt :* id est, mentes primæ hierarchiæ « extendunt », id est, erigunt suo exemplo et illustratione, « essentias post se », id est mentes secundæ hierarchiæ, « deiformiter », id est, secundum quod Deus ipsas extendit ad virtutem similem, id est potestatem talem causalem illuminativam, qualem ipsæmet desuper acceperunt : et hoc agunt, « ut virtus », id est, in quantum sunt vigorosæ, divinitus potestatem sortitæ; *copiose ipsis tradentes,* id est, inferioribus liberaliter communicantes, *ex superveniente in eas claritate,* id est, ex clara illuminatione descendente in eas a Deo. *Et illœ iterum subjectis,* id est, mentes secundæ hierarchiæ transfundunt atque communicant spiritibus tertiæ hierarchiæ, non tamen in eadem perfectione ac plenitudine, sicut expositum est; *et per singulas, prima ei quœ est post ipsam, tradit,* id est, per unamquamque hierarchiam hierarchicamque personam, superior communicat inferiori.

A *Ipsa aqua nonne et in omnes proportionaliter pervenit?* id est, nonne ipse humor aquæ, qui se per omnes partes terræ et terrenorum corporum infundit, « proportionaliter », hoc est juxta capacitatem, replet universa, alia plus, alia minus humectans? Huic simile in libro de Divinis nominibus ait : Donum quibuscumque inest, perfecta facit.

*Est ergo simul cunctis illuminatis principium illuminandi Deus,* id est, ipse omnipotens « Deus est » universis « illuminatis » prima et summa causa totius illuminationis, quum ab ipso sit omne lumen naturæ et gratiæ ac gloriæ, *quidem natura, et vere, et proprie, ut luminis essentia,* id est Deus pro certo exsistens lumen « natura », id est naturaliter et ex propria sua natura, « et vere » veritate rei ac sermonis, « et proprie, ut luminis essentia », id est essentialiter lux æterna, imparticipata, supersplendidissima et superpulcherrima, purissima et immensa, in qua nihil est tenebrositatis, nil imperfectionis admixtum, juxta illud primæ Joannis epistolæ : Deus lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ; *et ipsius esse et videre causalis,* id est, Deus est totius esse ac vitæ causativus, quemadmodum ait Philosophus : Ab hoc ente omnibus derivatum est esse et vivere. *Hoc* deiformiter et Deo similiter permanens superpositum, unicuique divina lumina per se in illud post se transvehendo :* id est, prima hierarchia, de qua dictum est paulo ante, « superpositum », id est superlocata atque præposita aliis hierarchiis, est « permanens deiformiter, et », pro id est, « Deo similiter, transvehendo », id est transfundendo et ultra communicando, « unicuique divina lumina » sibi a Deo influxa, « per se », id est immediate, « in illud post se », id est in id quod sibi subjectum est, ita quod sicut ipsa immediate illuminatur a Deo, sic et ipsa immediate illuminat ac dona sibi concessa communicat sequenti se hierarchice, caritative, copiose et gratis.

I Joann. i, 5.

* Tum

*Ergo excellentissimam cœlestium animorum dispositionem, simul omnium reliquarum essentiæ, secundum quod consequens est, post Deum principium mirantur omnis sanctæ* et divinæ scientiæ, et divinæ imitationis, tanquam per illas in omnes et nos divina illuminatione distributa.* « Ergo », id est, quum tanta sit primæ excellentia hierarchiæ, « essentiæ », id est mentes ac spiritus, « omnium reliquarum » hierarchiarum, « mirantur dispositionem excellentissimam », id est primam hierarchiam, « animorum cœlestium », id est intellectuum supernorum, « secundum quod consequens est », id est, prout sequitur et elicitur ex prædictis, tanquam « post Deum principium », id est tanquam principium secundarium et causatum, « omnis sanctæ et divinæ scientiæ », id est totius cognitionis hierarchicæ operum divinorum, « et imitationis », id est assimilationis, « divinæ » : quæ consistit in purgatione, illuminatione, et perfectione, qua superiores purgant, illuminant, et perficiunt inferiores, et eos reducunt ad Creatorem, prout istud frequenter expositum est. Scientiam quippe et sapientiam quam habent Beati in visione divinæ essentiæ, et assimilationem gloriæ in eadem visione consistentem (juxta illud, Similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est), omnes Beati immediate habent a Deo et in Deo, non unus eorum ab alio. Sed verum est istud de « illuminatione » hierarchica et « divina », quæ concernit Dei effectus ac rationes illorum, « distributa », id est multipliciter collata a Deo « per illas » essentias primæ hierarchiæ, « in omnes » spiritus cœlestes inferiores, « et » in « nos » viatores ecclesiasticæ hierarchiæ : et hoc, ordine quodam, ita quod secunda hierarchia illuminatur a Deo, mediante prima ; et tertia hierarchia a Deo et a prima hierarchia, mediante secunda ; porro ecclesiastica hierarchia, a Deo et prima ac secunda hierarchia, mediante tertia, a qua immediate illuminatur.

* sacræ

I Joann. III, 2.

*Quapropter* et omnem sacram et Deo similem operationem, in Deum quidem quasi causalem referunt :* id est, inferiores hierarchiæ « omnem » suam « operationem » hierarchialem, qua operatione Deo assimilantur, « referunt in Deum » cum gratiarum actione, sicut in causam primam, summam et principalem ; *deinde in primos deiformes intellectus,* id est in angelos primæ hierarchiæ, *tanquam primos operatores divinorum,* id est in primos exsecutores effectuum divinorum, secundum processum ordinatum prætactum, *et magistros,* id est tanquam in primos magistros et illuminatores post Deum. Inferiores enim a superioribus docentur et illustrantur de agendis, et de rationibus atque mysteriis operum divinorum. Itaque deiformes intellectus primæ hierarchiæ, non sunt simpliciter primi operatores, sed primi post Deum, et ejus respectu, secundi ; nec sunt primi exsecutores operum divinorum circa exteriora, sed primi revelatores illorum post Deum, quia revelant hierarchiæ secundæ quæ Deus ipsis insinuavit, et dirigunt eam in agendo.

* Propter quod

*Non ergo sancta primorum angelorum* dispositio magis simul omnibus habet igneam proprietatem,* etc. Hoc Scotus exponit juxta quod littera sonat, vel potius aliquid interponendo : Sola, inquiens, prima hierarchia « non habet igneam proprietatem », quia et aliæ participant eam. Porro textus sic sonat, quod « sancta dispositio primorum angelorum », id est suprema hierarchia, « non habet igneam proprietatem magis simul omnibus », id est plus ceteris hierarchiis. Sed hoc est contra præhabita : Seraphim enim ab excellentia et excessu ardoris vocantur. Hinc Hugo sumit hic « non », pro nonne : ut sit sensus, quod utique summa hierarchia præ ceteris « habet igneam proprietatem », id est excellentiorem divini amoris ardorem, quantum ad primum chorum et ordinem in ea contentum, videlicet Seraphim.

* prima sanctorum angelorum

Habet quoque prima hierarchia *et effusam divinæ sapientiæ traditionem,* id est

donationem, quoniam sapientiam atque scientiam præ inferioribus choris abundantius recipit, atque receptas inferioribus copiosius communicat, quantum ad Cherubim; *et mysticum* excellentissimæ* divinarum illuminationum scientiæ,* id est, hierarchia illa, quoad Cherubim, habet « mysticum excellentissimæ scientiæ », id est secretum intellectum præclarissimæ cognitionis, « illuminationum divinarum », quia præ inferioribus choris profundius et universalius eas intelligit; *et sessivam proprietatem gestantem divinam susceptionem*,* id est, prima hierarchia etiam habet « proprietatem sessivam », id est specialiter tranquillam et judicialem, per quam est thronus et sedes divinæ susceptionis, id est Dei in Throno, seu tertio ordine primæ hierarchiæ, residentis et quiescentis. Ita exponunt Hugo, et Vercellensis, et item Lincolniensis, qui alia translatione hic utitur.

* mysticam
* excelsissimæ
* susceptionem significantem

*Ipsæ vero suppositarum dispositiones essentiarum,* id est ordines inferiorum hierarchiarum ac angelorum, *igneam, sapientem, scientem, Dei susceptoriam virtutem participant,* id est, partim sortiti sunt « igneam » caritatis « virtutem », virtutem quoque « sapientem, scientem », id est habitum sapientialem et scientialem, et etiam virtutem ac proprietatem sessivam, qua susceptivi sunt divinæ inhabitationis. Sumitur demum hic virtus, extense, non stricte prout contra scientiam distinguitur. *Quidem infra,* id est, non tam perfecte ut prima hierarchia, *et ad primas adspicientes,* id est, ordines inferiores mentem suam convertentes ad directionem et illuminationem primæ hierarchiæ : quemadmodum in libro de Causis asseritur, quod intelligentiæ inferiores projiciunt vultus suos super formas quæ sunt in intelligentiis superioribus; *et per*

A *eas, ut imitatione divina præoperatrice* digne factas, in deiforme* possibile reductæ,* id est, quatenus mentes angelicæ inferiores reducantur « in deiforme possibile », id est ad conformitatem divinam eis possibilem, « per eas », id est per mentes cœlestes sublimiores, « digne factas », id est dignas effectas, « divina imitatione præoperatrice », id est conformitate deiformi qua præ ceteris Deo sunt similes, in tantum quod habent virtutem præoperativam, per quam sunt Deo co-B operantes et ejus præcepta exsequentes primo loco, utputa prius et excellentius quam chori sequentes.

* præoperative
* deiformitatis

*Dictas ergo sanctas proprietates, quarum participatione* per primas, post ipsas subsistentes sunt*, ipsis illis post Deum tanquam hierarchiis reponunt :* id est, angeli « subsistentes post primas », id est post mentes illas superiores, « reponunt », id est adscribunt, has « sanctas proprietates » primæ hierarchiæ, quas participant, ut igneam proprietatem amo-C ris, sapientiæ claritatem, et sessivam tranquillitatem, « ipsis illis hierarchiis », id est spiritibus superioris hierarchiæ seu ordinis, « quarum participatione sunt », id est habent eas, « post Deum », quia primo ac principaliter fluunt a Deo, cui et eas principaliter semper attribuunt. Verumtamen advertendum, quod sicut angeli a Deo immediate creati sunt, ita ab ipso immediate acceperunt gratiam, et virtutes ac proprietates per quas in suis collocantur ordinibus; nec inferiores hæc D a superioribus habent, nisi quantum ad accidentalem quemdam decorem, usum et complementum. Insuper, per sanctas has proprietates, quidam intelligunt purgationem, et illuminationem atque incensionem quas angelus circa Isaias exercuit, sicut præhabitum est.

* participatio
* fiunt

# ARTICULUS LXVI

VISIONIS ISAIÆ DESCRIPTIO : ET PRIMO QUID EX EA DIDICERIT PROPHETA CIRCA DEUM.

* hæc

A *IT ergo hoc* * *dicens,* id est prætactus A vir sapiens, de horum intellectu a me interrogatus, *visionem ab illo susceptam fuisse theologo,* id est ab Isaia acceptam esse visionem prædictam, *per unum imperantium nobis sanctorum et beatorum angelorum,* id est ab uno angelo infimæ hierarchiæ, cujus angeli immediate præsident hierarchiæ ecclesiasticæ, *et ante illuminativam ipsius manuductionem,* id est ante illustrationem et directionem qua angelus ille docuit et direxit Isaiam prophetam, *in illam sanctam contemplationem reposuisse,* id est ipsum angelum adscripsisse revelationem illam angelo ordinis Seraphim, a quo eam acceperat.

* supersedere

*Et dogmatizare* * *videt excelsissimas essentias,* id est, Isaias vidit in illa apparitione, quod altissimæ illæ mentes Seraphim, docuerunt ipsum Prophetam : quo audiente, unus illorum dixit ad alterum : Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus, etc. ; *quantum in symbolis dicendum,* id est, quantum licet asserere talia facta esse, quæ tunc non fiebant C nec a Propheta videbantur nisi « in symbolis », id est per similitudines corporales, ut patuit. Essentias dico, *post Deum, et cum Deo, et circa Deum collocatas,* quia inferiores sunt Creatore, et tamen inter creaturas angelicas ei sunt proximæ. *Et omnibus etiam ipsis superarcane sublimiorem superprincipalem summitatem,* id est, majestatem divinam et increatam cunctis supernis spiritibus « sublimiorem » et digniorem, « superarcane », id est prorsus occultissime, imo incompre- D hensibiliter vidit Isaias, *in medio superfirmatarum virtutum supercollocatam,* id est sublimiter residentem in solio elevato inter duos de ordine Seraphim, qui sunt per gloriam confirmati in bono. Is. VI, 1.

*Didicit ergo visionibus ipse theologus,* id est, Isaias in apparitionibus illis sensibilium specierum didicit, quod tamen et ante aliquo modo scivit, *quia juxta omnem superessentialem supereminentiam, incomparabiliter supercollocatum est divinum simul omni visibili invisibilique* * *virtuti,* id est, quod ens æternum et increatum eminet infinite omni pote- B stati et entitati materiali et immateriali, « juxta supereminentiam omnem superessentialem », id est per eminentiam perfectam quæ est super omne genus prædicamentale, et super omnem legem et ordinem rerum ; *atqui, quia omnibus est remotum* *, id est immensa celsitudine superexaltatum, *neque primis eorum quæ sunt essentiis simile,* id est, nec præstantissimis creaturis assimilandum. Quamvis enim quædam creata, dicantur et sint Deo similia, non tamen econtra.

* et invisibili

* remotum, ut universale

*Adhuc, et omnium ipsum principium et causam substantificam esse :* id est, hoc ens divinum est fontale exemplar ac effectivum principium, causa quoque substantifica eorum quæ sunt, id est, substantiam præbens, causans ac fulciens eorumdem ; *et eorum quæ sunt, secreta singularitate immutabile fundamentum,* id est, sua incomprehensibili ac abdita singularitate, est invariabile « fundamentum » et sustentamentum omnium quæ sunt. Etenim verbo virtutis suæ portat omnia : Hebr. I, 3. quo sublato, caderet omne creatum in nihilum, et deficeret in se ipso, sicut lumen diffusum in medio, sole subtracto.

Verum, ut primo libro Sententiarum habetur, divina essentia non dicitur proprie singularis, quum sit tribus supergloriosissimis Personis communicabilis, imo actu communicata atque communis. Nec tamen est universalis, aut species, quum superdignissimæ illæ Personæ non sint diversa, nec plura. Nihilo minus a quibusdam etiam doctoribus scholasticis, præsertim Henrico de Gandavo, dicitur Deus esse singularitas quædam. Quum enim sit purus actus, ex propria natura sua est ens excellentissime, purissime, et incommixtissime ac incommiscibilissime in se et per se subsistens, distinctum et separatum ab universis. Unde et secundum auctorem libri de Causis : Causa prima est de se et per se maxime *hæc,* nec habet

Cf. p. 21 C'. hyleatin. Quod si aliquis dixerit, quia est ei hyleatin, nos (inquit) dicemus, quia hyleatin ejus est individuum ejus, et hoc est pura bonitas ejus. Ex quibus destruitur imperitissimus error dicentium quod Deus est esse formale omnium rerum. Denique, ex hoc quod Deus dicitur omnium incommutabile fundamentum, confutantur fabulæ poetarum qui dixerunt gigantes esse sub orbe, et ipsum orbem portare.

*Ex quo et esse, et bene esse, etiam ipsis summe munitis est virtutibus,* id est, ab hoc ente divino, independente ac omnipotente, omnes reliquæ substantiæ ac virtutes, quantumcumque munitæ aut fortes, sortitæ sunt tam « esse », quo sunt, quam « bene esse », quo perficiuntur ac manent. Ab eodem etenim habet res esse, et bene esse, quia quod potest sibi ipsi exhibere esse, potest etiam sibi exhibere bene esse ; et si quid habet esse a se ipso, id est non ab alio, non indiget alio conservante, quia quod habet a se, inseparabile est ab ipso. Ideo erraverunt philosophi quidam, dicentes quod mundus est a Deo per conservationem et dependentiam quamdam, non per realem productionem. Imo et Commentator, in libro de Substantia orbis testatur : Nunquam fuit intentio Aristotelis, dicere quod cœ-

A lum sit a Deo per conservationem, et non per realem emanationem. Hinc theoremate tricesimo primo, Proclus fatetur : Omne procedens ab aliquo secundum essentiam, ad id convertitur a quo procedit. Quod in commentario exponens, subjungit : Si enim procedit quidem, non autem convertitur ad causam, non utique appetit causam : omne enim appetens, conversum est ad appetibile. Appetunt autem omnia suam causam. Per quod enim unicuique esse, per hoc et bene esse. Hinc

B Proclus denuo loquitur : Omne quod secundum naturam convertitur, ad id facit conversionem, a quo et processum propriæ subsistentiæ suæ habet.

Itaque, quemadmodum fundamentum totius ædificii sustentaculum est et robur, et latet in imo; sic superbeatissimus et supervoluptuosissimus Deus, qui essentialiter est ipsa sua voluptas prorsus immensa intensive et extensive, id est duratione penitus infinita, sustentamentum et fortitudo est omnium rerum, quantum-

C libet robustarum, quarum permanentia ex divinæ voluntatis pendet arbitrio, quemadmodum in Timæo inducit facundissimus ille Plato, Deum altissimum superioribus causis secundis loquentem : O dii deorum ! quorum pater opifexque sum ego. Opera mea vos estis, dissolubilia ex vestra natura; me tamen ita volente, indissolubilia. Omne siquidem junctum, dissolubile est natura. At vero quod bona ratione junctum atque modulatum est, dissolvi velle, Dei non est. Quapropter,

D quia facti generatique estis, immortales nequaquam, nec omnino indissolubiles consistitis ; nec tamen dissolvemini unquam, nec mortis necessitatem subibitis, quia voluntas mea major est nexu vestro, et vegetatior ad æternitatis custodiam. Verumtamen S. Thomas et alii quidam, habent in hac re alium modum loquendi, dicentes quod ex quo materia privationi annexa, est corruptionis principium, cœlestia et intellectualia ex sua natura incorruptibilia sunt. Sed hæc per distincti-

onem faciliter concordarentur, quia nec Plato dixit cœlestia et spiritualia esse corruptibilia eo modo quo mixta. Et Proclus Platonis discipulus, in Theologica elementatione deprompsit : Omne αὐθυπόστατον ingenerabile est et incorruptibile. Similiter Joannes Damascenus libro affirmat secundo : Omne creatum exstat vertibile ; itemque, Omne quod incipit, et finitur secundum naturam.

Itaque Deus est unitas, universitatem omnium rerum in se reducens et colli- A gens ; et singularitas, multiplicitatem rerum constringens, simplificans, atque consolidans. Ab ipso est omnium rerum esse, et bene esse, perfectio prima, perfectioque secunda. A quo non solum habemus quod homines sumus, sed item quod virtuosi et salute digni consistimus, ut confundatur Pelagii hæresis. Ab ipso præterea summæ et munitissimæ virtutes, angelicæ mentes, habent esse naturæ, et bene esse gloriæ, qua inavertibiles sunt a Deo, nec quidquam adversi eis potest accidere.

# ARTICULUS LXVII

### QUID IN VISIONE SUA DIDICERIT ISAIAS EX NOMINE SERAPHIM, ET EX ALIS HYMNISQUE EORUM.

D*EINDE easdem sanctissimorum Seraphim edoctus est deiformes virtutes.* Alii textus apertius habent : Eorumdem Seraphim ; vel, secundum Rupertum Lincolniensem, Ipsorum Seraphim. Tamen, secundum expositiones Maximi et Joannis Sarraceni, sensus redit in idem. Est igitur sensus, quod in præfata visione Isaias non solum didicit præinductam excellentiam proprietatum Dei, sed etiam angelorum ordinis Seraphim. Quorum tamen proprietates seu virtutes, non sunt (proprie loquendo) eædem cum proprietatibus Dei : quia nec genere, nec specie, sed analogice solum conveniunt, et illo dumtaxat modo eædem censentur. *Sacra quidem ipsorum cognominatione,* id est ex glorioso ipsorum nomine, utputa Seraphim, *quod est ignitum,* id est, quod interpretatur inardescens. *De quo paulo post nos dicemus,* id est, de quo nomine et ejus interpretatione ac proprietate, infra quintodecimo capitulo latius disseremus, *quantum nobis possibile* est *subintroducere,* id est ex sensibilium et inferiorum cognitione inducere, *in deiforme ignitæ* B *virtutis,* id est ad notitiam proprietatum divinarum ardentis amoris ac seraphicæ caritatis. Didicit, inquam, Isaias ex visione præscripta, *anagogas,* id est anagogicas et contemplativas elevationes spirituum chori illius tam alti.

Consequenter docetur, quid extensio alarum Seraphim designabat.

*Alarum vero expansa sacra formatione,* id est per mysticam illam extensionem alarum ipsorum Seraphim, didicit illuminatione interna seu informatione angelica, C *in divinum, in primis, in mediis, in ultimis intellectibus, absolutam et altissimam extensionem,* id est elevationem valde sublimem et « absolutam », id est non impeditam, sed expeditam et liberam exsistentem, « in intellectibus primis », id est mentibus primæ hierarchiæ, et « mediis », et « ultimis », id est intellectibus mediæ ac infimæ hierarchiæ ; vel, « in intellectibus primis », id est supremis chori ipsius Seraphim, et « mediis », ac « ultimis » chori ordinisque ejusdem : quia D ut patuit, in quolibet choro sunt primi, et medii, ac ultimi spiritus. Elevationem,

inquam, « in divinum », id est ad ens summum et increatum, totius salutis principium, causam, objectum et finem.

*Sed et eorum multificum et multiforme videns intellectualis Propheta**, id est, Isaias intellectualiter noscens quæ imaginaria visione sibi præsentabantur, « videns » in spiritu « multificum et multiforme eorum », id est diversitatem sanctorum Seraphim, in varietate et distinctione alarum suarum et operatione earum, quia duabus alis velabant faciem ejus, videlicet Dei in solio residentis, et duabus alis velabant pedes ipsius, atque duabus volabant, clamavitque unus ad alium ; *et alis distingui eam subtus pedes, et eam subtus faciem visionem,* id est, Propheta videns « eam », utputa « visionem » seu speciem, hoc est rem visam, seu potius rem repræsentatam et designatam per imaginarias formas ac voces illas, « distingui », id est per alarum velationem discerni ab aliis membris, « subtus pedes », quoniam alæ illæ videbantur descendere usque sub pedibus Domini ; simili sensu fuit distincta « subtus faciem » suam ; *et eum in mediis alis supermotum,* id est, Isaias etiam videns « eum supermotum », id est illam supermotionem, seu motionem ipsorum Seraphim ad superiora, ad quæ videbantur tempore opportuno duabus alis suis volare; *ad invisibilem eorum quæ visa sunt, reductus est scientiam,* id est, ad spiritualem cognitionem eorum quæ imaginarie vidit, perductus est, angelo eum interius edocente, et exponente quid unumquodque illorum significavit. Sicque invisibilis et spiritualis illa scientia, fuit litteralis sensus visionis illius, quoniam fuit sensus principaliter per visionem illam intentus ac designatus.

* theologus

Is. VI, 2, 3.

*Manifestata ei altissimorum intellectuum multivia et multivida virtute :* id est, [ad hanc perductus est cognitionem,] notificata ipsi Isaiæ « virtute multivia », id est multas vias habente, atque « multivida », id est multipliciter vidente et inspiciente : virtute, inquam, « intellectuum

A altissimorum », id est mentium supernarum et angelorum summorum, qui variis modis ac viis, oculoso quoque acumine, contemplantur, scrutantur considerantque Deum et ea quæ Dei sunt, in ipsomet Deo, et in ejus effectibus ac sacris mysteriis, et in mutua collatione, responsione et illuminatione. Vel : « Manifestata » Isaiæ « multivia et multivida virtute », id est profunditate ac fecunditate, « altissimorum intellectuum », id est valde sublimium sensuum visionum, seu Scripturarum B ac verborum cœlestium, quæ multipliciter queunt intelligi et exponi.

*Et eorum sacra formidine quam habent supermundane in altiorum et graviorum* superbam et audacem et impossibilem scrutationem :* id est, manifestata etiam Isaiæ « formidine », id est reverentiali timore, ipsorum Seraphim, « quam habent in scrutationem », id est ad aggrediendum scrutationem, « superbam et audacem », id est præsumptuosam, « et impossibilem » eis, quoad plenam com- C prehensionem, « altiorum et graviorum » difficultatum, videlicet, quomodo Deus sit unus et trinus, qualiter Filius æternaliter generetur a Patre, et Spiritus Sanctus procedat consempiternaliter ab utroque, item de arcano prædestinationis. Quamvis enim Beati Deum in se ipso clare per essentiam videant, et superbeatissimam Trinitatem summa cum jucunditate facie ad faciem contemplentur, nequaquam tamen hæc valent plenarie penetrare, et taliter comprehendere sicut res ipsa est ex sua na- D tura cognoscibilis : imo sic solus Deus comprehendit se ipsum. Increatum etenim et infinitum illud objectum, infinite excedit omnem capacitatem et vim omnis mentis creatæ. Verumtamen universi Beati de cognitione Deitatis ipsis concessa optime contentantur. Ex his constat quantum reprehensibiles et damnabiles sint homines miseri qui imperscrutabilia fidei ac profunda mysteria Dei, suo imbecilli ingenio scrutari, discutere, judicareve audent, nec contenti sunt sanctæ determinatione

* inferiorum

Ecclesiæ, quum et sacratissimi angeli lumine gloriæ decorati, ac Deum facialiter contemplantes, horreant hoc attentare.

Denique formidinem talem habent « supermundane », id est intellectualiter, non sensitive, nec more humano, sed absque omni pœnali affectione. Sciunt quoque se esse confirmatos in bono, nec posse peccare : ideo non formidant ne immoderate præsumant Deitatem scrutari ; sed talem perscrutationem abhorrent, et considerata infinita supereminentia tanti objecti, in propriam resiliunt parvitatem, et cum summa reverentia ac admiratione adspiciunt superexcellentissimum Creato-
*Is.* XI, 3. rem. Juxta hunc modum, spiritus timoris Domini filialisque timor Dei replevit animam Christi, et donum timoris manet in patria. Hinc per Prophetam ait Scri-
II *Esdr.* IX, 6. ptura : Exercitus cœli cum tremore tibi adsistit. Et aliqui Sancti dicunt, quod Seraphim et Cherubim non audent Deum adspicere, adspectu videlicet immoderate perscrutativo. Unde et in Job legitur :
*Job* XXXVII, 24. Non audebunt contemplari omnes qui sibi videntur esse sapientes. Et in Præfatione dicitur : Majestatem tuam tremunt Potestates.

*Et in commensuratione Deum imitantium actionum incessabile et altivolum semper motionis :* id est, visio illa etiam designabat « incessabile », supple exercitium, « et altivolum », id est sublimiter scandens et volans in altum, « semper motionis », id est elevationis et contemplativæ actionis qua indesinenter feruntur in Deum, in quo nihilo minus immobiliter atque dulcissime conquiescunt. Feruntur autem in Deum, « in commensuratione actionum », id est proportionaliter juxta vires eis concessas, prout per vires suas

A cognoscere queunt Deum et mysteria ejus per actus moderatos, et « imitantium Deum », instar eorum qui vere sequuntur Deum, attendentes Dei excessum, propriumque defectum.

Hæc omnia figurabat, quod Seraphim duabus alis velabant faciem Dei, ad in- *Is.* VI, 2.
sinuandum ejus incomprehensibilitatem, vel faciem suam, ad innuendum quod non auderent eum irreverenter scrutari (quia ut Salomon protestatur, Sicut qui mel co- *Prov.* XXV, 27.
medit multum, non est ei bonum, sic qui
B scrutator est majestatis, opprimetur a gloria) ; et insuper, quod velabant pedes *Is.* VI, 2.
ejus, ad denotandum quod nec occulta Dei judicia, nec profundiora mysteria fidei perspicere possunt. Si autem velabant proprios pedes, potest hoc designare quod extra limites sibi præfixos non adjiciunt pedes suos extendere. Mediis demum alis *Ibidem.*
volabant, ad propalandum quod ad omnem actum Deo in eis placentem, celeriter ac discrete procedunt.

*Sed et illam divinam et multum pre-*
C *tiosam hymnodiam,* id est divinæ laudis prolationem et canticum, *eruditus est* Isaias in visione præfata, videlicet, San- *Ibid.* 3.
ctus, Sanctus, Sanctus : sicut expositum est. Sic et Joannes Damascenus recitat quarto libro, quod apud Constantinopolim puer quidam exstitit raptus, et ad se reversus, cecinit versiculum illum, Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus et immortalis, quem in illo didicerat raptu. *Formante visionem angelo,* qui in sensu interiori Isaiæ similitudines illas formavit ac re-
D præsentavit, *secundum virtutem ipsi theologo* proportionatam, *et tradente propriam sacram scientiam,* id est, inspirante præfato Prophetæ sanctam intelligentiam visionis ejusdem.

# ARTICULUS LXVIII

**DE HIS QUÆ ISAIAS EDOCTUS EST AB ANGELO : EX QUIBUS CONCLUDITUR QUOD SERAPHIM MERITO DICTUS EST PURGARE, PURGANTE INFERIORI ANGELO.**

* ergo *DOCUIT autem * eum et hoc,* id est, A angelus ille etiam docuit Isaiam, *quia purgatio est quantumcumque purgatis, ipsa divinæ claritatis incognitæ, quantum possibile, participatio,* id est, quod « participatio claritatis divinæ incognitæ, est purgatio » mentibus creatis « quantumcumque purgatis ». Hæc enim purgatio non est semper ab immunditia culpæ, sed sæpe solum ab ignorantia non culpabili, seu a minoratione dissimilitudinis, et imperfectionis inculpatæ : imo ita solum habet locum in patria. Porro B in vita hac nemo est tam mundus, ut non sit magis magisque mundandus. Propter quod apud Joannem ait Salvator :
Joann. xv, 2. Omnem qui fert fructum, purgabit eum Pater, ut fructum plus afferat. Etiam dato quod quis in sæculo isto sit ad horam absque omni peccato, adhuc potest proficere et purgari a nescientia multa et magna. At vero participatio claritatis divinæ, est infusio, receptio, incrementum illustrationis internæ, et doni sapientiæ ac scientiæ, et virtutum. Potest autem, C per claritatem divinam incognitam, intelligi claritas increata, nulli plenarie cognita, seu cognitio illius per gratiam ante non habitam.

*Hæc autem ex ipsius Divinitatis remotis causis :* id est, purgatio ista ortum habens « ex causis remotis », id est nobis incomprehensibilibus, et a nostro intellectu elongatis (unde ad Romanos dixit Apo-
Rom. xi, 33. stolus : O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei ! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus !) : « ex causis », in- D quam, « ipsius Divinitatis » : nam et liberrima Dei voluntas est causa ipsius. Etenim, cui vult miseretur, et quem vult indurat. Rom. ix, 18. Qui dixit per Moysen : Miserebor cui voluero, et clemens ero in quem mihi placuerit. Exod. xxxiii, 19. *Omnes sacros intellectus superessentiali occultatione perficiens *,* id est, Deus omnipotens perficiens universas mentes sanctas irradiatione suæ supersubstantialis incomprehensibilis lucis, * quum perficit *altissimis circa se virtutibus manifestior quodammodo * est,* id est magis et clarius cognitus supremis angelicis mentibus sibi * quoquomodo vicinioribus, ut jam frequenter expositum est, *et magis semetipsam* illis *manifestat et distribuit.* Nam et omne agens, fortius agit et copiosius influit in propinquiora, quam remotiora. Tam infinita demum est bonitas ac liberalitas Dei, quod quibus dona gratiæ suæ et caritatis largitur, tribuit et se ipsum ad habendum ac perfruendum.

*Deinde* lux illa æterna ac increata, *ex * secundis, aut novissimis, aut nostris intellectualibus virtutibus, quantum ab ipsa unaquæque secundum deiforme exstitit *,* * alias om. ex * exsistit id est, ab illuminatione spirituum hierarchiæ supremæ descendens ad inferiorum illustrationem, « ex secundis, aut novissimis », id est ab angelis secundæ aut infimæ hierarchiæ, « aut nostris intellectualibus virtutibus », id est ab * illuminatione rationalium animarum ac intellectuum humanorum progrediens ac descendens, « quantum unaquæque » essentiarum istarum « exstitit », id est, profluxit et facta est ab ipsa luce æterna, « secundum deiforme », id est quoad vires superiores, in quibus supersplendidissimæ Trinitatis consistit imago, et secundum quas vires dumtaxat capax est hujus illu- * in

minationis internæ ; *sic manifestam suam illuminationem conducit*, id est, « illuminationem suam » generalem, quam ordinate ac gradatim omnibus mentibus infundit, efficit « manifestam », *ad propriæ occultationis laudandum ignotum*, id est ad honorandum et commendandum incomprehensibilem majestatem excellentiæ suæ, ignotæ quoad quid est et quantum ad ejus plenam notitiam : quia ex illa illuminatione, tanquam ex quodam suo effectu, aliqualiter innotescit, seque super omnia laudandam et excolendam os-
*Rom.* I, 20. tendit, sicut ait Apostolus : Invisibilia Dei (id est invisibiles proprietates Creatoris) per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur ; sempiterna quoque virtus ejus et divinitas : ita ut sint inexcusabiles, qui
*Ibid.* 21. Deum vel nescierunt, aut cognitum non debite honoraverunt.

*Lucet autem per singula secundis per prima*, id est, Deus in omnibus fulget et innotescit secundis et posterioribus per priores et sublimiores intellectus, a quibus illuminantur sequentes. Quod, ut sæpissime dictum est, intelligendum est non de beatifica visione, qua omnes Beati vident Deum immediate in se ipso, nec de cognitione eorum quam immediate habent in Verbo, sed de cognitione Dei in effectibus suis, quantum ad illuminationem hierarchicam, et illustrationem inferiorum a superioribus in divinorum mysteriis, seu certis nonnullis ac determinatis secretis. Et qui in istis non esset bene fundatus ac rite peritus, posset ex verbis Sancti hujus sumere occasionem magni erroris, quod scilicet Deus non videretur nec cognosceretur immediate et clare in se, nisi a spiritibus primæ hierarchiæ : quod esset hæreticum. *Et si oportet breviter dicere*, id est, quoniam expedit istud

A paucis verbis exprimere, *primo ex occulto ad manifestum ducitur per primas virtutes*, id est, Deus per angelos primæ hierarchiæ primitus manifestatur ac innotescit « ex occulto », id est de abscondito excellentiæ suæ, quo ignotus est nobis. Quod juxta prætactam expositionem est accipiendum.

*Hoc ergo theologus didicit*, utpote Isaias, *ex in* lucem ducente eum angelo*, id est, sancto angelo illo transferente ipsum ex non luce, id est ex nescientia quadam, [* alias om. *in*]
B ad illustrationem splendidiorem ; *hoc est, purgationes* et omnes divinas operationes per primas essentias relucentes, in omnes reliquas distribui*, id est, illuminationes ac munerum Dei largitiones, quantum ad hierarchicas actiones, a Deo conferri per primæ hierarchiæ personas reliquis mentibus, ordine quodam, scilicet tertiis per secundas, juxta præhabita, *secundum uniuscujusque ad deificas participationes analogiam*, id est juxta proportionem, mensuram et gradum cujuslibet inferioris [* *purgationem*]
C intellectus, ad suscipiendum a superiori « participationes deificas », id est infusiones donorum ac luminum divinorum deificantium, id est Deo assimilantium, mentes ea recipientes. *Propter quod et ignite purgativam proprietatem, ipsis Seraphim consequenter post Deum reposuit :* id est, Scriptura, seu angelus loquens Isaiæ, « reposuit », id est attribuit, « proprietatem purgativam ignite », id est per similitudinem ignei caloris, seu igniti carbonis *Is.* VI, 6, 7.
quo purgavit labia Isaiæ, « consequen-
D ter », id est immediate, « post Deum » : qui appellatur ignis consumens, imo in- *Deut.* IV, 24; *Exod.* III, 2.
nocue ardens, et suavissime flagrans ; estque primus et principalis purgator, et solus peccata dimittit, gratiamque in- *Marc.* II, 7.
fundit.

# ARTICULUS LXIX

CONFIRMATUR PRÆCEDENS CONCLUSIO PER EXEMPLUM IN NOSTRA HIERARCHIA.

NIHIL *ergo inordinatum,* id est, nulla A ex hoc inordinatio sequitur, *si purgare dicitur theologum Seraphim,* id est, si angelus summi ordinis dicatur Isaiam purgasse, et hoc, non immediate per se, sed per angelum infimæ hierarchiæ. *Sic enim purgat Deus omnes,* tanquam causa prima et principalis, quamvis non semper ut proxima causa : tamen in purgatione a culpa, præsertim mortali, ipse est causa purgans immediata, quamvis causæ secundæ concurrant dispositive, ut patet in administratione sacramentorum. Purgat B itaque Deus omnes, id est quosdam de omnibus ; et item, omnes qui purgantur,
Joann. I, 9. juxta quod Joannes ait : Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Hic autem potissime sermo est de purgatione hierarchica, quam prima hierarchia a Deo immediate
* quorum sortitur. *Qui* * *totius purgationis est causa* immediata, vel mediata. Nam et prima causa plus influit, quam quæcumque causa secunda. Ideo additur : *magis autem* purgat ille qui solus est essentialiter pu- C
Is. I, 16. rus, et per Isaiam hortatur : Mundi estote.

*Proximo enim utemur exemplo,* id est exemplo sumpto ex proximo nobis ac nostris. *Sicut* is qui *secundum nos* est *summus sacerdos,* id est pontifex in ecclesiastica hierarchia, *per suos ministros aut*
* aut *sacerdotes purgans et* * *illuminans, ipse dicitur purgare et illuminare,* docendo, corripiendo, sacramenta adhibendo ; *per ipsum purgatis ordinibus,* id est ministris ab eo ordinatis atque purgatis, *per se in ipsum reponentibus,* id est, ei tanquam D principaliori adscribentibus, *proprias sacras operationes,* id est actus officiorum suorum ; *sic et propriam purgativam scientiam et virtutem,* id est vim illuminativam et perfectivam, *ipse purgationem theologi perficiens angelus, in Deum quidem, veluti* in *causalem, deinde in ipsum Seraphim, tanquam primo agentem summum sacerdotem, reponit :* id est, angelus hæc Deo adscribit, tanquam causæ simpliciter primæ et principali, deinde Seraphim, tanquam post Deum primo agenti juxta Dei statutum. Est autem angelus sacerdos, id est sacra dans, non quasi sacerdotalem characterem habens : nec enim consecrandi vim habet.

*Veluti fortassis quis dixerit, cum angelica reverentia purgatum edocens,* id est, ac si aliquis homo alium docens, diceret ei cum veneratione præcipua ac cœlesti : *Quia in te ante me est perficiendæ purgationis principium quidem excelsum, et essentia, et creator, et causalis :* id est, ego non sum causa præcipua tuæ purgationis ; sed « est in te ante » et supra « me principium purgationis » in te fiendæ « excelsum », imo altissimum : de quo scriptum est, Mementote quoniam excel- Is. XII, 4.
sum est nomen ejus. Qui sicut solus habet esse omniformiter perfectum et plenum, sic ipse solus est pura et completa « essentia », cui comparata nostra substantia, est quasi nihil et vanitas, juxta illud Psalmi : Substantia mea tanquam nihilum an- Ps. XXXVIII, 6.
te te. Dei quippe essentia nullo termino nobilitatis, nullo fine perfectionis, nulla determinatione certi generis aut speciei concluditur aut arctatur, imo infinitorum perfectionalium attributorum est prægnans et contentiva. *Primasque essentias adducens* *, id est, spiritus primæ * essentias ad esse adducens
hierarchiæ ad se convertens, *et circa se collocatione continens,* id est, conservans

in summa statione in qua ab exordio statuit eas, *et observans inconversibiles*, id est, custodiens eas quæ de cetero nequeunt mente a bono deflecti, quia inflexibiliter sunt Deo conjunctæ, *et casu carentes*, quia nec malum culpæ, nec malum pœnæ potest eis accidere. Etenim Deitas ipsa quum sit bonum universale, undequaque (id est ex omni parte) perfectum in se, est omnino atque omnimode infinitæ amabilitatis, immensæ dulcedinis, vehementissime attractivum, incomparabiliterque delectans. Si videatur clare et immediate in se, in tantum placet cernenti, et sic superat, possidet afficitque ejus affectum, quod non potest non diligi aut displicere : quanquam aliqui circa hoc quid aliud opinentur, quorum opinio super Sententias est improbata. *Et se ipsum movens in primas propriarum providarum operationum participationes* : id est, Deus se ipsum movet, non loco, nec aliqua sui mutatione, sed paterna dilectione ac indeficienti provisione, « in participationes primas », id est ad impertiendum ac dandum illis largiflue donorum suorum communicationes et illuminationes præcipuas, per quas mentes illæ sciunt exsequi et exsequuntur quod ad earum officium ac providentiam pertinet.

*Hoc enim hic me docens*, id est, qui docuit me istam quæstionis propositæ solutionem, *ait ipsius Seraphim manifestare missionem* *, id est, missio ipsius Seraphim manifestavit, id est designavit, ista quæ dixi : non quod Seraph in propria persona fuerit missus ad Isaiam, aut labia ejus purgaverit, sed per angelum multo inferiorem, ad innuendum quod su-

*jussionem

A premi per inferiores aliqua agunt, quæ et inferiores superioribus illis adscribunt. Sicque obedientia, humilitas et concordia supernorum spirituum nobis commendantur, et sectandæ docentur.

*Summus autem sacerdos, et post Deum dux*, id est valde sublimis ille Seraph, sacra hæc pandens per angelum inferiorem, « et dux » negotii hujus post Deum, qui est universaliter et incomparabiliter omnium imperator, *ipse præstantium essentiarum ornator* *, id est decor mentium

B angelicarum valde dignarum, eo modo quo virtuosus sapiensque prælatus ornamentum est sui gregis, quemadmodum econverso boni obedientesque subditi decor sunt sui prælati. Sic enim, juxta Gregorium, de primo illo apostata per Ezechielem asseritur, Omnis lapis pretiosus operimentum tuum, sardius, etc. : quia nimirum primus ille spiritus, novem angelorum agminibus coopertus describitur, quoniam ex eorum comparatione pulchrior fuit. *A quo ego purgare deiformiter eruditus*

C *sum*, id est, Seraph ille me docuit qualiter ego te debeam erudire « deiformiter », id est, taliter sicut ipse me erudivit. *Ipse igitur est per me te purgans* : ipse, utpote Seraph ille, *per quem proprias providas actiones ex occulto et in nos produxit ipsa totius causa et opifex purgationis*, videlicet Deus : id est, per spiritum illum seraphicum Deus transfudit suam purgationem, illuminationem, custodiam, in me et in te : quia per Seraph in me, et per me in te, omnia faciens ordinate,

D quod fecit « ex occulto », id est ex abscondito et profundo sanctuario sapientiæ suæ.

* ornatus

*Ezech.* XXVIII, 13.

# ARTICULUS LXX

## EPILOGI CAPITULI HUJUS TERTIIDECIMI EXPOSITIO.

HÆC *ille quidem docuit me, tibi autem ego trado,* id est, ulterius tibi communico ista, o Timothee : quia ut unus patrum perhibuit, oportet hominem christianum diligenter discere quæ ignorat, et fideliter docere quæ novit. Propter quod in Ecclesiastico scriptum est : Sapientia abscondita et thesaurus occultus, quæ utilitas in utrisque? [Eccli. XLI, 17.] Sapiens quoque alius : Sine invidia, inquit, communico de bonis illius. [Sap. VII, 13; VIII, 9.] Nam ut apud eumdem legitur : Ipsa sapientia thesaurus est hominibus infinitus, quo qui usi sunt, participes amicitiæ Dei facti sunt. [Ibid. VII, 14.]

*Tuæ autem concesserim intellectuali et discretivæ scientiæ,* id est, tuæ sapientiali et illuminatæ discretioni committo, *aut alteram partem dictarum causarum absolvi a dubitatione,* id est, vel unam harum rationum missionis Seraphim judicare veram et approbare, ne amplius dubitemus de ea, *et eamdem honorare,* id est tua auctoritate firmare et commendare; *aut alteram, tanquam consequens, et rationabile, et æque verum habentem,* id est, vel aliam rationum istarum duarum honorare, « tanquam » habentem aliquid « consequens » ex Scriptura, et consonum rationi, « et æque verum », id est tam verum ut est ratio prima. Nec enim una rationum istarum alteri contrariatur, ut patet recte intuenti, et ex ambabus simul una integra ratio rei istius potest conflari.

*Aut a te ipso quod vere est verivicinius* invenire,* id est propria consideratione ac perscrutatione reperire quod verisimilius est, aut sinceriter verum, sine admixtione erroris. Verumtamen in tali inquisitione per se ipsum prospicere de-

* *quod vere vero vicinius*

A bet homo, ne a veritate Scripturæ aut doctrina Ecclesiæ deviet, nec propriis viribus innitatur, sed Omnipotentis opem et illuminationem efflagitet. *Aut ab altero discere,* id est vel a Deo, vel ab angelo sancto, vel ab homine doctiori. Deus namque prius revelat angelicæ menti : ideo subditur, *Deo videlicet dante, et prius recipientibus angelis. Et angelorum amicis nobis revelare per ejus magis amabilem contemplationem,* id est per amabiliorem Dei illuminationem seu considerationem. B Deus ergo est primus et summus revelator, qui primo revelat angelis superioribus, et illi inferioribus angelis, qui suis « amicis », id est hominibus sanctis angelicæ puritatis, revelant quod intellexerunt, atque ab illis sanctis hominibus revelatur et aliis : quamvis interdum etiam pravis hominibus fiat revelatio immediate ab angelis sanctis, sicut in libro Numerorum patet de Balaam, qui ut ibidem habetur, fuit ariolus. [Num. XXIII, XXIV. Ibid. XXII, 5.]

Circa hæc loquitur Hugo : Verbum mi- C rabile angeli a Deo accipiunt, et homines ab angelis; ipsique rursus homines ab angelis docti, alios homines docent, et venit doctrina veritatis per alios in alios : et ita videntur multi esse magistri et doctores veritatis. Nemo tamen docetur, qui ab ejus contemplatione non illuminatur. Alii magistri ministerium adhibent. Unus magister est, qui solus tribuit intellectum. [Matth. XXIII, 8.] Ille sine aliis potest docere, alii sine ipso non possunt. Tu mihi das verbum. Sed quid est verbum sine intelligentia? Per D verbum quidem intelligentia venit. Sed ille intelligentiam in corde ponit, qui intus illuminat, non qui foris sonat. Unctio ejus nos docet de omnibus. [I Joann. II, 27.] Tu foris lo-

queris, sed intus non ungis. Propterea A mihi amabilis est eruditio tua, sed magis mihi amabilis contemplatio illuminatione divina. Quod enim in tua eruditione amabile est, non nisi ex illius illuminatione seu contemplatione procedit. Hæc Hugo.

# PARAPHRASIS ABBATIS VERCELLENSIS

*Is.* VI, 6. CONSIDEREMUS deinde, quare dicatur unus de Seraphim mitti ad purgandum Isaiam. Videtur siquidem ex forma verborum, quod ille qui missus est, non fuerit de infimo ordine angelorum, sed de primo, qui dicitur B Seraphim. Respondent ad hoc quidam, qui dicunt, quia (juxta quod jam dictum est, infimum ordinem nobis præsidere et hierarchiam nostram ordinare) ille angelus missus ad Prophetæ purgationem, non fuit de summo ordine, sed de infimo, et illum dictum esse de Seraphim æquivoce substantiis summi ordinis, propter incensivam virtutem qua purgavit labia Isaiæ, a qua denominatur Seraphim, et propter suscitationem Prophetæ purgati ad divinam obedientiam, ut dicente
*Is.* VI, 8. Deo, Quem mittam? etc., responderet: Ecce
*Ibidem.* ego, mitte me. Unde et Scriptura simpliciter C
*Ibid.* 6. dicit, Volavit ad me unus de Seraphim, id est de incendentibus nostram hierarchiam; et non specificavit summum ordinem, qui Deo immediate adsistit.

Ab alio autem aliam didici hujus quæstionis solutionem. Qui me docuit, quod ipse magnus angelus qui impressit Isaiæ visionem imaginariam, per quam docet eumdem quædam divina mysteria, suam purgativam operationem qua purgavit Isaiam, principaliter attribuit Deo, et post Deum ordini Seraphim, sive primo Seraph; ipse tamen immediate purgans Prophetam, de infimo ordine erat. D Dicebat siquidem qui hoc me docuit, quod divina principalis virtus omnibus se communicans, omnia replet, et in omnibus exsistens, omnibus est incomprehensibilis, et omnia latet, etiam illa quibus præcipue illucet: et hoc fit non solum per supersubstantialem ipsius supereminentiam, qua ab omnibus incomparabiliter separatur, sed etiam per impenetrabiles et occultissimas rationes operationum suarum, quibus incomprehensibiliter providet universitati. Verumtamen omnibus intellectualibus, quantum in se est, immobiliter exposita, et ad se extentis superillucens, summis intelligentiis lumen suum copiosius influens, per easdem tanquam primas, ipsum lumen inferioribus seriatim et per ordinem distribuit, secundum quod singuli ordines vel substantiæ inferiores, capaces sunt divinæ cognitionis.

Ut autem quod dixi planius intelligatur, consideremus id ex collatione exemplorum sensibilium: quæ quidem incomparabiliter deficiunt a significatione Dei ab omnibus segregati, sed nostræ infirmitati sunt manifestiora. Attendamus ergo in primis exemplum radii solaris: qui primo et immediate et clarius illuminat primam sibi proximam et clariorem materiam, et per illam manifestius splendet; et illa mediante, seriatim accedens ad crassiores materias pedetentim, obscurius vel minus clare lucet, et luminis sui distributionem minus manifestat, ex incapacitate materiarum illuminatarum et importunitate ad ejus lumen deferendum; et sic paulatim contrahitur et obfuscatur, donec omnino cesset ulterius illuminare. Item aliud exemplum apparet in igne, qui magis calefacit ea quæ sibi propinqua sunt, et promptius calefiunt: et hoc, successive et seriatim. In materiis sibi naturaliter oppositis, aut non, aut parum manifestat operationem suam, scilicet calefactionem. Et etiam ad opposita accedit ejus operatio per mediationem eorum quæ sibi congruunt, ut per testam vel æs ad aquam, primo calefaciendo immediate testam vel æs, et per illa aquam, juxta singulorum conformitatem et capacitatem.

Juxta ergo qualemcumque hujus naturalis operationis similitudinem, Deus qui supernaturaliter est princeps et principium omnis visibilis et invisibilis ordinationis, lucis suæ fulgorem per primam apparitionem, quantum est in angelis, manifestat copiosissimis infusionibus in summis intelligentiis; et per illas summas aliæ quæ post eas sunt, participant divino radio. Summæ siquidem substantiæ

principaliter Deum cognoscentes, et divinam A virtutem perfectius quam aliæ desiderantes, dignæ habentur secundum suam possibilitatem fieri primi operatores virtutis et operationis imitantium divinam virtutem et operationem; et ipsæ, secundum suam virtutem, extendunt inferiores substantias conformiter ad consimilem virtutem certatim exercendam, tradentes eisdem copiose de divina claritate quam ipsæ desuper accipiunt; et iterum illæ quæ primis sunt subjectæ, inferioribus suis tradunt copiose de divina claritate; et per totam ordinationis angelicæ seriem, prima ei quæ post illam est, tradit de divino B lumine sibi dato, et ad omnes juxta singularum capacitatem transeunte. Deus igitur per propriam naturam, vere et proprie est principium illuminationis omnibus illuminatis, sicut qui est substantia luminis, et causa ipsius esse et cognitionis. Deinde quælibet supposita est causa luminis particularis ei quæ est post ipsam, eo quod per illam tanquam superiorem, sibi tanquam inferiori desuper administrantur divina lumina. Igitur supremum ordinem primæ hierarchiæ, scilicet Seraphim, universi angeli inferiores, ut convenit, habent post Deum principium omnis C sanctæ cognitionis et imitationis Dei, eo quod per illius ordinis mediationem, ad omnes alias cœlestes mentes et ad nos homines distribuatur divina illuminatio. Unde et omnes eædem inferiores substantiæ, omnem suam scientiam et Dei imitativam operationem principaliter referunt ad Deum, tanquam causam primam; secundario vero, ad intelligentias primas, tanquam ad primos operatores et magistros divinorum luminum. — Prima ergo hierarchia, super omnes ordines inferiores habet incensivam proprietatem, et proprietatem Cherubim, quæ significat effusam traditionem D divinæ sapientiæ, et approprietatem Thronorum, quæ significat aptam * opportunitatem recipiendi Deum. Hierarchiæ autem vel ordines inferiores participant incensiva proprietate, et sapiente, et cognitiva *, et Dei receptiva, sed inferius quam prima hierarchia; et illi ordines inferiores respiciunt ad primas intelligentias, et per ipsas tanquam ad Dei imitationem primo operantes, sursumaguntur ad sibi possibilem Dei conformitatem. Dictas ergo proprietates, quas inferiores per primas essentias participant, eisdem post Deum sicut hierarchis attribuunt.

* apertam

* sapientiæ cognitiva

Dicebat ergo qui secundam solutionem me docuit, visionem Domini sedentis super solium, etc., monstratam fuisse Isaiæ per unum angelum de infimo ordine, qui nobis immediate præsidet, et Isaiam fuisse suscitatum ab illuminativa manuductione illius angeli ad illam sanctam contemplationem, secundum quam Isaias videbat supremas substantias, ut figurative loquar, sub Deo, et cum Deo, et circa Deum collectas; et videbat superprincipalem divinam summitatem a supremis substantiis et omnibus aliis superineffabiliter segregatam, esse collocatam in medio supremarum virtutum, quæ revera sunt Deo incomparabiliter inferiores. Docebatur ergo Isaias per hanc visionem, quod Divinitas super omnem supersubstantialem eminentiam incomparabiliter collocatur super omnem visibilem et invisibilem virtutem; et quod ab omnibus segregatur, tanquam causa universalis; neque de primis quidem substantiis fit ei aliqua comparabilis : quin potius ipsam esse omnium principium et causam substantificam, et invariabilem stabilitatem indissolubilis mansionis exsistentium, a qua et esse, et bene et beate esse, percipiunt etiam supereminentes et primæ virtutes.

*Is.* VI, 1 *et seq.*

Deinde docebatur Isaias deiformes virtutes sanctissimorum Seraphim, quæ designantur ipsorum nominatione sumpta ab ignis proprietatibus : de quibus tractabimus infra, ad declarandas (secundum nostram possibilitatem) sursumactiones, quæ per ignis proprietates designantur. — Per significationem vero alarum expansarum Seraphim, docebatur Isaias absolutam et liberam et summam expansionem desideriorum et contemplationum, quibus primæ intelligentiæ sursum feruntur in Deum in tribus ordinibus primæ hierarchiæ, scilicet primo, medio, et ultimo. Quod autem sive secundum Ezechielem, sive Isaiam secundum aliam translationem, attribuitur cœlestibus mentibus multitudo pedum et facierum : manifestat quod ipsæ abundant multa virtute proficiendi in imitatione Dei et contemplandi Deum. Quod autem Seraphim volabant alis mediis, et superioribus alis velabant facies, et inferioribus pedes : manifestaverunt Isaiæ, in illis primis intelligentiis earum profectum assiduum in divina sibi cognoscibilia; et reverentiam temperatam, qua cavent supra mensuram suam altiora et profundiora Dei superbe et temerarie supra posse

cap. XV.

*Ezech.* I, 6 *et seq.*; *Is.* VI, 2.

scrutari; et indesinentem et sempiternam sursum motionem in imitativis operationibus Dei secundum mensuram suæ possibilitatis. — Docebatur etiam Isaias illum valde laudabilem hymnum, Sanctus, Sanctus, Sanctus, ab angelo formante visionem, qui ei secundum suam capacitatem tradidit quod ipse comprehensive cognovit.

*Is.* VI, 3.

Docebat ergo Isaiam idem angelus, quod participatio supersplendentis divinæ puritatis, secundum singulorum capacitatem, purgatio est omnibus quantumcumque purgatis vel mundis. Ipsa autem luminum distributio, a plenitudine divina ex intima et omnium causativa virtute procedens de supersubstantiali occulto, ad omnes sanctas mentes perveniens, primis intelligentiis quæ Divinitati vicinius adsistunt, manifestior est, et magis se ipsam manifestat et distribuit. In mediis autem et ultimis intelligentiis angelicis, et hominibus, secundum quod singuli magis vel minus distant, secundum hoc radius divinus magis vel minus singulis apparet, et ad suæ simplicitatis ignotum occultum contrahitur. Illucet autem singulis, ita quod inferioribus per superiores. Et ut compendiose loquar, primo per primas intelligentias ex occulto ad cognitionem deducitur. Docebatur ergo Isaias ab angelo ipsum illuminante, quod et purgatio et omnes aliæ divinæ operationes, per primas intelligentias primo resplendent, et omnibus inferioribus distribuuntur, secundum quod unusquisque plus vel minus capax est divinæ participationis. Unde purgativam proprietatem, quæ in igne significatur, convenienter attribuit dictus angelus ordini Seraphim, juxta nominis interpretationem.

Non est ergo inconveniens, quod dicitur Seraphim purgare Isaiam, quia fuit causa purgationis ipsius : sicut et Deus omnes purgatos purgat, quia ipse est causa omnis purgationis. Ad cujus rei declarationem utar exemplo magis nobis propinquo, videlicet, quod quum summus Pontifex per mediationem et ministerium sacerdotum vel diaconorum suorum aliquem purgat vel illuminat, ipse summus Pontifex dicitur illum purgare vel illuminare, eo quod ministri purgationes per se exhibitas attribuunt summo Pontifici. Simili modo angelus operans purgationem Isaiæ, propriam purgativam virtutem principaliter attribuit Deo, tanquam primæ causæ, secundario summo Seraphim, tanquam hierarchæ primo post Deum operanti, quantum est in angelis. Quasi ipse angelus immediate purgans, Isaiæ purgato taliter diceret : Purgationis quam ego in te perfeci, Deus principium est superexaltatum, et substantia, et creator, et causa omnium : qui etiam primas intelligentias a non esse deduxit ad esse, et continet eas circa se vicinius collocatas, et conservat eas, ut sint ad esse deterius inconvertibiles, et a sua sublimitate omnino cadere non valeant ; et ipse movet primas intelligentias ad participandum primo et immediate suis divinis operationibus, quibus providet universitati. Primus autem Seraph, qui post Deum est primus hierarcha et dux primarum substantiarum, a quo Seraph ego qui sum angelus ordinis infimi, edoctus sum te purgare, o Isaia : ille, inquam, Seraph, per me te purgat, per quem Deus, qui est causa et creator totius purgationis, primo adduxit de occulto suo ad nos cœlestes animos suas divinas operationes, quibus providet universis.

Hoc siquidem quod jam dixi, dixit signari per missionem Seraphim, ille qui me docuit hanc solutionem. Ista siquidem ille me docuit, tibi autem ego trado sicut didici. Tuæ autem intellectualis et discretivæ scientiæ erit, unam istarum solutionum cum rationum attestatione, ratam et veram habere ; aut per proprium studium aliquid verisimilius invenire, aut ab alio doctiore discere (Deo videlicet inspirante, et inspirantibus angelis sanctis et angelorum amatoribus), et si possibile est, magis splendidam et magis amabilem super hoc contemplationem mihi revelare.

# CAPITULUM XIV

### QUID SIGNIFICET TRADITUS ANGELICUS NUMERUS.

ET hoc autem dignum, ut æstimo, intellectuali cognitione, quia Eloquiorum de angelis traditio millies millia esse ait, et decem millia decies millies, secundum nos sublimissimos numerorum in se ipsam revolvens et multiplicans, et per hos aperte signans innumerabiles cœlestium essentiarum ordinationes. Multæ enim sunt beatæ militiæ supermundialium intellectuum, infirmam et coarctatam superantes materialium secundum nos numerorum commensurationem, et a sola gnostica definitæ, secundum ipsam supermundana et cœlesti intelligentia et scientia ditissime eis donatam sanitatem divinæ multæ scientiæ, sapientifica omnium simul quæ sunt, superessentialiter subsistentis principii, et causæ substantificæ, et continentis virtutis, et ambientis consummationis.

Dan. vii, 10, juxta LXX.

# ARTICULUS LXXI

### EXPLANATIO HUJUS CAPITULI QUARTIDECIMI.

PRÆCEDENTI capitulo exposuit auctor A auctoritatem quamdam Isaiæ. Hic exponit auctoritatem quamdam Danielis prophetæ.

*Et hoc autem dignum, ut æstimo, intellectuali cognitione,* id est, consideratione mentali ac diligenti condignum est quod subditur, *quia Eloquiorum de angelis traditio,* id est doctrina Scripturarum de numero angelorum, *millies millia esse ait, et decem millia decies millies.* Sic enim scriptum est a Daniele : Millia millium ministrabant ei, et decies millies B centena millia adsistebant ei. In quibus verbis ponitur numerus determinatus pro numero indeterminato. Etenim incomparabiliter plures sunt, quam numerus exprimit iste, præsertim quum unusquisque homo hic vivens specialem habeat angelum sanctum custodem de infimo ordine exsistentem. Nec dubium quin jam actu multo plures sint homines in hoc mundo, quam numerus ille contineat. Ideo in libro Job asseritur : Numquid est numerus militum ejus? Hinc quoque subjungitur : *secundum nos sublimissimos numerorum in se ipsam revolvens et multiplicans,* id est, has species numerorum simplices et maximas, atque perfectissimas apud nos, « in se ipsam » repetens atque multiplicans. Nempe, si majores apud nos hujusmodi numeri exstitissent, illos forsitan expressisset. *Et per hos aperte significans* innumerabiles cœlestium essentiarum ordinationes,* id est innumerabiles esse congregationes ac acies, coadunationes, turmas, militias

Dan. vii, 10.

Job xxv, 3.

* signans

supernorum spirituum. Quocirca notandum, quod non dicit innumerabiles esse personas, sed, ordinationes essentiarum cœlestium : quo constat superinnumerabiles esse angelorum sanctorum personas. Unde apertissime subditur :

*Multæ enim sunt beatæ militiæ supermundialium intellectuum,* id est, quamplures sunt exercitus mentium supernarum, *infirmam et coarctatam superantes materialium secundum nos numerorum commensurationem.* Hoc mirandum et extollendum, glorificandum ac divulgandum est, magis quam exponendum. Miremur ergo pro posse, et totis præcordiis extollamus, prædicemus, ac undique divulgemus infinitam omnipotentiam, immensam sapientiam, incomprehensibilem magnificentiam, munificentiam, superexcellentiam, omnemque felicitatem et gloriam superbenedictissimi Creatoris, qui aulam supermundani sui palatii tot innumerabilibus nobilissimorum militum, imo et principum, regum, dominorum agminibus, gloriosis ordinibus, splendidissimis jucundissimisque phalangis, ab exordio sæculorum implevit, distinxit ac decoravit : ita quod multitudo illa vehementer excedit « commensurationem », mensuram, pluralitatem « materialium numerorum » ac rerum apud nos exsistentium, « infirmam », id est respectu separatarum illarum substantiarum tam imbecillem,
IV *Reg.* XIX, 35. quod unus de inferioribus ac ministrantibus angelis percussit et occidit celerrime, quasi in ictu oculi, sine labore, in castris Assyriorum, centum octoginta quinque millia armatorum ; multoque plura unus angelorum interfecit in domibus
*Exod.* XII, 30. Ægyptiorum, quando non erat domus in tota Ægypto, in qua non jacuit mortuus ; « et coarctatam », id est angustam et parvam comparatione numerositatis illorum immaterialium, et materialiter incoarctabilium suppositorum, quorum infimum excedit omnem mundi hujus decorem et gloriam.

Denique, ut Haymo refert, et quidam
A sancti patres supernaturaliter conspexerunt, aer iste caliginosus dæmonibus est tam plenus, ut atomis qui in radiis solis cernuntur et volitant, præ multitudine comparentur : non obstante quod tam multi dæmonum sunt cum suo principe in inferno, et in aliis locis diversis, ac apud nos, præsertim quum unusquisque hominum angelum malum habeat exercitatorem. Certumque est, quod innumerabiliter plures angeli perstiterunt in cœlo, quam corruerunt : siquidem unus chorus
B dicitur cecidisse, id est tot de omnibus choris simul, quot ad unum pertinent chorum, vel circiter.

*Et a sola gnostica definitæ, secundum ipsam supermundana et cœlesti intelligentia et scientia :* id est, essentiæ illæ angelicæ, nobis quantum ad numerum incognitæ et innumerabiles, « definitæ », id est, terminatæ et certitudinaliter numeratæ ac notæ sunt, « a sola gnostica », id est cognitione, « secundum ipsam supermundana » et divina, juxta naturam ita
C scientis, « et cœlesti intelligentia », id est simplici intuitione, non discursu nec computo humano, « et scientia », id est certa et infallibili notitia, non labili et deceptibili, qualis est notitia rerum numeratarum in sæculo isto, quoniam subjacent variationi et corruptioni. Hoc totum exponit Hugo de increata Dei cognitione, ita quod soli Deo notus sit numerus angelorum, et puritas, sapientia atque scientia eorumdem. Lincolniensis vero, et Scotus, et alii quidam, et item Albertus,
D exponunt de notitia angelorum, ita quod quilibet eorum scit quot sint omnes simul. Nam subditur : *ditissime,* id est liberalissime, *ipsis infusa sanitate* * *divinæ* *multæ scientiæ,* id est felicitate divinæ et multiformis notitiæ, quæ est *sapientifica,* id est sapienter institutiva, *omnium simul quæ sunt,* quæ ordinate produxit ; vel, « sapientifica », id est sapientiæ collativa, et factiva omnium quæ sunt sapientiæ susceptiva. Quæ sapientia est notitia *superessentialiter subsistentis principii,*

* *eis donatam sanitatem*

*et causæ substantificæ, et continentis virtutis, et ambientis consummationis,* id est Dei Creatoris : qui est principium productivum subsistens super omne ens creatum, et modo in infinitum eminentiori quam quodcumque causatum ; et causa substantifica, id est substantiæ effectiva ; et virtus continens ac conservans producta ; et consummatio ambiens, id est finis et perfectio omnia circumscribens et intra se continens.

Ecce ex his accendamur superboni et superbeatissimi Dei amore ; concupiscat et inardescat mens nostra desiderio videndi eum clare et immediate in se ipso, et exsistendi ac habitandi secum in domo sua, domo non manufacta, non corruptibili et terrena, sed cœlesti ac perpetua, (II Cor. v, 1.) in paradiso superno, in cœlo empyreo, quod est omnium visibilium et invisibilium contentivum, specialiter tamen domus beatifice contemplantium Deum, quia melior est dies una in illa super millia. (Ps. LXXXIII. 11.) O quam beati qui commorantur in illa ! (Ibid 5.) quorum unum et incessabile ac jucundissimum opus est, insistere ac vacare hymnis et laudibus Creatoris. Beatificus vero et excellentissimus actus est, clara et facialis visio fruitiva veritatis æternæ, ac bonitatis immensæ superpræstantissimæ Trinitatis, et universæ suæ emanationis et communicationis ad intra, ac mutuæ intuitionis, fruitionis ac complacentiæ superdelectabilissimæ ac superdulcissimæ. Ab horum participatione bonorum, ab inflammatione divini amoris, a contemplatione sincera, nulla impediat nos cordis duritia, nulla pertinacia animi, nullus amor carnalis, nulla inordinata affectio, nulla mentis elatio, nec ulla impuritas mentis, nulla negligentia aut remissio animi : imo indesinenter coram Altissimo simus timorati, solliciti, custoditi.

# ARTICULUS LXXII

### APPENDIX DE INCOMPREHENSIBILI MULTITUDINE ANGELORUM.

NUNC plenius disserendum de inæstimabili multitudine angelorum. Et videtur quod non sint multi, quia secundum Philosophum, tot sunt substantiæ separatæ, quot motus cœlestes. Secundum Avicennam vero, tot sunt quot orbes cœlestes, una cum sphæra activorum et passivorum, cui dixit præesse intelligentiam ultimam. In quam opinionem Peripatetici communiter videntur concurrere, etiam auctor libri de Causis. Amplius, cernimus quod quanto aliqua sunt perfectiora et sublimiora, tanto sunt pauciora : quod etiam in operibus gratiæ ita est. Etenim perfectio quo major et sanctior, eo et rarior. Similiter in prælaturis et principatibus Ecclesiæ, quanto potestas et jurisdictio altior, eo in paucioribus invenitur. Unde unus solus est Pontifex summus, et unus tantummodo Imperator. Plures quoque sunt episcopi quam archiepiscopi, et plures archiepiscopi quam patriarchæ. Angeli autem supremum locum tenent in Scripturis : ergo paucissimi esse videntur. In oppositum est auctoritas S. Dionysii, imo Scripturæ canonicæ, sicut jam patuit.

Ad hoc Thomas in prima parte respondet : De numero substantiarum separatarum philosophi diversimode sunt locuti. Plato enim dixit species sensibilium rerum, quas appellavit ideas, esse per se subsistentes. Sicque essent tot substantiæ separatæ, quot species sensibilium ac naturalium rerum. Hanc autem opinionem

satis improbavit Philosophus, ponens tot separatas substantias quot sunt motus cœlestes : quod non concordat Scripturis. Rabbi Moyses ergo volens concordare utrumque, dixit quod angeli, in quantum vocantur immateriales substantiæ, numerantur juxta numerum motuum mobiliumve cœlestium ; sed prout angeli nuncupantur, dicuntur homines sancti, et item virtutes seu vires naturalium rerum, quæ omnipotentiam Dei repræsentant ac nuntiant. Verum istud videtur a consuetudine Scripturæ alienum, quod naturalium B rerum virtutes, angeli appellentur. Idcirco dicendum, quod immateriales substantiæ seu angeli, sunt in maximo numero, omnem materialem multitudinem quasi incomparabiliter excedente, quemadmodum quartodecimo Cœlestis hierarchiæ capitulo Dionysius loquitur. Finis enim creationis rerum est, ut in eis majestas et bonitas atque perfectio Creatoris reluceant : ideo rationabile est ea amplius multiplicari, in quibus proprietates illæ divinæ clarius resultant atque refulgent, C ut sunt substantiæ separatæ seu angeli. Insuper, sicut in rebus corporeis pensatur excessus secundum magnitudinem, ita in incorporeis secundum multitudinem. Videmus autem quod corpora cœlestia et incorruptibilia, quantum ad magnitudinem quasi incomparabiliter excedunt corpora inferiora. Conformiter angeli quasi improportionabiliter videntur excedere multitudinem sensibilium rerum. — His concordat Albertus.

Insuper S. Brigitta in revelationibus D suis testatur, quod tot sunt angeli sancti, quod quamvis homines universi qui unquam fuerunt, sunt et erunt, pariter essent, adhuc unicuique homini possent decem angeli deputari. — Præterea, quo major est princeps seu rex, eo condecet eum plures habere ministros, pugnatores ac milites. Unde in Proverbiis Salomon loquitur : In multitudine ministrorum, *Prov.* XIV, 28.

A gloria regis; in paucitate plebis, ignominia principis. Quum ergo Deus sit prorsus infinitæ et incomparabilis majestatis, palam quod deceat eum habere tam innumerabiles cœlestis exercitus milites angelos sanctos et gloriosos : de quibus in Apocalypsi asseritur, quod numerus eorum erat millia millium. *Apoc.* V, 11.

Sed inter hæc dubium oritur, quia si ista intelligantur de multitudine numerali seu individuali materialium rerum, erunt multo plures angeli quam arenæ in terra, et quam pluviæ guttæ et gramina terræ, etc., quod non videtur credibile ; si autem de multitudine materialium rerum specifica, non videretur quid magnum. Quocirca scribit Lincolniensis, quod intentio auctoris non est hic loqui de comparatione numerositatis individuorum per successionem generationis et corruptionis, quia sic adhuc staret objectio de numerali multitudine omnium materialium quæ simul eodem sunt tempore. Istud (ut reor) consultius Deo committitur, quam inconsulte definiatur.

Postremo intuendum, quam indicibiliter gaudiosum sit et erit, in summo cœlo cum tam innumerabilibus millibus tam nobilissimorum ac pulcherrimorum spirituum, imo et animarum beatarum, gloriæ Conditoris adsistere, et tantæ societatis esse consortem, atque de unoquoque eorum gaudium speciale habere. Quemadmodum enim unusquisque eorum quemlibet alium clare et distincte cognoscit, vehementerque diligit, ita de unoquoque illorum gaudium habebit speciale ac grande, congratulando et complacendo sibi ac aliis : quæ tamen gaudia universa præmii accidentalis, ita habebunt se ad gaudium præmii essentialis claræ et fruitivæ visionis vultus divini, sicut una gutta aquæ ad totum Oceanum. Non ergo negligamus nos ipsos, nec tantam beatitudinem amittamus, sed sobrie, juste et pie vivamus indesinenter. *Tit.* II, 12.

## PARAPHRASIS ABBATIS VERCELLENSIS

CONGRUIT etiam angelico principatui quod A
*Dan.* vii, 10. legitur in Daniele : Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia adsistebant ei. Ubi maximus simplex numerus, id est millenarius, in se revolvitur et multiplicatur. Per quod manifeste signatur, quod cœlestes substantiæ nobis sunt innumerabiles. Multæ siquidem sunt beatæ mentes cœlestes, et infirmam et constrictam mensuram nostrorum materialium numerorum excedunt; et a solo cœlesti intellectu et scientia cognitive definiuntur, sibi datis a divina sanctificatione infinitæ cognitionis, quæ est supersubstantiale principium, et substantifica causa, et virtus contentiva et terminatio comprehensiva omnium simul exsistentium.

# CAPITULUM XV

### QUÆ SINT FORMATIVÆ ANGELICARUM VIRTUTUM IMAGINES.

FER age quod restat, remittentes nostrum (si videtur) intellectualem oculum circa sublimes contemplationes angelico vigore, ad dividuam et multipartitam latitudinem multiformis angelicarum specificationum varietatis, descendentes iterum in ipsis tanquam inconsequentibus, in simplicitatem cœlestium animorum analytice reflexis.

* sacre Unum autem sit tibi præcognitum, quomodo sacræ* formatarum imaginum discretiones, easdem aliquando cœlestium essentiarum dispositiones ordinantes significant, et iterum ordinatas, et novissimas ordinantes, ordinatasque primas, et easdem (ut dictum est) primas, et medias, et ultimas habentes virtutes, nulla inordinata ratione introducta secundum hujusmodi reserationum modum. Si quidem enim ordinari quasdam a prioribus diceremus, deinde earumdem ordinantes, priores iterum ordinantes ultimarum ordinari ab ipsis illis ordinatis; vere inordinatione res et confusione multa interposita. Si vero easdem et ordinare et ordinari dicimus, non tamen eorumdem aut ab eisdem, sed eas singulas ordinari quidem a prioribus, ordinare autem novissimas; non inconsequenter fortassis quis dixerit, in Eloquiis sacre factas formas easdem aliquando posse et primis, et mediis, et ultimis virtutibus pulchre et vere circumdari. Et sursum igitur conversibiliter extendi, et erga semetipsas firmiter convolvi, propriarum exsistentes custoditivæ
* providas virtutum, et erga venientia sociabili processione provide* eas in participatione virtutis esse, omnibus non false coadunavit cœlestibus essentiis, etsi aliis quidem superposite et universaliter, ut sæpe dictum est, aliis vero particulariter et subjecte.

Inchoandum autem ratione, et quærendum in prima formarum discretione, ob
quam causam Theologia fere ultra omnes invenitur honorans ignitam sacram descri-
ptionem. Invenies ergo eam non solum rotas igneas conformantem, sed et animalia *Dan.* VII, 9.
ignita, et viros quasi ignem fulgurantes, et circa eas cœlestes essentias cumulos IV *Reg.* II, 11.
carbonum ignis circumponentem, et flumina immensurabili sonitu, igne flagrantia. *Ezech.* I, 5, 7, 13, 27.
Sed et Thronos ait igneos esse, et ipsos excelsissimos Seraphim, cœlitus ardentes *Ibid.* X, 2, 6, 7.
ex cognominatione significare, et ignis proprietatem et operationem ipsis distri- *Dan.* VII, 10. *Ibid.* 9.
buit : et omnino sursum deorsumque ignitam honorificat selectim formarum factu- *Is.* VI, 6, 7.
ram. Ergo igneum significare sentio cœlestium animorum deiformissimum. Ipsi enim sancti theologi superessentialem et informem essentiam, in igne sæpe describunt, tanquam habente multas divinæ (si fas est dicere) proprietatis, quantum in visibilibus, imagines.

Ignis enim sensibilis est quidem (sic dicendum) ; in omnibus et per omnia clare venit, et removetur omnibus ; et lucidus est simul, et quasi occultus, incognitus ipse per se ipsum, non accumbente materia in qua propriam manifestat actionem ; immensurabilisque, et invisibilis ; per se ipsum potens simul omnium, et quæcumque in eis fiunt, ad actionem propriam ; mobilis, tradens se ipsum omnibus quoquomodo proximantibus ; renovativus, naturæ custodia ; illuminativus circumvelatis splendoribus ; incomprehensibilis, clarus, discretus, resiliens, sursum ferens, acute means ; excelsus, non receptus contumelia minorationis ; semper motus, per se ipsum motus, movens alterum ; comprehendens, incomprehensus ; non indigens alterius ; latenter crescens a se ipso, et ad susceptas materias manifestans suimet magnitudinem ; activus, potens, simul omnibus præsens invisibiliter. Neglectus non esse putatur, attritu autem, sicuti quadam vindicta, connaturaliter et proprie subito relucens, et iterum incomprehensibiliter impalpabilis ; non minutus in omnibus ditissime suimet traditionibus. Et multas fortassis quis inveniet ignis proprietates pulchras, ut in sensibilibus imaginibus divinæ operationis. Hoc ergo scientes theosophi, cœlestes essentias ex igne conformant, significantes deiforme earum, et (quantum possibile) Dei imitabile.

Sed et humaniformes ipsas describunt, propter intellectuale, et sursum habendo intuitivas virtutes, et figuræ rectum et luculentum, et secundum naturam principale et regale, et secundum sensum, minimum quidem quantum ad reliquas irrationabilium animalium virtutes, omnium vero potens secundum intellectus magnitudinem virtute, et secundum rationabilem scientiam continuitate, et secundum naturam animæ liberum et potentissimum. — Est autem et per singula (ut æstimo) corporalis nostræ multiplicis partitionis, invenire cœlestes virtutes. Dicentes, conspectivas quidem significare virtutes, ipsum ad divina luminaria clarissimum respectum, et iterum teneram, et liquidam, et non repercussam, sed acute mobilem, et puram, et planam, impassibiliter divinarum susceptionem illuminationum. Olfactuum vero discretivas virtutes, illud super intellectum suave olentis distributionis, quantum possibile, receptivum, et eorum quæ sic non sunt, per scientiam

discretivum et omnino refugitivum. Aurium vero virtutes, illud particeps et gnosticum divinæ inspirationis susceptivum. Gustativas autem, invisibilium escarum plenitudinem, et divinarum et alentium promotuum susceptivum. Tactivas vero, convenientis aut nocentis per scientiam discretivum. Palpebras deinde et supercilia, divinarum visionum intelligentiæ custoditivum. Juvenilem vero et adultam ætatem, illud innovantis semper vitalis virtutis. Dentes autem, divisivum inditæ nutrientis perfectionis. Unaquæque enim essentia intellectualis, donatam sibi a diviniore uniformem intelligentiam, provida virtute dividit et multiplicat ad inferioris ductricem analogiam. Humeros autem, et brachia, et iterum manus, factivum, et operativum, et activum. Cor vero symbolum esse deiformis vitæ, propriam vitalem virtutem deiformiter in ea quæ præintellecta sunt seminantis. Pectora iterum significare durum et custoditivum, ut a supposito corde, vivificæ distributionis. Dorsa vero, continuum simul cunctarum fertilium virtutum. Pedes autem, mobile, et velox, et cursile in divina semper euntis motionis. Propter quod *Is.* VI. 2. et pennatos Theologia sanctorum intellectuum figuravit pedes. Pennatum namque significat anagogicam velocitatem, et cœlestis sursum versus itineris activum, et ab omni humili per sursum ferens remotum ; ipsa vero pennarum levitas, nihil terrenum, sed totum munde et sine gravitate in excelsum ascendens. Nudum quoque et discalceatum, dimissum, et absolutum, et immensurabile, et purum eorum quæ extra sunt appositione, et ad simplicitatem divinam, quantum possibile, assimilativum.

Sed quoniam iterum simpla et multum varia sophia, et nudos vestit, et vasa quædam dat ipsis circumferre : et da, animorum cœlestium sacros amictus et organa, secundum quod nobis possibile, aperiamus. Claram quidem enim vestem igneamque significare æstimo deiforme, juxta ignis imaginem, et luculentum, propter eas quæ in cœlo quietes, ubi lumen et omnino invisibile dicendum, aut intellectualiter illuminans, aut intellectualiter illuminatum ; sacerdotalem vero, ad divina et mystica speculamina ductivum, et totius vitæ votum. Zonas quoque, fecundarum ipsarum custoditivum virtutum, et congregantem eas habitum in se ipsum unite converti, et circulariter cum facilitate casu carente, a naturæ similitudine circa se ipsum circumferri. Virgas etiam, regale ac principale, rectaque omnia definiens. Tela vero et secures, dissimilitudinum separativum, et discernentium virtutum acumen et efficax et actuosum. Geometrica autem et tectonica vasa, fundativum, et ædificativum, et perfectivum, et quæcumque alia reducentis et convertentis sunt secundorum providentiæ. Est autem quando et in nos divinorum judiciorum sunt symbola, illa quæ acta sunt a sanctis angelis organa : aliis quidem declarantibus corrigentem disciplinam, aut punientem justitiam ; aliis vero, ab angustia liberantem, aut disciplinæ finem, aut prioris beneficentiæ resumptionem, aut appositionem aliorum donorum, parvorum aut magnorum, sensibilium aut invisibilium. Et omnino forsitan non dubitaret perspicax animus pulchre invisibilibus adunare visibilia.

Ipsos etiam ventos nominari, eorum velocitatem significat, et in omnes fere absque mora pervenientem effectum, et desursum in ea quæ sunt deorsum, ad sursum transvectivum motum, erigentem quidem secunda ad superiorem celsitudinem, moventemque prima ad communicativam et providam minorum processionem. Dicet autem fortassis quis, aerii spiritus ventosam cognominationem, et deiforme cœlestium significare. Habet enim et hoc, divinæ operationis imaginem et formam (ut in Symbolica theologia per tetrasticam dijudicationem per plura demonstratur) secundum naturæ motivam, et gignentem, et velocem, et potentem capacitatem, et ignotum nobis et invisibile latibulum moventium principiorum et consummationum. Nescis enim, inquit, unde venit, aut quo vadit. Sed et nubis ipsis speciem Theologia circumformat, significans per hoc, sacros intellectus occulti quidem luminis supermundane superrepletos prima apparitione, primam manifestationem pompose accipientes, et ipsam copiose in ea quæ sunt secundo, lucide et proportionaliter distribuentes; et quia genitale eis, et vivificum, et activum, et perfectivum subsistit, juxta intellectualem imbrium conceptionem, excipientem sinum humidis pluviis in vitales partus evocantem. *Joann.* III. 8.

Ipsa etiam æris, et electri, et lapidum multicolorum speciem Theologia cœlestibus essentiis circumponit. Electrum quidem, quoniam auriforme simul et argenteum, significat imputribilem, ut in auro, et simul largum, et non minutum, et incontaminatum splendorem ; et apertam, ut in argento, et luciformem (ut cœlestem) claritatem. Ære * autem, secundum traditas rationes, aut igneum, aut auriforme attribuendum. Lapidum autem multicolores species significare æstimandum : aut quasi albas, luciforme ; aut quasi rubeas, auriforme ; aut quasi pallidas, juvenile aut novum. Et per singulas species invenies anagogicam typicarum imaginum dijudicationem.

* Æri

Sed quoniam quidem hæc, secundum virtutem, a nobis sufficienter dicta esse arbitror, transeundum in sanctam reserationem cœlestium animorum sacre figuratæ bestialis formationis. Leonem enim significare censendum, principale, et robustum, et indomitum, et abditum ineffabilis Divinitatis (ut virtus) assimilativum, intellectualium vestigiorum circumvelamine, et mystice fortassis pretioso amictu secundum divinam illuminationem in semet restituto itinere. Ipsam vero bovis, firmum et novum, et intellectuales sulcos revocans in susceptionem cœlestium et gignentium imbrium, et custoditivum, et fortissimum. Ipsam dehinc aquilæ, regale, et altiferum, et citivolum ; et ad potentificum alimentum, acutum, et sobrium, et agile ; et bene machinatum ; et ad copiosum et multolucentem radium divini Solis desiderio, in speculativarum virtutum sanis obtutibus, immediate, recte, et inflexibiliter contemplativum. Illam vero equorum, obediens et frenabile : et album quidem, vere lucidum, et quam maxime divini luminis cognatissimum ; eorum autem qui nigri sunt, abditum ; rubrum vero, igneum et activum ; commixtorum quoque ex albo et nigro, perfectiva virtute extremorum conjunctivum, et prima secundis, et secunda primis, conversibiliter ac provide connectens.

Sed si non sermonis terminaremus commensurationem, et per partes, dictorum animalium proprietates et omnes corporales eorum conformationes adunassemus fortasse non incongrue cœlestibus virtutibus, secundum dissimiles similitudines : furibundum quidem, in ipsorum intellectualem fortitudinem, cujus novissima furor est imago ; ipsam vero iterum concupiscentiam, in amorem divinum ; et summatim dicendum, simul omnes irrationabilium animalium et sensus et multiplices partes, immateriales cœlestium essentiæ intelligentias et uniformes virtutes reducentes. Sufficiunt autem sapientibus non solum hæc ipsa, sed et unius significativæ imaginis dijudicatio, in proximarum simili modo declarationem.

Inspiciendumque et hoc, fluvios dictos fuisse, et rotas, et currus connexos cœlestibus essentiis. Ignea quidem enim flumina significant divinos promotus, copiosam ipsis et non deficientem affluentiam donantes, et vivifica nutrientes fecunditate ; currus autem, conjunctivam similitudinum societatem ; rotæ autem pennariæ quidem quum sint, in ea quæ ante conspectum sunt inconversibiliter et inflexibiliter euntes, per rectam et justam viam exeuntis operationis earum virtutem, in eamdem sine flexu et recte sectam viam simul omni earum intellectuali rotatu supermundane directo. Est autem et per aliam anagogen dijudicare intellectualium rotarum imaginariam descriptionem. Vocitatum est enim eis, ut ait theologus, Thea, thea, thea*. Signat autem hoc, juxta Hebraicam linguam, revolutiones, et revelationes. Igneæ siquidem et deiformes rotæ, revolutiones quidem habent circa id ipsum optimum semper mobili motu ; revelationes vero, secretorum manifestatione, et circumsubjectorum reductione, et altarum illuminationum in ea quæ subjecta sunt deductiva perfectione.

*Ezech.* x, 13.
* *alias* Gelgel

Reliquus nobis in explanationem, de gaudio cœlestium dispositionum sermo. Etenim acceptrices omnino non sunt ejus quæ secundum nos est, passibilis delectationis. Congaudere autem Deo dicuntur de perditorum inventione, juxta deiformem epulationem, et in providentia et salute in Deum redeuntium deiformitatem, et incorruptionis lætitiam, et illam beneficentiam ineffabilem, in cujus participatione sæpe facti sunt et viri sancti per deificos divinarum illuminationum superadventus.

*Luc.* xv, 10.

Tanta a me de sanctis formationibus dicta sunt, diligenti quidem earum manifestatione deficientia, perfecta autem, ut æstimo, ad non humiliter nos remanendum in figurativis phantasiis. Si autem et hoc dixeris, quomodo non omnium deinde angelicarum in Eloquiis virtutum, aut operationum, aut imaginum fecerimus memoriam, respondemus verum, quia quarum quidem supermundanam scientiam ignoramus, in ipsis nos alium lucis ductorem docentem desideramus. Quædam autem tanquam dictis æque potentia prætermisimus, commensurationi sermonis providentes, et super nos secretum silentio honorificantes. Amen.

# ARTICULUS LXXIII

EXPOSITIO INITII CAPITULI HUJUS QUINTIDECIMI, SCILICET DE QUO AGENDUM SIT IN HOC ULTIMO CAPITULO.

A DECLARATIS invisibilibus proprietatibus ordinum angelicorum, descendit Theologus ad brevem elucidationem visibilium specierum et materialium formationum ac rerum quæ ipsis in Scripturis attribuuntur. Et ita prosequitur hic quod supra incepit, videlicet qualiter Theologia, id est Scriptura, spiritibus illis supernis imagines varias corporeas, interdum etiam viles et prima facie indecentes, interdum nobiliores, adscribit.

*Fer age.* Istæ sunt duæ dictiones adverbiales exhortativæ, et idem significant. B Sicque exhortationem ingeminat, ut vel se animet ad prosequendum quod restat, quum jam pene usque ad finem pervenerit libri, vel Timotheum hortetur ad considerandum attente quod sequitur. Sic et nos aliquando dicimus : Jam nunc videamus, etc. Itaque, Fer age *quod restat,* id est, eia eia, prosequamur « quod restat », supple, dicendum de ista materia, *remittentes nostrum (si videtur) intellectualem oculum circa sublimes contemplationes angelorum* * *vigore :* C id est, relaxantes, « si videtur » sic expedire, « vigore », id est a conatu et acumine, « oculum nostrum intellectualem », id est mentis intelligentiam seu rationis indaginem ac discursum, quo fuit intentus et laborans, « circa sublimes contemplationes », id est puras et simplices intuitiones vel considerationes speculativas, « angelorum »; *ad dividuam et multipartitam latitudinem multiformis angelicarum specificationum varietatis,* id est, ad considerandum « latitudinem », id est multiplicitatem diffusam, « dividuam », id est per diversa divisam, « et multipartitam varietatis multiformis angelicarum specificationum » : hoc est, remittentes et descendere facientes oculum nostrum interiorem a sublimibus speculationibus proprietatum spiritualium angelorum, ad considerandum qualiter ipsi angeli in Scripturis notificantur nobis per diversas et varias figuras, formas et species sensibilium rerum. Interdum enim describuntur apparuisse in effigie humana, interdum in forma leonis, quandoque in curruum et equorum similitudinibus. *Descendentes iterum in ipsis tanquam inconsequentibus,* id est in consideratione formarum istarum materialium, quæ prima fronte inconsequentes, id est impertinentes et inconvenientes videntur ad designandum immateriales nobilissimasque substantias supernorum spirituum, *in simplicitatem cœlestium animorum analytice reflexis,* id est, reductis, revocatis ac repetitis « analytice », id est resolutorie, « in simplicitatem animorum cœlestium », id est ad considerandum ex eis proprietates mentium angelicarum : quod est ex illis rursum ascendere ad intelligibilium speculationem, quia ex sensibilium notitia, ad invisibilium agnitionem ascendimus.

* angelico

# ARTICULUS LXXIV

QUOD EÆDEM FIGURATIONES DIVERSIS ANGELIS APPLICARI POSSINT ; ET DE TRIBUS ACTIBUS QUI UNICUIQUE ANGELO COMPETUNT.

U*NUM autem sit tibi præcognitum,* id A est, unum istud in primis agnoscas, *quomodo sacræ formatarum imaginum resolutiones*,* id est qualiter divinæ Scripturæ resolutivæ et expositivæ « imaginum formatarum », id est sensibilium similitudinum, quæ formatæ sunt, et in Scripturis narrantur formatæ, ad significandum angelorum personas, virtutes et operationes ; *easdem aliquando cœlestium essentiarum dispositiones sanctificantes* significant,* hoc est, ipsæ Scripturæ designant « dispositiones easdem essentiarum B cœlestium », id est eosdem angelicos spiritus bene dispositos, interdum ut « sanctificantes », supple, inferiores : quos purgant, illuminant, perficiunt, et convertunt in Deum, secundum sensum frequenter inductum ; *et iterum sanctificatas*,* id est, Scripturæ significant rursus mentes illas quæ inferiores sanctificant, ut « sanctificatas », id est purgatas et illuminatas a superioribus angelis ; *et novissimas sanctificantes*,* id est, Scripturæ designant quod novissimæ et ultimæ mentes angeli- C cæ sanctificant quasdam, utputa mentes humanas ecclesiasticæ hierarchiæ, vel mentes aliquas proprii chori ac ordinis inferiores se : quia ut dictum est sæpe, in eodem ordine sunt primi, et medii, ac ultimi ; *sanctificatasque* primas,* id est, Scripturæ significant quod etiam primæ ac summæ mentes angelicæ sunt sanctificatæ ab aliquo superiore, puta a Deo, vel a spiritibus ordinis sui superioribus ipsis.

* discretiones

* ordinantes

* ordinatas

* ordinantes

* ordinatasque

*Et easdem (ut dictum est) primas, et medias, et ultimas habentes virtutes :* id D est, Scripturæ juxta hunc sensum et modum designant « easdem » essentias seu spiritus cœlestes, habere « virtutes », proprietates et vires, « primas », per quas illuminant quosdam qui et aliis præsunt ; « et medias » habere virtutes, per quas inter superiores et inferiores habent se medio modo, et quosdam illuminant qui ultra non illuminant mentes angelicas ac supernas ; habere quoque virtutes « ultimas », per quas illuminantur a superioribus. Nec has virtutes oportet in eadem persona distingui realiter, sed ratione, et respectu diverso, seu habitudine triplici : quemadmodum homo per eamdem vim intellectivam est inferior angelo, superiorque leone, et inter utrumque habens se medio modo ; per eamdem quoque scientiam illuminativus est simpliciorum, et capax illuminationis majoris a doctiore, et inter omnino corruptibilia atque omnino incorruptibilia, se medio habet modo. In ordine etenim universi, inter multum distantia medium assignatur, et ab uno in aliud per medium itur. Hinc libro de Causis asseritur : Inter rem cujus substantia et actio sunt in momento æternitatis, et inter rem cujus substantia et actio in momento sunt temporis, exsistens est medium ; et est illud cujus substantia est in momento æternitatis, et actio in momento temporis. Denique, juxta Platonem, medium illud est quasi ligamentum et horizon multum distantium, sicut in numeris inter duo et quatuor, tria sunt medium. Unde et species rerum, instar numerorum se habere censentur.

*Nulla inordinata ratione introducta secundum hujusmodi reserationum modum :* id est, ex hoc quod unum et idem tam diversimode habet se, ita quod idem angelus est illuminans et sanctificans, illuminatus quoque et sanctificatus, nulla

confusio oritur, quum hoc sit respectu diversorum, quemadmodum luna illuminatur a sole, et illuminat terram.

* ordinari *Si quidem enim sanctificari* quasdam a prioribus diceremus, deinde earumdem* * ordinantes *sanctificantes**, hoc est, si diceremus angelos aliquos a superioribus angelis sanctificari et illuminari, et ipsos sic sanctificatos, econtrario sanctificare et illuminare suos superiores et sanctificatores, *prio-* * ordinantes *res iterum sanctificatrices* ultimarum* * ordinari *sanctificari* ab ipsis illis sanctificatis**, * ordinatis hoc est, si diceremus angelos qui sanctificant inferiores se, sanctificari ab eisdem quos sanctificant; *vere inordinatione res et confusione multa interposita,* id est, tunc « res » esset « interposita » et permixta « multa inordinatione et confusione » : non quod propter nostrum dicere res mutetur aut perturbetur, sed quia ex nostris verbis hoc sequeretur, quantum esset ex parte sermonis nostri. Sic enim idem esset majus et minus, dignius et indignius, sanctius et non sanctius, respectu ejusdem : quia sanctificans dignius est sanctificato, quemadmodum juxta Philosophum, agens est honorabilius passo; ac
Hebr. VII, 7. teste Apostolo, Absque ulla contradictione, quod minus est, a majore seu meliore benedicitur et sanctificatur. Verumtamen in ecclesiastica hierarchia, quæ non potest in omnibus hierarchiæ angelicæ conformari, unus frequenter illuminat et sanctificat alium, et denuo illuminatur et sanctificatur ab illo eodem : ut dum duo sibi invicem confitentur, et se invicem corripiunt, corrigunt, informant, ædificant; itemque dum prælatus errans et defectuosus, a subdito sapientiori et virtuoso reducitur et docetur. Unde ad Co-
I Cor. VII, 14. rinthios scribit Apostolus : Sanctificatus est vir per mulierem fidelem, et sanctificata est mulier per virum fidelem. Qui et Colossenses hortatur ut episcopum su-
Coloss. IV, 17. um admoneant : Archippo, inquiens, dicite : Vide ministerium tuum quod accepisti in Domino, ut illud impleas. Qui insuper majorem suum principem ac prælatum

A beatissimum Petrum corripuit et instruxit : In faciem, dicens, restiti ei. Verum- Galat. II, 11.
tamen, nec in his idem secundum idem, aut eodem modo se habens, est sanctificans et illustrans, sanctificatus quoque et illustratus; nec inconveniens est, in hominibus esse excedens et excessum.

*Si vero easdem et sanctificare* et san-* * ordinare
*ctificari* dicimus, non autem easdem ab* * ordinari
*eisdem*, sed eas singulas sanctificari** * non tamen earumdem aut ab eisdem.
*quidem a prioribus, sanctificare* autem novissimas.* Istud expositione non indiget. * ordinari * ordinare
B Nam et istud asserimus, ut constat ex dictis. Ex quibus infert : *non inconsequenter fortassis quis dixerit, in Eloquiis sacre factas formas easdem aliquando posse et primis, et mediis, et ultimis virtutibus pulchre et vere circumdari :* hoc est, ex præhabitis illis concluditur, quod aliquis « non inconsequenter », id est non inconvenienter, dicere potest, « easdem formas » sensibiles et similitudines materiales, « in Eloquiis sacre factas », id est in Scripturis contentas et formatas, « posse
C circumdari », id est applicari, deputari, seu appropriari, « pulchre » et apte interdum, « virtutibus », id est angelis, « primis » seu superioribus, interdum « mediis » angelis, ut qui de secunda sunt hierarchia, aliquando infimis, secundum quod per eamdem formam et speciem sensibilem, imo et per eamdem rem materialem, diversa significantur secundum diversas proprietates, et vires, et operationes ipsius, multiplicem quoque considerationem ejusdem : quemadmodum per
D leonem, ratione fortitudinis et regiæ emi- Apoc. V, 5.
nentiæ, exprimitur Christus; ratione cru- I Petr. V, 8.
delitatis, diabolus.

Consequenter tanguntur tria quæ unicuique angelicæ competunt menti.

*Et sursum igitur conversibiliter extendi,* id est in Deum mente converti per actus hierarchicos, in quem inavertibiliter ac ferventissime stant intentæ per beatificam visionem, *et erga semetipsas firmiter convolvi,* id est consolidari per mentis custodiam atque constantiam, ne per negli-

gentiam excidant : juxta illud ad Hebræos, A Oportet nos abundantius observare ea quæ audivimus, ne forte pereffluamus. Hinc subditur : *propriarum exsistentes custoditivæ virtutum,* id est observativæ virium suarum et actionum, gratiarum et officiorum, quamvis certæ sint se peccare non posse. Sic et Aggæus propheta hortatur nos : Ponite corda vestra super vias vestras. Et in Proverbiis docetur : Ne des alienis honorem tuum, et annos tuos crudeli, ne forte impleantur extranei viribus tuis. Hinc de incustoditis fertur in Osee : B Comederunt alieni robur ejus, et ipse nescivit. Qui ergo redit ad cor, et ad se ipsum valenter colligitur, implens quod ait Scriptura, Omni custodia custodi cor tuum, ne cogitationum vanarum tumultu frangatur, aut inordinatarum affectionum corruptione lædatur aut dissipetur : iste erga se ipsum convolvitur firmiter, et propriarum custoditivus est virtutum salubriter. Unde et Proclus centesimo quinquagesimo sexto theoremate contestatur : Omnis quidem puritatis causa, in custo- C ditivo ordine continetur. *Et erga venientia sociabili processione providere* *, id est socialiter, pie et gratiose « providere », influere, impertiri dona cœlestia venientibus ad ipsos, hoc est his qui se convertunt ad ipsos, et eorum imitantur virtutes. Providere, inquam, ea *provide* * *in participatione virtutis esse,* id est, ita quod participent gratiam et virtutes provisorum suorum. Itaque tria hæc *omnibus non falso coadunabit* * *cœlestibus essentiis,* id est, non erronee attribuet quis cunctis supernis spiritibus : quamvis non æqualiter competant illis. Propterea sequitur : *etsi aliis quidem superposite et universaliter, ut sæpe dictum est,* id est, quamvis quibusdam illorum conveniant « superposite », id est præeminenter ac generaliter, utputa mentibus primæ hierarchiæ, *aliis vero particulariter et subjecte,* id est supposite, seu modo inferiori, ut infimæ hierarchiæ, vel etiam mediæ, respectu superioris et primæ, prout istud jam supra sæpe inductum est.

Hebr. II, 1. Agg. I, 7. Prov. V, 9, 10. Osee VII, 9. Prov. IV, 23.

* alias deest providere

* provide eas

* false coadunavit

Ita et nos per imitationem cœlestium animorum debemus in Deum converti, et in ipso constabiliri per contemplationem sinceram ac ferventem amorem ; ad nos ipsos quoque convolvi per sollicitam mentis custodiam ; atque ad proximos ac subditos caritative providentialiterque extendi, quidquid boni poterimus ipsis communicando, ut in participatione gratiæ et gloriæ sint nobiscum.

Denique de his aliqua in Elementatione sua theologica scribit Proclus juxta Platonis doctrinam : Omne, inquiens, custoditivum in diis, unumquodque in proprio ordine suo conservat. Et rursus : Omne paternale in diis, præoperosum est, et in boni ordine præstans secundum omnes dispositiones divinas. De providentia demum superiorum causarum, quas more suo nominat deos, multa conscribit, dicendo : Omnis divinus intellectus intelligit quidem ut intellectus, providet autem ut deus, id est in quantum divinus.

## ARTICULUS LXXV

### QUAS FORMAS SEU FIGURAS ANGELIS SCRIPTURA ADSCRIBAT ; ET PRIMO CUR IN FORMA IGNEA POTISSIME DESCRIBANTUR.

HIS prætermissis aggreditur tractatum, D loquendo de sensibilibus formis, figuris et speciebus, quæ in Scripturis angelis adscribuntur, et cur.

*Inchoandum autem ratione,* id est, rationabiliter incipiendum est hic, *et quærendum in prima formarum discretione,* id est in præcipua ista distinctione sensibi-

lium similitudinum quæ in Scripturis angelis adscribuntur, *ob quam causam Theologia fere ultra omnes invenitur honorans ignitam sacram descriptionem,* id est, cur Scriptura magis frequentat « descriptionem », id est formationem symbolicam, in qua ignis memoratur et nominatur : in qua descriptione describuntur et nobis notificantur angeli sancti.

* *ergo* *Invenies autem* eam non solum rotas igneas conformantem,* id est, Scripturam reperies non tantum recitantem rotas igneas ad designandum spiritualia ac divina : juxta illud Danielis, Rotæ ejus ignis accensus ; *sed et animalia ignita :* juxta illud, Ecce currus igneus et equi ignei, etc. ; *et viros quasi ignem fulgurantes,* id est similitudinem virorum hujusmodi. Ezechiel enim ait : Vidi quasi speciem electri ; et similitudo quatuor animalium, et scintillæ quasi adspectus æris candentis. Hæc erat visio discurrens in medio animalium, splendor ignis, et de igne fulgur egrediens. *Et circa ipsas* cœlestes essentias cumulos carbonum ignis circumponentem,* id est virum lineis indutum, accipientem de prunis altaris juxta alios sex viros : per quos cœlestes essentiæ, id est angeli, exprimebantur, sicut superius habitum est, pleniusque expositum ex auctoritatibus Ezechielis. *Et flumina immensurabili sonitu, igne flagrantia.* Unde Daniel : Fluvius (ait) igneus rapidusque egrediebatur a facie ejus. Cujus sonus impetuosissimus fuit atque celerrimus. Unde alia littera habet, Irretentibili.

(Dan. VII, 9. — IV Reg. II, 11. — Ezech. I, 27, 5, 7, 13. — * eas — Ezech. X, 2, 6, 7. — art. XLVIII. — Dan. VII, 10.)

*Sed et Thronos ait igneos esse.* Sic et Daniel iterum : Thronus (inquit) ejus flammæ ignis. Porro in Scripturis aliquando ponitur plurale pro singulari, et econtra. *Et ipsos excellentissimos* Seraphim, cœlitus ardentes ex cognominatione significare :* id est, invenies Scripturam « significare » summos illos spiritus primi chori qui Seraphim appellantur, « ardentes cœlitus », id est spiritualiter in Dei amore, « ex cognominatione », id est ex propria illorum appellatione. Seraphim quippe ardentes interpretantur. *Et ignis proprietatem et operationem ipsis attribuit*,* id est, Scriptura adscribit « ipsis » Seraphim « proprietatem » et actus « ignis » : attamen, per alium modum. Sunt enim subtiles, clari ac splendidi, activi, inflammativi et sursum tendentes, ut ignis. *Et omnino sursum deorsumque ignitam honorat* selectim formarum facturam :* id est, Scriptura celebrius introducit « facturam », id est compositionem, « ignitam formarum », id est sensibilium similitudinum, in quibus est nominatio ignis « selectim », id est segregatim : et hoc, « sursum deorsumque », id est circa angelos superiores et inferiores. Nam et angelus qui labia Isaiæ purgavit, Seraphim nominatur : qui juxta præhabita præcedenti capitulo, fuit de infima hierarchia. Et Psalmista fatetur : Qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos ignem urentem.

(Ibid. 9. — * excelsissimos — * distribuit — * honorificat — Is. VI, 6, 7. — Ps. CIII, 4; Hebr. I, 7.)

Deinde expositionem horum orditur.

*Ergo igneum significare censeo*,* id est, igneam formationem seu similitudinem judico designare, *cœlestium animorum deiformissimum,* id est, id quod divinissimum est in angelis, et per quod Deo potissime assimilantur : quod est ferventissimus ac purissimus amor Dei, præsertim quum et ipsemet Deus in Scripturis vocetur ignis. Nam subditur : *Ipsi enim sancti theologi,* id est auctores Scripturæ, *superessentialem et informem scientiam*,* id est increatam sapientiam Dei, « informem », id est nudam et simplicem, nec ulla forma superaddita limitatam, *in igne sæpe describunt,* id est, designant per appellationem proprietatemque ignis, dicendo quod omnia nuda, certa et clara sunt oculis Dei ; *tanquam habente multas divinæ (si fas est dicere) proprietatis, quantum in visibilibus, imagines :* hoc est, « in igne tanquam » in re « habente imagines multas proprietatis divinæ », id est varias similitudines cum natura et proprietatibus Dei, quantum licitum est dicere, hoc est, quantum in rebus visibilibus ac inanimatis similitudines tales cum Deo possunt relucere.

(* sentio — Deut. IV, 24; Hebr. XII, 29. — * essentiam — Hebr. IV, 13.)

# ARTICULUS LXXVI

### DE VARIIS PROPRIETATIBUS AUT VIRIBUS IGNIS, ET QUOMODO EÆ DEO SEU ANGELIS APPLICENTUR.

DEINCEPS proprietates ignis ponuntur. A *Ignis enim sensibilis est quidem,* id est, pro certo ignis valde sensibilis est. *Sic enim* * *dicendum,* id est, utique sic tenendum, imo experimentaliter patet. Ignis namque inter quatuor elementa maxime est formalis, activus, agilis, et in sui naturam alia transmutans, atque nobilior ac altior loco. *In omnibus et super* * *omnia clare venit,* id est, sua velocitate, subtilitate et activitate maxime penetrat, et lucide venit, ac aliis superfertur, *et removetur omnibus,* quoniam evolat, et difficulter includitur, ac erumpit. Sicque « removetur » et recedit ab « omnibus », nisi quasi vi retineatur et imbibatur materiis; et præcellit dignitate et loco, et minus de materia habet. *Et lucidus est simul.* Tamen, secundum Avicennam, in propria sphæra non lucet præ subtilitate et partium incompactione, sed in materia bene compacta et solida, quemadmodum etiam de empyreo dicitur cœlo. *Et quasi occultus, incognitus ipse per se ipsum occumbente* * *materia in qua propriam manifestet* * *actionem :* id est, præ sua subtilitate et simplicitate nequit videri, nisi in materia in qua agit et suam efficientiam pandit : qua subtracta aut consumpta, amplius non apparet nec cernitur. Nempe in sua natura ipso aere decies subtilior perhibetur, quum tamen et aer non videatur. *Immensurabilisque,* quia præ magnitudine sua mensurari non valet, quum tamen dicatur decies aere major. Et juxta Philosophum, crescit in infinitum. Propter quod Salomon dixit : Ignis D nunquam dicit, Sufficit. *Et invisibilis :* sicut expositum est.

* alias om. *enim*
* *per*
* *non accumbente*
* *manifestat*
*Prov.* XXX, 16.

*Per se ipsum potens simul omnium,* id est prædominans aliis elementis; *et quæcumque in eis sunt* *, *ad actionem propriam,* supple, trahens. *Mobilis* velocissime, non gravatus materia, et mixtis conferens mobilitatem et motum, quorum materiam per minutissimas undique partes pertransit, millies in eisdem subtilior quam sit terra. Idcirco in senibus deficit calor et virtus ignis; estque hinc eis et mobilitas minor, ac major gravedo. *Tradens se ipsum omnibus quoquomodo pro-* B *ximantibus,* id est, vim suæ caliditatis influens omnibus appropinquantibus ei; *renovativus* aliorum, quorum consumit rubiginem, animaliumque quorumdam, ut aquilæ et phœnicis; *naturæ custodia,* quia conservat naturam, nec videtur senescere, et ipso evaporante, moritur animal. Nam et illa quæ hiemali frigore aruerunt, vernali temperato revirescunt calore. *Illuminativus,* sicut videmus, quia in igne abundant calor et lux, *circumvelatis splendoribus :* quia ad illuminandum C foris emicant et erumpunt; sed ad naturæ suæ secretum reducti, circumteguntur.

* *fiunt*

*Incomprehensibilis,* id est, capi non valens ut terra et aqua, imo celerrime transvolans; *clarus, discretus,* id est ab aliis distinctus et segregatus, quia formalis. Forma est enim quæ distinguit et separat. *Resiliens :* quia dum deorsum impellitur, resilit, et levitate sua fertur in altum; *sursum ferens,* id est movens : quoniam pondere carens, ascendit; *acute means :* quoniam penetrat quæ incendit, D et summitates ignium valentius agunt, acutiusque incendunt; *excelsus,* id est altior et præstantior ceteris elementis, *non*

* non receptus contumelia

*recepturus contumeliam* * *minorationis :* quoniam aliis prævalet et opprimit ea, quamvis a suo contrario in aliena materia corrumpatur. *Semper motus, per se ipsum motus :* nam et in propria sphæra incessanter movetur, et intra se propria formalitate peragitatur ; *movens alterum :* sicut jam patuit ; *comprehendens,* id est, alia invadens, incendens, et in se transmutans, *non comprehensus* * ab illis, quæ fugiunt ipsum ut corruptivum ; *non indigens alterius,* id est aliena materia pro sui conservatione et nutritione in propria sphæra ; *latenter crescens,* id est, repente diffundens se per combustibilia quæ incendit, *a se ipso,* id est propriæ caliditatis virtute ; *et ad susceptas materias manifestans suimet magnitudinem :* id est, in materiis sibi applicatis se dilatans, ostendit quam magnus virtualiter fuit, actualiterque efficitur. *Activus, potens, simul omnibus præsens invisibiliter :* quia in mixtis suo modo consistit, et virtualiter pluribus inest, ac per alia elementa diffunditur, atque in generatione mixtorum virtute universalis naturæ descendere perhibetur.

* incomprehensus

*Neglectus non esse putatur,* id est, scitur non faciliter negligi nec perire : imo diligentissime consideratur ne alicubi latens erumpat et reaccendatur, ut dum cineribus operitur ; *attritu autem, sicuti quadam vindicta, connaturaliter et proprie subito relucens,* id est, ex concussione, insufflatione, percussione, repente erumpens, quasi in ultionem suæ percussionis, et proprio calore resuscitatus ac refulgens, *et iterum incomprehensibiliter impalpabilis,* in propria natura, ut tactum est ; sed bene in aliena materia est palpabilis. *Non minutus in omnibus ditissimis* * *suimet traditionibus,* id est non minoratus nec debilitatus directe per hoc quod omnibus sui capacibus liberalissime se communicat, imo per hoc amplius invalescit, dum illa incendit : quamvis per accidens, hoc est per divisionem, dispersionem aut subtractionem materiæ nu-

* ditissime

A trientis et conservantis, aut per appositionem contrarii, minuatur, debilitetur et exstinguatur.

*Et multas fortassis quis inveniet ignis proprietates pulchras, ut in sensibilibus imaginibus divinæ operationis :* id est, aliquis acute considerans actiones et vires ipsius ignis, forsan inveniet ultra prædictas ejus proprietates et operationes, adhuc alias multas, quæ sint imagines, id est similitudines, operationis divinæ, secundum quod tales similitudines in rebus et B imaginibus corporalibus irrationabilibus poterunt inveniri. Etenim præter præhabita, mollificat dura, induratque mollia ; inferiora ducit et movet ad superiora, quia terrena resolvit in aquosa, et aquosa in aerea ; condensat in luto ; frigescit per accidens, ut in aceto ; depurat, ut in auro ; subtiliat, et nocivos consumit humores ; necessarius est valde ad conservationem vitæ humanæ, quum per ipsum cibi coquantur.

C Verum, quoniam ista sunt introducta ad declarandum proprietates Dei et angelorum, restat breviter tangere qualiter hoc contingat.

« Ignis », inquit, « sensibilis est » : et Deum sentiunt universa, ut in Christi patuit passione, quando obscuratus est sol, et Matth. scissæ sunt petræ, ac mota est terra. Hinc xxvii, 45, 51. scriptum est in Ecclesiastico : Ecce cœ- Eccli. xvi, lum et cœli cœlorum, abyssus et universa 18. terra, et omnia quæ in eis sunt, in conspectu Dei commovebuntur. Et quum con- D spexerit illa Deus, tremore concutientur. Sic et scriptum est in Marco : Exsurgens Marc. iv, comminatus est vento, et dixit mari : Ta- 39. ce, obmutesce. Et statim facta est tranquillitas magna. Ignis « per omnia clare venit ». Sic in omni opere Dei relucet omnipotentia et sapientia ejus ; clamantque omnia : Ipse fecit nos, et non ipsi nos. Ps. xcix, 3. Præcellit ignis cetera elementa, et Deus universa ac singula infinite. « Removetur » ignis ab « omnibus » : et Deus per suam infinitam puritatem et excellentiam, differt

et separatur ab universis. Ignis est « lucidus » : et claritatis Dei nullus est finis : cujus comparatione omne creatum, quantumlibet luminosum, est caligo. Ignis « quasi occultus » est atque « incognitus » : et Deus est prorsus incomprehensibilis. Ignis in materia sibi applicata, propriam actionem ostendit : et Deus omnem mentem ei se applicantem, gratiose illustrat.

Juxta hunc modum cetera facillime adaptantur. Nam et Deus per caritatis ardorem in se transmutat fidelium mentes, et renovat omnia. Ipse est custos et conservator naturæ. Resilit a mentibus induratis. Acquiescentes suæ inspirationi, fert sursum. Acute meat : quoniam imperio ejus nil potest resistere ; et dum vult, omnem gratiæ obicem tollit, ac cordis frangit duritiam : Auferam, inquit, cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum. Contumeliam non recipit, quoniam impassibilis omnipotensque consistit. Qui per Jeremiam testatur : Numquid me ad iracundiam provocant? nonne semetipsos in confusionem vultus sui ? Semper motus : omnibus enim mobilibus mobilior est sapientia, sicut expositum est. Latenter crescit in suis devotis, qui eum magnificant, et in cordibus quæ convertit, quibus excellentiæ suæ pandit immensitatem. In negligentibus, in quibus lux gratiæ suæ fuit pene exstincta, per gratiam prævenientem oritur rursus ut Lucifer; et se quasi ulciscens, dejicit solo nutu adversarios gratiæ. Ex his patet qualiter possent hæc angelis convenire.

(Margin: *Ezech.* XI, 19 ; XXXVI, 26. — *Jer.* VII, 19. — *Sap.* VII, 24. — A, B)

*Hoc ergo scientes theosophi,* qui per formatam, dulcem et amorosam notitiam noverunt Deum, *cœlestes essentias ex igne conformant,* id est, per ignis proprietates designant, *significantes deiforme earum,* id est puram simplicemque naturam, ac fervidam mentem, *et (quantum possibile) Dei imitabile,* id est, id in quo ipsæ possunt Deum imitari et ei assimilari.

## ARTICULUS LXXVII

### QUOMODO ANGELIS HUMANA TRIBUANTUR, IISQUE ILLI DESIGNENTUR.

CONSEQUENTER ostenditur qualiter per humana sancti angeli designantur.

*Sed et humaniformes ipsos* describunt,* id est, theologi designant atque notificant angelos quasi hominibus similes, seu per formas, figuras et similitudines, humanæ formæ et figuræ conformes, *propter intellectuale,* id est ob hoc quod homo est rationalis et intellectualis naturæ, *et sursum habendo intuitivas virtutes,* id est, quoniam habent visivas potentias sursum erectas, *et figuræ rectum et luculentum,* id est ob hoc quod homo habet staturam erectam et luculentam, *et secundum naturam principale et regale,* id est, quoniam prælatus est omni creaturæ terrenæ; *et secundum sensum, minimum quidem quantum ad reliquas irrationabilium animalium virtutes,* id est, quia homo inter cetera animalia minus habet de exteriorum sensuum vigore, quoad hoc quod in quolibet sensu hujusmodi ab aliquo bruto exceditur : sicut in tactu ab aranea, in visu a lynce et aquila, in odoratu a cane, secundum auditum a lupo, secundum gustum a vulture ; *omni* vero potens secundum intellectus magnitudinem virtute,* id est, quia homo « potens » est « omni virtute » morali, intellectuali, civili, theologica, infusa et acquisita, estque omnium capax aliquo modo per intellectum, *et secundum rationabilem scientiam continuitate,* id

(Margin: * ipsas — * omnium — C, D)

est quantum ad spiritualem integritatem A scientiæ discursivæ, qua ex una discurrit in aliam, a creaturis ad Creatorem, ac jugiter potest proficere, *et secundum naturam animæ liberum et potissimum* *, id est propter liberum arbitrium animæ datum, ac propter « potissimum » illud quod communicatum est ei seu homini, quia ad imaginem et similitudinem Dei plasmatus est, juxta illud Geneseos : Dixit Deus : Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, et præsit piscibus maris, et volatilibus cœli, et bestiis B terræ, universæque creaturæ, etc.

* potentissimum

Gen. I, 26.

Ob has ergo dignitates et proprietates ac alias multas, angeli benedicti ac sancti recte per hominem designantur, et in humana depinguntur effigie, hominibus quoque apparere frequenter solent in forma humana : quum ipsi sint perspicacissimi intellectus, deiformesque mente, habentes visum internum ad Creatorem supersanctissimum incessabiliter inavertibiliterque erectum ; et sunt ab exordio recti corde, et linealiter sine omni reflexione C ad se inordinata, ad Deum conversi, ac super omnia corporalia exaltati et præsidentes ; de sensitivis viribus nihil sortiti, universis virtutibus atque scientiis eorum statum et excellentiam condecentibus repleti ; liberrimi quoque, et præ cunctis creatis Deo simillimi, sacratissima Virgine et anima Christi semper exceptis ; rectores, custodes, magistri ac domini nostri : quorum respectu quasi infantes et pueri sumus, in tantum quod unus eorum etiam infimæ hierarchiæ, dixit ad alium, loquens D de uno grandævo Propheta præclaro : Curre et loquere ad puerum istum.

Zach. II, 4.

Consequenter compendiosissime tangit qualiter quinque sensus conveniunt eis, membra quoque humana.

*Est autem et per singula, ut æstimo, corporalis nostræ naturæ* * *multiplicis partitionis, invenire cœlestes virtutes :* hoc est, « ut æstimo, est », id est contingit, « invenire virtutes cœlestes », id est proprietates seu vires aut actiones angelicas esse designatas, « per singula partitionis multiplicis », id est per singulas partes et vires seu membra, « nostræ corporalis naturæ ».

* alias deest naturæ

*Dicentes, conspectivas quidem significare virtutes,* id est, quod virtutes conspectivæ, id est vires visivæ quæ sunt in corporalibus oculis, seu oculi ipsi, designent *ipsum ad divina luminaria clarissimum respectum,* id est splendidissimam vim intellectualem seu contemplativam actionem ad intuendum « divina luminaria », id est illuminationes divinas, seu rationes ideales mentis divinæ, aut superbeatissimas increatas tres Personas, *et iterum teneram, et liquidam, et non repercussam, sed acute mobilem, et puram, et planam, impassibiliter divinarum susceptionem illuminationum,* id est expeditam receptionem « illuminationum » a Deo manantium : quæ receptio est « impassibiliter », id est absque corporali transmutatione, tenera, id est gracilis, et liquida, id est cito fluxibilis, non repercussa, sed irreverberata et perspicax, acuteque mobilis, id est feribilis in ipsum intelligibile.

*Olfactuum vero discretivas virtutes, illud super intellectum suave olentis distributionis, quantum possibile, receptivum :* id est, dicentes per olfactum discrete discernentem, in angelis intelligi « receptivum », id est vim susceptivam, « distributionis », id est infusionis, « suave olentis », id est dulciter redolentis, contemplationis divinæ ac consolationis internæ, quæ redolet « illud suave » quod est « super intellectum », id est increatam dulcedinem, quæ omnem superat mentem, juxta illud Apostoli : Pax Christi, quæ exsuperat omnem sensum (id est intellectum), custodiat corda vestra; et in Psalmo, Quam dulcia faucibus meis eloquia tua ! *Et non hujusmodi, per scientiam discretivam et omnino refugitivam* * : hoc est, dicentes discretivas vires olfactuum interiorum significare vim discretivam

Philipp. IV, 7.

Ps. CXVIII, 103.

* Et eorum quæ sic non sunt, per scientiam discretivum et omnino refugitivum

non talium, id est eorum quæ non sunt spiritualiter bene olentia salubriterque suavia, ut sunt errores et falsitates : quæ vis discretiva, etiam est talium refugitiva, detestando et abjiciendo hujusmodi, quemadmodum olfactus exterior discernit inter bonos odores atque fœtores, illos acceptans, et istos refugiens. Et hoc facit olfactus interior per scientiam salutarem, quia bene judicat et discernit inter utrumque.

*Aurium vero virtutes, illud particeps et gnosticum divinæ inspirationis susceptivum :* id est, per auditum seu interiorum « aurium virtutes », id est vires discretivas, intelligi « particeps illud et gnosticum », id est cognitivum, « susceptivum inspirationis divinæ », id est allocutionis internæ, juxta illud : Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. Et Isaias ait : Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico. Christus quoque de his auribus dixit : Qui habet aures audiendi, audiat; et Michæas, tertio Regum, ad Achab, Si reversus fueris in pace, non est Dominus locutus in me. Hoc auditu audiunt mentes angelicæ melos dulcissimum harmoniæ cœlestis, juxta illud Psalmi : Benedicite Domino, angeli ejus, potentes virtute, facientes verbum illius ad audiendam vocem sermonum ejus.

*Ps.* LXXXIV, 9. — *Is.* L, 5. — *Matth.* XI, 15; XIII, 9, 43. — III *Reg.* XXII, 28. — *Ps.* CII, 20.

*Gustativas autem, invisibilium escarum plenitudinem, et divinarum et alentium sublimitatum* susceptivum :* id est, vires discretivas gustus interioris dicimus significare in angelis « plenitudinem escarum invisibilium », hoc est plenissimam refectionem spiritualium alimentorum paradisi cœlestis (prout Tobiæ S. Raphael ait, Ego cibo et potu invisibili utor), « et susceptivum », id est vim susceptivam, « sublimitatum divinarum », id est sublimium suavitatum Dei, optime « alentium » mentes beatas, quarum multa sunt saluberrima fercula et gaudia copiosa. Unus autem omnium cibus et potus objectalis, est Trinitas supervenerandissima, A Deitas adoranda, in qua est omnium bonorum omniumque pulchrorum ac desiderabilium plenitudo prorsus immensa. Unde cecinit felix Psalmista : Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos : quoniam apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen.

* *promotuum* — *Tob.* XII, 19. — *Ps.* XXXV, 9, 10.

*Tactivas vero, convenientis aut nocentis per scientiam diagnosticum* :* id est, tactum seu vires « tactivas » dicimus designare « diagnosticum », id est duplex B cognoscitivum et spiritualiter perceptivum, boni « convenientis », et mali nocivi, quod tamen in Beatis locum non habet. Sic sancti prophetæ, Isaias, Ezechiel, Daniel, Joannes quoque in Apocalypsi, se tactos divinitus protestantur.

* *discretivum* — *Is.* VI, 7; *Ezech.* II, 2; III, 14; *Dan.* VIII, 18; IX, 21; X, 10, 16, 18; *Apoc.* I, 17.

Denique hi quoque quinque sensus interiores in nostris sunt animabus. Et tam in illis quam in nobis, sunt realiter una eademque potentia : quæ potentia secundum varios actus, diversas nominationes sortita est. Quod enim in inferioribus fit C per plura, in superioribus fieri solet per pauciora. Itaque intellectus, in quantum vera intuetur, dicitur visus ; in quantum verba salutis percipit, nominatur auditus; in quantum suavitatem internam experitur, gustus; in quantum supernorum odore attrahitur, olfactus; in quantum bonum optatum attingit, dicitur tactus.

*Palpebras deinde et supercilia, divinarum visionum et* intelligentiæ custoditivum :* id est, vim conservativam et custoditivam revelationum cœlestium « et D intelligentiæ » earumdem, vocamus in angelis « palpebras et supercilia », sicut in exterioribus palpebras et supercilia dicimus, quæ corporeos oculos vimque visivam custodiunt ac tuentur. Nec in angelis palpebras et supercilia ab intellectiva oportet distingui potentia, quia in illa non cadit oblivio.

* *alias deest et*

*Juvenilem vero et adultam ætatem, illud innovantis semper vitalis virtutis :* hoc est, ætatem adolescentialem atque virilem vocamus in angelis illam vitalem

virtutem, quæ in eis nec senio alteratur, A neque debilitatur, quum sit supra tempus et corporalem complexionem. Apparuerunt autem interdum in specie juvenili, ali-
*Marc.* XVI, 5. quando in virili. Unde Marcus ait : Viderunt juvenem sedentem in dextris, coopertum stola candida. Et in Actibus dicitur :
*Act.* I, 10. Ecce duo viri adstiterunt juxta illos.

*Dentes autem, divisivum inditæ nutrientis perfectionis :* id est, sicut in animalibus dentes vocantur quibus esca dividitur, sic in angelis dentes nuncupantur vires sapientialiter communicativæ et dis- B tributivæ, quibus dona spiritualiter nutritiva inferioribus impertiuntur. Itaque, « dentes » in eis significant « divisivum », id est vim discrete communicativam inferioribus, « perfectionis inditæ nutrientis », id est illuminationis eis impressæ, qua secundario nutriuntur. Principaliter quippe nutriuntur beatifica fruitione, quam unus eorum alteri non tradit nec auget, quamvis de ea unus alteri congratuletur. *Unaquæque enim essentia intellectualis,* id est quælibet creatura angelica, *dona-* C *tam sibi a diviniore uniformem intelligentiam,* id est illuminationem sibi ab altiore collatam, *provida virtute dividit et multiplicat ad inferioris ductricem analogiam,* id est, providentialiter, discrete et caritative coaptat et influit, juxta mensuram et dispositionem inferioris, ad cujus provisionem ducit talis analogia, id est proportionalis cohabitudo.

*Humeros autem, et brachia, et iterum manus, factivum, et operativum, et activum :* id est, per humeros, et manus, et D brachia, prout angelis adscribuntur, intelligimus vires earum operativas, et supportativas, ac defensivas, quibus operantur circa nos, condescenduntque nobis, et supportant ac portant nos : quemadmo-
*Dan.* XIV, 35. dum angelus portavit Habacuc capillo capitis sui et posuit eum super lacum leonum in impetu spiritus sui, prout apud
*Ps.* XC, 12, 4. Danielem legitur. Et in Psalmo : In manibus portabunt te; scapulis suis obumbrabit tibi.

*Cor vero symbolum esse deiformis vitæ, propriam vitalem virtutem deiformiter in ea quæ præintellecta sunt seminantem*.* Cor in nobis quandoque accipitur * *seminantis* pro membro corporeo, quod (juxta Philosophum) est primum vivens in animali, et ultimum moriens in eodem : quod et vitam diffundit per corpus. Cor sic sumptum, attribuitur angelo symbolice et metaphorice, id est per similitudinem quamdam, et designat in angelis vitam eorum, seu vim intellectualem et actum deiformem « seminantem » et diffundentem vitam in ea quæ præconceperunt esse agenda a se. Nam et juxta Philosophum, motus cœli est quasi vita quædam inferiorum : quanto magis motor cœli? Angeli quoque ministerialiter vivificant animas nostras, illuminando et inspirando salubria. Cor vero pro intellectu acceptum, proprie competit angelis. Cor demum adscribitur angelo malo apud Job : Cor ejus ut lapis *Job* XLI, 15. indurabitur.

*Pectora iterum significare durum et custoditivum, ut a supposito corde, vivificæ distributionis :* id est, pectus dicimus in angelo designare « durum », id est robustum et firmum, « et custoditivum distributionis vivificæ », quæ fortiter custoditur in pectore angeli, id est influentiæ angelicæ vivificativæ, tanquam profluentis « a corde supposito », id est emanantis ab angelo, sicut in nobis vita fluit a corde corporeo, quod est suppositum pectori costis ossibusque compacto, quatenus cordis teneritudo pectore muniatur.

*Dorsa vero, continuum simul cunctarum fertilium virtutum :* id est, per dorsum designamus in angelo continuationem seu cohærentiam virtutum ac virium ejus. Quemadmodum enim in medio dorsi conveniunt costæ, et spina spinæ conjungitur, ut dorsum ad ferenda onera validum fiat; ita in angelo est compaginatio et cohærentia virium, ad efficaciter operandum. Unde Ezechiel : Dorsa (inquit) *Ezech.* I, 18, juxta LXX. eorum plena oculis.

*Pedes autem, mobile, et velox, et cursile in divina semper euntis motionis :* id est, per pedes in angelis designatur vis motiva, operativa, et processiva in executionem omnis actus Deo placentis. Unde Ezechiel : Animalia, ait, ibant in similitudinem fulguris. (Ezech. i, 14.) Itaque, « pedes » eorum significant « mobile, et velox, et cursile » robur « motionis », id est operationis, « in divina euntis », id est tendentis ad Deo placentia. *Propter quod et pennatos Theologia sanctorum intellectuum figuravit pedes,* id est, Scriptura in Isaia propheta figurative descripsit pedes angelorum esse pennatos. (Is. vi, 2.) *Pennatum namque significat anagogicam velocitatem et cœlestem, et sursum* versus itineris activum :* (*, et cœlestis sursum) id est, esse « pennatum significat » in angelis « velocitatem anagogicam », id est sursum ductivam, « et cœlestem », quoniam velocissime atque promptissime exsequuntur quidquid jusserit Deus. Significat etiam « activum itineris versus sursum », id est vim motivam qua movent se ipsos et alios sursum. Per eamdem item virtutem descendunt dum ratio exigit. Qualiter autem conveniat eis moveri, et an moveantur in instanti, super secundum Sententiarum tractatum est. (In II Sent. dist. 2, q. 2 et 3.) *Et ab omni humili per sursum ferens remotum,* id est elongatum « ab omni humili », id est vili seu vitioso negotio. *Ipsa vero pennarum levitas, nihil terrenum, sed totum munde et sine gravitate in excelsum*

A *ascendens :* id est, « levitas pennarum » in angelis signat non esse aliquid terrenæ affectionis aut molis ; « sed totum » quod in ipsis est, videlicet esse et posse ac agere, esse « ascendens in excelsum », id est ad Deum altissimum, « munde », id est sine inclinatione ad culpam, « et sine gravitate », id est retrahente gravamine. Totum enim quod sunt, quod habent et possunt ac agunt, Creatori devotissime offerunt, nil sui sibimetipsis relinquentes.

B *Nudum quoque et discalceatum, demissum*, et absolutum, et immensurabile, et purum eorum quæ extra sunt appositione :* (* dimissum) hoc est, esse « nudum et discalceatum » in angelis signat eos esse relaxatos ac liberos et inconfiguratos extrinsecis circumscribentibus, ac alienos ab adjectione extrinseca ; *et ad simplicitatem divinam, quantum possibile, assimilativum,* id est, hoc quoque significat, quod pro viribus suis conformantur simplicitati divinæ, cui nihil admixtum est, neque compositum.

C Si autem quæratur ubi in Scripturis legantur angeli sancti apparuisse discalceati aut nudi, dici potest, quod per hoc quod Abraham et Lot leguntur pedes eorum lavisse, insinuatur quod nudi pedes videbantur. (Gen. xviii, 4 ; xix, 2.) Porro nudi in Scripturis nominantur, male seu parum vestiti : sicut in libro Job, Nudis vestimenta desuper abstulerunt ; (Job xxiv, 7.) atque in Isaia, Quum videris nudum, operi eum. (Is. lviii, 7.)

# ARTICULUS LXXVIII

## DE VESTIUM ET VASORUM SEU INSTRUMENTORUM ANGELICIS ESSENTIIS ADSCRIPTORUM, SIGNIFICATIONE.

*Sed quoniam iterum simpla et multum varia sophia,* id est ex quo « sophia », id est sapientia Scripturarum : quæ sophia « simpla » est, id est sincera et recta per intentionem, carens omni pli-

D ca duplicitatis, juxta illud Matthæi, Si oculus tuus fuerit simplex ; (Matth. vi, 22.) *et nudos vestit, et vasa quædam dat eis* circumferre,* (* ipsis) id est, angelos quos jam dixit nudos, aliquando perhibet esse vestitos, et vasa quæ-

Ezech. IX, 1-3; Dan. X, 5. dam portantes, ut in Ezechiele et Daniele; *fer** (adverbialiter), id est age, *et animorum cœlestium sacros vestitus* et organa, secundum quod nobis possibile, aperiamus*, id est, exponamus quid sacræ angelorum vestes et vasa significent. A

* et da * amictus

*Claram quidem enim vestem igneamque significare æstimo,* id est vestitum angelorum splendidum et quasi ignitum, juxta illud Lucæ : Ecce duo viri steterunt juxta illas in veste fulgenti. De igneo autem apparatu, in Ezechiele ac Daniele habetur. Hunc ergo æstimo designare B *deiforme,* id est proprietates angelorum quibus Deo assimilantur, quæ potissime sunt fervor divini amoris, et splendor sapientiæ, *juxta ignis imaginem,* in quo sunt duæ istæ nobiles qualitates, lux et calor, *et luculentum,* quia et esse illorum est quoddam lumen; *propter eas* in cœlo quietes,* id est propter beatas eorum requietiones in cœlo præsertim empyreo, ut sit inibi proportio loci ad locatum : quia tam splendidis incolis, locus et regio debetur clara, quieta, suprema, in qua C meteorologicæ impressiones non fiunt. *Ubi lumen et omnino invisibile dicendum.* Ibi enim lux æterna, increata, immensa, prorsus incomprehensibilis appellanda, specialiter esse et habitare asseritur, quoniam ibi evidentius se demonstrat, et excellentius operatur. *Aut intellectualiter illuminans, aut intellectualiter illuminatum.* Nam ibi est Deus, qui essentialiter lumen est purum, a nullo illuminatum ; natura quoque angelica, quæ est lumen participatum, illuminatum, sapientia decoratum, D in quo tamen est potentialitas quædam ac dependentia jugis. Hinc Baruch dicit : Disce ubi sit prudentia, ubi sit virtus, ubi sit intellectus, ut scias simul ubi sit longiturnitas vitæ, ubi sit lumen oculorum, et pax.

Luc. XXIV, 4. — Ezech. I, 4.13.14.27; Dan. X, 6. — * eas quæ — Baruch III, 14.

*Sacerdotalem vero, ad divina et mystica speculamina ductivum, et totius vitæ votum :* id est, per vestem « sacerdotalem » arbitror significari in angelo « ductivum », id est virtutem et auctoritatem sursum elevativam, ad contemplationes divinas, « et » ad devotionem « totius vitæ » ejus : per quam devotionem ad ea quæ Dei sunt, incessanter ac indefesse est promptissimus. Sacerdotum est enim, Deo per contemplationem et vota pia assidue inhiare, aliosque ad hoc ipsum inducere. De hujuscemodi veste in Apocalypsi beatissimus Joannes ait : Vidi similem Filio hominis, vestitum podere, et præcinctum ad mamillas zona aurea. De cujus mystica significatione mox subditur : Apoc. I, 13.

*Zonas quoque, fecundarum ipsarum custoditivum virtutum :* id est, per « zonas » angelorum significari reor vim custoditivam et jugiter conservativam « virtutum fecundarum », id est donorum ac luminum, quæ in angelis indesinenter sunt in actibus suis, nec otio vacant, imo et alios excitant et accendunt ; *et congregantem eas habitum in se ipsum unite converti,* id est, zona etiam designat in angelis « habitum » sapientialem, ipsis infusum seu concreatum, per quem intellectualiter redeunt ad se ipsas, et recolligunt se in Deo : sicque convertuntur in ipsum per simplificationem et adunationem totius multiplicitatis ac multitudinis suæ in simplicissimo suo fontali atque causali principio; *et circulariter cum facilitate casu carente, a naturæ similitudine circa se ipsum circumferri,* id est angelicam mentem per sui ipsius inviolabilem custodiam, incessanter circa se ipsam intendere, ut se totam referat et transfundat in Creatorem, sine labore, imo facillime atque celerrime, sine ruina, quæ in festinantiis et celeritatibus motuum solet contingere, juxta illud Salomonis : Qui festinus est pedibus, offendit. Et hoc agit, in similitudine naturæ, id est instar naturæ, quæ uniformiter operatur, nec solet errare (nam et opus naturæ, est opus intelligentiæ quæ non errat); vel, « a similitudine naturæ », quoniam angelis et substantiis separatis naturale est esse jugiter conversivum ad se, actusque proprios considerare, sicut in Prov. XIX, 2.

libro de Causis asseritur : Omnis sciens qui scit essentiam suam, est rediens ad essentiam suam reditione completa. Et Proclus testatur : Omne αὐθυπόστατον ad se ipsum conversivum est. Et rursus : Omne quod secundum operationem ad se ipsum est conversivum, et secundum substantiam ad se ipsum est conversivum; et omne tale, perpetuum est et immortale.

*Virgas etiam, regale ac ducale*, rectaque omnia definiens :* id est, per « virgas » dicimus in angelis designari regale fastigium ac ducalem dominationem, seu judiciariam potestatem, rite omnia judicantem, juxta illud Ezechielis : Et factæ sunt ei virgæ solidæ in sceptra dominantium. Et in libro Judicum narratur : Extendit angelus summitatem virgæ quam tenebat in manu, et tetigit carnes et azymos panes.

*principale

Ezech. XIX, 11.

Judic. VI, 21.

B

*Tela vero et secures, dissimilitudinum separativum, et discernentium virtutum acumen et efficax et actuosum :* id est, per « tela et secures » seu gladios, intelligimus in angelis scientiam et virtutem separandi dissimilia et inconvenientia ab eisdem, « et acumen virtutum discernentium » inter vera et falsa, inter pretiosa et vilia, « actuosum et efficax », id est superativum omnis adversariæ potestatis. De qualibus armis et telis secundo Machabæorum multa conscripta sunt, ubi legitur : Contigit per universam Jerosolymorum civitatem videri diebus quadraginta per aera equites discurrentes, auratas stolas habentes et hastas, quasi cohortes armatas, et cursus equorum per ordinem digestos, et congressiones fieri cominus, etc.

C

II Mach. V, X-XII, XV.

Ibid. V, 2, 3.

D

*Geometrica autem et tectonica vasa, fundativum, et ædificativum, et perfectivum,* id est, instrumenta mensurandi ac construendi in angelis nominamus fundamenta, et ædificium, « et perfectivum », id est habitus virtuosos ac scientiales, per quos fundamenta structurarum spiritualium in aliis ordinant, ac ea perficiunt, *et quæcumque alia reducentis et convertentis*

A

*sunt secundorum providentiæ,* id est cetera quævis principia gubernativa, provisiva, reductiva et conversiva inferiorum. De talibus instrumentis in Ezechiele, Zacharia, Apocalypsi, multa leguntur : Funiculus mensorum, inquiunt, in manu ejus.

Ezech. XL et seq.; Zach. II; Apoc. XXI. Ezech. XL, 3; Zach. II, 1.

*Est autem quando et in nos divinorum judiciorum sunt symbola, illa quæ acta sunt ab angelis sanctis organa :* id est, interdum contingit quod « organa » et instrumenta seu bellica vasa « ab angelis » gloriosis formata, exhibita et ostensa, fuerunt « symbola », id est signa repræsentativa, « judiciorum divinorum in nos », id est castigationum Dei et ultionum ejus pro nostris peccatis. *Aliis quidem declarantibus corrigentem disciplinam, aut punientem justitiam :* id est, quibusdam signis repræsentantibus « disciplinam », correctionem, virgamque paternæ correctionis (juxta illud, Ego quos amo, arguo et castigo); aliis autem præfigurantibus justam et exterminantem Dei vindictam, qualia erant signa ostensa Jeremiæ de perpetua Babylonis eversione : de qua Psalmista vaticinans, Filia (inquit) Babylonis misera. *Aliis vero, angustiæ libertatem*, aut disciplinæ finem, aut prioris beneficentiæ resumptionem, aut appositionem aliorum donorum, parvorum aut magnorum, sensibilium aut invisibilium.* Id est : Quibusdam signis insinuantibus « libertatem » angustiarum, id est liberationem et exonerationem ab afflictionibus præinductis, seu præservationem ab imminentibus seu futuris, sicut per Zachariam locutus est Deus : Sicut cogitavi ut affligerem vos, quum ad iracundiam provocassent me patres vestri ; sic conversus in diebus istis cogitavi ut benefaciam domui Juda. « Aut finem disciplinæ », quemadmodum per Jeremiam Dominus prædixit, quod completis septuaginta annis, reduceret filios Israel de captivitate Babylonica in Judæam. « Aut prioris beneficentiæ resumptionem », id est iterationem beneficiorum priorum, quemad-

Apoc. III, 19.

Jer. L, LI.

Ps. CXXXVI, 8.

*ab angustia liberantem

Zach. VIII, 14, 15.

Jer. XXV, 12; XXIX, 10.

modum per Osee et Amos aliosque Prophetas communiter Deus prædixit, quod filiis Israel castigatis et emendatis daret beneficia majora prioribus, ut patuit in sancto Job, cui omnia reddidit duplicia. Ideo subditur hic : « Aut appositionem aliorum donorum », temporalium aut spiritualium, vel utrorumque, sicut Tobiæ et Joseph : in tantum quod fidelissimus ille Joseph deprompserit, Oblivisci me fecit Deus omnium laborum meorum, et domus patris mei; itemque, Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ.

*Job* I, 2, 3; XLII, 12, 13.

*Tob.* I; *Gen.* XLI.

*Gen.* XLI, 51.

*Ibid.* 52.

In omni ergo adversitate patientissimi simus, et in adversis gloriemur in Domino, confidentes providentiæ Dei, et certi de optima dispositione ipsius. Propter quod in libro Job docetur : Beatus homo qui corripitur a Deo. Increpationem ergo

*Job* V, 17, 18.

A Domini ne reprobes : quoniam ipse vulnerat, et medetur; percutit, et manus ejus sanabunt. Ipse equidem pœnas misericorditer moderatur, nec vindicat bis in pœnitentibus et contritis. Unde in libro Job Eliu loquitur : Increpat Deus per dolorem in lectulo, et omnia ossa hominis marcescere facit. Si fuerit angelus loquens pro eo, ut annuntiet hominis æquitatem, miserebitur ejus Deus, et dicet : Libera eum, ne descendat in corruptionem ; inveni in quo propitier ei. De his possent B in Scripturis plurima allegari.

*Nahum* I, 9.

*Job* XXXIII, 19, 23, 24.

*Et forsitan non dubitaverit* * *perspicax animus,* id est, mens ingeniosa non ambigat, *proprie* * *invisibilibus adunare visibilia,* id est unum eorum apte designare per alia, applicareque sensibilia ad insensibilia designanda.

* *Et omnino forsitan non dubitaret*

* *pulchre*

# ARTICULUS LXXIX

### ANGELI CUR VENTI NOMINENTUR, ET CUR IN FIGURA NUBIS DESCRIBANTUR.

I*PSOS etiam ventos nominari, eorum velocitatem significat, et in omnes fere absque mora pervenientem effectum :* id est, quod angeli dicuntur venti, designat eorum miram celeritatem, et quod imperceptibili velocitate adimplent quod volunt, dum volunt : quemadmodum fertur in Daniele, quod angelus in momento restituit Habacuc in Judæam. *Et desursum in ea quæ sunt deorsum, ad sursum transvectivum motum,* id est celerrimum et efficacissimum « motum » angelorum de cœlo ad terram, quo motu movent et erigunt terrigenas ad superna. Ad quod præfigurandum, vidit Jacob angelos ascendentes et descendentes in scala. Et Christus in Evangelio : Videbitis, inquit, angelos Dei ascendentes et descendentes supra Filium hominis. Unde subjungitur : *erigentem quidem secunda ad superiorem*

*Dan.* XIV, 35.

*Gen.* XXVIII, 12.

*Joann.* I, 51.

C *celsitudinem :* quia per motum illum illuminantur et excitantur hominum corda ad contemplandum et diligendum cœlestia et divina ; *moventemque prima ad communicativam et providam minorum processionem,* id est, inclinantem angelicos spiritus « ad processionem », id est influxionem, « communicativam », id est liberalem, et providentialem, « minorum », id est inferiorum, quos habent purgare, illuminare, custodire, ac donis cœlestibus adimplere. Præterea, ubi in nostra transD latione angeli venti vocentur ad litteram, non occurrit, nisi forsitan quum dicitur Deo : Qui ambulas super pennas ventorum.

*Ps.* CIII, 3.

Vel, quia ventus dicitur spiritus, animæ autem rationales in Scripturis flatus sæpius appellantur, ut quum per Isaiam Dominus loquitur, Flatus ego faciam ; pro-

*Act.* II, 3.

*Is.* LVII, 16.

pter subtilitatem quoque naturæ suæ, et invisibilitatem, angeli possunt venti vocari. Hinc sequitur :

*Dicet autem fortassis quis, aerii spiritus ventosam cognominationem, deiforme* * *cœlestium significare :* id est, aliquis forsitan « dicet », quod cognominatio ventosa « spiritus aerii », id est quod spiritus aerius, seu aer ipse, vel ventus in aere flans, nomine spiritus designatus, « deiforme cœlestium » significat, id est, divinam proprietatem Dei ac angelorum per similitudinem quamdam notat. *Habet enim et hoc,* id est res ista, utputa ventus, vel aer secundum quosdam, *divinæ operationis imaginem et formam,* id est similitudinem desuper formatam ac datam, *ut in Symbolica theologia,* id est in libro qui tractat qualiter divina per sensibilia designantur : quem librum, ut dictum est, non habemus ; *per tetrasticam dijudicationem,* id est quaternariam considerationem quatuor elementorum, *per plura demonstratur.* Nempe illo in libro expressit et scripsit theologus iste, qualiter in quatuor elementis latent et considerantur proprietates et similitudines divinalium rerum : quæ proprietates sunt in elementis, *secundum naturæ motivam, et gignentem, et velocem, et potentem capacitatem,* id est, per hoc quod in elementis est capacitas eis connaturalis, qua fecundata sunt a superioribus causis cœlestibus, originaliter autem a Deo, ad concurrendum causaliter in generatione mixtorum per vim « motivam, et gignentem », hoc est per motum productivum, « velocem », et efficacem. Motus enim est multum cooperativus et calefactivus, specialiter venti nonnulli, in tantum quod bestiæ quædam per ventum dicuntur concipere, ut in libro de Consolatione Boetius, in libro item de Universo Guillelmus testatur Parisiensis.

* et deiforme

*Et ignotum nobis et invisibile latibulum moventium principiorum et consummationum :* id est, ventus per hoc etiam signat divina, quod ignoramus ejus latibulum, et exordium unde incipiat flare, et ubi desinat flatio ejus. « Latibulum » vero « moventium principiorum », id est causarum producentium ventum, et consummatio ejus, nos latet. Ad quod allegat Scripturam ex Joanne : Spiritus ubi vult spirat. *Nescis enim, inquit :* id est, Christus ait : Nescis *unde venit, et* * *quo vadit,* id est, determinatum exordium venti ignoras punctualiter, « et quo vadit », id est, quousque extenditur. Juxta hunc modum Dominus ait ad Job : Indica mihi in qua via habitet lux, et tenebrarum quis locus sit, ut ducas unumquodque ad terminos suos.

Joann. III, 8.

* aut

Job XXXVIII, 18-20.

Præterea, per has venti seu aeris proprietates significantur causæ rerum universales et superiores, quæ potissime sunt motivæ, influxivæ, efficaces et celeres ad inferiorum productiones. Nam et prima causa plus influit, quam quæcumque secunda. Accessus quoque et recessus Dei, per suorum infusionem et subtractionem charismatum, communiter latent nos, in tantum quod nescimus an simus in caritate. Propter quod Job protestatur : Si venerit ad me, non videbo eum ; si abierit, non intelligam. Hinc Sapiens dixit : Quis hominum potest intelligere viam suam ? Apostolus quoque : Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum. Ideo denuo sanctus Job fassus est : Etiamsi simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea. Et Jeremias : Non est (ait) hominis via ejus ; nec viri est ut ambulet, et dirigat gressus suos.

Eccle. IX, 1. Job IX, 11. Prov. XX, 24. I Cor. IV, 4. Job IX, 21. Jer. X, 23.

*Sed et nubis ipsis speciem Theologia circumformat,* id est, Scriptura attribuit et coaptat angelis nomen et proprietates nubium : de quibus accipi potest quod per Prophetam Deus minatus est, Mandabo nubibus ne pluant super eam imbrem. *Significans per hoc, sacros intellectus occulti quidem luminis supermundane superrepletos prima apparitione,* id est ipsos angelos immaterialiter et supernaturaliter esse eminenter repletos luce nobis secreta (est enim in eis lumen gloriæ, lux

Is. V, 6.

beatificæ fruitionis, lux multiplicis scientiæ et cognitionis, lumen hierarchicæ illustrationis), et hoc, « prima apparitione », id est clara spirituali manifestatione : quod commune est cunctis angelis sanctis, comparatione ecclesiasticæ hierarchiæ, quæ secunda apparitione accipit illud per angelos, sub velaminibus sensibilium specierum. Ideo sequitur : *primam manifestationem pompose accipientes,* id est. revelationem divinam eminenter sortientes, non tamen æqualiter, nec æque immediate, quum angeli inferiores a superioribus illustrentur, ut subditur : *et ipsam copiose in ea quæ sunt secundo,* id est in angelos inferiores, *lucide et proportionaliter distribuentes,* id est, diffundentes juxta inferiorum capacitatem, sine obscuritate et tegmine sensibilium similitudinum. Itaque pompa hic sumitur metaphorice pro excellentia, quemadmodum
*Is.* LX, 15. per Isaiam Deus promisit Ecclesiæ : Ponam te in superbiam sæculorum. Porro in angelis quo altior dignitas, eo profundior humilitas; et quo copiosior illuminatio, eo tam increatæ majestatis, quam propriæ nihileitatis, indigentiæ ac dependentiæ, limpidior atque salubrior intuitio.

*Et quia genitale eis, et vivificum, et activum, et perfectivum subsistit :* id est, ideo etiam angeli nubes vocantur, quia in eis est virtus activa, et productiva, et perfectiva. Nam per motus cœlestium corporum, inferiora producunt; et tam in

A angelis inferioribus, quam in animabus rationabilibus, lumen spirituale diffundunt, quod recipientes spiritualiter magis ac magis suo modo vivificat, actuat, et perficit, in actibus saltem hierarchicis. *Juxta intellectualem imbrium conceptionem,* id est, secundum modum quo pluviæ irrigant, et fecundant, et ad incrementum plenum perducunt terram et terræ nascentia. Et hoc vocatur conceptio imbrium intellectualis, id est fecundatio intellectualiter considerata et spiritualiter
B sumpta, sicut et in Isaia habetur : Quomodo descendit imber de cœlo, et inebriat terram, et infundit eam, et dat semen serenti, etc. *Is.* LV, 10, 11. Quod etiam ad Hebræos introducit Apostolus. *Hebr.* VI, 7. *Excipientem sinum humidum* pluviis,* id est, conceptionem * *humidis* seu fecundationem præfatam « excipientem », id est, sibi appropriantem et requirentem, « sinum humidum », id est terræ situm humefactioni aptum, *et* in* *alias om. *et* *vitales partus evocantem,* id est, exeuntem in fructus quos producit : qui vivunt per
C animam vegetativam, quamvis non sensitivam. Gregorius tamen dicit quod non vivunt per animam, sed per viriditatem. Cui objici posset, quod et virides panni ac gemmæ sic viverent. Idcirco dicitur quod non vivunt per animam, prout anima dicitur principium vitæ aliquo modo cognitivæ seu sensitivæ; nihilo minus vivunt, moventurque a principio intrinseco, a quo et aluntur, crescunt, et generant.

# ARTICULUS LXXX

## QUID DESIGNET IN ANGELIS SPECIES ÆRIS, ELECTRI ET LAPIDUM MULTICOLORUM.

* *Ipsa* I*PSAM* etiam æris, et electri, et lapidum multicolorum speciem, Theologia cœlestibus essentiis circumponit,* id est, sermo divinus applicat et adscribit angelis formas « æris, et electri », ac « lapidum »

D plures colores habentium. Unde Joannes in Apocalypsi : Pedes ejus similes aurichalco, sicut in camino ardenti. *Apoc.* I, 15. In Daniele vero legitur : Vidi, et ecce vir unus vestitus lineis, et renes ejus accincti auro *Dan.* X, 5, 6.

obryzo, et corpus ejus quasi chrysolithus, A et facies ejus sicut species fulguris, et oculi ejus ut lampas ardens, et brachia ejus et quæ deorsum sunt, quasi species æris candentis. In Ezechiele vero adjun- *Ezech.* VIII, 2. gitur : Adspectus ejus ut visio electri. Et *Apoc.* XV, 6. rursus in Apocalypsi : Exierunt de templo * *alias* lino angeli, vestiti lapide* mundo et candido. Hæc Theologus exponens, subjungit :

* *quoniam* *Electrum quidem quasi* * *auriforme simul et argenteum, significat imputribilem, ut in auro, et simul largum, et non minutum, et incontaminatum splendorem;* B *et apertam, ut in argento, et luciformem,* * *ut* *et* * *cœlestem claritatem :* id est, « electrum » de quo dictum est supra, quod ex auro et argento mixtis componitur, et propter naturam « auriforme » vocatur et argentiforme, designat « splendorem » in angelis « imputribilem », sicut nec aurum putrescit, « et largum », id est largiflue radiantem, exuberantem, non minoratum ; et ratione argenti, designat in angelis spiritualem « claritatem » munditiæ, innocentiæ puritatem, ac « luciformem » since- C ritatem. Qualiter autem hæc angelis insint, constat. Nam ipsa eorum essentia clara et pura est, nil de impuritate materiali habens admixtum, nobilis et præclara, deiformis, simplex, pulcherrima. Deinde in eis est aurum divini amoris, argentum sanctæ et spiritualis scientiæ, incorruptibilitasque naturæ, et beata immortalitas vitæ gloriosæ.

*Ære autem, secundum rationes traditas, aut igneum, aut auriforme attribuendum:* id est, per æs rubens et ignitum, signatur juxta expositas proprietates, idem quod per ignem aut igneum, seu per aurum.

*Lapidum vero* * *multicolores species significare æstimandum : aut quasi albas, luciforme ; aut quasi rubeas, auriforme ; aut quasi pallidas, juvenile aut novum.* * *autem* Hoc est : Species lapidum diversorum colorum, diversa in angelis sanctis significant. Nam species seu colores lapidum pretiosorum quasi albi et lucidi, utpote crystalli, designant id quod electrum in quantum argenteum. Gemmæ vero rubei coloris, ut sardius atque carbunculus, significant id quod aurum, et electrum secundum quod aureum. Porro gemmæ pallidæ, ut sapphirus et amethystus, denotant in angelis « juvenile » ac « novum », id est vitam et statum angelorum nunquam veterascentem, imo semper florentem ac validum, secundum quod pallor medium quoddam est firmum ac stabile, et in multis mixtis color magis egregius ac formosus.

† *Et*, ut breviter dicam, *per singulas species* lapidum *invenies anagogicam,* id est spiritualem, *dijudicationem,* id est expositionem, *typicarum,* id est figurativarum, *imaginum,* id est similitudinum. †

# ARTICULUS LXXXI

## QUID BESTIARUM DIVERSARUM FIGURÆ ANGELIS ATTRIBUTÆ SIBI VELINT.

*SED quoniam quidem hæc, secundum* D *virtutem, a nobis sufficienter dicta esse arbitror,* id est, quia de horum mystica significatione, secundum vires nobis concessas, satis, ut reor, tractavimus ; *transeundum in sanctam reserationem cœlestium animorum sacre figuratæ bestialis formationis :* id est, procedendum jam est ad « sanctam reserationem », id est religiosam manifestationem, « bestialis

† Hæc duabus crucibus inclusa Dionysius Cartusianus non habet, ob priorem tamen editionem hic relicta. (Edit. Colon. ann. 1556.)

formationis », id est descriptionis, « cœlestium animorum », qua descripti sunt in Scripturis per formas similitudinesque brutorum : descriptionis, inquam, « sacre figuratæ », id est rationabiliter sic formatæ, ad significandum aliquid sanctum, et propter rationes præhabitas, ob quas altissimæ et felicissimæ illæ mentes, etiam interdum per indigna et vilia designantur.

*Leonem enim significare censendum, principale, et robustum, et indomitum, et ad* abditum ineffabilis Divinitatis (ut virtus) assimilativum, intellectualium vestigiorum circumvelamine :* id est, per « leonem » judicamus significari « principale, et robustum, et indomitum », id est regalem et principalem Dei potentiam valde robustam, a nullo domabilem, utputa omnipotentem, et assimilativam mentium creatarum « ad » contemplandum « abditum », id est secretum, « Divinitatis ineffabilis, ut virtus », id est tanquam potestas omnipotens ad hoc agendum bene idonea, « circumvelamine », id est obductione et opertione, « vestigiorum intellectualium », id est gressuum spiritualium, quibus mens ipsa processit ad contemplationem tam altam, quemadmodum leo venantes fugiens, cauda sua propria delet et complanat vestigia, ne inveniatur : quia mens talis secretum suum sibi reservat, ac aliis tegit. *Et mystice fortassis pomposo* amictu secundum divinam illuminationem in semet restituto itinere.* Hoc est : « Itinere », id est contemplativo processu, quo mens ad Dei intuitum ascendebat, « pomposo amictu », id est excellenti apparatu gratiæ ac virtutum, « secundum illuminationem divinam » sibi desuper factam, quæ quo fuerit major, tanto mens splendidius est amicta : hoc, inquam, itinere « mystice in semet restituto », id est ad sui ipsius considerationem reflexo, ne irreverenter et immoderate se ingerat ad perscrutandum incomprehensibilia Dei. Nam si bestia tetigerit montem, lapidabitur.

* alias om. *ad*

* *pretioso*

*Hebr.* XII, 20 ; *Exod.* XIX, 13.

*Ipsam vero bovis,* id est, formam seu A speciem bovis dicimus designare, *firmum et novum, et intellectuales sulcos revocans,* id est robur fixum ac jugiter recens, reducens spirituales « sulcos » cordis creati interiorisque agri, *in susceptionem cœlestium et gignentium imbrium,* id est ad suscipiendum in se fecundationem cœlestium pluviarum, generantium fructus salubres in corde. Hæc pluvia est doctrina verbi cœlestis, infusio gratiæ spiritualis, irrigatio cordis per prædicationem divini sermonis. Unde ait Fulgentius præsul : B Debemus fecundari cœlestibus pluviis, debemus congrua fructificatione manibus respondere supremi cultoris. Bos namque est animal forte, firmiter gradiens, et terram arans ad fructificandum. *Et custoditivum, et fortissimum :* id est, forma bovis etiam denotat vim custoditivam agri intime seminati, ne volucres cœli, id est dæmones, auferant inde semen præfatum, et gratiam, et fortissimum munimentum ipsius, spiritualemque armaturam, juxta illud ad Ephesios : Induite vos armaturam C Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli.

*Ephes.* VI, 11.

*Ipsam dehinc aquilæ,* id est, formam aquilæ dicimus designare, *regale, et altiferum, et citivolum,* id est potestatem regalem, et alte sui ipsius elevativam volando, et volativam celeriter. Est enim aquila quasi rex avium, alte ac celeriter volans. *Et ad potentificum alimentum, acutum, et sobrium, et agile,* id est, « acutum » visu, « et sobrium, et agile » ad acquirendum cibum, quem conspicit a longe, sibi D convenientem, suarumque virium confortativum ; *et bene machinatum,* id est pulchre formatum in corpore. Per quæ omnia significantur angeli benedicti regale habere fastigium inferiores regendo, et usque ad summum cœlum ac Regem cœlorum in momento volare, et cibum de quo prædictum est, in Deo jugiter possidere. Quemadmodum etiam aquila dicitur lumini solis in sua rota acie irrepercussa intendere, sic honorandi ac amabilissimi angeli, Soli sapientiæ illæsa et impassibili

acie sunt intenti. Hinc sequitur : *Et ad* A *copiosum et multolucentem radium divini Solis desiderio, in speculativarum virtu-* *alias om. et *tum sanis obtutibus, immediate, et* * *re-cte, et inflexibiliter contemplativum.* Hoc est : Forma aquilæ designat in angelis visum spiritualem, « contemplativum immediate », non per speculum in ænigmate, « et recte, et inflexibiliter », id est inavertibiliter, cum « sanis obtutibus speculativarum virtutum » sapientiæ et scientiæ, « ad radium copiosum et multolucentem », id est ad lumen increatum, B supersplendidissimum et immensum, quod est beatificum objectum felicitatis ipsorum : quod totum agunt « desiderio Solis divini », qui est Sol justitiæ, Sol sapientiæ et intelligentiæ : quem sic desiderant, quod eum incessanter habent præsentem; et sic eum amant præsentem, quod nihilo minus incessabiliter eum desiderant, id est, sine fastidio amplectuntur. Unde et apud Malachiam Dominus spondet : Orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ.

I Cor. XIII, 12.

Malach. IV, 2.

*Illam vero equorum,* id est, formam C equorum dicimus in angelis denotare, *obediens et frenabile,* id est obedientiæ sanctæ virtutem, ad omne Creatoris imperium paratissimam moveri et quiescere, exsequi et a rigore frenari. *Et album quidem, vere lucidum, et quasi* * *maxime divini luminis cognatissimum :* id est, album colorem equorum significare fatemur divinæ lucis claritatem atque munditiam, quæ per significationem cognatissima est albo colori, qui est quasi lux quædam imbibita. *Eorum autem qui nigri sunt, abditum,* id est, forma equorum nigrorum insinuat incomprehensibilitatem Dei, qui posuit tenebras latibulum suum. *Rufum* * *vero, igneum et activum,* id est, rubeus color equorum designat caritatis ignitam proprietatem ac promptam activitatem. Nulla etenim forma promptius et jucundius operatur, quam caritas. *Commixtorum quoque ex albo et nigro,* id est color equorum qui ex utroque fuit permixtus, supple, designat, *perfectius* * *virtute extremorum conjunctivum,* id est quid copulatum completius extremis illis coloribus, seu potius rebus per illos significatis, *et prima secundis, et secunda primis, conversibiliter ac provide connectens,* id est, ex utroque latere consonans et concordans, unumque alteri jungens. De his diversorum equis colorum habetur apud Zachariam. Joannes quoque in Apocalypsi : Exercitus, inquit, qui sunt in cœlo, sequebantur eum in equis albis. In Zacharia tamen, per quatuor quadrigas, et equos quadripartitos in coloribus, designantur ad litteram quatuor regna, secundum Hieronymum et Hebræos : sicque videretur expositio ista Theologi anagogica esse ac mystica. De hoc super duodecim Prophetas minores plenius scripsi.

* quam

Ps. XVII, 12.

* Rubrum

* perfectiva

Zach. I, 8; VI, 1-3.

Apoc. XIX, 14.

Zach. VI, 1-3.

# ARTICULUS LXXXII

## DE PASSIONUM SEU AFFECTIONUM QUARUMDAM MINUS LAUDABILIUM COELESTIBUS ESSENTIIS ADSCRIPTARUM SIGNIFICATU.

*SED si non sermonis terminaremus* D *commensurationem,* id est, nisi in isto capitulo proponeremus finire hunc librum, commensurando ipsius quantitatem rationi, ne nimia prolixitate displiceat, gravet et offendat, *et per partes, dictorum animalium proprietates et omnes corporales eorum conformationes adunassemus,* id est, jam sigillatim collegissemus et expressissemus proprietates et figurationes aquilæ, et leonis, ac bovis, et etiam hominis, atque equi, *fortassis* * *non in-*

* fortasse

*congrue, cœlestibus virtutibus, secundum dissimiles similitudines : furibundum quidem, in ipsorum intellectualem fortitudinem, cujus novissima furor et sonus**, id est, adscripsissemus forsitan non inepte angelis furorem, seu esse « furibundum » instar leonum, et hoc, quoad « fortitudinem » eorum « intellectualem », id est spiritualem, qua omne corporale robur excedunt, « secundum similitudines dissimiles », id est imperfectas. Certum est enim, quod angelis non competit proprie furor, qui est passio immoderata sensitivi appetitus cum corporali transmutatione, sed per similitudinem tenuem, ratione detestationis intensæ culparum et indignationis contra peccata, et ob districtionem vindictæ. Sic enim et invariabili ac simplicissimo Deo ira et furor attribuuntur. Unde Nahum ait : Ulciscens Dominus, et habens furorem. Jeremias quoque : Corripe me, inquit, Domine ; verumtamen in judicio (id est discretione), non in furore tuo, ne forte ad nihilum redigas me. « Cujus » fortitudinis « novissima », id est ultima signa et imperfectissimæ repræsentationes, sunt « furor et sonus », id est vehemens vel irrationabilis clamor : de quo ait Apostolus, Omnis amaritudo, et ira, et indignatio, et clamor, tollatur a vobis. Clamor demum in Apocalypsi adscribitur angelo : Clamavit (inquit) voce magna, quemadmodum quum leo rugit. Deo quoque adscribitur clamor leonis. Unde Amos : Dominus de Sion rugiet. Quod et in Joele legitur.

* *furor est imago*
*Nahum* I, 2.
*Jer.* X, 24.
*Ephes.* IV, 31.
*Apoc.* X, 3.
*Amos* I, 2.
*Joel* III, 16.

*Ipsam vero iterum concupiscentiam, in amorem divinum :* id est, per sensualem « concupiscentiam » animalium horum intelligere possemus intellectualem ac « divinum » angelorum « amorem », ratione intentæ affectionis ac validæ adhæsionis in utroque.

*Et summatim dicendum,* id est breviter, quasi pro regula, *simul omnes irrationalium* animalium et sensus et multiplices partes in* immateriales cœlestium essentiarum* intelligentias et uniformes*

* *irrationabilium*
* alias om. *in*
* *essentiæ*

A *virtutes reducentes,* id est, quod universi motus, « sensus », passiones, « et partes » corporales seu membra « animalium », possunt aliquo modo adscribi, reduci ac deputari angelis et eorum intelligentiis, id est intellectualibus cognitionibus seu actibus, uniformibusque virtutibus, id est potentiis aut virtuosis habitibus aut proprietatibus. Omnia quippe materialia, sunt quædam obscuræ imagines ac resonantiæ defectivæ immaterialium naturarum, quum sint effectus illarum. Effectus namque est B participata quædam suæ causæ similitudo. Unde et visus corporalis est similitudo aliquantula intellectualis cognitionis ac visionis mentalis. Omnesque sensus exteriores in intellectu virtualiter comprehenduntur. Propter quod et quinque spirituales sensus ponuntur in mente. Unde et Plato disseruit : Fluens a primo bonitas, similitudo est in proximis, imago in distantibus, in ultimis vero obscura reflexio. Hinc per omnia ista prædicta, ad spiritualium cognitionem reducimur. Unde et Proclus C in Elementatione sua theologica : Omnis, inquit, processio secundorum a primo, et reductio eorumdem ad illud, per similitudinem efficitur utrorumque, id est unius ad aliud.

*Sufficiunt autem sapientibus non solum hæc ipsa,* quasi causa exempli. Sapientes namque norunt ex paucis multa colligere, et intelligenti sufficit tetigisse. Ideo Eliu ait in libro Job : Viri intelligentes loquantur mihi, et vir sapiens audiat me. Idcirco quoque, ut Salomon D protestatur, Stultus verba multiplicat; et, Totum spiritum suum profert stultus, sapiens autem differt, et reservat in posterum. *Sed et unius significativæ imaginis dijudicatio,* id est, discreta consideratio « unius imaginis » corporalis repræsentativæ rei spiritualis sufficit sapienti, ingenioso, et optime erudito : non tamen superfluunt aliæ, propter simpliciores, qui introductione et declaratione egent multiplici. Sapientes quoque ex diffusiori explanatione in sapientia crescunt, juxta

*Job* XXXIV, 34.
*Eccle.* X, 14.
*Prov.* XXIX, 11.

Prov. I, 5. illud Proverbiorum, Audiens sapiens, sa- A
Ibid. IX, 9. pientior erit; et alibi, Da sapienti occa-
* simili modo sionem, et addetur ei sapientia. Sufficit
ergo una *in proximarum similitudinum**
*declarationem*, id est ad intelligendum consimiles. Expositio quippe unius exempli, tribuit viam et formam intelligendi similia.

# ARTICULUS LXXXIII

### QUID FLUMINA, ROTÆ, CURRUS, ET ROTARUM REVOLUTIONES DENOTENT.

*INSPICIENDUMQUE et hoc*, id est, is- B
tud quod sequitur, est etiam considerandum, *fluvios dictos fuisse, et rotas, et currus connexos cœlestibus essentiis*, hoc est, quod Scriptura loquendo de angelis, mentionem simul facit de fluviis, quadrigis ac rotis : juxta illud quarti libri
IV Reg. VI, 17. Regum, Ecce mons plenus equorum et
curruum igneorum. De quadrigis autem
Zach. VI, 1-3. et rotis, apud Zachariam, ut tactum est,
continetur. Per Isaiam quoque Dominus
Is. LXVI, 19, 20. est locutus : Mittam ex eis qui salvati fu-
erint, ad insulas longe, et adducent omnes C
fratres vestros in equis, et in quadrigis, et in lecticis, et in mulis, et in carrucis. Per quæ vehicula, secundum gloriosum Hieronymum, Haymonem, Bedam, ac alios, intelliguntur angelorum subsidia circa conversionem et salvationem hominum electorum. Porro de rotis ac fluviis, apud
Dan. VII, 9, 10. Danielem legitur : Rotæ ejus ignis accen-
sus; fluvius igneus rapidusque egrediebatur a facie ejus. Per Isaiam etiam lo-
Is. LXVI, 12. quitur Dominus : Ego declino in eos ut
flumen pacis. Ubi et paulo post subditur : D
Ibid. 15. Ecce Dominus in igne veniet, et quasi
turbo quadrigæ ejus. Itemque Psalmogra-
Ps. LXVII, 18. phus : Currus Dei decem millibus multi-
Ps. XLV, 5. plex; et denuo, Fluminis impetus lætificat
civitatem Dei. Deinde hæc exponuntur :
* quidem enim *Ignea quidem* flumina significant divinos promotus, copiosam ipsis et non deficientem affluentiam donantes, et vivifica nutrientes fecunditate :* id est, per flumina illa insinuantur copiosa charismata illuminationum, influxionum ac
gurgitum Creatoris in mentes angelicas, quibus saluberrime ac suavissime refici-
untur, juxta illud Psalmi : Justi epulentur Ps. LXVII, 4.
et exsultent in conspectu Dei; atque in
Canticis : Comedite, amici, et bibite; et Cant. V, 1.
inebriamini, carissimi. Unde apud Lucam
Christus spopondit : Et ego dispono vobis Luc. XXII, 29, 30.
regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo. Hoc est quod
per Isaiam Dominus repromittit : Ecce Is. LXV, 13, 14.
servi mei comedent, et vos esurietis; ecce servi mei laudabunt præ exsultatione cordis, et vos clamabitis præ dolore cordis, et præ contritione spiritus ululabitis.

*Currus autem, conjunctivam similitudinum societatem*, id est, quadriga in angelis notat counitam et concordem « societatem similitudinum » et convenientiarum, seu consodalium se ipsos ac alios ad Deum vehentium ac reducentium. Unde
et Eliseus dixit Eliæ : Pater mi, currus IV Reg. II, 12.
Israel et auriga ejus.

*Rotæ autem pennatæ* quidem quum* *pennariæ
*sint*, id est, celerrime moveantur et agiles sint, ac si essent pennatæ (vel pennæ rotarum, sunt radii ac circulatio eorumdem), *in ea quæ ante conspectum sunt inconversibiliter et inflexibiliter euntes*, id est, in directum ad partem anteriorem « inconversibiliter et inflexibiliter », id est absque retrocessione ac deviatione, progredientes; *per rectam et justam viam*
*exitivæ* operationis earum virtutem, in* * exeuntis
*eamdem sine flexu et recte per* sectam* * alias om. per
*viam simul omni earum intellectuali rotatu supermundane directo :* hoc est, ro-

tæ illæ designant in angelis « virtutem operationis » eorum « exitivæ », id est egredientis a Deo causaliter, vel a proprio eorum intellectu per voluntatis imperium, « per viam justam et rectam », id est secundum legem divinam ac Dei præceptum, « in eamdem » virtutem Dei, a qua processit, redeuntis, « sine flexu », id est absque deflexione et errore, « per » eamdem « sectam viam », id est per iter veritatis et æquitatis, ab omni prava obliquitate divisum. (Dan. iii, 27; Osee xiv, 10; Prov. iii, 17.) Viæ enim Domini, viæ rectæ, et omnes semitæ ejus pacificæ. « Omni earum intellectuali rotatu », id est omni angelicarum mentium actione et contemplatione, qua circa Deum versantur indesinenter, et in ipsum redeunt indeceptibiliter, « supermundane directo », id est supernaturaliter ac spiritualiter rectificato absque peccato. Rectissime enim in fontem suæ emanationis revertuntur, cui plenissime atque purissime obsequuntur, et omne bonum cum summa gratitudine deputant, prout Ecclesiastes habet : (Eccle. i, 7.) Ad locum unde exeunt flumina, revertuntur ut iterum fluant. Unde tricesimo tertio theoremate asserit Proclus : Omne procedens ab aliquo et conversum in illud, circularem habet operationem : si enim a quo procedit, ad hoc convertitur, copulatur principio finis.

*Est autem et per aliam anagogen,* id est, per aliam spiritualem intelligentiam seu expositionem sursumductivam convenit et contingit, *dijudicare,* id est variis modis discernere, *intellectualium rotarum imaginariam descriptionem,* id est figurationem « rotarum » istarum aliquid spirituale significantium, (Ezech. i, x.) Ezechieli in visione imaginaria ostensarum, ut dictum est sæpe. *Vocitatum est enim eis,* id est, de rotis istis clamatum est ab angelo, *ut ait theologus,* puta Ezechiel : *Gel, gel, gel**. (* alias Gelgel) Quod quid significet, subditur. *Significat** (* Signat) *autem hoc, juxta Hebraicam vocem** (* linguam), *revolutiones, et revelationes.* Sic quippe Ezechiel ait : (Ezech. x, 13.) Rotas istas vocavit (vir, id est angelus mihi in specie viri apparens) volubiles. Circa quod ait Scotus : Sive dicatur, Gel, gel, gel, sive, Gal, gal, gal, idem est. Interpretatur enim, secundum quod Epiphanius et Hieronymus in libris suis de interpretatione Hebraicorum nominum tradunt, rota, vel revelatio. Ideo S. Dionysius utrumque expressit.

Deinde hanc aliam aperit anagogen. *Igneæ siquidem et deiformes rotæ,* id est mentes angelicæ divino amore flagrantes, per illas rotas designatæ, *revolutiones quidem habent,* id est contemplativas circuitiones, *circa id ipsum optimum,* id est circa invariabilem Deum essentialiter et infinibiliter bonum, beatificum suum objectum, *semper mobili motu,* id est actione nunquam cessante ac Deum laudante, juxta illud Apocalypsis : Requiem non (Apoc. iv, 8.) habebant, die ac nocte dicentia : Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens. Unde in libro de Divinis nominibus ait hic Sanctus, quod moventur circulariter circa Deum. *Revelationes vero, secretorum manifestatione, et circumsubjectorum reductione, et altarum illuminationum in ea quæ subjecta sunt perfectiva deductione**. (* deductiva perfectione) Id est : Mentes angelicæ habent « revelationes manifestatione secretorum », id est, per hoc quod Deus sua secreta ipsis revelat. Si enim, ut scribit Amos, Non fa- (Amos iii, 7.) ciet Dominus verbum, nisi revelaverit secretum suum ad servos suos Prophetas : quanto magis non faciet verbum, nisi revelaverit secretum suum filiis et amicis atque domesticis suis angelis, ipsum facie ad faciem felicissime intuentibus, præsertim quum revelet Prophetis per angelos? « Et circumsubjectorum reductione », id est, per hoc quod inferioribus quoque communicant et revelant quæ eis sunt desuper revelata, ac per hoc ipsos in Deum reducunt, secundum sensum frequenter expressum. « Et perfectiva deductione illuminationum altarum in ea quæ subjecta sunt », id est, per hoc quod infimos suo modo perficiunt, transfundendo ac deducendo in eos mediate aut immediate altas illuminationes, id est contemplationes seu revelationes sublimes ipsis ostensas.

# ARTICULUS LXXXIV

## DE GAUDIO ET JUCUNDITATE ANGELORUM IN COELIS.

R*ELIQUUS nobis in explanationem, de gaudio cœlestium dispositionum sermo :* id est, residuus « sermo » a « nobis » depromendus in isto capitulo et fine voluminis hujus, « in explanationem » hujus materiæ, est « de gaudio dispositionum cœlestium », id est angelicorum ordinum optime dispositorum. Et recte de hoc gaudio in fine operis hujus tractabo, quoniam omnia naturaliter appetunt delectari, nec sine delectatione, saltem aliquali, valent diu bene consistere : alioqui ipsum esse et vivere, omnibus naturaliter appetibile, vertitur eis quasi in tædium. Gaudium quoque perficit felicitatem, quemadmodum pulchritudo juventutem, secundum Philosophum. Unde interdum pro beatitudine ipsa accipitur, et nobis pro finali mercede promittitur apud Joannem, Petite, et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum : quod de intellectuali accipiendum est gaudio. *Joann.* XVI, 24.

*Etenim acceptrices omnino non sunt ejus quæ secundum nos est, passibilis delectationis :* id est, mentes angelicæ, quum sint immateriales et simplices, non sunt capaces nec susceptivæ « delectationis » carnalis aut sensualis, quæ in hominibus locum habet, fitque cum passibili, id est sensibili et corporali transmutatione, cujus subjectum est appetitus sensitivus concupiscibilis. Idcirco nec dæmones incubi in venereis proprie delectantur, quamvis turpitudo atque iniquitas ipsis complaceant, sicut etiam irrationalia spiritualis et internæ delectationis non sunt capacia. Delectari quippe consistit in eo quod est secundum naturam ac substantiam delectantis.

*Congaudere autem Deo dicuntur de perditorum inventione,* id est de recuperatione et salvatione eorum qui per vitia perierunt et meruerunt damnari, quamvis adhuc misericordissime tolerentur, et ad agendum pœnitentiam exspectentur. Hinc in Evangelio deprompsit Salvator : Gaudium erit coram angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente. *Luc.* XV, 10. *Juxta deiformem epulationem,* id est divinam refectionem et jucunditatem. Unde de filio prodigo reverso et contrito pius pater disseruit : Epulari et gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat, et revixit; perierat, et inventus est. *Ibid.* 32. In Apocalypsi quoque loquitur Christus : Ecce sto ad ostium, et pulso; si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, et cœnabo cum illo. *Apoc.* III, 20. *Et in providentia et salute in Deum redeuntium deiformitatem :* id est, juxta « deiformitatem », hoc est deiformem exsultationem secundum sanctam voluptatem penitus spiritualem, increato Deitatis gaudio similem ac suo modo assimilatam, « in providentia », id est de piissima provisione Creatoris circa electos, quamvis ad tempus errantes, « et salute in Deum redeuntium », per contritionem et finalem conversionem ; *et incorruptionis lætitiam,* id est jucunditatem de pura et incorrupta bonitate et sinceritate, cui semper cum ingenti complacentia congratulantur, sicut de omni bono honesto.

*Et illam beneficentiam ineffabilem,* id est juxta incomprehensibilem et indicibilem beneficentiam et munificentiam Conditoris, suos fideles gratiose ac liberaliter visitantis frequenter etiam in præsenti exsilio, *in cujus participatione,* id est pia susceptione ac dulci experientia, *frequen-*

*ter** *facti sunt et viri sancti,* et etiam feminæ sanctæ, *per deificos divinarum illuminationum superadventus,* id est abundantes infusiones supernarum illustrationum internarumque consolationum in mentes eorum, per quas ipsi quodammodo deificantur, sicut ait Apostolus : Deus qui potens est gratiam suam facere abundare in nobis supra quam petimus. Ipse etenim abundantia pietatis suæ, merita supplicum excedit et vota, et adjicit quod oratio non præsumit. Unde dixit Apostolus : Benedictus Deus qui consolatur nos in omni tribulatione nostra; itemque, Sicut pro Christo abundant tribulationes nostræ, ita et per Christum abundat consolatio nostra. Hoc expertus vir sanctus fatetur, et Deo humiliter regratiatur : Secundum multitudinem, inquiens, dolorum

* sæpe

II Cor. ix, 8 ; Ephes. iii, 20.

II Cor. i, 3, 4.

Ibid. 5.

Ps. xciii, 19.

A meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam. Hinc Climaco protestante, sanctus vir Ephrem in suis orationibus et contemplationibus constitutus clamare consuevit ad Deum : Domine, contine undas gratiæ tuæ. Sic et Jeremias in libro suo ait : Factus est sermo Domini in corde meo quasi ignis exæstuans, claususque in ossibus meis ; et defeci, ferre non sustinens. Hoc viri heroici experiuntur ubertim, qui et inopinatis frequenter excessibus sursum aguntur B in Deum, et quasi sopita arbitrii libertate, in divitias gloriæ rapiuntur, et a corporeis sensibus alienati, velut in abyssum luminis absorbentur. Hi vero et saluberrime sciunt, quam suave sit jugum Christi, quam vere divina sit fides catholica, quam perfecta sit christiana religio.

Jer. xx, 8, 9.

Matth xi, 30.

# ARTICULUS LXXXV

## EPILOGUS, SIVE CONCLUSIO CAPITULI HUJUS ET LIBRI TOTIUS DE COELESTI HIERARCHIA.

CONSEQUENTER Theologus tractatum suum concludens : *Tanta,* inquit, *a me de sanctis formationibus,* id est imaginariis apparitionibus et sensibilibus formis atque symbolicis descriptionibus, sacra ac divina repræsentantibus, *dicta sunt,* in isto capitulo, et supra hinc inde permodice; *diligenti quidem earum manifestatione deficientia,* id est occumbentia a tam diligenti et plena diligentia, sicut deceret tractari de his ex parte materiæ seu objecti, *perfecta autem, ut æstimo,* id est, satis completa, ni fallor, *ad non remanendum nos humiliter,* id est viliter et indigne, *in corporalibus** *phantasiis,* æstimando quod angeli tales sint in sua natura, quales extrinsecus describuntur.

* figurativis

*Si autem et hoc dixeris,* id est, si interrogaveris me, tu Timothee, aut lector quicumque, *quomodo non omnium deinde* C *angelicarum in Eloquiis virtutum, aut operationum, aut imaginum fecerimus memoriam,* id est, cur et qualiter in hoc libro non feci mentionem de ceteris angelorum virtutibus et actionibus, apparitionibus et figuris, quæ in Scripturis tanguntur; *respondemus verum,* id est, quod verum sit, quod non tractavimus de omnibus illis, *quia quarum quidem supermundanam scientiam ignoramus, in his alterum nos** *lucis ductorem docentem desideramus,* id est, nos ipsi cupimus do- D ctiorem nobis habere doctorem, et « lucis ductorem », id est lucidæ veritatis præcessorem ac ostensorem, « in his » rebus, « quarum » rerum supernaturalem et perfectam « scientiam » non habemus. Propterea in Ecclesiastico scriptum est : Si est tibi intellectus, responde proximo ; sin autem, sit manus tua super os tuum. Unde

* in ipsis nos alium

Eccli. v, 14.

Job XIII, 3. et sanctus Job fassus est : Insipienter locutus sum, et quæ ultra modum excederent scientiam meam. Fuit autem et est quædam mundana scientia de angelis, seu substantiis separatis, vel intellectibus superioribus, in qua nec ipsi philosophi concordabant. Siquidem Plato eos divisit in calodæmones, et catodæmones, ac cacodæmones, ut in libro de Deo Socratis Apuleius tractat. Quid inde autem Aristoteles senserit, superius tactum est. De quorum doctrina et humana ac mundana scientia sanctus iste theologus multa scribere potuisset ; sed non fuit hoc ejus intentio, sed de supermundana scientia loqui secundum Scripturas, cum moderamine pio, prolixitatem vitando. [Ideo subditur :]

*Quædam autem tanquam dictis æquipotentia**, id est æquivalentia et consimilia, et ad introducendum hic satis apta, *prætermisimus, commensurationi sermonis providentes,* id est, sollicite præcaventes ne in verbis excedamus mensuram. Nam Prov. XVII, 27. et in Proverbiis legitur : Qui moderatur sermones suos, doctus et prudens est. Et Ibid. X, 19. iterum Salomon protestatur : Qui moderatur labia sua, prudentissimus est. Ecclesi- Eccli. XX, 13. asticus quoque scribit : Sapiens se ipsum in verbis amabilem facit. *Et super nos secretum silentio honorificantes,* id est, ipsum quod de angelorum proprietate, natura ac stabilitate nescimus, venerantes per hoc quod impotentes ac impares nos fatemur ad tractandum de eis diffusius, sicque silemus. Quemadmodum enim interdum unus homo honorat alium per hoc quod indignum se reputat illi servire, adstare, ipsumve tangere (propter quod beatissimus Joannes Baptista dixit ad Christum : Ego debeo a te baptizari, et tu venis Matth. III, 14. ad me ? Princeps quoque Apostolorum beatissimus Petrus : Exi a me, quia homo Luc. V, 8. peccator sum, Domine. Unde et sanctus vir Zosymas corpusculum S. Mariæ Ægyptiacæ verebatur ad sepeliendum contingere); sic aliquando unus honorat alium, a laudibus ejus cessando aut penitus abstinendo, tanquam ad illius præconia depromenda indignus, quum et Scriptura testetur : Non est speciosa laus in ore Eccli. XV, 9. peccatoris.

* æque potentia

Quæ quum ita se habeant, quantum miserrimus et defectuosissimus ego metuere, imo et contremere habeo, qui ad scribendum, ad loquendum, ad docendum, in et de omni materia tam promptulus exsisto ? Porro, si ille inspirat, impellit ac movet, qui nulla lege arctatur, et solus de im- Job XIV, 4. mundo et indigno efficit mundum et dignum, bene res geritur.

Postremo, juxta nunc prætacta, vitemus oblectamenta carnalia, et spiritualiter gloriemur in Domino de iniquorum emendatione, de clementissimis provisionibus Dei super periclitantes, de beneficiis et liberalitatibus ejus circa indigentissimum genus humanum, de salute convertentium se ad Deum redeuntiumque ad ipsum, potissime autem et superpotissime de infinita felicitate, perfectione et gloria Dei : cui inde præcordialissime congratulemur, et de omni honore, cultu, præconio, quæ ei tam in angelica quam in ecclesiastica hierarchia incessabiliter impenduntur ; atque ad hoc indefesse conantes, ut de miseriis et imperfectionibus vitæ præsentis, ad angelicæ vitæ perfectionem et gloriam transferamur.

## PARAPHRASIS ABBATIS VERCELLENSIS

De cetero requiem concedentes oculo nostro intellectuali et contemplationibus angelicæ sublimitatis difficile contemplabilis, inspiciamus divisibiles et multarum partium varias formationes angelicas in Scripturis per sensibilia symbola ; rursus vero ab ipsis, tan-

quam ab imaginibus, reflectamus mentis oculum ad investigandum cœlestium mentium simplicitatem per sensibilium collationem.

Attende autem in primis, quod juxta sensibiles descriptiones in Scripturis et intellectualem earum expositionem, cœlestes substantiæ quandoque ostenduntur hierarchice regere, quandoque hierarchice regi, et postremæ alias regere, et primæ regi hierarchice, et eædem habere et primas, et medias, et postremas virtutes, diversis respectibus. Neque per hoc aliqua inducitur confusio ordinibus angelicis. Confusio siquidem esset, si diceremus quasdam cœlestes substantias hierarchice regi a suis superioribus, et hierarchice regere easdem a quibus ipsæ reguntur; aut iterum, quod aliquæ superiores substantiæ regerent inferiores, et ab eisdem hierarchice regerentur. Si autem dicamus aliquas substantias regere inferiores, et regi a suis superioribus, nullum est inconveniens. Unde secundum hoc, in sacris Scripturis recte ostenditur per sensibilium descriptiones, quod substantiæ cœlestes diversis respectibus dicantur participare et primis, et mediis, et postremis virtutibus, eo quod ipsæ et ad superiores conversive extendantur, et ad se ipsas fortiter convolvantur, proprias virtutes conservando, et ad inferiorum provisionem procedant, communicando eisdem suæ virtutis participationem : quod quidem convenit omnibus substantiis cœlestibus, aliis quidem plenius, aliis autem particularius, ut sæpe dictum est.

Deinde inter mysticas expositiones sensibilium formarum, primo inquirendum propter quam causam sacra Scriptura pene super omnes formas sensibiles utitur proprietatibus ignis, ad invisibilium designationem. Siqui-
*Dan.* VII, 9. dem Daniel ponit rotas igneas, et Ezechiel
*Ezech.* I, 13. *Matth.* XXVIII, 3. animalia ignita, et Matthæus viros quasi ignem fulgentes ; et rursus Ezechiel cumulos carbo-
*Ezech.* X, 2, 6, 7. num attribuit cœlestibus substantiis; et in Da-
*Dan.* VII, 10. niele dicitur fluvius igneus et rapidus egredi
*Ibid.* 9. a facie Dei. Et rursus ibidem dicitur : Thronus ejus flammæ ignis. Et primas intelligentias ostendit Scriptura esse incendentes, per hoc quod vocat eas Seraphim, et ignis proprietatem et operationem ibidem eisdem attribuit
*Is.* VI, 6, 7. in purgatione Isaiæ. Et omnino in designatione cœlestium, sive superiorum, sive inferiorum, Scriptura eminenter honorat proprietates ignis. Unde inter omnia sensibilia arbitror ignem efficacissime signare cœlestia

A et divina. Ipsa enim supersubstantialis et non formalis Dei substantia, in multis locis Scripturæ figuratur per ignem, tanquam habentem proprietates multas signativas divinorum invisibilium, quantum possibile est fieri in imaginibus sensibilibus. Unde in Deuterono- *Deut.* IV, 24;
mio et in Malachia, Deus ignis dicitur. *Malach.* III, 2.

Ignis siquidem sensibilis occulto quodam modo per omnes sensibiles substantias est conspersus, et per omnia penetrat, et tamen ab omnibus segregatur; et per effectum splendens, secundum substantiam suam est occultus et ignotus, non adhibita materia per B quam manifestat propriam operationem. Item teneri non valet propter mobilitatem et subtilitatem. Item secundum substantiam suam oculis carnalibus est incontemplabilis. Item universis elementis supereminet. Item eis quibus ingignitur, propriam operationem inducit. Item variativus ; item sui ipsius traditivus omnibus quolibet modo appropinquantibus ; item renovativus ; item incircumvelate illuminativus ; item visui impenetrabilis, mundus, discretivus, invariabilis, sursum ferens, acute penetrans ; altus, non recipiens ignominiosam subjectionem ; semper mobilis, eodem modo C mobilis, motivus aliorum ; comprehensivus aliorum, non totaliter comprehensibilis aliis ; nullo indigens ; latenter augmentativus sui ipsius, et in adhibitis sibi materiis per effectum manifestans suæ occultæ virtutis magnitudinem. Item activus, potens, universis invisibiliter præsens ; neglectus, videtur non esse : contritione vero, quasi quadam inquisitione naturaliter provocatus, subito per effectum manifestatur, et rursus subito fit incomprehensibilis et impalpabilis. Item copiosissimis sui traditionibus in nullo diminuitur. Multas etiam alias poterit quis invenire D proprietates ignis familiariter signantes divinas operationes, quantum fieri potest per sensibiles imagines. Quod attendentes theologi qui sacras scripserunt Scripturas, frequenter cœlestibus substantiis ignis proprietates attribuunt, per hoc signantes divinam ipsarum conformitatem et Dei imitationem, quantum eisdem est possibile.

Describuntur etiam angeli in forma humana, eo quod homines habent vim intellectivam, et quia habent oculos ita sitos, ut libere sursum respiciant, et figuram rectam et sursum erectam, et secundum naturam principantur animalibus aliis, et ea regunt et

A dirigunt : et secundum sensibiles virtutes, inferiores sunt; secundum vero mentis virtutem, et rationalem scientiam, et libertatem arbitrii quod cogi non valeat, omnibus animalibus præminent. — Possibile est autem secundum singulas partes humani corporis excogitare imagines convenientes ad designationem cœlestium virtutum. Verbi gratia : ut oculi humani dicantur signare in cœlestibus mentibus clarissimum respectum ad divina lumina ; item, quia oculi teneri sunt, et refugiunt offendicula, et humidi, tanquam omnis formæ susceptibiles et conformes, et acute mobiles, signant mundam et apertam susceptionem B divinarum illuminationum sine repercussione. Item vis olfactiva signat in cœlestibus animis susceptibilitatem divinæ suavitatis super mentem bene olentis, et vim discernendi per suavia et evitandi contraria. Virtus autem audibilis signat virtutem angelicam participativam et cognitive susceptivam divinæ inspirationis. Vis vero gustativa signat susceptibilitatem satietatis intelligibilium alimentorum, et profectuum provenientium ex divinis nutrimentis. Vis vero tangibilis, scientiam discernentem ea quæ naturam juvant, ab his quæ lædunt. — Palpebræ vero et supercilia, C vim custoditivam intellectuum Dei inspectivorum. Ætas vero adolescentiæ vel juventutis, signat vivificam angelorum virtutem semper convalescentem ; dentes vero, virtutem divisivam perfectionis luminis cuilibet superiori menti inditi et ipsam nutrientis, ad communicandum inferiori. Quælibet enim mens cœlestis, intellectuale lumen sibi a superiore infusum, provisiva virtute dividit tanquam portionem a massa, et multiplicat ad sursumactionem inferioris, secundum singulorum capacitatem. Humeri autem, et brachia, et manus, significant virtutem operandi, et D ejusdem virtutis exsecutionem, et exsecutionis effectum in inferioribus. Cor autem designat deiformem vitam quæ boniformiter distribuit propriam vivificam virtutem electis. Pectus autem, ubi sedes est roboris et custodia spiritualium, signat fortitudinem nulla violentia subjicibilem, et custoditivam vivificæ distributionis prædictæ, quasi ex corde procedentis. Dorsa autem signant continuam conjunctionem omnium virtutum, quæ germinant bona opera et omnes bonos motus, sicut ex spina dorsi quasi prodeunt et pullulant omnes costæ. Pedes autem, virtutem motivam acute penetrantem et velocem, semper tendentem in divina. Unde legitur in Isaia : Duabus alis velabant pedes ejus. *Is.* vi, 2. Ubi datur intelligi quod Seraphim habebant alas senas in pedibus, quibus velabant pedes Domini : sicut ostendit pictura parietum. Ala enim, quæ sursum fert avem, et est acuta in summitate, et in aere suspendit, et iter facit donec longe a terra separet, signat virtutem mentis sursumactivam, et acute penetrantem, et in cœlestibus et æternis pergentem (juxta illud Ecclesiastici, Gyrum cœli circuivi), *Eccli.* xxiv, 8. et segregantem mentis apicem ab omni sensibili. Levitas vero alarum signat mentis virtutem ab omni terrenitate expeditam, et totam mundam, et ab omni deorsum trahente liberam, alta petentem. Nuditas vero et discalceatio in cœlestibus mentibus signat quod liberæ sunt, et facile absolvuntur, imo omnino detineri nequeunt ab aliqua inferiori occasione vel occupatione, et quod exteriora sensibilia eis non applicentur neque adhæreant, et quod divinæ simplicitati secundum creaturæ possibilitatem assimilantur.

Sed rursum, quum sacra Scriptura, quæ tota in simplici veritate unitur, in sententiarum varietate multiplicetur, quandoque animos cœlestes nudatos vestiri ostendit (ut apud Zachariam, Auferte vestimenta sordida ab eo; *Zach.* iii, 4. et paulo post, Induerunt eum vestibus; *Ibid.* 5. et Daniel ait : Vidi virum vestitum lineis), *Dan.* x, 5. vasa etiam deferre (ut in Ezechiele et Apocalypsi), *Ezech.* ix, 1, 2; *Apoc.* xiv, 15-19; xv, 7. ostendamus quid signant vestes et ministeria quæ cœlestibus mentibus attribuuntur. Vestis enim splendida et ignea signat earumdem mentium conformitatem ad Deum, juxta ignis proprietates supra assignatas, anagogice intellectas, specialiter propter virtutem lumen dandi et accipiendi. Splendor autem eis attribuitur apud Marcum et Tobiam. *Marc.* xvi, 5; *Tob.* v, 5. Est autem necessaria hæc expositio, ne quis suspicetur propter tales attributiones, in cœlestibus mentibus quæ semper quiescunt, aliquam esse temporalem varietatem et quietis interpolationem, in quibus est unum lumen simplex, quod tanquam fons luminis, omnes intellectualiter illuminatos illuminat. Vestis autem sacerdotalis signat virtutem adducendi angelos vel homines ad implendas divinas voluntates, quæ prius eosdem latebant adducendos, et ad totius vitæ spiritualis sanctitatem. Zonæ vero signant virtutem servandi et firmiter coadunandi proprias virtutes et gratias spi-

rituales per incrementum propriæ et alienæ A perfectionis spiritualiter pullulantes, sicut zona cingit vestes ne defluant, et constringit ventrem, in quo sunt virtutes nutritivæ : ad hoc ut quilibet cœlestis animus in se ipsum convertatur, et sic simplificetur per virtutum spiritualium indissipabilitatem. Signat etiam zona virtutem cœlestis animi, circa se ipsum decenter, incessabiliter, uniformiter convolvendi, sicut zona circa corpus convolvitur, neque decidit. — Virgæ autem signant virtutem et prudentiam bene regendi et ad Deum ducendi subditos, et quælibet negotia sibi cœlitus injuncta certo moderamine temperandi, et fine debito concludendi : quia reges et judices, qui virgas et sceptra portant, talia faciunt, vel facere debent. Lanceæ vero et secures, sunt vasa interfectionis, signantque virtutem separandi reprobos ab electis, vel peccatum a bona natura, et acute discernendi inter bonum et bonum, et bonum et melius, et melius et optimum, et efficaciter complendi operationes suas. Instrumenta autem mensurandi et ædificandi, signant virtutem inchoandi virtutes vel bonam conversationem, et promovendi et perficiendi. Et juxta hunc modum intelligenda sunt quæcumque attribuuntur Deo vel cœlestibus animis, pertinentia ad inferiorum sursumactionem et conversionem ad Deum per providentiam superiorum. Quandoque autem instrumenta corporalia angelis attributa, signant judicia divina in homines exercenda. Quædam autem signant divinam castigationem (ut ait Jere-
*Jer.* I, 11. mias, Virgam vigilantem ego video); quædam,
*Ezech.* IX, 1, 2. punientem justitiam, ut in Ezechiele; quædam, liberationem ab angustia, aut finem disciplinæ, aut renovationem prioris benevolentiæ, aut additionem novorum donorum, parvorum aut magnorum, sensibilium aut intelligibilium. Et generaliter animus perspicax sciet familiariter coaptare sensibilia signa intelligibilibus virtutibus.

*Ps.* CIII, 3. Quod autem angeli vocantur venti in Psalmo, signat velocem ipsorum actionem et ad omnia fere sine mora transeuntem, et motum eorum expedite deferentem inferiora superius, et superiora inferius. Angeli quidem extendunt inferiores superius, et in eis superiores influunt inferioribus, et summi movent medios ad provisive influendum divina lumina inferioribus, communicando eisdem proprias illuminationes, secundum singulorum capacitatem. Præterea nominatio venti, qui est quasi spiritus aeris, signat conformitatem cœlestium mentium ad ipsam Divinitatem. Habet enim ventus imaginariam formam divinæ operationis, sicut ostendimus in Symbolica theologia, in anagogica expositione quatuor elementorum, quorum unum est aer : qui divinas operationes signat, in quantum habilis est movere alia, et germina terræ provocare, et quod velociter operatur, et quod non valet detineri, et quod subito incipit moveri, et subito cessat. Et nos causam vel motus vel cessationis non cognoscimus, neque B videmus quo se occultet, juxta quod de Deo
scriptum est in Job : Si venerit ad me, non *Job* IX, 11.
videbo eum ; si abierit, non intelligam. Et
in Joanne : Spiritus ubi vult spirat, et vocem *Joann.* III, 8.
ejus audis, sed nescis unde veniat, aut quo vadat. — Nomine nubium etiam designantur angeli in Scripturis : quæ implentur lumine radii solaris, sicut angeli lumine divino occulte superradiante, quorum primi primam divini luminis apparitionem intus sine exteriori jactantia suscipiunt, et eam ad inferiores copiose secundum ipsorum capacitatem deferunt secundario, sicut nubes lumen intra C se recipiunt, et deorsum transmittunt. Alia etiam ratione nubes angelis comparantur, quia nubes effundunt pluvias quas sinibus humidis continent, per quas terræ virentia pullulant, vivificantur, crescunt, et maturescunt, et ita terræ fructus vivificantur : ita et angeli abundantiam cœlestis sapientiæ in se suscipientes et continentes, eam ingignunt inferioribus, et inflammant, et augent, et perficiunt, et sursumagunt eos.

Quod autem in Ezechiele, æris et electri *Ezech.* I, 7, 4; XXVIII, 13.
forma, et formæ lapidum pretiosorum angelis attribuuntur, sic est intelligendum, ut nomine D electri, cujus color medius est inter colorem auri et colorem argenti, et ita quodammodo utramque continet, quantum ad colorem auri signat in angelis splendorem indeficientem, non valentem destrui, vel etiam minui, vel aliquo modo maculari ; quantum vero ad colorem argenti signat in eisdem claritatem cœlestem, in se splendidam, et alios illuminantem. In ære autem, ratione coloris sui, idem quod in auro vel igne signatur. In variis autem lapidum coloribus, per albedinem, qui color est splendidus, intelligitur cœlestium mentium splendor ; per ruborem, ignis mysteria ; per flavum colorem, mysteria aurei

coloris; per pallorem, juventutem, id est immarcescibilitatem semper convalescentem. Et juxta hunc modum, in qualibet specie invenitur anagogica expositio sursumactiva mentium nostrarum.

Sed quoniam de hac materia videtur sufficere, consideremus deinde qua ratione ferarum et aliorum animalium formæ angelis attribuuntur. Figura ergo leonis in angelis signat virtutem alios regendi et ducendi in Deum, et fortitudinem spiritualem, non valentem aliqua violentia coerceri; et quod assimilantur secundum suam possibilitatem ipsi occultissimæ et ineffabili divinæ majestati, in eo quod secretissime in Deum tendunt, juxta quod a luce Dei secretissima, ad perveniendum in ipsam, illuminantur et suscitantur, sicut leo venatores timens, vestigia sua cauda
*Ps.* LXXVI, 20. obliterat. Et ideo dicitur in Psalmo: In mari via tua, et semitæ tuæ in aquis multis, et vestigia tua non cognoscentur. Atque Paulus
*Rom.* XI, 33. ait: O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! — Figura autem bovis signat fortitudinem et convalescentiam, et virtutem aperiendi, quasi per sulcos, mentes inferiorum, ad susceptionem cœlestium charismatum copiose influentium, et divinam in eis cognitionem augmentantium. Cornua autem bovis signant defensionem et robur, quia cornu tuetur bovem, et est carne robustius. — Figura vero aquilæ signat regalem dignitatem, et sublimem ascensum in divina, et velocem volatum contemplationis, et virtutem penetrandi perspicaciter, sobrie, agiliter, et prudenter, ad haustum divinæ dulcedinis, qui vere roborat et nutrit. Signat etiam virtutem exercendi contemplationes suas sine omni offendiculo, recte, et inflexibiliter, et per sanissimas et perspicacissimas suarum contemplabilium virtutum suscitationes ad copiosissimum et lucidissimum radium æternæ sapientiæ, quem Deus Pater emittit in plenitudine spiritualis luminis et fervoris, sicut sol est quædam plenitudo et fons corporalis luminis et fervoris: juxta quod aquila a longe escam subtiliter videt, et ad eam velociter et directe compositis alis volat, et irreverberata acie solis radios intuetur. — Equorum autem figura signat, quod angeli Deo obediunt, et ad omnem ipsius flectuntur voluntatem, sicut equus freno agitur. Albedo autem equorum signat angelos splendidos esse, et divino lumini præ omnibus assimilari, juxta quod albedo color est clarissimus. Nigredo signat in eis secretam occultationem, quia nigredo color obscurissimus est; rubor, virtutem igneam et activam. Omnes vero colores medii inter albedinem et nigredinem, signant in eis conjunctionem claritatis et occultationis, per virtutem occultandi claritatem et declarandi occulta, et conjungendi superiores inferioribus, dum priores inferioribus influunt, et inferiores ad superiores conversive extenduntur.

Et nisi vitaremus tractatus prolixitatem, dictorum animalium particulares proprietates et omnes eorum corporales formas et figuras, cœlestibus mentibus adaptavissemus, aliter attribuendo cœlestibus mentibus ea quæ sunt in ipsis animalibus, ut supra: per furorem qui est in animalibus, intelligendo in angelis fortitudinem, a qua furor maxime distat, et est ejus remotissima figura; et per animalium carnalem concupiscentiam, spiritualem in angelis Dei amorem; et ut brevius dicatur, omnes sensus corporeos et multiplices partes animalium reducendo ad immateriales intellectus et uniformes virtutes cœlestium animorum. Sufficiunt autem sapientibus non solum ista quæ diximus, sed etiam unius formæ vel figuræ anagogica expositio quæ sit suo signato tam dissimilis, ad consimilium figurarum consimilem expositionem.

Deinde exponamus quod Scriptura attribuit cœlestibus substantiis fluvios, ut in Daniele *Dan.* VII;
et Ecclesiastico; et rotas, ut in Ezechiele; et *Eccli.* XXIV, 40.
currus sibi conjunctos, ut in quarto Regum. *Ezech.* I, X.
Fluvius autem igneus et rapidus qui egredie- IV *Reg.* II, VI.
batur a facie ejus, id est Antiqui dierum, si- *Dan.* VII, 10.
gnat plenitudinem divini luminis et fervoris a Patre luminum procedentis, quæ cœlestibus substantiis elargitur copiosam et indeficientem affluentiam spiritualium donorum, et spirituale nutrimentum, ex quibus in ipsis ferventis et vivificæ caritatis incrementum generatur. — Currus autem, propter materialem ipsorum conjunctionem, signant communionem gratiæ, gloriæ, dignitatis, et omnium luminum cœlestium, conjunctivam cœlestium mentium, quæ coordinantur in ipsa hierarchia vel ordine. — Rotæ autem prompte se elevantes, quæ leguntur ante faciem suam ire, et non reverti, et in directum ire, ut in nullam partem declinarent, et elevari sur-

*Ezech.* I, 12, 17, 19-21; x, 9-11, 16, 17. sum, ut patet in Ezechiele : signant in cœlestibus substantiis virtutem semper proficiendi sursum in divina, indeclinabiliter et directe, ut earum contemplationes quasi circulares propter æternorum interminabilitatem, sursum semper intellectualiter dirigantur. Potest etiam et alius sensus anagogicus in descriptione rotarum intelligi, dicente Ezechiele :
*Ibid.* x, 13. Rotas istas vocavit volubiles, audiente me. Ubi Græca translatio sonat, revolutiones et revelationes. Mentes siquidem cœlestes, quæ et rotis et igni comparantur, sempiterno motu revolvuntur circa summum bonum, et revelant occulta, inferiores sursumagendo, sublimia declarando, deferendo lumina a superioribus ad inferiores.

Deinceps ostendamus quid signat gaudium
*Luc.* xv, 10. quod angelis attribuitur apud Lucam, quum ipsorum gaudium non sensibile sit sicut nostrum, quod recedendo affligit, et assidue deficit. Unde per gaudium et epulationem quæ angelis attribuuntur de perditorum inventione, et errantium conversione ad Deum et salvatione, signatur exsultatio angelorum divino gaudio conformis, et copiosa, et ineffabilis, qua semper replentur : quam etiam viri sancti

A adhuc in carne mortali constituti interdum merentur gustare, sibi radiantibus divinis illuminationibus.

Hæc igitur quæ de sensibilibus invisibilium descriptionibus scripsimus, non plenarie invisibilia manifestant ; sed nobis conferunt et illuminant, ne in imaginariis descriptionibus animos defigamus, nihil ultra vel superius quærentes, sed discamus per prædicta et in aliis figuris sensibilibus investigare invisibilem veritatem. Si autem objicis, quod non de omnibus angelicis virtutibus, operationibus, et imaginibus quæ in Scripturis tanguntur,
B specialiter tractavimus in hoc libro : respondemus quod hoc verum est, et quadruplici de causa plura de his prætermisimus : tum quia diligens tractatus de cœlestibus hierarchiis nostram excedit scientiam, et magis indigemus de ipsis ab alio doceri, quam docere ; tum quia ex his quæ dicta sunt, alia prætermissa quæ consimilem habent intelligentiam et difficultatem, intelligi possunt ; tum etiam ut compendiosam mensuram nostro tractatui provideremus ; et tandem ut occultum quod nostram superat scientiam, per silentium veneraremur.

# QUÆSTIONUM ALIQUOT

# AD ANGELOS ATTINENTIUM EXPEDITIO PERBREVIS

## ARTICULUS LXXXVI

### DE LOCUTIONIBUS SEU VERBIS ANGELORUM, EXPEDITA PER MODUM QUÆSTIONIS TRACTATIUNCULA.

EXPOSITIONE hac qualicumque finita, adhuc annectenda sunt aliqua, ad præhabitorum intelligentiam plurimum conferentia.

Quæritur igitur primo, an unus angelus loquatur alteri ; et an superior inferiori, ac econverso ; et utrum localis distantia,

C angelorum allocutionem, collocutionem advertentiamque impediat. Nempe quum sint spiritus simplices, instrumentis ad loquendum necessariis carent ; et si spiritualiter solum loquantur, non videtur illa allocutio locali distantia impediri.

Circa hæc scribit Joannes Scotus ex ver-

bis S. Gregorii : Quærendum, inquiens, nobis est, an angeli angelis illuminationes manifestant divinas. Si enim loquuntur ad invicem, qua lingua putandi sunt loqui? Hebræa, an Latina, an Græca? Verum angelicam locutionem distinguit a nostra
I Cor. xiii, 1. Apostolus, dicens : Si linguis hominum
II Cor. xii, 2, 4. loquar et angelorum. Qui raptus usque ad tertium cœlum, audivit arcana verba quæ non licet homini loqui. Si ergo non licet ea loqui, et creaturæ alicui licet, profecto ea sunt quæ loquuntur angeli sancti. Quis ergo mortalium digne concipiat modum spiritualis sermocinationis eorum? Noli ergo in eis fingere formam, humanorum lineamenta membrorum, linguæ corporalis officium, distinctiones sonorum. Talia enim in eis non sunt nisi spiritualiter tantum. Nec corporali indigent locutione, quoniam conscientias suas spiritualiter invicem contemplantes, ad alterutrum quodammodo sine voce loquuntur, dum alter alterius voluntatem videndo intelligit. Nam et post resurrectionem futuram, corda nostra erunt sibi invicem claritate fulgentia, et puritate translucentia. Ipsa quippe eorum claritas sibi mutuo in alternis cordibus patebit. Et quum uniuscujusque vultus attendetur, simul et conscientia penetrabitur. Ibi namque uniuscujusque mentem ab alterius oculis corpulentia non abscondet, sed patebit animus, patebit et corporalibus oculis ipsa corporis harmonia : sicque erit tunc unusquisque conspicabilior alteri, quam nunc sibi. Quum ergo de nobis hoc indubitanter speremus, similia de illis, qui nobilioris et subtilioris nobis substantiæ sunt, intelligamus. Et tamen, si dixerimus quod omnes angelici spiritus, omnes prorsus cogitationes suas invicem conspiciant, necesse est fateamur minores scire omnia quæ sciunt majores : quod nequaquam verum est. Multa enim sciunt excellentiores, quæ ignorant inferiores. Et cogitationes ergo suas invicem contemplantur, et tamen nonnullas cogitationes majorum nequeunt videre minores. Angelus itaque lo-
A quitur angelo, dum aliqua sibi nutibus occultis insinuat. Subtilem enim hanc locutionem mens eorum illuminata intelligit. Etenim quasi audienti dicitur, quod videnti innuitur. Et velut quidam sonus est vocis, ipsa visio voluntatis. Sermo enim quem unus angelus loquitur et alius audit, signum quoddam est quod invisibiliter fit ab uno et cernitur ab alio, nullis in medio currentibus verbis. Possunt namque subtiles illæ essentiæ quodlibet sibi invicem demonstrare sine sensibili verbo,
B sono, ac signo. Et quasi sermo procedit ex ore, dum demonstratio venit ab occulto. — Hæc illi. Quorum dicta ex sequentibus resolutius intelligentur.

Albertus itaque scribit : Ad locutionem in nobis tria concurrunt : simplex conceptio, ordinatio ad proferendum, applicatio ad instrumenta corporis, quibus formetur vox ut deferatur per aerem ad aures audientis. Quorum duo prima conveniunt angelis, et non tertium. Quamdiu ergo id quod sub libero eorum arbitrio est, manet
C in simplici conceptione, non percipitur ab alio; sed dum ordinatur ad alterum, incipit illi esse notum. Si autem quæratur quomodo venit ad alterum, quum nihil emittatur de uno in alium : dicendum quod sicut, secundum Avicennam, in intellectum possibilem necessario fluunt species ab intellectu agente, dum ad ipsum convertitur, ita in angelis est. Unde lumen divinum irradians angelos universos, sine quo nullus illorum posset concipere quidquam, est medium in quo unus perci-
D pit conceptionem alterius ordinatam ad ipsum, convertendo se ad lumen prædictum. Hinc Maximus ait, et habetur in Glossa : Nos quod rationale est, repræsentamus per organum linguæ et vocis. Sic autem in angelis non fit; sed in incorporalitate sua manentes, in alterutros accedentes et discedentes, omni sermone expressius alterutrorum sensus, id est intellectus, speculantes, mutuo disputant, quasi per silentium verbi communicantes alterutris. In quibus verbis, per ac-

cessum et recessum, designatur ordo conceptionis unius ad alterum, et eorum ad unum lumen conversio : sicque non solum est ibi præsentia loquentis. Ordo quoque seu ordinatio et conversio illa, sunt tanquam nutus. Signa vero sunt intelligibiles species, ordinatæ ad innotescendum aliquid alteri. De quibus super epistolam ad Corinthios loquitur Glossa, quod angeli loquuntur sibi nutibus et signis.

Præterea his Thomas concordat : Voluntas, dicens, movet intellectum, ut actu intelligat. Res vero intellecta, primo est in intellectu habitualiter, secundum memoriam; secundo actualiter, per actualem considerationem; tertio, per comparationem ad aliud. Porro, quod aliquid actualiter consideretur quod habitualiter scitur, est per voluntatis imperium. Habitus namque est, quo quum quis voluerit, utitur. Conformiter, quod conceptus mentis ordinetur ad alium, est voluntate movente. Quumque intellectus actualiter considerat quod habitualiter in se tenet, loquitur sibi ipsi : quæ locutio est conceptus internus ac verbum mentale. Dum autem quis alteri suum manifestat conceptum, loquitur alteri. Per hoc ergo loquitur angelus alteri, quod mentis suæ conceptum alteri per voluntatem ostendit.

Insuper omnis illuminatio activa, est interior quædam locutio, non econtra. Ideo angelus inferior loquitur tam angelo superiori, quam Deo, sed nullum illorum illuminat.

At vero, quum locutio angelorum ad invicem, abstracta sit a loco et tempore, nullum illorum sibi determinans, idcirco localis distantia angelorum collocutionem non impedit : imo, sicut nec impedit quin unus alium possit videre, ita nec impedit quin unus alium possit audire.

Hæc sufficit hic tetigisse breviter : de quibus super secundum Sententiarum diffusius est tractatum. Consonat quoque his, quod secundo libro loquitur Damascenus : Non lingua indigent, nec auditu; sed sine sermone voce prolato, tradunt sibi invicem consilia et intelligentias.

In II Sent. dist. 10, q. 2.

# ARTICULUS LXXXVII

## DE NOTITIA SCIENTIAVE ANGELORUM BREVIS INQUISITIO.

SECUNDO quæritur, an Beati videndo Deum per speciem, universa et singula in ipso cognoscant. Videtur quod sic, quia ut sanctus testatur Gregorius : Qui lucem Creatoris in se ipsa clare conspiciunt, nihil in creaturis agitur quod videre non valeant. Rursus, Deus omnipotens est supersplendidissimum omnium speculum et exemplar, in quo cuncta plene relucent ac præsentantur : ergo qui speculum hoc plene conspiciunt, cernunt omnia quæ in ipso resplendent. Insuper, Beati habent quidquid desiderant, alioqui non essent vere beati. Ergo jam omnia noscunt quæ cupiunt scire; estque potentialitas sciendi in eis omnino redacta in actum : et ita illuminatio nulla est unius ab alio in patria. Amplius, incomparabiliter plus est, divinam essentiam in se ipsa clare conspicere, quam quoscumque ejus effectus cognoscere, sive in ea, sive in se ipsis : quum ergo omnibus illis datum sit primum horum, apparet quod et secundum. — In oppositum est tota voluminis hujus doctrina.

Et respondendum, quod propter has rationes nonnulli consenserunt huic conclusioni, in tantum quod dominus Guil-

lelmus Parisiensis in libro suo de Universo sentire videtur, quod Sancti in patria noscunt numerum arenæ maris, pluviæ guttas, gramina et capillos, universa quoque et singula particularia, a summo usque deorsum, a maximo usque ad minimum. Alioqui inesset Beatis vacuitas quædam, seu potentialitas cognoscendi quod nesciunt : quod esset quædam calamitas. Verumtamen doctores communiter S. Dionysio acquiescunt, quem a beatissimo Paulo et apostolicæ sanctitatis viris sciunt edoctum. Nec propter prætactas atque consimiles persuasiunculas, ad solvendum perfaciles, fas est a tanti theologi documentis recedere, præsertim quum ipse ex Scripturis canonicis suum processum clare probet et copiose. Idcirco firmiter sentiendum, quod quamvis omnes Beati cognoscant et intueantur Deum altissimum clare in semetipso, non tamen æqualiter. Imo in hujuscemodi visione tot sunt gradus, ut nullus hic capere possit. Et quo clarius Deum vident, eo plura cognoscunt in ipso. Omnes autem cognoscunt in eo totum ordinem universi, et universos suos concives, et ea quæ specialiter ipsos concernunt. Ea quoque quæ modo cognoscunt per fidem, ibi cognoscunt per speciem. Nec tamen omnia ista inferiores noscunt tam clare ut superiores.

Speculum autem Deitatis est intellectuale atque liberrimum, et juxta censuram sapientiæ ac justitiæ suæ, itemque juxta merita Beatorum, repræsentat se illis. — Omnes demum Beati, vere et perfecte beati sunt, juxta mensuram capacitatis suæ, dispositionis et status, et quantum ad essentiam principalis felicitatis, quæ est visio Dei per speciem, in qua nunquam amplius crescunt, et quæ tantæ eminentiæ ac perfectionis est, quod ipsa sola sufficiens est illos quietare ac contentare : quamvis Deus æternus, ex suæ pietatis ac liberalitatis immensitate, alia plura accidentalia gaudia et præmia illis adjiciat, quæ ipsi Beati quando nondum adsunt, suaviter et æqua-

A nimiter absque omni pœnalitate et inquietudine præstolantur, sicut et corporum suorum resuscitationem et glorificationem. Nec verum est, quantum ad omnia illa, quod omnia habent jam actu in re quæ cupiunt ; sed habent illa in certa spe : imo habent illa sicut volunt, quia absolute loquendo, non aliter nec prius volunt illa habere, quam Deus præordinavit ipsos illa actualiter habituros. At vero potentialitas sciendi impertinentia ad salutem, non arguit in illis aliquam imper-
B fectionem, vacuitatem, miseriam. Quod vero usque in horam judicii novas illuminationes et revelationes circa Deitatis effectus ac opera sortiuntur, non nisi accidentalis gloriæ minorationem quamdam in ipsis convincit, quæ essentiali et principali ipsorum non derogat felicitati, cujus comparatione omnia illa sunt tanquam arena et pulvis.

Postremo, non negamus quin Creator, cujus potestatis et perfectionis nullus est finis, possit cunctis Beatis in se ipso im-
C mediate simul ostendere quidquid per temporum vices illis ostendit per intermedios cooperatores, et per actiones hierarchicas : qui sic agit, et suam potestatem causalem, ac suæ bonitatis communicationem, illuminationem, diffusionem causis secundis ita impertit, ad ampliorem suæ magnificentiæ, sapientiæ ac munificentiæ declarationem. Sic quippe totam ecclesiasticam hierarchiam per se immediate posset gubernare, purgare, docere, judicare, ornare, disponere. Sed ob rationes
D prætactas ac alias, per angelos et prælatos regit, mundat, illuminat eam. Sicque dignitatem providentialem, potentiamque causalem communicat aliis, et varios gradus ac ordines potestatum, prælationum, præsidentiarum, atque judicialium auctoritatum instituit et præfixit. Id item constat, quod loquendo de scientia simplicis intelligentiæ, supergloriosissimus Deus infinita scit quæ nulla mens creata intelligit : sicut et infinita facere potest quæ nunquam facturus est.

# ARTICULUS LXXXVIII

## DE MINISTERIIS AUT MISSIONIBUS ANGELORUM.

TERTIO quæritur : utrum omnes angeli mittantur in ministerium ; et de quibus choris mittantur ; et an plures mittantur, quam adsistunt. Hæ quæstiones ex Scripturis nascuntur. Ait namque Apostolus : Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos qui hereditatem capiunt salutis? Unde apparet quod universi mittantur. Daniel vero propheta : Millia (inquit) millium ministrabant ei, et decies millies centena millia adsistebant ei. In quibus verbis, inter ministrantes et adsistentes distinguitur.

*Hebr.* I, 14. *Dan.* VII, 10.

Nunc autem summatim perstringendo, et S. Dionysii doctrinam sequendo, videtur tenendum, quod angeli supremæ hierarchiæ nunquam mittuntur, sed tantum adsistunt : quia non habent dispositionem nec operationem circa exteriora agenda. Angeli vero infimæ hierarchiæ, circa homines habent determinata officia : quoniam infimi ordinis est nuntiare minora, et singulis præesse hominibus. Archangelorum vero est nuntiare majora, et eminentibus præsidere personis. Principatuum vero est præesse provinciis, quemadmodum Michael fertur princeps Ecclesiæ. Porro angeli mediæ hierarchiæ generalem dispositionem circa agenda sortiti dicuntur, ita quod Dominationum sit definire aliisque præcipere quid agendum; Virtutum vero, habere robur idoneum ad exsequendum quæ sibi deputata sunt ac propria; Potestatum autem, disponere quo modo et ordine exsequenda sint. Ad gubernationem quippe hæc tria pertinent et concurrunt : definitio agendorum, seu jussio de agendis, quod est spirituum ordinis Dominationum ; habere facultatem et A robur implendi quæ jussa sunt, quod est chori Virtutum, quantum ad ministerialem influxionem seu directionem ; et ordinare quo modo et ordine fiant quæ jussa sunt, quod ad Potestatum ordinem attinet.

Juxta hanc considerationem, quinque ordines inferiores mitti dicuntur. Nihilo minus omnes dicuntur ministratorii spiritus, quia et superiores angeli mitti dicuntur ad angelos inferiores, in quantum inferioribus manifestant quæ circa exteriora agenda sunt. Itaque ordo Dominationum B habet se quasi medio modo inter adsistentes et ministrantes ; et quoad aliquid, cum utrisque posset annumerari, quamvis magis cum ministrantibus.

*Hebr.* I, 14.

Præterea aliqui dicunt, quod quamvis secundum legem communem, de superioribus choris angeli non mittantur, tamen interdum ex speciali ratione, ex moderamine sapientiæ ac omnipotentiæ Dei, aliter accidit. Cujus oppositum alii tenent, specialiter S. Thomas : Ordo (inquiens) angelorum attenditur penes dona gratiarum : C qui ordo supremus est, non habens ordinem altiorem propter quem intermittatur, quemadmodum ordo naturæ interdum intermittitur propter ordinem gratiæ altiorem, ad declarationem supernaturalium veritatum aut omnipotentiæ Dei, ut in operibus miraculosis. Ad quod posset quis respondere, quod ordo gratiæ habet super se ordinem gloriæ. Vel si in nomine gratiæ gloria includatur, adhuc habet super se ordinem divinæ et increatæ providentiæ, omnia complectentis et ex- D cedentis, et nobis magis ignotæ quam cognitæ. Idcirco de his sobrie sine incauta assertione tractandum est.

Præterea, quamvis plures ordines mit-

tantur quam adsistant, tamen secundum A beatissimi Dionysii doctrinam, plures angeli adsistunt quam mittuntur : quia ut ait, quo ordo angelorum sublimior, eo personas in se continet plures. Gregorius vero pro parte aliter sensit. De his super secundum Sententiarum plenius dictum est. De quibus et Thomas in prima parte et super secundum, scripsit diffuse. Hic vero sufficit mihi ea brevissime tetigisse.

# ARTICULUS LXXXIX

## DE HOMINUM AD CHOROS ANGELICOS ASSUMPTIONE.

QUARTO quæritur, an homines diversi B ad diversos angelorum ordines assumantur, singuli ad singulos, et de adaptatione B. Gregorii circa hoc, qualiter sit intelligenda.

Itaque theologorum doctrina est, in regno cœlesti unam esse totalem Ecclesiam triumphantem, ex angelis sanctis et animabus beatis seu electis hominibus, ad quam etiam Christus secundum naturam spectat assumptam, tanquam caput illius, et post eum sacratissima Virgo, ejusdem Ecclesiæ, post Filium suum, præstantis- C simum membrum. Porro præmium essentiale in patria, quod est visio beatifica, correspondet caritatis perfectioni, ita quod unusquisque ad gloriam beatificæ visionis pertinget tanto majorem, et ad chorum angelicum tanto sublimiorem, quanto in hac vita ad sinceriorem et intensiorem pervenerit Dei amorem. Unde asserit Augustinus : Non longiturnitas temporis, non multiplicitas operis, non difficultas exercitationis, sed major caritas, meliorque voluntas, remuneratur a Deo. Caritas quip- D pe mentem Deo unit directe, et aperit ac patulam facit eamdem ad susceptionem, inhabitationem amplexumque dilecti, per avida, fervida, lacrimosa ac pura desideria ejus.

Idcirco quod in homilia scribit Gregorius : Sunt plerique qui parva capiunt, et ea fratribus nuntiant : isti in Angelorum numerum currunt. Et sunt qui cœlestium secretorum summa capiunt et nuntiant : hi inter Archangelos deputantur. Alii signa atque miracula operantur : qui ad Virtutum ordinem congruunt. Sunt quoque nonnulli qui vi acceptæ potestatis et orationis, ejiciunt dæmones : hi in choro Potestatum constituuntur. Sicque consequenter per conformitatem meritorum et operum, alios aliis deputat choris. Hoc totum per appropriationem quamdam rite accipitur, et ceteris paribus, utputa caritatis gradu proportionaliter excrescente, et ita quod opera ipsa ex caritatis procedant vigore, sine quo nec prædicare, nec miracula operari, nec dæmonia effugare, nec proximis præsidere, meritorium est vitæ æternæ, Christo testante : Multi dicent mihi in illa die : Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et dæmonia ejecimus, et virtutes multas fecimus? etc.

Greg. hom. 34.

*Matth.* VII, 22, 23.

# ARTICULUS XC

## DE ILLUMINATIONE HOMINUM QUORUMDAM IMMEDIATE PER DEUM FACTA.

QUINTO quæritur, an aliquibus Sanctis A facta sit illuminatio immediate a Deo. Videtur quod sic, quia in Genesi loquitur Jacob : Vidi Dominum facie ad faciem ; David quoque in Psalmo, Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. Atque in Exodo legitur Moyses ore ad os locutus cum Domino.

*Gen.* XXXII, 30. *Ps.* LXXXIV, 9. *Exod.* XXXIII, 11 ; *Num.* XII, 8.

Ad hoc respondet Albertus : De Sanctis possumus loqui dupliciter : primo, secundum statum viæ ; secundo, juxta statum patriæ. Secundum statum patriæ, superiores seu primi illuminantur immediate B a Deo ; medii vero et ultimi illuminantur a Deo mediate, videlicet medii per supremos, et ultimi per medios. Sed secundum statum viæ, nullus Sanctorum illuminatur immediate a Deo, sed mediantibus angelis.

Verum ex his patet, quod juxta præhabita, in quolibet choro cœlesti sunt primi, medii, et ultimi. Ergo in ordine Seraphim, medii illuminantur a primis. Sicque unus primæ hierarchiæ ac summi ordinis, illuminatur ab alio ejusdem C hierarchiæ ac ordinis, et per consequens, illuminatur mediate a Deo.

Insuper, homines in hac vita illuminantur a Deo, non solum accipiendo ab eo dona gratiæ gratis datæ, sed etiam, imo et eminentius, suscipiendo ab eo dona gratiæ gratum facientis, ut sunt sapientia, scientia, intellectus, consilium, prout sunt de numero septem donorum Spiritus Sancti. Hæc autem fideles recipiunt immediate a Deo in sæculo isto : primo, in Baptismo; deinde, si lapsi sunt, in sacramento Pœnitentiæ seu contritione. Hæc etenim dona non nisi per creationem et infusionem a Spiritu Sancto habentur. Et sicut horum donorum infusio est immediate a Deo, sic et profectus et perfectio eorumdem, saltem ut a principali causa. Sic et de gratia gratis data argui potest, cujus infusio est grandis illuminatio, et a solo Creatore confertur. — Amplius, mystica theologia est secretissima mentis cum Deo locutio, estque actus doni sapientiæ unitivæ flammigeræ ; nec inest apici mentis angelo mediante, nisi forsitan dispositive agente et cooperante. — Præterea, in omni actu meritorio indigemus actuali motione Spiritus Sancti, cujus motio, vibratio seu excitatio, est quædam illuminatio mentis non minima, et immediate a Deo, qui juxta Apostolum, operatur in nobis et velle et perficere, per se, non solum angelo mediante.

*Is.* XI, 2, 3. *Philipp.* II, 13.

Postremo, omnes Beati in patria, aliqua immediate cognoscunt et vident in Deo, et quo clarius increatam lucem et summum illud exemplar contemplantur, eo plura in illo intuentur, ut jam frequenter expressum est. — Ergo universi Beati saltem de aliquibus immediate illuminantur a Deo.

# ARTICULUS XCI

### DE INTELLECTUS HUMANI ILLUMINATIONE PER ANGELUM SEU ANGELOS.

SEXTO quæritur, an angelus illuminet intellectum humanum. Videtur quod non, quoniam omnis nostra cognitio intellectiva, a sensitiva incipit ac dependet. Rursus, intelligentem oportet phantasmata speculari : non ergo est capax influentiæ angeli sancti ac simplicis angelicæ lucis.

Ad hoc Thomas respondet in prima parte : Quemadmodum infima hierarchia cœlestis illuminatur a media, sic hierarchia ecclesiastica ab infima hierarchia angelica. Sic quoque angelus illuminat intellectum humanum, ejus vim intellectivam confortando per luminis sui irradiationem, atque per intelligibilium specierum influxum : quas angelus superior influit angelo inferiori spiritualiter, nude ac pure. Intellectus vero hominis non est in præsenti capax talium specierum, nisi proponantur sibi sub imaginibus sensibilium formarum. Nec est capax spiritualis luminis intellectualis substantiæ, seu illustrationis angelicæ, nisi lumen illud intellectuale primo conjungatur, et quasi imbibatur ac incorporetur phantasmati, et per illud repræsentetur intellectui. Hæc Thomas in prima parte et in scripto secundi. Cujus verba sæpe miratus sum, et quod venit semper sic cum phantasmatibus suis. Si enim phantasma, quod est corporalis similitudo et subjective in potentia quadam organica, capax est hujuscemodi luminis spiritualis et illustrationis angelicæ : cur non potius, imo et immediatius ac purius, mens humana? quæ est signaculum lucis primæ et increatæ, estque elevata supra tempus atque continuum, et intelligentia obumbrata, in tantum ut secundum Philosophum, intellectus A sit mixtus separatus, nulli quid habens commune, et actu ens. Unde et ipse sanctus Doctor in Summa contra gentiles fatetur et probat, quod anima rationalis, in quantum intellectualis, etiam in corpore adhuc exsistens, est per se subsistens. Postremo, quum inter susceptivum seu susceptibile et susceptum, oporteat esse proportionem, præparationem aut convenientiam, dicente Philosopho, Susceptivum non est contingens, etc., nonne intellectus humanus multipliciter decoratus, dei- B formiter simplificatus, ac radio contemplationis perfusus ac splendens, magis proportionatus, præparatus et dignificatus est ad suscipiendum immediate et pure in se influentiam et irradiationem luminis, et illuminationes mentis angelicæ, quam phantasma ? De hoc alibi plenius scripsi ; et quid objici possit, tetigi ac dissolvi.

Præterea Albertus multa hic quærit de assumptione corporum ab angelis, et motione ab illis, affirmans quod possint as- C sumere corpora, quod item aliquando ea assumunt, atque quod corpora illa sunt grossa et terrena, non aeria, et quod sunt in qualibet parte corporum quæ assumunt. Ista tango, quia Udalricus Alberti discipulus et auditor, in Summa sua recitat quod magister ac dominus suus Albertus, etiam in magicis artibus eruditus, dixit angelos non assumere corpora, nec in corporibus assumptis vere ad extra apparuisse, sed præstigialiter tantum, imprimendo exterioribus sensibus similitudines D rerum : quod etiam reprobat Thomas. Et verum est quod Albertus interdum sic sensit, et alicubi ita scripsit. Sed hic et super secundum Sententiarum, aliter scri-

psit ac sensit, et verius. In pluribus autem locis, sibi ipsi in scriptis suis contrarius invenitur.

Deinde hic possent multa inquiri, videlicet de angelorum custodia circa homines, et utrum sit prælium inter angelos sanctos ratione custodiæ. De quibus et consimilibus dictum est super secundum Sententiarum. Etenim constat unumquemque hominem habere angelum bonum in custodem, et angelum malum in exercitium. Nec inter angelos beatos est proprie pugna aut dissensio, sed inviolata concordia : quamvis pro personis et gentibus sibi commissis, agant, advocent, proponant, allegent, et Dei judicium concorditer præstolentur, ac de illo optime contententur. Propter quod de sibi commissorum culpis et condemnationibus præcipue non tristantur nec dolent ; sed divinæ justitiæ plenarie conformati, de adimpletione divinæ providentiæ cum tranquillitate contenti sunt. Ad quorum gloriosa consortia perducere nos dignetur fons universæ ordinationis, qui est super omnia Deus sublimis et benedictus in sæcula. Amen.

## AD LECTOREM

Quoniam sanctissimi martyris Dionysii opera, propter majestatem eorum ac gravitatem, sæpius a diversis translata sunt, idque non frustra, nam bonarum rerum non debet esse satietas, aliisque alia magis placent; ne quis hujus aut illius versionem desideret, atque ut alia aliam elucidet, visum est hic post præmissa adhuc duas alias translationes subjicere, videlicet Sarraceni et Camaldulensis. (Edit. Colon.)

# S. DIONYSII AREOPAGITÆ

# DE CŒLESTI HIERARCHIA

## TRANSLATIO JOANNIS SARRACENI

QUÆ SECUNDA FERTUR

---

## PROLOGUS

JOANNIS SARRACENI AD MAGISTRUM JOANNEM DE SARESBERIIS, IN LIBRUM DE CŒLESTI HIERARCHIA.

*QUONIAM prudentiæ vestræ serenitatem in libris B. Dionysii perpendi delectari, librum ejus de Angelica hierarchia vestræ transtuli caritati. Fateor tamen elegantias me dictorum eruditissimi et disertissimi viri, oratione Latina exprimere nequivisse. Nam apud Græcos quædam compositiones inveniuntur, quibus eleganter et proprie res significantur ; apud Latinos autem eædem res duabus aut pluribus dictionibus ineleganter et improprie, et quandoque insufficienter designantur. Ad commendationem etiam alicujus personæ vel alterius rei, pulchre articuli apud eos repetuntur, et per eosdem articulos multæ orationes sibi invicem perpolite connectuntur. Taceo de insigni constructione participiorum et infinitorum articulis conjunctorum. Hujusmodi autem elegantiæ apud Latinos nequiverunt inveniri. Contingit etiam quod si dictiones eo ordine quo sunt positæ transferantur, aut difficulter intelligantur, aut aliam sententiam facere videantur. Eapropter, ubi congruum duxi, dictionum ordinem conservavi ; alicubi vero propter faciliorem intellectum ordinem commutavi. Ubi vero Græcis dictionibus æquipollentes Latinas non reperi, vel locutionem a Latinorum idiomate discrepare comperi : vel Græcas dictiones detorsi ; vel de sensu auctoris, quoad potui et ut potui, Latinis dictionibus designavi. Sæpe autem ubi duas vel tres dictiones Latinas pro una Græca posui, eas quasi unam conjunxi : non quod unam dictionem ex his esse vellem, sed ut planior intellectus fieret, et quantum elegantiæ ex inopia Latinæ locutionis tractatus iste perderet, appareret.*

*Confert autem liber iste plurimum ad intelligentiam omnium divinarum Scripturarum in quibus de factis aut dictis agitur angelorum. Nam tribus hierarchiis omnes divinos spiritus comprehendit. Singulas autem hierarchias in tres ordines distribuit, et de singulis altissime disserit. Ponit autem quasdam de angelis quæstiones, et earumdem apponit solutiones. In fine vero rationes exponit figurarum in sacris Scripturis adscriptarum. Erit autem vestræ discretionis hanc meam translationem cum translatione Joannis Scoti comparare. Quod si forte commodius illo visus fuero transtulisse, ut librum quoque de Ecclesiastica hierarchia transferam poteris impetrare.*

# CAPITULUM PRIMUM

QUOD OMNIS DIVINA ILLUMINATIO SECUNDUM BONITATEM VARIE AD PROVISA PROCEDENS, MANET SIMPLA ; ET NON HOC SOLUM, SED ET UNUM FACIT ILLUMINATA.

COMPRESBYTERO Timotheo, Dionysius presbyter salutem. — Omne datum bonum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum. Sed et cunctus a Patre moto luminis apparitionis processus ad nos bonitatis dono veniens, rursus sicut unum faciens virtus suscitative nos adimplet, et convertit ad congregantis Patris unitatem et deificam simplicitatem. Etenim ex ipso omnia, et ad ipsum, sicut sanctus dixit sermo. *Jacob.* I, 17. *Rom.* XI, 36.

Igitur Jesum invocantes, qui est paternum lumen, quod est, quod verum est, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, per quem ad principem luminis Patrem adductionem habuimus : ad sanctissimorum Eloquiorum a patribus traditas illuminationes, sicut est possibile respiciamus ; et ab ipsis significative nobis et sursumactive manifestatas cœlestium mentium hierarchias, sicut potentes sumus inspiciamus ; et principalem et superprincipalem thearchici Patris luminisdonationem quæ angelorum nobis in formativis signis manifestat beatissimas hierarchias, immaterialibus et non trementibus mentis oculis intus suscipientes, rursus ex ipsa ad simplicem ipsius suscitemur radium. Etenim neque ipsa aliquando a propria singulari unitate relinquitur ; sed ad sursumactionem et unificam provisorum conjunctionem ut decet bonam, multiplicata et procedens, manet intra se ipsam fixe, in immobili identitate singulariter fixa, et ad ipsam sicut est fas respicientes, juxta proportionem suam extendit et unum facit secundum simplificativam ipsius unitionem. *Joann.* I, 9. *Ephes.* II, 18.

Etenim neque possibile aliter nobis supersplendere thearchicum radium, nisi varietate sanctorum velaminum sursumactive circumvelatum, et his quæ sunt secundum nos, providentia paterna connaturaliter et familiariter apparatum. Quapropter et sanctissimam nostram hierarchiam perfectionis principis sancta positio, cœlestium hierarchiarum supermundana imitatione dignata, et dictas immateriales hierarchias materialibus figuris et formativis compositionibus varians tradidit, ut juxta proportionem nostri ipsorum, a sanctissimis formationibus ad simplices et non formabiles reducamur sursumactiones et assimilationes. Quoniam neque possibile est nostræ menti

ad immaterialem illam sursum excitari cœlestium hierarchiarum et imitationem et contemplationem, nisi secundum se materiali manuductione utatur : apparentes quidem pulchritudines, non apparentis decoris imaginationes reputans ; et sensibiles bonos odores, expressiones intelligibilis distributionis ; et immaterialis luminisdonationis imagines, materialia lumina ; et secundum mentem contemplativæ adimpletionis, diffusivas et sanctas disciplinas ; et convenientis ad divina et ordinati habitus, ornatuum quæ * hic sunt ordinationes ; et Jesu participationis, divinissimæ Eucharistiæ assumptionem : et quæcumque alia cœlestibus quidem substantiis supermundane, nobis autem significative tradita sunt. Hujus ergo gratia nostræ secundum proportionem deificationis, benignus perfectionis principatus et cœlestes hierarchias nobis manifestans, et cooperatricem ipsarum faciens nostram hierarchiam, secundum virtutem nostram assimilatione deiformis ipsarum sanctificationis, sensibilibus imaginibus supercœlestes descripsit mentes in sancte scriptis Eloquiorum compositionibus, quatenus nos agat per sensibilia ad intelligibilia, et ex sancte formatis signis, ad simplices cœlestium hierarchiarum summitates.

* qui

# CAPITULUM II

## QUOD CONVENIENTER DIVINA ET COELESTIA PER DISSIMILIA SIGNA MANIFESTANTUR.

CONVENIT ergo, sicut æstimo, primum exponere quam quidem esse intentionem universæ hierarchiæ existimamus, et quid unaquæque juvat ipsius chorum agentes ; deinde autem cœlestes hierarchias laudare secundum ipsarum in Eloquiis manifestationem ; consequenter vero post hæc dicere qualibus sanctis formationibus cœlestes figurant ornatus Eloquiorum sanctæ scripturæ, et ad qualem reduci oportet per formationes simplicitatem : quatenus non et nos similiter ut multi, immunde arbitremur cœlestes et deiformes mentes et multipedes esse quasdam et multorum vultuum, et ad boum animalitatem aut ad leonum ferinam formationem formatas, et ad aquilarum curvi rostri speciem aut ad volatilium tripartitam alarum naturalem positionem formatas ; et rotas quasdam igneas super cœlum imaginemur, et thronos materiales Deitatis principatui ad reclinationem opportunos, et equos quosdam multorum colorum, et lanceas ferentes principum militiæ principes : et quæcumque alia ab Eloquiis nobis sancta formatione in varietate manifestativorum signorum tradita sunt. Etenim non sine arte Theologia poeticis sanctis formationibus in non figuralibus mentibus usa est, nostram (ut dictum est) mentem respiciens, et familiarem ipsi et connaturalem sursumactionem providens, et ad ipsam reformans sursumactivas sanctas Scripturas.

Si videtur autem alicui sanctas quidem recipere compositiones, sicut simplicium in se ipsis, et ignotorum et incontemplabilium nobis exsistentium, a significatione autem recedentes arbitratur sanctarum mentium in Eloquiis imaginum scripturas, et omne (ut ita dicatur) inconveniens hoc angelicorum nominum tabernaculum ; et oportere dicit theologos ad corporalem formationem totaliter incorporeorum venientes, familiaribus ipsa et sicut possibile est cognatis, et reformare et manifestare figurationibus, ex pretiosissimis apud nos quodammodo et immaterialibus substantiis et

omnibus superpositis, et non cœlestibus et deiformibus simplicitatibus in terra ultimas circumponentes multiformitates. Hoc enim ad sursumagendum nos quidem esset futurum opportunius, et supermundanas manifestationes non deorsum ageret ad inconvenientes dissimilitudines. Illud vero et in divinas illegitime injuriam faceret virtutes, et nostram forsitan aberrare faceret mentem, ad immundas ipsam inferens compositiones. Et forsitan etiam arbitrabitur supercœlestia leoninis quibusdam et equinis examinibus esse adimpleta, et mugitiva hymnologia, et volatili angelorum principatu, et animalibus aliis, et materiis vilioribus, quæcumque ad inconveniens et ignobile et passibile declinare describunt, secundum omne dissimiles hujusmodi manifestativorum Eloquiorum similitudines.

Sed veritatis, ut arbitror, inquisitio demonstrat Eloquiorum sanctissimam sapientiam, in cœlestium formationibus utrumque perfecte providentem, quod neque in divinas (sic forsan dicat aliquis) injuriam faciat virtutes, neque nos quidem in viles passibiliter infixi simus imaginum humilitates. Etenim quod convenienter quidem propositæ sunt non formabilium formæ, et figuræ infigurabilium, non solam causam dicat aliquis esse nostram proportionem non valentem sine medio ad intelligibiles extendi contemplationes, et indigentem familiarium et connaturalium sursumactionum quæ possibiles nobis formationes prætendunt informabilium et supernaturalium visionum; sed quod et mysticis Eloquiis est convenientissimum per arcana et sancta ænigmata abscondi *, et inviam multis ponere sanctam et occultam supermundanarum mentium veritatem. Est enim non omnis sanctus, neque omnium (ut Eloquia dicunt) cognitio.

* abscondere
I *Cor.* VIII, 7.

Si autem non apparentes imaginum scripturas accusat aliquis, verecundum esse dicens reponere ita turpes formationes deiformibus et sanctissimis ornatibus, sufficit ad ipsum dicere quod duplex est sanctæ manifestationis modus : hic quidem, sicut est conveniens, per similes procedens sancte formatas imagines; ille autem, per dissimiles formationes, ad perfectissime inconveniens et non apparens formatus. Igitur et venerabilem supersubstantialis Deitatis principatus beatitudinem, manifestativorum Eloquiorum mysticæ traditiones aliquando quidem sicut rationem, et mentem, et substantiam laudant, Deo convenientem rationabilitatem et sapientiam ejus monstrantes, et vere exsistentem essentiam, et exsistentium essentiæ causam veram; et sicut lumen ipsam reformant, et vitam vocant : talibus sanctis reformationibus venerabilioribus quidem exsistentibus, et super materiales formationes jacere quodammodo apparentibus, sed minus habentibus et ita thearchica ad veritatem comparabilitate. Est enim super omnem substantiam et vitam, nullo quidem ipsam lumine figurante, omni autem ratione et mente a similitudine ipsius incomparabiliter derelictis. Aliquando autem dissimilibus manifestationibus ab eisdem Eloquiis supermundane laudatur, invisibilem ipsam, et interminabilem, et incomprehensibilem appellantibus, et ea ex quibus non quid est, sed quid non est, significatur. Hoc enim, sicut arbitror, et magis proprium est in ipsa : quoniam sicut occulta et sacerdotalis traditio suggessit, non esse quidem secundum aliquid exsistentium, ipsam vere dicimus; ignoramus autem supersubstantialem ipsius et incomprehensibilem et ineffabilem infinitatem. Si ergo negationes quidem in divinis sunt veræ, affirmationes autem inconvenientes, occulto arcanorum convenientior magis est in invisibilibus per dissimiles reformationes manifestatio. Honorant igitur, non turpitudine adimplent cœlestes ornatus, Eloquiorum sanctæ scripturæ, dissimilibus ipsos formationibus manifestantes, et per istas demonstrantes a materialibus universis supermundane excedentes.

Quod autem et nostram mentem sursumagunt magis a significatione recedentes

similitudines, non arbitror quemquam bonum sensum habentium contradicere. Nam et per pretiosiores quidem sanctas formationes consequens est et decipi quosdam arbitrantes esse cœlestes substantias luciformes quosdam viros et fulgurantes, decentissime vestitos veste splendida, et igneum sine læsione a se cum splendore emittentes, et quibuscumque aliis similiter formabilibus formis Theologia cœlestes figuravit mentes. Quod ut non patiantur hi qui nihil apparentibus pulchris altius intenderunt, sanctorum theologorum suscitativa sapientia et ad inconvenientes dissimilitudines sancte deponitur, non permittens materiale nostrum ad turpes imagines manens quiescere, sed valde suscitans hoc animæ quod sursumfert, et sublevans deformitate compositionum, sicut non conveniente neque vero apparente esse, neque valde materialibus, quod ita turpibus comparabilia ad veritatem sunt supercœlestes et divinæ visiones.

Et aliter etiam hoc intendere oportet, nihil exsistentium esse universaliter boni participatione privatum : quoniam ut Eloquiorum veritas dicit, omnia bona valde. Est ergo ex omnibus intendere bonas contemplationes, et intelligibilibus et intellectualibus ex materialibus reformare dictas dissimiles similitudines, alio modo intellectualibus habentibus quæ sensibilibus aliter sunt attributa. Etenim furor irrationabilibus quidem ex passibili motu ingignitur, et omni irrationabilitate est plenus furibundus ipsorum motus. Sed in intellectualibus alio modo oportet furibundum intelligere, monstrans, ut æstimo, virilem ipsorum rationabilitatem, et durum habitum in deiformibus et immutabilibus collocationibus. Similiter concupiscentiam quidem esse dicimus in irrationabilibus, non circumspectam quamdam et materialem ex naturali motu aut consuetudine in variabilibus in non valente teneri ingenitam ad aliquid passionem, et irrationabilem corporalis appetitus victoriam, universum animal impingentis ad concupiscibile secundum sensum. Quando autem dissimiles similitudines intellectualibus circumponentes, concupiscentiam ipsis circumformamus, amorem divinum ipsam intelligere convenit super mentem immaterialitatis, et indeclinabile et irremissibile desiderium supersubstantialiter castæ et impassibilis contemplationis, et ad illum mundum et supremum splendorem et sine errore exsistentem et pulchrificum decorem, æternæ, veræ et intelligibilis communionis. Et non valens teneri, accipiamus in forti et non conversibili, et a nullo incidi valente propter purum et invariabilem divinæ pulchritudinis amorem, et totalem declinationem ad vere desiderabile. Sed et ipsam irrationabilitatem et insensibilitatem, in irrationabilibus quidem animalibus aut inanimatis materiis, privationem rationis et sensus proprie vocamus. In immaterialibus autem et in intellectualibus substantiis, ut decet sanctitatem, excessum ipsarum sicut supermundanarum confitemur nostræ transibilis et corporalis rationis, et materialis et alieni ab incorporalibus mentibus sensus. Est igitur non dissonas reformare cœlestibus formas et ex vilissimis materiæ partibus : quoniam et ipsa a vere bono essentiam quum habuerit, secundum omnem ipsius materialem ornatum resonantias quasdam intellectualis decoris habet, et possibile est per ipsas sursumagi ad immateriales archetypias, dissimiliter, sicut dictum est, similitudinibus acceptis, et eisdem non eodem modo, sed convenienter et familiariter in intellectualibus et sensualibus proprietatibus definitis.

*Gen.* I, 31 ; *Eccli.* XXXIX, 21.

Hæc mysticos theologos inveniemus, non solum cœlestium ornatuum manifestationibus sancte circumformantes, sed et ipsi aliquando thearchicis manifestationibus. Et aliquando quidem ipsam ab apparentibus pretiosis laudant : sicut Solem justitiæ, sicut stellam matutinam in mente sancte orientem, et sicut lumen non circumvelate et intelligibiliter resplendens. Aliquando autem a mediis : sicut ignem sine læsione

illuminantem, sicut aquam vivificæ adimpletionis largitricem, et ut significative dicatur, in ventrem subeuntem, et fluvios manare facientem immensurabiliter defluentes. Aliquando autem ab ultimis : sicut unguentum bene olens, sicut lapidem angularem. Sed et ferinam formationem ipsi circumponunt, et leonis ipsi et pantheræ proprietatem circumaddunt, et pardum ipsam esse dicunt, et ursam sævientem. Addam autem et omnibus vilius esse et magis dedecere apparens, quod et vermis speciem ipsam sibi ipsi circumformantem divinorum docti tradiderunt. Ita omnes Deum sapientes et occultæ inspirationis recitatores, ab imperfectis et immundis immaculate distinguunt sancta sanctorum, et dissimilem sanctam formationem honorant, ut neque divina immundis sint capi facilia, neque sancta insignia videndi amatores sicut veris permaneant in formis, et ut divina honorentur veris negationibus, et ad ultima familiarium resonantiarum diversis assimilationibus. Nihil ergo inconveniens, si et cœlestes substantias ex recedentibus a significatione dissimilibus similitudinibus reformant secundum dictas causas. Non enim forsitan neque nos ad inquisitionem quidem ex dubitatione, et ad sursumactionem per diligentem sanctorum perscrutationem venissemus, nisi deformitas nos turbavisset angelorum manifestativæ reformationis, non dimittens nostram mentem permanere in dissonantibus formationibus, sed luctans ut recusentur materiales ad aliquid passiones, et assuefaciens sancte extendi per apparentia ad supermundanas sursumactiones.

Tanta quidem a nobis dicta sint propter materiales et a significatione dimoventes sanctorum Eloquiorum angeliformes imaginum scripturas. Deinde autem definire convenit quid quidem ipsam esse hierarchiam æstimamus, et quid ab ipsa hierarchia juvari hierarchiam sortitos. Dux autem sit sermonis Christus (si est mihi fas dicere) meus, qui est omnis hierarchicæ manifestationis inspiratio. Tu autem, o puer, secundum sanctam nostræ sacerdotalis traditionis legislationem, et ipse, ut decet sanctum, audi sancte dicta, divinus divinorum in doctrina factus, et mentis occulto sancta circumabscondens, ab immunda multitudine ut uniformia custodi. Non enim est fas, *Matth.* VII, 6. ut Eloquia dicunt, ad porcos abjicere intelligibilium margaritarum mundum et luciformem et pulchrificum bonum ornatum.

# CAPITULUM III

### QUID EST HIERARCHIA, ET QUÆ SECUNDUM HIERARCHIAM UTILITAS.

EST quidem hierarchia, secundum me, ordinatio sancta et scientia et operatio, ad deiforme sicut est possibile assimilata, et ad inditas ipsi a Deo illuminationes juxta proportionem ad Dei imitativum sursumacta. Deo autem conveniens pulchritudo, sicut simplex, sicut bona, sicut teletarchica, munda quidem est universaliter ab omni dissimilitudine, distributiva autem proprii luminis secundum dignitatem uniuscujusque, et perfectiva in perfectione divinissima, secundum perfectorum convenienter ad ipsam intransmutabilem formationem. Intentio igitur hierarchiæ est, ad Deum sicut est possibile assimilatio et unitio, ipsum habens omnis sanctæ et scientiæ et operationis ducem, et ad ipsius divinissimum decorem indeclinabiliter quidem videns, et sicut est possibile formata; et ipsius chorum agentes insignia divina faciens,

specula clarissima et immaculata, susceptiva principis luminis et thearchici radii, et indita quidem claritate sancte impleta, hanc autem rursus copiose ad ea quæ sequuntur cum splendore emittentia secundum thearchicas leges. Non enim fas Sanctorum perfectoribus aut sancte perfectis, operari aliquid universaliter præter proprias perfectionis principis sanctas ordinationes, sed neque exsistere aliter, nisi deificam ipsius claritatem desiderent, et ad ipsam ut decet Sanctos respiciant, et reformentur secundum uniuscujusque sanctarum mentium proportionem. Igitur hierarchiam dicens, sanctum quemdam universaliter monstrat ornatum, imaginem thearchicæ pulchritudinis, in ordinibus et scientiis hierarchicis propriæ illuminationis sancte operantem mysteria, et ad proprium principium sicut est fas assimilatum.

Est enim unicuique hierarchiam sortitorum perfectio, secundum propriam proportionem ad Dei imitativum esse reductum, et quod omnibus est divinius, ut Eloquia dicunt, Dei cooperatorem fieri, et monstrare divinam operationem in se ipso secundum quod est possibile manifestatam : sicut quoniam ordo hierarchiæ est, alios quidem purgari, alios vero purgare ; et hos quidem illuminari, illos autem illuminare ; et hos quidem perfici, illos autem perficere : unicuique Dei imitativum conveniet secundum hunc modum. Divina beatitudo, sicut in hominibus dicitur, munda quidem est ab universa dissimilitudine, plena autem lumine sempiterno, perfecta, et non indigens universæ perfectionis, purgans, et illuminans, et perficiens ; magis autem purgatio sancta, et illuminatio, et perfectio, super purgationem, super lumen, præperfecta, per se perfectionis principatus, et omnis quidem hierarchiæ causa, et ab omni sancto secundum excessum segregata. Oportet ergo, sicut æstimo, purgatos quidem, mundos perfici universaliter, et ab omni liberari dissimili commixtione ; illuminatos autem, adimpleri divino lumine, ad contemplativum habitum et virtutem in castissimis mentis oculis sursumactos ; perfectos vero ex imperfecto traductos, participes fieri inspectorum sanctorum perfectivæ scientiæ : purgativos autem, abundantia purgationis aliis tradere de propria castitate ; illuminativos vero, sicut clariores mentes, et ad participationem luminis et traditionem familiariter se habentes, et ditissime sancta adimpletos claritate, secundum omne ipsorum superfusum lumen ad dignos lumine supervehere ; perfectivos autem, sicut scientes perfectivam traditionem, perficere eos qui perficiuntur sanctissima doctrina, per inspectorum sanctorum scientiam. Igitur unusquisque hierarchici ornatus ordo, secundum propriam proportionem sursumagitur ad divinam cooperationem, illa faciens gratia et a Deo data virtute, quæ Thearchiæ naturaliter et supernaturaliter insunt, et ab ipsa essentialiter fiunt, et ad possibilem amantium Deum mentium imitationem hierarchice manifestantur.

I Cor. III, 9; III Joann. 8.

# CAPITULUM IV

## QUID SIGNIFICAT ANGELORUM NOMINATIO.

IGITUR hierarchia ipsa, quodcumque est, sicut æstimo, bene a nobis definita, angelica hierarchia est deinceps laudanda, et sanctæ ipsius in Eloquiis formationes supermundanis oculis inspiciendæ, quatenus sursumagamur ad deiformissimam ipsarum simplicitatem per mysticas reformationes, et universæ hierarchicæ scientiæ principium laudemus in Deum decente veneratione et teletarchicis gratiarum actionibus.

Primum universorum illud dicere verum, quod cum bonitate omni supersubstantialis Thearchia exsistentium essentias substituens, ad esse deduxit. Est enim hoc omnium causæ * et super omnia bonitatis proprium, ad communionem sui ipsius exsistentia vocare, sicut unicuique exsistentium definitum est a propria proportione. Ergo cuncta quidem exsistentia participant providentia ex supersubstantiali et omnium causa Deitate emanante. Non enim essent, nisi exsistentium essentia et principio participavissent. Igitur inanimata * quidem universa, per esse ipsa participant (etenim esse omnium, est quæ super esse est, Deitas); viventia autem, ejusdem super omnem vitam vivifica virtute; rationalia vero et intellectualia, ejusdem super omnem et rationem et mentem per se perfecta et præperfecta sapientia. Manifestum autem quod circa ipsam illæ substantiarum sunt, quæcumque in pluribus ipsa participaverunt. Igitur sancti cœlestium substantiarum ornatus, super solum exsistentia, et irrationabiliter viventia, et ea quæ secundum nos sunt rationalia, thearchicæ traditionis in participatione facti sunt. Etenim intelligibiliter ad Dei imitativum se ipsos reformantes, et ad thearchicam comparabilitatem supermundane videntes, et formare desiderantes intellectualem suam speciem, copiosiores convenienter habent ad ipsam communiones, attenti manentes, et semper ad supernum, sicut fas est, in fortitudine divini et indeclinabilis amoris extenti, et principales illuminationes immaterialiter et munde intus suscipientes, et ad ipsas ordinati, et intellectualem habentes omnem vitam. Ipsi igitur sunt qui primo et in pluribus in participatione Divinitatis sunt facti, et primo et in pluribus manifestativi thearchici occulti. Quapropter et præter omnia, angelica nominatione excellenter sunt digni habiti, idcirco quod primo ad ipsos ingignitur thearchica illuminatio, et per ipsos ad nos deferuntur illæ quæ super nos sunt manifestationes. Ita igitur lex, sicut Theologia dicit, per angelos nobis donata est. Gloriosos autem et ante legem et post legem nostros patres angeli ad divinum sursumagebant, aut ad id quod est agendum ducentes, et ad rectam veritatis viam ex errore et vita immunda traducentes, aut ordines sanctos, aut mysteriorum supermundanorum occultas visiones, aut divinas quasdam prænuntiationes hypophetice manifestantes.

* causa

* exsistentia

*Act.* VII, 53; *Galat.* III, 19.

Si autem aliquis dicat et per se sine medio fieri quibusdam Sanctorum Dei apparitiones, discat et hoc sapienter ex sanctissimis Eloquiis, quod ipsum quidem quodcumque est Dei occultum, nullus vidit neque videbit. Dei autem apparitiones Sanctis factæ sunt secundum convenientes Deo, per quasdam quidem sanctas et videntibus proportionalium visionum manifestationes. Omnisapiens autem Theologia, visionem illam quæ in ipsa descriptam manifestavit divinam sicut in formatione non formabilium similitudinem, ex videntium ad divinum sursumactione convenienter vocat Dei apparitionem, sicut per ipsam videntibus divina facta illuminatione, et aliquid divinorum ipsis sancte edoctis.

*Joann* I, 18; I *Tim.* VI, 16; I *Joann.* IV, 12.

Has autem divinas visiones gloriosi patres nostri docebantur per medias cœlestes virtutes. Aut numquid et legis sanctam legislationem Eloquiorum traditio sicut per se quidem dicit ex Deo Moysi datam, quatenus nos vere doceat divinæ ipsam esse et sanctæ subformationem? Docet autem et hoc sapienter Theologia, per angelos ipsam ad nos provenire, sicut ex Deo nominato ordine illud lege ponente, per prima secunda ad divinum sursumagi. Etenim non solum et in superpositis et subjectis mentibus, sed et in his quæ sunt ejusdem ordinis, ista lex definita est ab omnium supersubstantiali ordinationis principatu, secundum unamquamque hierarchiam primos et medios et ultimos esse et ordines et virtutes, et minorum esse diviniores magistros et manuductores ad divinam adductionem et illuminationem et communionem.

*Exod.* XXXI, 18. *Act.* VII, 53; *Galat.* III, 19.

Video autem quod et divinum Jesu benignitatis mysterium angeli primum docti

sunt, postea per ipsos ad nos cognitionis gratia transivit. Sic igitur divinissimus Gabriel *Luc.* I, 11-
Zachariam quidem hierarcham docebat prophetam esse futurum ex ipso præter spem 20.
gratia divina gignendum puerum, ejus quæ ut decet bonos et salvatorie mundo erat
manifestanda, virilis Jesu Dei operationis; Mariam autem, quomodo in ipsa fieret *Ibid.* 26-35.
thearchicum ineffabilis Dei formationis mysterium. Alter autem angelorum Joseph *Matth.* I,
docuit quod vere adimpleta sunt divinitus promissa progenitori David. Alius autem 20, 21. *Luc.* II, 9-12.
pastoribus, sicut a multis recessione et silentio purgatis evangelizavit; et cum ipso *Ibid.* 13, 14.
multitudo exercitus cœlestis multum laudabilem illam tradidit exsistentibus in terra glorificationem. Respiciam autem et ad supremas Eloquiorum luminis apparitiones. Video enim quod et ipse Jesus supercœlestium substantiarum supersubstantialis substantia, ad nostrum intransmutabiliter veniens, non resiliit ab ordinata ab ipso et electa hominibus conveniente bona ordinatione; sed obedienter subjicitur Patris et Dei per angelos formationibus, et per medios ipsos nuntiatur Joseph, a Patre dispensata
Jesu ad Ægyptum recessio, et rursus ad Judæam ex Ægypto traductio; et per angelos *Matth.* II,
ipsum videmus sub paternis legislationibus ordinatum. Dimitto enim dicere, sicut 13. *Ibid.* 19, 20.
scienti sacerdotalibus nostris traditionibus manifestata, et de angelo qui confortavit *Luc.* XXII,
Jesum; aut quod et ipse Jesus secundum nostram salutarem boni operationem ad ma- 43.
nifestativum veniens ordinem, Angelus magni consilii est appellatus. Etenim, sicut *Is.* IX, 6, juxta LXX.
ipse dicit ut decet angelum, quæcumque audivit a Patre, annuntiavit nobis. *Joann.* XV, 15.

# CAPITULUM V

### QUARE OMNES COELESTES SUBSTANTIÆ COMMUNITER ANGELI DICUNTUR.

HÆC igitur est quidem, sicut secundum nos, causa angelicæ in Eloquiis nominationis. Scrutari autem (sicut reor) convenit, propter quam causam theologi omnes quidem simul cœlestes substantias angelos vocant : ceterum ad manifestationem venientes supermundanorum ipsorum ornatuum, ordinem angelicum proprie nominant completive terminantem divinos et cœlestes ordines; ante hunc autem superposite ordinant archangelicos ornatus, et Principatus, et Potestates, et Virtutes, et quascumque istas supergressas substantias, Eloquiorum sciunt manifestativæ traditiones. Dicimus autem quod secundum omnem sanctum ornatum, ordines quidem supergressi habent et subjectorum ornatuum et illuminationes et virtutes; non participes autem ipsis superpositorum sunt postremi. Igitur sanctissimos quidem supremarum substantiarum ordines, et angelos vocant theologi : etenim sunt manifestativi et ipsi thearchicæ illuminationis. Ordinem autem cœlestium mentium ultimum non habent rationem Principatus, aut Thronos, aut Seraphim nominare. Neque enim est in participatione supremarum virtutum ; sed sicut ipse nostros divinos hierarchas sursumagit ad cognitos sibi Thearchiæ splendores, ita et ante ipsum substantiarum sanctissimæ virtutes sursumactivæ ad divinum sunt adimplentis angelicas hierarchias ornatus. Nisi forsitan aliquis et hoc dicat, communes esse omnes angelicas nominationes, secundum omnium cœlestium virtutum ad deiforme et ex Deo luminis donationem subjectam et præhabentem communionem. Sed ut magis nobis sermo bene discretus sit, consideremus sancte in Eloquiis manifestas sanctas convenientes proprietates uniuscujusque cœlestis ornatus.

# CAPITULUM VI

QUIS PRIMUS COELESTIUM SUBSTANTIARUM ORNATUS, QUIS MEDIUS, QUIS POSTREMUS.

QUOT quidem sunt et quales supercœlestium substantiarum ornatus, et qualiter secundum ipsos hierarchiæ perficiuntur, solum manifeste scire dico deificam ipsarum teletarchiam; præterea et ipsos cognovisse proprias virtutes et illuminationes, et ipsorum sanctam et supermundanam bonam ordinationem. Impossibile est enim nos scire supercœlestium mentium mysteria, et sanctissimas ipsarum perfectiones : nisi dicat aliquis, quæcumque per ipsas sicut propria bene scientes nos Thearchia erudivit. Igitur nos quidem nihil proprio motu dicemus. Quascumque autem angelicarum visionum sancti theologi contemplati sunt, istas docti nos, sicut possumus, exponemus. Omnes Theologia cœlestes substantias, novem vocavit manifestativis nominationibus. Istas divinus noster sanctitatis perfector, in tres separat trinos ornatus. Et primum quidem esse dicit circa Dei substantiam semper, et attente ipsi et ante alios sine medio unitum esse traditum. Sanctissimos enim Thronos, et multorum oculorum et multarum alarum ordines Cherubim Hebræorum voce et Seraphim nominatos, secundum omnibus superpositam propinquitatem circa Deum sine medio collocari, dicit tradere sanctorum Eloquiorum manifestationem. Trinum igitur hunc ornatum, sicut unum et coordinatum, et vere primam hierarchiam, gloriosus noster dixit dux : qua non est altera deiformior, et prius operantibus divinæ hierarchiæ illuminationibus sine medio attentior. Secundum autem esse dicit ex Potestatibus et Dominationibus et Virtutibus completum; et tertium postremo cœlestium hierarchiarum, et Angelorum et Archangelorum et Principatuum ornatum.

*Ezech.* I, 18; X, 12. *Is.* VI, 2.

# CAPITULUM VII

DE SERAPHIM, CHERUBIM ET THRONIS, ET DE PRIMA IPSORUM HIERARCHIA.

HANC nos recipientes sanctarum hierarchiarum ordinationem, dicimus quod omnis cœlestium mentium nominatio, manifestationem habet uniuscujusque deiformis proprietatis. Et sanctam quidem Seraphim nominationem dicunt qui Hebræorum sunt scientes, aut incendentes significare, aut calefacientes; Cherubim vero, multitudinem cognitionis, aut effusionem sapientiæ. Convenienter ergo prima cœlestium hierarchiarum ex supremis substantiis sanctificatur, ordinem habens omnibus altiorem, eo quod circa Deum sine medio collocatur, et prius operantes Dei apparitiones et perfectiones, ad ipsam sicut proximam principalius deferuntur. Calefacientes igitur nominantur, et Throni, et effusio sapientiæ, manifestativo deiformium habituum ipsorum nomine.

Etenim semper mobile quidem ipsorum circa divina, et indesinens, et calidum, et

acutum, et superfervens attente, et irremissibilis, et indeclinabilis sempiternæ motionis, et subjectorum sursumactive et operative assimilativum, sicut fervere faciens illa, et resuscitans ad similem caliditatem, et incensive et holocaustice purgativum, et non circumvelatam et inexstinguibilem habentem eodem modo semper luciformem et illuminativam proprietatem, omnis obscuræ obtenebrationis expulsivam exsistentem et destructivam, Seraphim nominationis manifestatio docet. — Cherubim vero, cognitivum ipsorum, et Dei inspectivum, et supremæ luminis donationis susceptivum, et contemplativum in prius operante virtute thearchici decoris, et sapientifica distributione repletum, et communicativum copiose ad secunda effusioni donatæ sapientiæ. — Altissimorum autem Thronorum et elevatorum, ab omni diligenter elevari pedestri subjectione, et ad superius supermundane sursumferens, et ab omni extremitate ineffabiliter sursumpositum, et circa vere altissimum totalibus virtutibus inconcusse et stabiliter collocatum, thearchici superadventus in impassibilitate omni et immaterialitate susceptivum, et deiferum, et familiariter ad divinas susceptiones apertum. Hæc quidem nominum ipsorum, sicut secundum nos, manifestatio.

Dicendum autem, quam hierarchiam ipsorum æstimamus. Etenim universæ hierarchiæ intentionem a Dei imitativa deiformitate dependentem ineffabiliter esse, et dividi omne hierarchicum negotium in participationem sanctam et traditionem purgationis mundæ, et divini luminis, et perfectivæ scientiæ, sufficienter jam a nobis dictum esse reor. Nunc autem opto dicere digne supremis mentibus, quomodo secundum eos hierarchia per Eloquia manifestatur. Primis substantiis quæ post substantificam ipsarum Thearchiam collocatæ sunt, et sicut in vestibulis ejus ordinatæ, omnem invisibilem et visibilem supergressæ sunt factam virtutem, propriam arbitrandum est esse et secundum omne conformem hierarchiam.

Igitur mundas quidem ipsas esse arbitrandum est, non sicut ab immundis maculis et inquinationibus liberatas, neque sicut materialium susceptivas phantasiarum : sed sicut omni subjectione munde altiores, et omni subtus veniente sancto, secundum supremam castitatem super omnes deiformissimas virtutes collocatas ; et a proprio per se mobili, et eodem modo mobili, secundum in amore Dei inconversibile ordinis ineffabiliter obtentas ; et ad deteriora secundum aliquid minorationem neque totaliter scientes, sed non occiduam semper et intransmutabilem habentes propriæ deiformis proprietatis mundissimam collocationem.

Contemplativas autem rursus, non sicut sensibilium signorum intellectualiter contemplatrices, neque sicut varietate sanctæ Scripturæ contemplationis ad divinum sursumactas : sed sicut omnis immaterialis cognitionis altiori lumine adimpletas ; et pulchrificæ et pulchritudinis principalis, et supersubstantialis, et ter lucentis contemplatione, sicut est fas, repletas ; Jesu autem communione similiter dignas habitas, non in imaginibus sancte formatis formative designantibus deificam similitudinem, sed sicut vere ipsi appropinquantes in prima participatione cognitionis deificorum ipsius luminum. Et quod quidem Dei imitativum, ipsis supreme datum est ; et communicant, secundum quod est ipsis possibile, in prius operante virtute, deificis ipsius et benignis virtutibus.

Perfectas autem similiter, non sicut varietatis sanctæ resolutoria scientia illuminatas, sed sicut prima et excedente deificatione adimpletas, secundum supremam, ut in angelis, Dei operationum scientiam. Non enim per alias sanctas substantias, sed ab ipsa Thearchia, sunt hierarchice gubernatæ, eo quod ad ipsam sine medio extenduntur omni excedente virtute et ordine ; et ad castissimum, et secundum omne ineffabile, collocantur ; et ad immaterialem et intelligibilem decorem, sicut est fas, ad

contemplationem adducuntur; et ad divinarum operationum scientificas rationes, sicut primæ et circa Deum exsistentes, docentur, ab ipsa teletarchia supreme hierarchice gubernatæ.

Hoc igitur theologi plane monstrant, subjectos quidem cœlestium substantiarum ornatus a supervenientibus bene ornate doceri deificas scientias; omnibus autem altiores, ab ipsa Thearchia, sicut est fas, doctrinis illuminari. Etenim quasdam quidem *Ps.* XXIII, 10. ipsarum inducunt a prioribus sancte doctas, Dominum esse cœlestium virtutum, et regem gloriæ ad cœlos, ut decet hominem, assumptum : quasdam autem ad ipsum Jesum quæstionem facientes, et pro nobis ipsius divinæ operationis scientiam discentes; et istas ipsum Jesum sine medio docentem, et primo dono ipsis manifestantem *Is.* LXIII, 1, juxta LXX. ipsius benignum beneficium. Ego enim, dicit, disputo justitiam et judicium salutaris. Miror autem quod et cœlestium substantiarum primæ, et tantum quantum universis superpositæ, thearchicas illuminationes sicut mediæ volentes reverenter desiderant : etenim non per se interrogant, Quare tua rubra vestimenta? Sed ad se ipsas quæstionem faciunt prius, monstrantes quidem quod discunt, et deificam cognitionem desiderant, sed non præsilientes ab indita secundum divinum processum illuminatione.

Igitur prima cœlestium hierarchia ab ipsa teletarchia hierarchice gubernata, eo quod ad ipsam sine medio extenditur, castissima purgatione, multo lumine, præperfecta perfectionis operatione juxta proportionem suam impleta, purgatur, et illuminatur, et perficitur; ab omni quidem subjectione munda, primo autem lumine plena, et primo datæ cognitionis et scientiæ particeps perfecta. Comprehendens autem et hoc dicam non inconvenienter, quod purgatio est, et illuminatio, et perfectio, thearchicæ scientiæ assumptio : ab ignorantia quidem quasi mundans, secundum ordinem, indita cognitione perfectiorum doctrinarum; illuminans autem ipsa divina cognitione per quam et purgat, eam quæ prius non inspexit quæcumque nunc manifestantur per altiorem illuminationem; et perficiens rursus ipso lumine secundum habitum scientia luculentarum doctrinarum.

Igitur hic quidem est, secundum meam scientiam, primus cœlestium substantiarum ornatus, in circuitu Dei et circa Deum sine medio stans, et simpliciter et indesinenter ambiens æternam ipsius cognitionem, secundum supremam, ut in angelis, semper mobilem collocationem : multas quidem et beatas videns pure contemplationes, simplicibus autem et immediatis splendoribus illuminatus; et divino nutrimento adimpletus, multo quidem, primo data effusione, uno autem, invariabili et unifica thearchicæ epulationis unitate; multa autem communione Dei et cooperatione dignus habitus, ad ipsum, sicut est possibile, assimilatione bonorum habituum et operationum; multa autem divinorum suprapositorum cognoscens, et thearchicæ scientiæ et cognitionis in participatione, secundum quod est fas, factus.

Quapropter et hymnos ipsius Theologia exsistentibus in terra tradidit, in quibus sancte manifestatur supremæ ipsius illuminationis excessus. Etenim hi quidem ipsius, *Ezech.* I, 24. ut sensibiliter dicatur, sicut vox aquarum clamant : Benedicta gloria Domini ex loco *Ibid.* III, 12. isto. Alii autem multum laudabilem illam et venerandissimam reclamant theologiam : *Is.* VI, 3. Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth; plena est omnis terra gloria ipsius. Istas autem supremas supercœlestium mentium hymnologias, jam quidem in his quæ sunt de divinis hymnis, sicut est possibile replicuimus, ut dictum est de istis in illis, sicut secundum nos, sufficienter. A quibus ad recordationem sufficit dicere tantum, secundum præsens tempus, quod theologica scientia primus ornatus, sicut est fas, illuminatus a thearchica bonitate, de hac, sicut boniformis hierarchia, et iis qui sunt post ipsam deinde tradidit, illud, ut breviter dicatur, subinducens : venerabilem ipsam

et superlaudabilem et omnino laudabilem Thearchiam, fas rationabiliter esse a Deum recipientibus, sicut est possibile, cognosci et laudari mentibus (istæ enim sunt, sicut deiformes, divina loca thearchicæ, sicut Eloquia dicunt, requiei); et quidem quod monas est et unitas trium personarum, a cœlestibus substantiis usque ad ultima terræ extendens optimam ipsius ad omnia exsistentia providentiam, sicut omnis substantiæ superprincipale principium et causa, et cuncta supersubstantialiter immensurabili continentia circumsumens.

# CAPITULUM VIII

## DE DOMINATIONIBUS ET VIRTUTIBUS ET POTESTATIBUS, ET DE MEDIA IPSARUM HIERARCHIA.

TRANSEUNDUM autem nunc est nobis ad medium cœlestium ornatum, Dominationes illas supermundanis oculis, sicut est possibile, inspicientibus, et vere potentes visiones divinarum Potestatum et Virtutum. Etenim unaquæque super nos substantiarum nominatio, Dei imitativas ipsarum significat deiformes proprietates. Igitur sanctarum quidem Dominationum manifestativam nominationem arbitror monstrare non servilem quamdam, et ab omni pedestri subjectione liberam sursumactionem, nulla tyrannicarum dissimilitudinum nullo modo universaliter inclinatam ipsam, ut decet liberam sicut duram dominationem, super omnem minoraturam servi effectus positam, irremissibilem ad omnem subjectionem, et segregatam ab universa dissimilitudine, veram dominationem et dominationis principatum indesinenter desiderantem, et ad ipsius propriam comparabilitatem, sicut est possibile, et se ipsam et ea quæ sunt post ipsam, boniformiter formantem, ad nullum vane apparentium, sed ad proprie exsistens totaliter conversam, et deiformitatis principis dominationis semper in participatione, secundum quod est ipsi possibile.

Sanctarum autem Virtutum, virilem quamdam et inconcussam fortitudinem ad omnes secundum ipsarum deiforme operationes, ad nullam susceptionem inditarum ipsi thearchicarum illuminationum debiliter infirmatam, potenter ad Dei imitativum actam, non derelinquentem ipsius timiditate deiformem motum, sed firme inspicientem ad supersubstantialem et virtutem facientem virtutem, et hujus imaginem virtutiformem, secundum quod est possibile, factam, et ad ipsam quidem sicut principem virtutum fortiter conversam, ad secunda autem dono virtutis et deiformiter procedentem.

Sanctarum autem Potestatum, coordinatam divinis Dominationibus et Virtutibus, bene ornatam et incommixtam circa divinas susceptiones bonam ordinationem, et ordinatum supermundanæ et intellectualis potestatis, non tyrannice ad inferiora potestativis virtutibus abutentis, sed potenter ad divina cum bona ordinatione et sursumactæ, et eas quæ sunt post ipsam boniformiter sursumagentis, et ad potestatem facientem potestatis principatum, sicut est fas, assimilatæ, et hunc, ut est possibile, angelis resplendere facientis in bene ornatis secundum ipsum ordinibus potestativæ virtutis.

Has habens deiformes proprietates, medius cœlestium mentium ornatus purgatur quidem et illuminatur et perficitur, secundum quem dictum est modum, a thearchicis

illuminationibus inditis ipsis secundario per primum hierarchicum ornatum, et per medium illum secunda luculentia delatis. Igitur, per alium dictum ire ad alium angelum auditum, signum faciamus a longe missæ et per processum obscuratæ ad secundationem perfectionis. Etenim, sicut sapientes circa sanctas nostras perfectiones, dicunt per se apparentes divinorum adimpletiones, eis quæ sunt per alias Dei inspectivas participationes esse perfectiores ; ita arbitror et angelicorum ordinum immediatam participationem, qui primo ad Deum extenduntur, manifestiorem esse per medietatem perfectis. Quapropter et a sacerdotali nostra traditione, perfectivæ et illuminativæ et purgativæ virtutes, primæ mentes nominantur subjectorum, sicut per ipsas ad omnium supersubstantiale principium sursumactorum, et teletarchicarum purgationum et illuminationum et perfectionum, in participatione, secundum quod est ipsis fas, factorum. Hoc enim est universaliter divino principe ordinum, ut decet Deum, decretum, per prima et secunda thearchicis participare illuminationibus.

Invenies autem et hoc in multis locis a theologis manifestatum. Igitur quando divina et paterna benignitas quæ Israel conversive ad sanctam ipsius salvationem castigavit, et punientibus et inhumanis gentibus ad correctionem dedit, universali provisorum ad melius traductione, et a captivitate relaxavit, et ad priorem mansuete reduxit bonum affectum : vidit theologorum unus, Zacharias, unum primorum, sicut arbitror, et circa Deum angelorum (commune enim, ut dixi, est omnibus angelos
*Zach.* I, 13. nominari) ab ipso Deo discentem de hoc consolatorios, ut dictum est, sermones ;
*Ibid.* II, 3 *et seq.* alterum autem subjectorum angelorum, ad obviationem primi præambulantem sicut ad illuminationis susceptionem et assumptionem, postea ab ipso divinum consilium sicut ab hierarcha doctum, et docere theologum conversum, quod fructuose habitabitur Jerusalem a multitudine hominum. Alius autem theologorum, Ezechiel, et ab ipsa dicit hoc sanctissime decretum esse, quæ superat Cherubim, supergloriosa Deitate. Etenim Israel, sicut dictum est, paterna benignitas per disciplinam ad melius traducens, justitia Deum decente, a puniendis secerni non puniendos judicavit. Hoc docetur
*Ezech.* IX, 2. primo post Cherubim, qui lumbum sapphiro erat cinctus, qui poderem juxta signum hierarchicum erat indutus. Reliquos autem angelos, qui secures habebant, divinus ordinum principatus præcipit a priore doceri de hoc divinum judicium. Huic enim
*Ibid.* 4. dixit quidem ut transiret mediam Jerusalem, et daret signum in frontes non punien-
*Ibid.* 5, 6. dorum virorum ; aliis autem : Ite in civitatem post illum, et cædite, et non parcite oculis vestris ; ad omnes autem in quibus est signum, ne appropinquetis. Quid dicat
*Dan.* IX, 23. aliquis de angelo qui dixit Danieli, Exivit sermo? aut de ipso primo qui ignem ex
*Ezech.* X, 2. medio Cherubim accepit ? aut (quod isto est abundantius ad bonæ ordinationis ange-
*Ibid.* 7. licæ demonstrationem) quod Cherubim immittunt ignem in manus sanctam stolam
*Dan.* VIII, 16. induti ? aut de illo qui vocavit divinissimum Gabrielem, et dixit ipsi, Fac intelligere ipsum visionem ? aut quæcumque alia a sanctis theologis sunt dicta de cœlestium hierarchiarum deiformi bono ornatu, ad quem nostræ hierarchiæ bona ordinatio est, secundum hoc quod est possibile, assimilata, et angelico decore sicut in imaginibus formata per ipsum, et sursumacta ad supersubstantialem universæ hierarchicæ ordinationis principatum ?

# CAPITULUM IX

DE PRINCIPIBUS ET ARCHANGELIS ET ANGELIS, ET DE POSTREMA IPSORUM HIERARCHIA.

RELIQUUS est nobis ad contemplationem sanctam, ornatus angelicas concludens hierarchias, qui ex deiformibus Principatibus, et Archangelis, et Angelis exornatur. Et primas quidem dicere necessarium reor, secundum quod est mihi possibile, sanctarum ipsorum nominationum manifestationes. Significat enim cœlestium quidem Principatuum, deiformiter principale et ducale, cum ordinatione sancta et principalibus convenientissima virtutibus, et ad superprincipalem principatum et ipsas totaliter esse conversas, et alias principaliter ducere, et ad ipsum illum, ut est possibile, formari, qui principatus facit principatum, et manifestare supersubstantialem ipsius ordinationis principatum, principalium bono ornatu virtutum.

Sanctorum autem Archangelorum, coordinata quidem est cœlestibus Principatibus. Est enim et ipsorum et Angelorum, sicut dixi, hierarchia una et ornatus. Sed quoniam non est hierarchia, nisi et primas habens et medias et ultimas virtutes, Archangelorum sanctus ordo communicative hierarchica medietate ab extremis contrasumitur. Etenim sanctissimis Principatibus communicat, et sanctis Angelis : his quidem, quoniam ad supersubstantialem principatum principaliter est conversus, et ad ipsum, sicut est possibile, reformatur, et Angelos unum facit secundum bene ornatos ipsius et ordinatos et invisibiles ducatus ; illis autem, quoniam et hypopheticæ est ordinationis, thearchicas illuminationes hierarchice per primas virtutes suscipiens, et Angelis ipsas boniformiter nuntians, et per Angelos nobis manifestans, secundum sanctam uniuscujusque divinorum illuminatorum proportionem.

Etenim Angeli, sicut prædiximus, completive terminant totos cœlestium mentium ornatus, secundum hoc quod ultimam sicut in cœlestibus substantiis habent angelicam proprietatem, et magis a nobis angeli, quam priores manifestativi priorum proprie nominati, quantum et circa manifestius ipsis est hierarchia, et magis circa mundana. Etenim supremum (sicut dictum est) ornatum, sicut occulto prima ordinatione propinquantem, occultius arbitrandum est hierarchice regere secundum ; secundum autem, qui completur ex sanctis Dominationibus et Virtutibus et Potestatibus, Principatuum et Archangelorum et Angelorum hierarchiam ducere, prima quidem hierarchia manifestius, illa autem quæ est post ipsam occultius ; Principatuum vero et Archangelorum et Angelorum manifestativum ornatum, humanis hierarchiis per se invicem præsidere : quatenus sit secundum ordinem ad Deum sursumactio, et conversio, et communio, et unitio, et quidem a Deo omnibus hierarchiis, ut decet inditus, et communicative superveniens, et cum bono ornatu sanctissimo processus. Inde Theologia nostram hierarchiam Angelis attribuit, principem Judaici populi Michaelem nominans, et alios gentium aliarum. Statuit enim Altissimus terminos gentium juxta numerum angelorum Dei.

*Dan.* x, 21. *Deut.* xxxii, 8, juxta LXX.

Si autem aliquis dicat, Et quomodo Hebræorum populus sursumagebatur solus ad thearchicas illuminationes? respondendum, quod non angelorum rectos principatus accusari convenit de aliarum gentium ad non exsistentes deos aberratione, sed ipsos illos propriis motibus ex sursumactione recta ad divinum decidentes, amore sui et

superbia, et eorum quæ ipsis apparebant Deum decentia, irrationabili veneratione. [*Osee* IV, 6, juxta LXX.] Affirmatur autem testimonio, hoc et ipse Hebræorum populus pertulisse. Cognitionem enim Dei (dicit) abjecisti, et post cor tuum perrexisti. Neque enim coactam habemus vitam, neque propter provisorum liberam potestatem divina lumina provisivæ illuminationis hebetantur; sed intellectualium visionum dissimilitudo, superplenam paternæ bonitatis luminis donationem aut omnino non participabilem facit, et ad ipsorum contraformationem distribui non valentem, aut participationes facit differentes, parvas aut magnas, obscuras aut claras, unius, et simplicis, et semper eodem modo se habentis, et supersimplificati fontani radii.

Etenim quod et aliis gentibus (ex quibus et nos respeximus in illud omnibus paratum, ad traditionem apertum, thearchici luminis et infinitum et copiosum pelagus) non alienigenæ quidam præsidebant dii. Unum autem principium omnium, et ad hoc sursumagebant sequentes, qui secundum unamquamque gentem hierarchiam obtinebant angeli. Melchisedech est attendendus, hierarcha exsistens Dei amantissimus, nequaquam non exsistentium, sed vere exsistentis altissimi Dei. Etenim non simpli- [*Gen.* XIV, 18; *Ps.* CIX, 4; *Hebr.* VII, 1.] citer Melchisedech Deum sapientes, non amicum Dei tantum, sed et sacerdotem vocaverunt, vere ut habentibus prudentiam aperte significent, quod non solum ipse ad vere exsistentem Deum erat conversus, sed etiam et aliis, sicut hierarcha, ducatum præbebat ad veram et solam Thearchiam reductionis. Hoc autem et tuæ hierarchicæ [*Gen.* XLI, 1-7, 17-24. *Dan.* II, 31-35; IV, 7-14.] prudentiæ rememorabimus, quod et Pharaoni ab angelo Ægyptiis præsidente, et Babyloniorum principi a præside proprio, et omnium providentiæ et dominationis curativum et potestativum, secundum visiones deferebatur; et gentibus illis veri Dei famuli duces erant constituti formatarum ab angelis visionum manifestationis, ange- [*Dan.* II, 36-45; IV, 17-23; *Gen.* XLI, 25-32.] lorum proximis sanctis viris Danieli et Joseph ex Deo per angelos revelatæ.

Unum enim est omnium principium et providentia; et nunquam arbitrandum est, Judæis quidem quasi sortis participatione principari Thearchiam, Angelos autem proprie, aut æquo honore, aut opposite, aut deos quosdam alios præsidere aliis gentibus. Sed et eloquium illud, secundum hanc sanctam intentionem est accipiendum : non sicut partito Deo cum aliis diis aut angelis nostrum principatum, et ab Israel in gentis principem et gentis auctorem hereditate possesso ; sed quod ipsa quidem una universorum Altissimi providentia, omnes homines salutarie propriorum angelorum suscitativis manuductionibus distribuerit, solus autem pene præter omnes Israel ad veri Domini luminis donationem et cognitionem sit conversus. Unde Theologia [*Deut.* XXXII, 9, juxta LXX.] ipsum quidem hereditate possessum Israel ad veri Dei famulatum manifestans : Factus est pars Domini, dicit. Monstrans autem et ipsum æqualiter ut reliquas gentes attributum esse cuidam sanctorum angelorum, ad hoc quod per ipsum unum [*Dan.* X, 21; XII, 1.] universorum principium cognosceret, Michaelem dixit Judæorum ducem esse populi : plane nos docens, unam esse providentiam totarum universarum invisibilium et visibilium virtutum supersubstantialiter supercollocatam ; omnes autem secundum unamquamque gentem præsidentes angelos, ad ipsam sicut proprium principium, sequentes voluntarie juxta virtutem extendentes.

# CAPITULUM X

REPETITIO ET CONGREGATIO ANGELICÆ BONÆ ORDINATIONIS.

COLLECTUM est igitur nobis, quod dignissimus circa Deum mentium ornatus a teletarchica illuminatione hierarchice gubernatus, eo quod ad ipsam immediate extenditur, occultiori et clariori Thearchiæ luminis donatione purgatur, et illuminatur, et perficitur : occultiori quidem, sicut intelligibiliori, et magis simplificativa et unificativa; clariori autem, sicut prius data, et prius apparente, et magis tota, et magis ad ipsum sicut clarum effusa. Ab isto vero rursus juxta proportionem secundus, et a secundo tertius, et a tertio nostra hierarchia, secundum eamdem bene ornati ordinationis principatus legem, in convenientia divina et proportione, ad universi boni ornatus superprincipale principium et terminationem hierarchice sursumagitur.

Manifestativi autem omnes sunt et angeli ante ipsos exsistentium : dignissimi quidem, Dei moventis; juxta proportionem autem reliqui, a Deo motorum. Tantum enim omnium supersubstantialis convenientia, uniuscujusque et intellectualium et rationalium sanctum bonum ornatum et ordinatam sursumactionem providit, quod et ipsi hierarchiarum unicuique ordines sanctitatem decentes posuit. Et omnem hierarchiam videmus in primas, et medias, et ultimas virtutes distributam. Sed et ipsum unumquemque (ut specialiter dicatur) ornatum eisdem divinis convenientiis discrevit. Quocirca et ipsos divinissimos Seraphim theologi dicunt alterum ad alterum clamavisse : plane in hoc (sicut arbitror) monstrantes, quod de divinis et rationabilibus cognitionibus primi secundis distribuunt. *Is.* VI, 3.

Addam autem et hoc non inconvenienter, quod et secundum se ipsam unaquæque et cœlestis et humana mens, speciales habet primas, et medias, et ultimas et ordinationes et virtutes, ad dictas secundum unumquemque hierarchicarum illuminationum sursumactiones juxta proportionem manifestatas, secundum quas unusquisque in participatione fit, secundum hoc quod ipsi est fas et possibile, supercastissimæ purgationis, superpleni luminis, præperfectæ perfectionis. Etenim nihil per se perfectum, aut non indigens universaliter perfectionis, nisi vere per se perfectum et præperfectum.

# CAPITULUM XI

QUARE OMNES COELESTES SUBSTANTIÆ COMMUNITER VIRTUTES CŒLESTES VOCANTUR.

ISTIS autem determinatis, illud dignum attendere, propter quam causam universas simul angelicas substantias virtutes cœlestes vocare consuevimus. Non enim est dicere, sicut in angelis, quod omnium est ultimus ornatus Virtutum sanctarum, et ea quidem quæ est ultimorum Sanctos decente illuminatione, superpositarum substantiarum ornatus participant, ultimi autem, primorum nunquam : hujus gratia, et

cœlestes quidem virtutes, universi divini intellectus nominantur; Seraphim autem, et Throni, et Dominationes, nunquam. Non participabiles enim ultimi supremorum totalium sunt proprietatum. Etenim Angeli, et ante Angelos Archangeli, et Principatus, et Potestates, et hi post Virtutes a Theologia ordinati, communiter multoties a nobis simul cum aliis sanctis substantiis, cœlestes virtutes appellantur. Dicimus autem, quod communiter in omnibus usi cœlestium nominatione virtutum, non confusionem quamdam uniuscujusque ornatus proprietatum inducimus. Sed quoniam in tria divisæ sunt ea quæ secundum ipsas est supermundana ratione omnes divinæ mentes, in substantiam, et virtutem, et operationem ; quando universas, aut quasdam ipsarum, sine observatione cœlestes substantias, aut cœlestes virtutes vocamus, ipsas per periphrasim, de quibus sermo est, significare nos est arbitrandum, ex ea quæ secundum unamquamque ipsarum est, substantia aut virtute. Neque enim superpositam proprietatem facile est jam bene nobis discretarum sanctarum Virtutum, et subjectis totaliter adjungere substantiis, in conversione inconfusi angelicorum ornatuum ordinationis principatus. Etenim juxta multoties a nobis recte assignatam rationem, supereminentes quidem ornatus abundanter habent et subjectorum sacras proprietates. Ultimi autem, digniorum superpositas totalitates non habent, particulariter ad ipsas prius apparentibus illuminationibus, per primas juxta proportionem suam delatis.

# CAPITULUM XII

## QUARE HOMINUM HIERARCHÆ ANGELI VOCANTUR.

QUÆRITUR autem et hoc intelligibilia Eloquia videndi amatoribus : Si enim non apta participare supremis totalitatibus sunt postrema, propter quam causam noster hierarcha, angelus Domini omnitenentis ab Eloquiis nominatus est?
*Malach.* II. 7. Est autem non contrarius sermo (sicut arbitror) prædefinitis. Dicimus enim, quod totalem et superpositam digniorum ornatuum virtutem non habent postremi. Etenim particulari, et juxta proportionem exsistente participant secundum unam universorum convenientem et conjunctivam communionem : sicut sanctorum Cherubim ordo participat sapientia et cognitione altiori ; illarum autem quæ post ipsos sunt substantiarum ornatus, participant quidem et ipsi sapientia et cognitione, particulari tamen, sicut ad illos, et subjecta. Et totaliter quidem in participatione sapientiæ esse et cognitionis, commune est omnibus deiformibus intellectibus. Continue autem, primo, aut secundario*, et subjecte, non est commune, sed sicut unicuique a propria proportione definitum est. Hoc autem et de omnibus divinis mentibus aliquis sine delicto definiat. Etenim, sicut primæ abundanter habent subjectarum sanctos decentes proprietates, ita habent postremæ priorum, non quidem similiter, sed subjecte. Nihil igitur (ut reor) inconveniens, si et nostrum hierarcham, angelum Theologia vocat, qui secundum virtutem propriam participat angelorum in prophetica proprietate, et ad manifestativam ipsorum similitudinem, sicut est possibile hominibus, extenditur. In-
*Ps.* LXXXI, 1. venies autem quod et deos Theologia vocat, et cœlestes et supernas essentias, et
*Exod.* VII, 1; XXII, 8, 28. apud nos Dei amicissimos et sanctos viros : quamvis thearchico occulto supersubstantialiter ab universis segregato et supercollocato ; et quum nihil exsistentium

* secundario loco

proprie et totaliter ipsi comparabile valeat nominari. Ceterum quæcumque et intellectualium et rationalium, ad imitationem ipsius secundum virtutem totaliter sunt conversa, et ad divinas ipsius illuminationes, sicut est possibile, incomprehensibiliter extenduntur, secundum virtutem, si est fas dicere, Dei imitatione et divina æquivocatione digna sunt habita.

# CAPITULUM XIII

### QUARE A SERAPHIM DICITUR FUISSE PURGATUS PROPHETA ISAIAS.

AGE igitur, et hoc secundum virtutem inspiciamus, cujus gratia ad unum theologorum Seraphim mitti dicitur. Etenim dubitare possit aliquis, quod non *Is.* vi, 6. subjectorum aliquis angelorum, sed ipse qui dignissimis substantiis connumeratur, purgat Prophetam. Igitur quidam quidem dicunt, quod secundum jam præassignatam omnium exsistentium communionis definitionem, non unam circa Deum primarum mentium nominat Eloquium ad theologi purgationem venisse, quemdam vero nobis præsidentium angelorum, sicut sanctum operatorem Prophetæ purgationis, Seraphim æquivocatione vocatum fuisse, propter incensivam dictorum peccatorum ablationem, et purgati ad divinam obedientiam suscitationem. Et eloquium illud, unum ex Seraphim simpliciter dixisse dicunt, non ex his qui circa Deum collocantur, sed ex his quæ nobis præsident purgativis virtutibus.

Alius autem non valde inconvenientem mihi quamdam præbuit excusationem pro præsenti instantia. Dixit enim quod propriam purgativam sanctam operationem magnus ille, quicumque erat, qui visionem formavit angelus ad docendum divina theologum, ad Deum, et post Deum ad primam hierarchiam, reposuit. Et numquid igitur iste sermo verus est? Dicebat enim qui hoc dixit, quod thearchica virtus ad omnia veniens capit, et per omnia non valens teneri transit, et omnibus rursus est non apparens, non solum sicut ab omnibus supersubstantialiter segregata, sed et sicut occulte ad omnia dimittens provisivas ipsius operationes. At vero et omnibus intellectualibus juxta proportionem suam superapparet, et propriam luminis donationem tradens dignissimis substantiis, per ipsas sicut primas, in subjectas ipsa bene ornate distribuit secundum uniuscujusque ornatus Dei conspectivam commensurationem.

Aut planius ut dicam, et per propria exempla, quamvis indigentia Deo ab omnibus segregato, sed nobis manifestiora : Solaris radii distributio ad primam materiam bene distributive vadit omnibus clariorem, et per ipsam manifestius resplendere facit proprios splendores. Accedens autem ad grossiores materias, obscuriorem habet distributivam manifestationem, ex illuminatarum materiarum ad luminis donationis delativum habitum importunitate ; et paulatim ex hoc ad perfecte fere non distributivum contrahitur. Rursus, ignis calor magis se ipsum distribuit ad magis susceptiva, et ad ipsius assimilationem facile euntia et duci facilia ; ad substantias autem contraformatas aut contrarias, aut nullum aut obscurum quoddam ignificativæ operationis vestigium manifestatur. Et isto est amplius, quod ad non cognata, per familiariter ad ipsum se habentia accedit, primum, si contingat, ignea faciens ad ignificationem facile imitabilia, et per ipsa, aut aquam, aut aliud quid eorum quæ non facile ignificantur, juxta proportionem calefaciens.

Igitur secundum eamdem physicæ bonæ ordinationis rationem, supernaturalis omnis boni ornatus visibilis et invisibilis ornationis principatus, propriæ luminis donationis fulgorem prima apparitione, in ditissimis effusionibus supremis substantiis manifestat, et per istas quæ post ipsas sunt substantiæ divino radio participant. Ipsæ enim cognoscentes primæ Deum, et divinam virtutem superposite desiderantes, et primi operatores fieri, sicut est possibile, Dei imitativæ virtutis et operationis dignæ sunt habitæ : et quæ sunt post ipsas substantias ipsæ ad concertationem, secundum virtutem, boniformiter extendunt, copiose ipsis tradentes de illa quæ in ipsas est superveniente claritate ; et rursus illæ subjectis ; et secundum unamquamque, prima illi quæ est post ipsam, tradit de dato et ad omnes juxta proportionem providentia transeunte divino lumine. Est igitur universis illuminatis principium illuminationis Deus quidem natura, et vere, et proprie, sicut luminis substantia, et ipsius esse et videndi causa ; positione autem et Dei imitatione, particulariter superposita post ipsam unicuique, eo quod lumina divina per ipsam ad illam supervehuntur. Igitur supremum cœlestium mentium ornatum, reliquorum universorum angelorum substantiæ, secundum hoc quod est conveniens, post Deum principium ducunt omnis sanctæ et Dei cognitionis, et Dei imitationis, sicut per illas ad omnes et nos thearchica illuminatione distributa. Quamobrem et omnem sanctam et Dei imitativam operationem, ad Deum quidem sicut causam referunt ; ad primas autem et deiformes mentes, sicut primo operatrices divinorum et magistros. — Igitur primus sanctorum angelorum ornatus magis universis habet incensivam proprietatem, et effusam thearchicæ sapientiæ traditionem, et cognitivum supremæ divinarum illuminationum scientiæ, et Thronorum proprietatem, apertam Dominum recipiendi opportunitatem significantem. Subjectarum autem substantiarum ornatus, ignea, sapiente, cognitiva, Dei receptiva virtute participant quidem, sed subjecte, et ad primos videntes, et per ipsos, sicut Dei imitatione prima operatione dignos habitos, ad deiformis possibile sursumacti. Dictas igitur sanctas proprietates, in quarum participatione per primas hæ quæ sunt post ipsas substantiæ factæ sunt, ipsis illis post Deum sicut hierarchis reponunt.

Dicebat igitur qui ista dixit, visionem quidem illam fuisse monstratam theologo per unum præsidentium nobis sanctorum et bonorum angelorum, et ab illuminativa ipsius manuductione, ad sanctam illam contemplationem fuisse suscitatum, secundum quam videbat supremas substantias, sicut in signis dicatur, sub Deo, et cum Deo, et circa Deum collocatas, et ab universis et ipsis ineffabiliter segregatam superprincipalem summitatem, in medio subjectarum virtutum supercollocatam. Discebat igitur visis theologus, quod secundum omnem supersubstantialem eminentiam, incomparabiliter collocatum erat divinum super universam visibilem et invisibilem virtutem ; et quidem, quod omnibus est segregatum, sicut universaliter, neque primis exsistentium substantiis comparabile ; amplius, et omnium ipsum et principium et causam substantificam esse, et exsistentium indissolubilis mansionis invariabilem collocationem, a qua et esse, et bene esse, ipsis quoque supereminentibus * est virtutibus.

* summe munitis

Postea ipsorum sanctissimorum Seraphim docebatur deiformes virtutes : sancta quidem ipsorum nominatione igneum significante (de quo paulo post dicemus, sicut nobis est possibile recitare ad deiforme igneæ virtutis sursumactiones); alarum autem expansa sancta formatione, ad divinum, in primis, in mediis, in postremis intellectibus, absolutam et supremam susceptionem. Sed infinitatem pedum ipsorum et pluralitatem facierum videns intellectualis theologus, et alis distingui exsistentem sub pedibus et sub faciebus contemplationem, et in mediis alis sempiternam motionem, ad intelligibilem visorum sursumagebatur cognitionem, manifestata ipsi supremarum

cap. xv.
*Is.* vi, 2.

mentium multum ambulandi et multum videndi virtute, et sancta ipsorum reverentia quam habent supermundane ad altiorum et profundiorum superbam et temerariam et impossibilem perscrutationem, et in commensuratione Dei imitativarum operationum indesinente et alta petente sempiterna motione. Sed et thearchicam illam et multum honorabilem hymnodiam docebatur, formante visionem angelo secundum virtutem theologo tradente de propria sanctorum cognitione.

Docebat igitur ipsum et hoc, quod purgatio est quocumque modo mundis, thearchicæ splendidæ castitatis, sicut est possibile, participatio. Ipsa autem ab ipsa Thearchia excellentibus causis, ad omnes sanctas mentes supersubstantiali occulto perfecta, his quæ sunt circa ipsam, sicut supremis virtutibus, manifestior quodammodo est, et magis se ipsam manifestat et distribuit. In secundis autem, aut postremis, aut nobis intellectualibus virtutibus, sicut ab ipsa unaquæque secundum deiforme distat, ita apparentem ipsius illuminationem congregat ad proprii occulti unitivum ignotum. Illucet autem singulis secundis per primas. Et si oportet compendiose dicere, primum ex occulto ad apparens agitur per primas virtutes. Hoc igitur theologus docebatur ab illuminante ipsum angelo, purgationem et omnes hierarchicas operationes per primas substantias resplendentes, ad omnes reliquas distribui, secundum uniuscujusque ad deificas participationes proportionem. Quapropter et igne purgativam proprietatem, Seraphim convenienter post Deum reposuit.

Nihil ergo inconveniens, si purgare dicitur theologum Seraphim. Nam sic Deus purgat omnes, eo quod omnis purgationis est causa. Magis autem (propinquo enim utar exemplo) quemadmodum qui secundum nos est hierarcha, per ipsius diaconos aut sacerdotes purgans aut illuminans, ipse dicitur purgare aut illuminare, per ipsum sanctificatis ordinibus, quæ fiunt per ipsos ad ipsum reponentibus proprias sanctas operationes ; ita et propriam purgativam scientiam, purgationem theologi perficiens angelus, ad Deum quidem, sicut causam, ad Seraphim autem, sicut prius operantem hierarcham, reponit. Sicut si aliquis dicat, cum reverentia angelica ab ipso purgatum docens : Quod in te a me perfectæ purgationis principium quidem exaltatum, et substantia, et creator, et causa est, qui et primas substantias ad esse deduxit, et circa ipsum collocatione continet, et conservat et conversibiles et cadere impossibiles, et ipse est movens ad primas propriarum provisivarum operationum participationes. Hoc enim me ista docens, dixit Seraphim significare visionem. Hierarcha autem, et post Deum dux, primarum substantiarum ornatus, a quo purgare ego deiformiter sum edoctus, iste igitur est per me te purgans, per quem proprias provisivas operationes ex occulto et ad nos adduxit cunctæ causa et creator purgationis.

Ista quidem ille docebat me, tibi autem ego trado. Tuæ autem sit intellectualis et discretivæ scientiæ, aut alteram dictarum causarum absolutam esse a dubitatione, et hanc honorare ; aut alteram, sicut conveniens, et rationabile, et forsitan verum habentem ; aut a te ipso aliquid vere vero magis cognatum invenire, aut ab alio discere (Deo videlicet dante verbum, et conciliantibus angelis), et amatoribus angelorum nobis revelare splendidam magis, si possibile est, et mihi magis amabilem contemplationem.

# CAPITULUM XIV

### QUID SIGNIFICAT TRADITUS ANGELICUS NUMERUS.

*Dan.* VII, 10, juxta LXX. ET hoc autem dignum, ut arbitror, intellectuali principatu, quod Eloquiorum de angelis traditio millies mille esse dicit, et decies millies decem millia, apud nos summos numerorum in se ipsos revolvens et multiplicans, et per istos manifeste significans nobis innumerabiles cœlestium substantiarum ordinationes. Multi enim sunt beati exercitus supermundanarum mentium, infirmam et constrictam excedentes nostrorum materialium numerorum commensurationem, et a solo cognitivo definiti (qui secundum ipsos est) supermundano et cœlesti intellectu, et scientia ditissime ipsis data a thearchica infinitæ cognitionis sapientificatione, omnium simul exsistentium supersubstantiali exsistente principio, et causa substantifica, et contentiva virtute, et comprehensiva terminatione.

# CAPITULUM XV

### QUÆ FORMATIVÆ ANGELICARUM VIRTUTUM IMAGINES, ET QUÆ DEINDE.

AGE igitur de cetero, ad requiem ponentes nostrum (si videtur) intellectualem oculum, de angelos decente circa altas contemplationes fortitudine, ad divisibilem et multarum partium latitudinem multiformis angelicarum formationum varietatis descendentes, rursus ab ipsis, sicut ab imaginibus, ad simplicitatem cœlestium mentium resolutorie reflectamus.

Esto autem tibi præcognitum, quod sancte formatarum imaginum repurgationes, eosdem quandoque cœlestium substantiarum ornatus hierarchice regentes significant, et rursus hierarchice rectos, et postremos hierarchice regentes, et hierarchice rectos primos, et eosdem (sicut dictum est) et primas, et medias, et postremas habentes virtutes, nulla inconvenienti ratione male inducta secundum talem reserationum modum. Si enim hierarchice quidem regi quosdam a prioribus diceremus, postea eosdem hierarchice regentes, et priores rursus hierarchice præsidentes postremis, et hierarchice rectos ab ipsis illis hierarchice gubernatis; vere inconveniens esset quod fieret, et confusione multa plenum. Si autem eosdem hierarchice regere et hierarchice regi dicimus, non adhuc autem eosdem, aut ab eisdem, sed ipsum unumquemque hierarchice quidem regi a prioribus, hierarchice autem regere postremos; non inconvenienter aliquis dicat, in Eloquiis sancte formatas formationes easdem aliquando posse et primis, et mediis, et postremis virtutibus familiariter et vere circumponi. Igitur et ad superius conversive extendi, et circa se ipsas fortiter convolvi, propriarum exsistentes servativæ virtutum, et circa secunda communicativo processu provisivæ ipsas in participatione virtutis esse, omnibus sine mendacio conveniet cœlestibus substan-

tiis, quamvis istis quidem superposite et totaliter, ut multoties dictum est, illis autem particulariter et submisse.

Incipiendus est autem sermo, et quærendum in prima formarum repurgatione,
propter quam causam Theologia pene præter omnes invenitur honorans igneam san-
*Dan.* VII, 9. ctam descriptionem. Invenies igitur ipsam non solum rotas igneas formantem, sed et
IV *Reg.* II, 11. animalia ignita, et viros sicut ignem fulgurantes, et circa ipsas cœlestes substantias
*Ezech.* I, 5, 7, 13, 27. cumulos carbonum ignis circumponentes, et fluvios immensurabili sonitu ignis fla-
grantes. Sed et Thronos dicit igneos esse, et ipsos supremos Seraphim, incendentes
*Ibid.* X, 2, 6, 7. exsistentes ex nominatione significat, et ignis proprietatem et operationem ipsis attri-
*Dan.* VII, 10. *Ibid.* 9. buit : et totaliter sursum et deorsum igneam honorat eminenter formæ actionem. Igitur
*Is.* VI, 6, 7. igneum quidem significare arbitror cœlestium mentium deiformosissimum. Etenim
sancti theologi supersubstantialem et non formabilem substantiam, in igne multis in locis describunt, sicut habente multas thearchicæ (si fas est dicere) proprietatis, sicut in visibilibus, imagines.

Etenim sensibilis ignis est quidem (ut dicatur ita) in omnibus, et per omnia munde venit, et segregatur ab omnibus; et omnino splendens exsistens simul, et sicut occultus, ignotus ipse secundum se ipsum, non proposita materia ad quam manifestet propriam operationem; et non valens teneri, et incontemplabilis ; per se superans universa, et ea in quibus ingignitur, ad propriam agens operationem; variativus, traditivus sui ipsius omnibus quoquomodo propinquantibus ; renovativus, non circumvelatus illuminationibus ; incomprehensibilis, mundus, discretivus, invariabilis, sursumferens, acute pergens; altus, nullam recipiens pedestrem subjectionem; semper mobilis, eodem modo mobilis, motivus aliorum; comprehensivus, incomprehensibilis; non indigens altero; fallenter augmentativus sui ipsius, et ad susceptas materias manifestans sui ipsius magnitudinem; activus, potens, universis præsens invisibiliter; neglectus, non esse apparens; contritione autem, quemadmodum quadam inquisitione, connaturaliter et proprie subito manifestatus, et rursus incomprehensibiliter impalpabilis; non minorabilis in omnibus ditissimis ipsius traditionibus. Et multas alias inveniet quis ignis proprietates familiares, sicut in sensibilibus imaginibus thearchicæ operationis. Hoc igitur scientes Deum sapientes, cœlestes substantias ex igne formant, significantes ipsarum deiforme, et (sicut est possibile) Dei imitativum.

Sed et humaniformes ipsas describunt, propter intellectuale, et quia ad superius habent inspectivas virtutes, et propter figuræ rectum et erectum, et secundum naturam principale et ducativum, et secundum sensum quidem minimum sicut ad reliquas irrationabilium animalium virtutes, superativum autem cunctorum mentis secundum abundantiam virtute, et secundum rationabilem scientiam obtinendi potestate, et secundum naturam animæ liberum, et non valens teneri. — Est autem et secundum unumquodque (sicut æstimo) corporalis nostræ partium multitudinis, imagines convenientes invenire cœlestium virtutum. Dicentes, inspectivas quidem significare virtutes, ad divina lumina clarissimum respectum, et rursus mollem, et humidam, et non contraformatam, sed acute mobilem, et mundam, et apertam, impassibiliter susceptionem thearchicarum illuminationum. Olfactibilium autem discretivas virtutes, super mentem bene olentis distributionis, sicut est possibile, receptivum, et non talium, in scientia discretivum et totaliter effugitivum. Aurium autem virtutes, participativum et cognitive susceptivum thearchicæ inspirationis. Gustativas autem, intelligibilium alimentorum adimpletionem, et divinorum et nutritivorum proventuum susceptivum. Tactivas autem, juvantis naturam aut lædentis in scientia discretivum. Palpebras vero et supercilia, Dei inspectivorum intellectuum servativum. Adolescentis autem et juvenis ætatem, quod

convalescat semper vivifica virtus. Dentes autem, divisivum inditæ nutritivæ perfectionis. Unaquæque enim substantia intellectualis, datum ipsi a diviniore uniformem intellectum, provisiva virtute dividit et multiplicat ad indigentioris sursumactivam proportionem. Humeros autem, et brachia, et rursus manus, factivum, et operativum, et activum. Rursus autem cor signum esse deiformis vitæ, propriam vivificam virtutem boniformiter ad provisiva disseminantis. Pectora autem rursus significare indomabile et servativum, sicut in subjecto corde, vivificæ distributionis. Dorsa vero, contentivum germinativarum universarum virtutum. Pedes autem, motivum, et acutum, et velox
*Is.* VI, 2. ad divina ambulatione sempiternæ motionis. Propter quod et alatos Theologia sanctarum mentium figuravit pedes. Ala enim significat sursumactivum acumen, et cœleste, et ad superius viæ factivum, et ab omni terrestri propter sursumferens segregatum; alarum vero levitas, secundum nihil terrenum, sed totum munde et sine pondere ad altum redactum. Nudum vero et discalceatum, demissum, et facile solvi, et non valens teneri, et mundum ab exteriorum additione, et ad simplicitatem divinam assimilativum, sicut est possibile.

Sed quoniam rursus simplex et multum varia sapientia, et nudos vestit, et vasa quædam dat circumferre ipsis, age et cœlestium mentium sancta opertoria et instrumenta, secundum quod est nobis possibile, reseremus. Etenim splendidam quidem vestem et igneam significare arbitror deiforme, secundum ignis imaginem, et illuminativum, propter eas quæ sunt in cœlo quietes, ubi est lumen, et quod universaliter intelligibiliter est illucens, aut intellectualiter illuminatum; sacerdotalem autem, ad divinas et mysticas voluntates adductivum, et quod est totius vitæ sanctificativum. Zonas vero, germinativarum virtutum ipsarum habitum ad se ipsum unitive fuisse conversum, et in circuitu cum bono ornatu, non valente cadere identitate circa se ipsum convolvi. — Rursus autem virgas, regale et ducativum, et recta omnia terminans. Lanceas autem et secures, dissimilium divisivum, et discretivarum virtutum acutum, et operativum, et activum. Geometrica autem et architecti vasa, fundativum, et ædificativum, et perfectivum, et quæcumque alia sursumactivæ et conversivæ sunt secundorum providentiæ. Est autem quando et in nos judiciorum divinorum sunt signa, formata sanctorum angelorum instrumenta : his quidem monstrantibus correctivam disciplinam, aut punientem justitiam; illis autem, ab angustia liberationem, aut disciplinæ finem, aut prioris boni affectus resumptionem, aut additionem aliorum donorum, parvorum aut magnorum, sensibilium aut intelligibilium. Et totaliter non dubitet perspicax mens familiariter aptare non apparentibus apparentia.

Ventos autem et ipsos nominari, velocem ipsorum significat et ad omnia fere transeuntem sine mora actionem, et a superioribus ad inferiora, et rursus ex his quæ sunt infra ad superius, delativum motum, extendentem quidem secunda ad superiorem altitudinem, moventem autem prima ad communicativum et provisivum subjectorum processum. Dicat autem aliquis, aerii spiritus ventosam nominationem, et deiforme cœlestium mentium significare. Habet enim et hoc, thearchicæ operationis imaginem et formam (sicut in Symbolica theologia secundum quatuor elementorum repurgationem nobis per plura demonstratum est) secundum naturæ motivam, et germinativam, et velocem, et non valentem teneri capacitatem, et ignotam nobis et invisibilem
*Joann.* III, 8. occultationem motivorum principiorum et terminationum. Non enim novisti, dicit, unde veniat, aut quo vadat. — Sed et nubis ipsis speciem Theologia circumformat, significans per hoc, sanctas mentes occulto quidem lumine supermundane adimpletas, prius autem apparentem primam apparitionem sine pompa intus suscipientes, et hanc copiose ad secunda, secunda apparitione et secundum proportionem deferentes; et

quidem quod generativum ipsis, et vivificum, et augmentativum, et perfectivum inest, secundum intelligibilem imbrium partum, susceptibilem sinum humidis pluviis ad vivificas parturitiones evocantem.

Si autem æris, et electri, et lapidum multorum colorum speciem Theologia cœlestibus substantiis circumponit : electrum quidem, sicut auriforme simul et argentiforme, significat imputribilem, sicut in auro, et inconsumptibilem, et imminorabilem, et immaculatum splendorem ; et splendidam, sicut in argento, et luciformem, et cœlestem clarilatem. Æri autem, secundum assignatas rationes, aut igneum aut auriforme est attribuendum. Lapidum autem multorum colorum visiones significare est arbitrandum : aut sicut albas, luciforme ; aut sicut rubeas, igneum ; aut sicut flavas, auriforme ; aut sicut pallidas, juvenile et convalescens. Et secundum unamquamque speciem invenies sursumactivam formativarum imaginum repurgationem.

Sed quoniam ista secundum virtutem a nobis sufficienter dicta esse arbitror, transeundum est ad sanctam reserationem cœlestium mentium sancte formatæ ferinæ formationis. Et leonis quidem formam significare est putandum, ducatum, et forte, et indomabile, et ad occultum ineffabilis Thearchiæ secundum virtutem assimilativum, intellectualium vestigiorum circumvelatione, et mystico et non pomposo operimento secundum divinam illuminationem et ad ipsam suscitativæ ambulationis. Bovis autem, forte et convalescens, et intellectuales sulcos incidens ad susceptionem cœlestium et germinativorum imbrium ; et cornua, servativum et robustissimum. Aquilæ autem, regale, et alte ambulans, et velociter volans ; et ad virtutem faciens alimentum, acutum, et sobrium, et bene currens, et ingeniosum ; et ad copiosum et multi luminis radium thearchicæ solaris emissionis, in conspectivarum virtutum sanissimis suscitationibus, sine impedimento, secundum rectum, et indeclinabiliter contemplativum. Equorum autem, obediens et frenabile : et alborum quidem exsistentium, splendidum et quam maxime divini luminis cognatum ; nigrorum vero exsistentium, occultum ; rubeorum autem, igneum et activum ; commixtorum autem ex albo et nigro, delativa virtute extremorum conjunctivum, et prima secundis, et secunda primis, conversive aut provisive conjungens.

Sed nisi ad sermonis contenderemus commensurationem, et particulares dictorum animalium proprietates et omnes corporales ipsorum formationes adaptavissemus quidem non inconvenienter cœlestibus virtutibus, secundum dissimiles similitudines : furibundum quidem ipsorum, ad intellectualem fortitudinem, cujus est ultima furor resonantia ; rursus autem concupiscentiam, ad divinum amorem ; et ut summatim dicatur, universos irrationabilium animalium et sensus et multiplicitatem partium, ad immateriales cœlestium intellectus et uniformes virtutes reducentes. Sufficiunt autem sapientibus non ista solum, sed et unius a significatione recedentis imaginis repurgatio, ad proximorum ejusdem modi manifestationem.

Inspiciendum autem et fluvios dictos esse, et rotas, et currus conjunctos in cœlestibus substantiis. Etenim ignei fluvii significant thearchicos proventus, copiosam ipsis et indeficientem affluentiam largientes, et vivificæ nutritivos generabilitatis ; currus autem, conjunctivam coordinatorum communionem ; rotæ vero alatæ quidem exsistentes, et ad anteriora sine conversione et indeclinabiliter procedentes, secundum rectam et erectam viam ambulativæ ipsorum operationis virtutem, ad eamdem indeclinabilem et recte sectam viam universa ipsorum intellectuali rotatione supermundane directa. Est autem et secundum aliam sursumactionem repurgare intelligibilium rotarum imaginis descriptionem. Vocatum est enim nomen ipsis, ut dicit theologus, Gelgel. Significat autem hoc, secundum Hebraicam vocem, revolutiones, et revelationes. Igneæ

*Ezech.* x, 13, juxta LXX.

namque et deiformes rotæ, revolutiones quidem habent circa idem bonum semper mobili motu ; revelationes autem, occultorum manifestatione, et humilium sursumactione, et sublimium illuminationum ad subjecta depositiva delatione.

Reliquus nobis est ad manifestationem, de gaudio cœlestium ornatuum sermo. *Luc.* XV, 10. Etenim non susceptibiles omnino sunt nostræ passibilis delectationis. Congaudere autem Deo dicuntur perditorum inventione, secundum deiformem epulationem, et in providentia et salvatione ad Deum conversorum boniformem et copiosam exsultationem, et bonum affectum illum ineffabilem, in cujus participatione multoties facti sunt et viri sancti, secundum deificos divinarum illuminationum superadventus.

Tanta a me de sanctis reformationibus sint dicta, a diligenti quidem ipsarum manifestatione deficientia, conferentia autem, sicut arbitror, ad hoc ut non humiliter nos remaneamus in formativis phantasiis. Si autem et hæc dicas, quod non omnium consequenter angelicarum in Eloquiis virtutum, aut operationum, aut imaginum fecimus mentionem, respondemus hoc verum, quoniam supermundanorum quidem scientiam ignoravimus, et magis in ipsis nos alio docente indigemus. Eamdem autem virtutem prædictis habentia prætermisimus, et commensurationem sermonis providentes, et super nos occultum silentio venerantes.

# S. DIONYSII AREOPAGITÆ

# DE CŒLESTI HIERARCHIA

## TRANSLATIO AMBROSII ABBATIS

## CAMALDULENSIS ORDINIS

---

## PRÆFATIO

*NOBILITATEM generis divitiarumque copiam magni Dionysii, Atheniensium concilium, cujus per electionem particeps erat, ostendit aperte. Nam ut divinus nos Lucas in scribendis Apostolorum Actibus docuit, Areopagitarum fuerat unus. Quum enim apostolus Paulus Athenas petiisset, atque cum philosophis tum Epicureis tum Stoicis verba fecisset, Christumque ipsis Dominum nostrum, mortuorum resurrectionem et generale judicium prædicasset, captus atque ad Areopagitas ductus, prædicatione sua nonnullos etiam ibi confestim lucratus, ad veritatis lucem reduxit, qui et recedentem secuti sunt. In his Dionysium quoque Areopagitam fuisse, mulieremque Damarim nomine, aliosque cum ipsis nonnullos tradidit. Ego autem non arbitror absque causa præter ceteros qui tunc divina Pauli prædicatione crediderunt, Dionysium a scriptore qui Spiritu Dei movebatur, tantummodo (ipsa etiam addita dignitate) nominatum fuisse. Areopagita enim, inquit, Dionysius fuit. Sed credo ita factum, quia et sapientia præcipuus fuit, et vitæ apud Athenienses sanctissimæ. Non enim quoslibet, sed genere, divitiis, vitæque sanctimonia primos atque præclaros, ad concilium illud deligebant. Et antiquitus quidem, ut Androtion in secundo Rerum Atticarum libro refert, ex novem primis magistratibus, novem primi deligebantur ; postea vero Areopagitarum numerus usque ad quinquaginta virum concrevit. Primarii tamen semper viri (ut diximus) eligebantur, ut etiam Philochorus in tertio Rerum Atticarum scribit. Erat autem pagus Martius extra urbem Athenas, ubi Areopagitarum concilium leges et contendentium causas cognoscebat : quas omnes Androtion in primo, et Philochorus in secundo et tertio Rerum Atticarum, enumerat. Nam etsi Romani temporibus illis imperio suo domuerunt omnia, Athenienses tamen atque Lacedæmonios legibus moribusque suis libere vivere permiserunt. Unde*

Act. XVII, 15-34.

Ibid. 34.

*Martii pagi concilium dignitatem adhuc suam retinebat. Ita et divinus Paulus, quasi novos deos prædicans, a fatuatæ sapientiæ studiosis ad Martium trahitur pagum. Sed præcipuus inter eos veritatisque amator, divus hic Dionysius, integro suo Pauli prædicationem judicio confirmavit ; atque illico inani Areopagitarum gravitate relicta, lucem prædicationis Pauli, Dominum nostrum Jesum Christum secutus est. Ita igitur veritati jam adhærens Dionysius, primum a Paulo salutis dogmata percepit ; deinde maximo Hierotheo, ut ipse ait, secundo usus est præceptore ; et demum, ut in septimo Apostolicarum institutionum libro scribitur, episcopus a Paulo Atheniensium qui credebant, statuitur.*

*Hujus B. Dionysii, Dionysius alter antiquissimus Corinthiorum episcopus meminit, et Polycarpus in quadam ejus ad Athenienses epistola. Sed rectam magnamque sanctissimi hujus viri doctrinam mirari omnes maxime debent qui traditiones Ecclesiæ inculpabiles et exquisitam disciplinam noverunt, nihil coinquinatum, nihil impurum ex adulteratis philosophorum dogmatibus immiscentis. Et plerisque ut miseris condolendum est, qui propter suam ignorantiam acerbos se judices atque censores præbuerunt : qui acuta ceterorum inventa, prout ignorantia sua dictat, acerbe carpentes, quum legunt quæ non intelligunt, scriptorem statim condemnant, neque eos pudet quod nec redarguere nec emendare possunt quæ male putant conscripta. Ad se ipsos ergo iram suam convertant, sibi ipsis acerbi sint qui per negligentiam altiora discere nequiverunt, quique a doctioribus petere dedignati, in dubiis suis contabuerunt.*

*Hæc dixi, quia nonnulli beatum hunc Dionysium quasi hæretice multa conscripsisse vituperant : qui mihi hæreticorum etiam perversas opiniones ignorare videntur. Nam si scirent, certe conferendo hæc illis, viderent tantum ab eis differre, quantum lumen a tenebris distat. Quid enim dicent de theologia istius viri qui Trinitatem solam adorabilem prædicat ? Quid dicent, quod animam corpusque humanum, hoc est totum hominem, ab uno Trinitatis, Jesu Christo unigenito Dei Verbo, absolute assumptum fatetur ? Quid dicent de intellectualium, intelligibilium, sensibiliumque ipsius doctrina ? Aut in quo reprehendere poterunt quæcumque de generali hominum resurrectione, de gloria justorum et impiorum suppliciis docuit ? Hæc enim, ut summatim dicatur, salutem continent nostram : quæ latius exponere, modo tempus non est, præsertim quum opportune scholiorum commentarii illa indicaturi sint. — Sed non enumeravit libros ipsius (aiunt) Eusebius Pamphili, neque Origenes ejus meminit. Nos autem multa fuisse ab Eusebio prætermissa, quæ forte ad eum non pervenerant, respondemus. Imo vero ille ipse respondet, qui se fatetur innumerabiles credere libros ad se non pervenisse. Nam vel nonnullorum regionis suæ hominum libros legisse nullo modo videtur, ut Hymenæi et Narcissi, Hierosolymitanæ presbyterorum Ecclesiæ ; nec Panteni operum meminit, nec Clementis Romani, duabus solum exceptis epistolis. Multos insuper ab eo prætermissos numerare possem, si opus esse putarem. Origenes autem non omnium, sed vix quatuor*

*solummodo meminit virorum. Mihi vero diaconus quidam Romanus, nomine Petrus, omnes divi Dionysii libros in Romana sacrorum bibliotheca librorum inveniri affirmavit. Quorum plurimos ad B. Timotheum Pauli discipulum et Ephesinum episcopum, scripsit. Is enim ab Ionicæ philosophiæ studiosis qui tunc apud Ephesinos florebant, vehementer agitabatur, atque ideo B. Dionysii omnis externæ philosophiæ doctissimi, patrocinium petebat. Ab Areopagita vero Dionysio hos libros conscriptos fuisse illud etiam testatur, quod multorum meminit et nonnullorum dicta proponit qui temporibus illis floruerunt, quorum et Actuum liber et epistolæ Pauli meminerunt. Sed præcipue omnium, sinceritas dogmatum istud ostendit.*

# CAPITULUM PRIMUM

QUOD OMNIS DIVINA LUX, LICET VARIE PER SUMMAM BENIGNITATEM AD CREATURAM PRODEAT, SIMPLEX TAMEN MANET ; NEQUE ID SOLUM, VERUM ET QUÆ ILLUSTRAT UNUM EFFICIT.

OMNE datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum. Sed et candidissimæ illius lucis quæ a Patre motus initium sumit, processus omnis benigna in nos largitione manans, rursus ut summa virtus per quam unum secum efficimur, vi intentionis præcipuæ nos parat et explicat, atque ad cogentis ad se Patris unitatem ac deificam simplicitatem convertit. Ex ipso enim, ut sacra testantur Eloquia, et in ipso sunt omnia. *Jacob.* I, 17. *Rom.* XI, 36.

Itaque Jesum invocantes paternam lucem, quæ est, quæ vera est, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, per quem ad Patrem principale lumen accessum habemus : ad sanctissimarum Scripturarum intelligentias (prout illas a patribus accepimus) contuendas pro viribus pergamus ; et quas illi nobis vel per signa vel per intelligentiæ sacratioris arcana tradiderunt, cœlestium spirituum distinctiones et ordines, in quantum possumus speculemur ; quumque principalem illam, imo principium omne transcendentem, summi Patris lucem quæ nobis angelorum beatissimos ordines typicis exprimit signis, purgata mentis acie, nec trepidante cordis adspectu, susceperimus, ex ipsa rursus ad ejus simplicem radium tota animi intentione dirigamur. Nam profecto, ne ipsa quidem unquam singulari suo arcano, et ut ita dixerim, propria sua intimitate, deseritur. Ceterum, quum ad eos qui Providentia reguntur subvehendos ac sibi conjungendos, condescensione et connexione mirabili benignissime multiplicetur et prodeat, manet tamen intra semetipsam firmissime, in sua immobili identitate stabiliter fixa ; eosque qui ad ipsam ut fas est adspirare nituntur, pro modo virium suarum intendit ac provehit, ac secundum simplicem illam unionem suam conjungit sibi, atque unum efficit secum. *Joann.* I, 9. *Ephes.* II, 18.

Neque enim aliter fas erat infirmitati nostræ lucere divinum illum radium, nisi sacrorum varietate velaminum quibus ad superiora ferremur, opertum, et his quæ nobis familiaria sunt, providentia paterna naturæ mortalium sese accommodante, vestitum. Quocirca et nostri quoque sacerdotii sacratissimam functionem, divina illa sanctio cœlestium ordinum excellenti mundanis omnibus imitatione dignata, memo-

ratas illas spirituales distinctiones carnalibus figuris expressas et formarum compositionibus varias tradidit, ut ipsi pro modulo nostro, ex hisce fictionibus sacris, ad simplices illas nullisque figuris umbratas cœlestium rerum intelligentias assimilationesque subvehamur. Nam neque possibile est humanæ menti ad spiritualem illam cœlestium distinctionum imitationem intelligentiamque conscendere, nisi ad hanc mortalium rerum similitudinibus formisque ducatur : ut scilicet visibilem pulchritudinem, invisibilis decoris imaginem putet ; odoresque sensibus pervios, spiritualis fragrantiæ similitudinem existimet ; et intimæ lucis indicium, ex lucidi solis ducat imagine ; suavitatis item illius quam Deum sitiens animus atque in divina contemplatione requiescens capit, sacrarum Litterarum lectionem et flagrans studium arbitretur effigiem ; habitus quoque illius congruentissimi et perpetua intentione atque ordine ad divina tendentis, ex vitæ præsentis ordinibus capiat conjecturam ; Jesu item felicissimam societatem, de sacrosancti mysterii communione conjiciat ; et cetera in hunc modum, quæ cœlestibus quidem spiritualibusque substantiis divine ac nude, nobis vero per signa traduntur. Ut igitur pro captu nostro dii efficeremur, clementissima illa Divinitas cœlestium quoque distinctiones ordinum nobis exponens, nostrique functionem sacerdotii illis ministerii societate conjungens dum pro viribus divina illorum sacratissima officia imitari nitimur, terrenis imaginibus cœlestes spiritus pinxit, carnalique velamine, dum in sacris Litteris de illis loquitur, æternos animos texit, ut nos ex visibilibus ad intelligibilia, et ex fictione signorum ad simplices cœlestium ordinum provehat summitates.

# CAPITULUM II

QUOD CONGRUE DIVINA ATQUE COELESTIA ETIAM PER DISSIMILIA SIGNA TRADANTUR.

* definitionem atque determinationem

PRIMUM igitur oportet (ut reor) exponere quam esse totius simul cœlestis hierarchiæ destinationem * putemus, et quid unaquæque conferat sectatoribus suis ; tum cœlestes quoque distinctiones, juxta id quod de illis sacræ Litteræ tradunt laudare conveniet ; deinceps vero, cujusmodi formis atque figuris cœlestes illas distinctiones sacræ Litteræ tradunt honestissime fictas ; et ad quam simplicitatem per hæc figmenta nobis conscendendum sit, explicare consequens fuerit : ne nos quoque vulgi errore seducti, passim existimemus cœlestes ac divina specie præditos spiritus, multis pedibus multisque esse faciebus, et sive ad boum stoliditatem, sive ad feritatem leonum esse formatos, seu ad aquilarum recurvis rostris effigiem seu ad pilosam avium plumescentiam fictos ; seu rotas quasdam igneas, et materiales sedes ad accubitum summæ Divinitati necessarias, supra cœlum imaginari stolide incipiamus, et equos discolores aliquos, et satellites armatos ac duces : et cetera id genus quæ nobis evidenti et expressa varietate signorum sacratissime ficta traduntur. Nempe enim poeticis fictionibus Theologia, ut eos describeret spiritus qui formis carent, affatim utitur, humanæ scilicet mentis (ut diximus) infirmitatem non ignorans, eique propriam et cognatam viam per quam ad altiora feratur benignissime providens, ac ipsius modo in sacris Litteris hujusmodi ascensionis itinera sternens.

Porro si cui videtur sacras quidem hujuscemodi compositiones non esse admit-

tendas, quippe quum simplex divinarum rerum substantia in se ipsa, et incognita sit nobis et intelligentiam fugiat nostram ; ceterum eas quæ in sanctis libris et Litteris reperiuntur imagines angelorum, absonas atque incongruas putat, et omnem hanc duram nimis, ut ita dixerim, angelicorum nominum improbat scenam, dicens oportuisse theologos, quandoquidem ad omnino incorporalia corporeis lineamentis ac formis describenda venissent, propriis (in quantum possent) illa cognatisque figuris exprimere, ex his scilicet quæ sunt apud nos pretiosissima, substantiamque suam ex humo altius attollunt, et sese in altitudinem vindicant, et non cœlestibus ac divinis simplicibusque naturis terrenas quasque infimas et varias circumdare formas. Ita enim et mens nostra sese melius ad celsa sustolleret, commodiori freta adminiculo, et sublimes illæ ac mundo celsiores significationes, ad incongruas dissimilitudines et inconcinnas non deducerentur. At id profecto ejusmodi est, ut et divinas virtutes nefarie injuriis violet, et nostram etiam fortassis mentem in præcipitia erroris impellat, profanis illam compositionibus prorsus affigens. Et fortasse non desit qui arbitretur cœlestia illa leonum et equorum agminibus plena, ut pro laude mugitus resonent, et avium gregibus, et animantibus reliquis, et materiis quibuslibet vilibus, et ceteris in hunc modum, quæque vel absurde vel corrupte vel passive describunt dissimiles per omnia in sacro Eloquio similitudines quibus ista signantur.

Atqui veritatis ista inquisitio abunde (ut reor) Scripturæ sanctæ altissimam sapientiam indicat, ut quæ in cœlestium descriptione spirituum utrique rei vigilantissima cura prospexit, ut neque divinis virtutibus injuria ulla (ut sic dixerim) fieret, neque nos infimis humillimisque affigeremur imaginibus. Nempe enim quod informibus formæ, figuraque carentibus figuræ admoveantur dispensatione salutari, non modo ea causa fuerit quam prædiximus, infirmitatis nostræ scilicet ratio, quæ conscendere ad celsiora ac spiritualia contemplari sine adminiculis nequit, indigetque propriis et de sua fragilitate petitis auxiliis, quibus ad superiora nitatur, ut scilicet spectaculis illis eximiis et forma omni naturaque superioribus, familiares nobis imponantur formæ ; verum quod id quoque mysticis Scripturarum eloquiis decentissimum est, sacram et abstrusam cœlestium spirituum veritatem hujusmodi arcanis velamentis et sacratissimis signis occultare, et profanæ multitudini inviam ponere. Non enim omnes sacri sunt, neque (juxta Scripturæ sententiam) omnium scientia est. I *Cor.* VIII, 7.

Quod si quis absonas et absurdas imagines in jus vocet, vererique dicat divinis illis sanctissimisque spiritibus formas adeo fœdas imponere, illum ita admonuisse sufficiet duplicem in sacris Litteris tradi significandi modum : ex his alterum per similes imagines figurasque procedere, nihilque a sua natura deviare ; alterum per dissimiles formas promovere ita effictum, ut diversa prorsus et alia quam videatur, insinuet. Denique et reverendam illam supersubstantialis Deitatis ineffabilemque beatitudinem, divinorum Eloquiorum mysticæ traditiones dum exprimere cupiunt, aliquando ut Verbum, et intellectum, et essentiam laudant, ut per istas appellationes divinam ejus eloquentiam *, et sapientiam, et substantiam verissime exsistentem, atque omnium quæ sunt subsistentia veram causam, significent ; interdum ut lucem ipsam concelebrant, et vitam vocant. Enimvero hujusmodi sacra figmenta honestiora quidem sunt, et terrenis ac materialibus formis eminere videntur ; ceterum nec sic quidem ad divinæ similitudinis veritatem prope accedunt. Excedit enim illa substantiam omnem, vitamque transcendit ; nulla hanc exprimit lux, omnisque sermo, omnis mens atque ratio, absque ulla comparatione, illius similitudine inferior est. Aliquando item ab eisdem laudatur Scripturis honestissime ac pene divine, dum in ejus laude

* elocutionem, et explicationem

dissimilibus utuntur signis, eamque invisibilem, et infinitam, et incomprehensibilem prædicant, his eam appellantes nominibus quibus non quid sit, sed quid non sit, dicitur. Hoc enim verius, ut arbitror, in ipsa est, et de illa proprie magis asseritur. Nam, sicuti secretior illa sacerdotalisque traditio docuit, dum illam esse aliquid negamus ex his quæ sunt, verum profecto loquimur, etsi modum quo illa indefinita est, quippe quæ supersubstantialis et incomprehensibilis atque ineffabilis est. prorsus ignoramus. Si ergo in divinis rebus negationes quidem veræ sunt, affirmationes vero nequaquam tantis arcanorum latebris congruunt, illa sane convenientior in rebus invisibilibus erit expressio quæ per dissimilia signa monstratur. Honorant igitur illos cœlites ordines, non probro afficiunt aut ullo dedecore, sanctarum Litterarum descriptiones, dum eos dissimilibus formis ac fictionibus exprimunt, ac per eas indicant terrenis ac mortalibus rebus absque ulla comparatione præcellere beatissimos spiritus.

Porro, quod mentem atque animum nostrum similitudines illæ quæ videntur absurdæ, potentius juvent atque ad divina commodius subvehant, nemo qui recte sentiat, arbitror, infitiabitur. Nam siquidem quæque sunt apud nos pretiosiora sumantur, quis non videat fore ut per hujusmodi figuras oberrare incipiat animus, putans cœlestes illas æthereasque substantias rutilantis auri præferre speciem, virosque esse aliquos lucidos, et oris majestate coruscos, decoros, et vestis candore conspicuos, ignemque innocue de se mittentes, et cetera id genus quibus Theologia sublimes illos spiritus pingit, et figurarum varietate describit? Quod uti ne illi paterentur qui nihil celsius mortali hac luce et corporum specie contueri queunt, excellens illa sanctorum virorum qui divina nobis monumenta reliquerunt sapientia, ut adminicula necessaria infirmis animis daret, ad eas quoque dissimilitudines quæ videntur absurdæ, singulari dispensatione descendit, nequaquam permittens imbecillam mentem nostram fœdis inhærere imaginibus atque illis prorsus acquiescere, sed potius erigens animæ partem ad superiora tendentem, atque inhonestate formarum a visibilibus omnibus revocans, quasi fas non sit, neque verisimile omnino esse videatur, ne his quidem qui stolidiores crassiorisque intelligentiæ sunt, cœlestia illa et divina spectacula cum fœdis rebus revera similia esse.

Ad hæc illud quoque cogitandum est, nihil esse in rebus humanis quod boni participatione sit omnino privatum : nam ut sese Scripturæ sanctæ veritas habet, fecit Deus omnia bona valde. Fas igitur fuerit ex his omnibus pulcherrimas elicere intelligentias, spiritualibusque et intelligibilibus rebus ex humilioribus atque terrenis dissimiles similitudines : sic enim dicuntur* effingere, quum eadem aliter spiritualibus insunt, aliterque carnalibus. Nempe enim iracundia mutis quidem animantibus ex affectu et commotione passiva provenit, estque iracundus eorum motus omni prorsus ratione destitutus. At in spiritualibus omnino substantiis longe alio modo ira intelligenda est. Significat enim, ut reor equidem, masculam illarum, ut et ita dicam, et penitus insitam rationem atque sapientiam, et habitum in divinis atque immutabilibus rebus constantem, et perpetua firmitate locatum. Eadem ratione concupiscentiam in mutis quidem esse dicimus affectum quemdam improvidum atque terrenum, ex insito motu seu consuetudine in his quæ sunt mutabilia absque ulla moderatione ferventem, et irrationabile dominium corporalis appetitus, ex quo animal omne ad id quod sensibus concupiscendum occurrit impellitur. Ubi vero spiritibus angelicis dissimiles similitudines admovendo, concupiscentiam illis applicare pergimus, divinum hanc amorem intelligere necesse est ejus qui omnem rationem omnemque intelligentiam superat munditiæ atque puritatis, desideriumque juge et constans castissimæ atque felicissimæ illius, atque ab omni perturbatione remotissimæ contemplationis, et inex-

*Gen.* I, 31 ; *Eccli.* XXXIX, 21.

* dicimur

plebilem aviditatem æternæ profecto atque invisibilis societatis, per quam ad serenum illud supremumque jubar adspirant, et invisibilem illum decorem, totius auctorem pulchritudinis, ambiunt. Porro incontinentiam in his accipiamus rigidam severitatem intentionemque perpetuam, quam nihil inflectere, nihil intercipere possit, ob meracissimum et immutabilem divinæ pulchritudinis ac simplicitatis amorem, quum ad id quod vere summeque expetendum est, semper anhelent. Ipsum quoque irrationabile atque insensibile, in brutis quidem animalibus inanimatisque naturis, rationis ac sensus privationem proprie dicimus. Ceterum in spiritualibus intellectualibusque substantiis, singularem ipsarum excellentiam, ut quæ mundo superior sit, congruentissime fatemur, per quam sermoni nostro corporeo atque transeunti, terrenoque sensui et a supernis virtutibus alieno, longe antecellunt. Licet igitur non incongruas cœlestibus etiam ex vilissimis materiæ partibus formas effingere : quippe quæ et ipsa a summo bono nacta substantiam, per omnes sui partes atque distinctiones intellectualis decoris quasdam præ se ferat imagines, per quas ad spirituales illas primitivasque formas possimus ascendere, similitudines, ut dictum est, haud simili ratione capientes, et easdem non eodem modo, sed convenienter et proprie in spiritualibus corporalibusque proprietatibus definientes.

Hisce figmentis, non modo quum de cœlestibus ordinibus loquerentur, usos theologos inveniemus, ut eos sacratius veriusque signarent, verum et quum de ipsa summa Divinitate dissererent. Denique illam interdum ex visibilibus istis pretiosisque concelebrant, ut quum Solem justitiæ stellamque matutinam in corde fidelium sacratius orientem, atque ut lucem absque ullo velamine spirituali fulgore perstringentem mentis obtutus, appellant. Aliquando ex his quæ sunt media divinam prædicant majestatem, quum scilicet illam ignem innocua flamma lucentem, aquam vitalis plenitudinis indultricem, et ut significantius dixerim, in intima ventris penetrantem, emanantemque flumina perpeti lapsu decurrentia, dicunt. Aliquando item ex infimis rem tantam collaudant, quum Deum vel fragrans unguentum, vel lapidem angularem vocant. Ferarum quoque illi applicant formas, leonis ac pantheræ proprietatem ei adscribentes, ut pardum fore dicentes, ursamque sævientem *. Addam et quod omnium vilissimum atque absurdissimum esse videatur, namque et vermis speciem divinam illam excellentiam sibi affixisse, hi qui divina sacratius callent tradiderunt. Adeo omnes quos divina implevit sapientia, occultæ illius ac divinæ inspirationis enuntiandæ functi ministerio, sancta sanctorum ab imperfectis ac profanis absque ulla commixtionis macula dirimunt, dissimilemque sacrarum rerum fictionem profitentur ac prædicant, ut neque divina profanis perceptu facilia sint, neque rursus sacratissimorum signorum studiosi inspectores figuris tanquam veris inhæreant, utque divina verissimis profecto negationibus honorentur, dum extremis creaturæ suæ partibus, a sua licet natura remotissimis, similis dicitur. Nihil igitur ineptum aut absurdum facere videntur qui ob eas quas diximus causas, cœlestibus illis immortalibusque substantiis dissimiles omnino similitudines ex inferioribus petitas affigunt. Nam fortasse ne nos quidem ex ambiguo ad inquirendum excitati essemus, neque ad sacratiora intelligentiæ per diligentiorem scrutationis indaginem venissemus, nisi nos commovisset inhonesta fictionum facies qua proprietas exprimitur angelorum, nulla ratione permittens mentem nostram in fœdis formarum insidere figmentis, sed excitans potius ad omnes mortales affectus renuendos, atque salubriter consuefaciens per ea quæ videntur ad sublimiora contendere atque ad cœlestia subvehi.

* indigentem

Sed hæc hactenus dixerim ob eas quæ in sacris Litteris habentur effigies descriptionesque angelorum : ex quibus id constet, eas ab inferioribus multumque remotis,

rationabiliter utiliterque petitas. Deinceps vero definire oportet quid hierarchiam ipsam esse arbitremur, quidve illa conferat his qui se illi devoventes, in ejus sortem concessere. Sit autem dux verbi Christus (si mihi dicere liceat) meus, qui de tanta re quid dicere debeamus inspiret. Est enim ipse totius scientiæ fons, cœlestisque afflatus indultor. Tu autem, o fili, juxta quod sancit nostra piissima et sacrosancta traditio, et ipse quæ sancte dicuntur, congrua suscipe pietate, ac divina discendo, divinus efficere; et sancta mentis recessibus condens, ea ut eximia et conjungendi nos Deo vim habentia singularem, a profana multitudine inviolata custodi. Nefas enim *Matth.* VII. 6. est, ut sacra testantur Eloquia, spiritualium margaritarum purissimum illum ac permixtionis ignarum perlucidumque decorem et ornatum, totius venustatis auctorem, in porcos abjicere.

# CAPITULUM III

QUID SIT HIERARCHIA, ET QUÆNAM EJUS UTILITAS.

EST itaque hierarchia, ut mihi quidem videtur, ordo sacratior et scientia et operatio, quæ ad Dei similitudinem pro viribus nititur, ac pro modo suo ad illius imitationem ex indulta sibi divinitus intelligentiæ luce subvehitur. Porro pulchritudo divina, ut simplex, ut bona, ut perfectionis auctor, pura quidem est, nullamque prorsus admixtionem dissimilitudinis suscipit; verum singulos pro meritis, lucis suæ participes facit, et sacrosancto mysterio perficit, quantum quisque initiatus congrue illius in se immutabilem exprimere effigiem nititur. Est ergo sacratissimæ hujus functionis intentio, Deo quantum fieri potest similem evadere, unumque cum illo fieri. Quæ profecto destinatio * Deum ipsum habet totius sacratioris scientiæ et actionis præceptorem; inque illius augustissimam speciem intenta semper ac firmiter, atque ad illam se pro virium modo componens, eos etiam qui secum divina sectantur, Dei signa et imagines efficit, ac perlucida specula et omni labe pura, dignaque quibus principalis illius ac divinæ lucis suavissimus radius influat : quæ ubi indultum sibi sacratissimum jubar affatim hauserint, hoc ipsa postmodum absque invidia sequentibus fundunt, atque in hoc ipso divinis obtemperant legibus. Neque enim fas est his qui sacra mysteria tradunt, sive qui illa percipiunt, operari prorsus aliquid nisi quod officii sui divina sanxit institutio. Ne aliter quidem esse quam sunt, confuso licebit ordine, si candorem illum lucis per quam dii efficiuntur, in se suscipere cupiunt : in quam prospicientes jugiter, pro ratione cujusque sanctorum spirituum se ad eam effingere student. Quum itaque hierarchiam dicimus, sacram penitus quamdam distinctionem indicamus, quæ sit imago divinæ pulchritudinis fulgorisque sui, et intelligentiæ arcana mysteria ordinibus ac discipulis sacratioribus peragit, principiique sui similitudinem, ut fas est, in se conatur exprimere.

* intentio, imitatio, sacraque functio.

Ea enim demum cuilibet divinæ illi distinctioni dedito perfectio est, pro modo suo ad Dei imitationem totis conatibus eniti, quodque præstantius omnibus ac divinius I *Cor.* III, 9; III *Joann.* 8. est, ut sacra testantur Eloquia, Dei cooperatorem fieri, divinamque in se operationem quantum potest palam cunctis ostendere. Puta quoniam sacræ illius functionis ordo est, ut alii purgentur, alii purgent; et alii mysteriis imbuantur atque illuminentur

doctrina salutari, alii id opus exsequantur; ad perfectum alii ducantur, perficiant alii : unicuique divina imitatio hoc modo conveniet. Divina illa beatitudo, ut humano loquamur affectu, nullius dissimilitudinis admixtione violatur; plenaque est sempiterni luminis, perfecta, nullius perfectionis egens, totius perfectionis indultrix, purgans, et illuminans, atque perficiens; imo vero sacra ipsa purgatio exsistens, et illuminatio, atque perfectio, supra purgationem omnem, supra lucem, ante perfectionem inæstimabili modo locata, ipsa perfectionis auctor, ac totius quidem sacræ functionis causa, ceterum a sacris omnibus ratione excellentiæ singularis* excepta. Oportet igitur, ut arbitror, eos quidem qui purgantur, omni prorsus labe puros effici, ac dissimili omni commixtione liberari ; qui vero illuminantur, eos divina luce repleri, atque castissimis mentis obtutibus ad contemplationis habitum virtutemque conscendere ; porro qui perficiuntur, eos quum gradatim ad superiora ferantur, participes fieri perficientis illius scientiæ sacrorum ad quæ contuenda prius illuminati erant. At vero quibus purgandi ceteros officium est, ingenti munditiæ copia tradere aliis suæ sanctimoniæ consortium decet; qui vero illuminandi consecuti sunt munus, eos utpote lucidiores spiritus, ad percipiendam atque tradendam aliis participationem ac societatem lucis idoneos, sacrique illius fulgoris gratia opulentissime plenos, exundantem omni ex parte lucem in eos qui merentur, effundere; qui autem perficiendi funguntur vice, eos ut perficientis disciplinæ peritissimos, sacratissima institutione scientiæ sanctarum quas contemplati sunt rerum, ad se accedentes hujus rei causa perficere. Quilibet itaque supernæ distinctionis ordo pro modo ac ratione sua, ut Deo cooperetur enititur, ea per gratiam indultæ sibi a Deo virtutis efficiens, quæ ipsi Divinitati excellenti quodam modo naturaliter insunt, et quæ ab ea supersubstantialiter fiunt, quæque se ad imitationem cœlestium angelorum sublimiter pandunt.

* unicæ ac simplicis

# CAPITULUM IV

### QUID SIGNIFICET ANGELORUM APPELLATIO.

QUONIAM itaque quid sit hierarchia ipsa, convenienter a nobis, ut reor, definitum est, ipsam jam angelorum functionem suo ordine laudare necessario convenit, sacrasque illius formas quas sacræ Litteræ fingunt, elevatis mentis luminibus cernere, ut per sacratiora figmenta ad excellentem illarum prorsusque divinam simplicitatem conscendamus, atque cum debitæ venerationis honore gratiarumque actionibus congruis, totius supremæ scientiæ laudemus initium.

Primum omnium illud verissima ratione dixerimus, ut bonitate sola, summa illa Divinitas rerum essentias statuit, atque ad esse produxit. Est enim omnium causæ excellentisque bonitatis id proprium, ut ad consortium sui quæ sunt invitet, et attrahat omnia, singula scilicet pro captu et modo rationis suæ. Igitur omnia quæ subsistunt, providentiæ ratione reguntur ex summa illa omnium auctore Deitate manantis, illique participant. Alioqui essent profecto nulla, nisi substantiæ rerum atque principio communicarent. Itaque inanima omnia, hoc ipsum quod sunt inde suscipiunt : quippe esse omnium est ipsa Divinitas, quæ modum totius essentiæ superat. Porro quæ vivunt, omnia ex hac ipsa quæ supra omnem vitam est cunctaque vivificat, ut vivant acce-

perunt. Rationalia item atque intellectualia, ejusdem supra mentem omnem atque intellectum perfectæ et omnia ad perfectum ducentis sapientiæ, sunt participatione felicia. Liquet autem illas in conspectu ejus versari substantias quæque multis modis illi communicant. Sanctæ itaque cœlestium spirituum distinctiones, eis et quæ solum sunt, et quæ sine rationis usu vivunt, et quæ humana utuntur ratione, divinæ illius participationis dignitate et copia, longe præcellunt. Nam quum se ad imitandum Deum spiritualiter intelligibiliterque componant, atque divinam similitudinem ultra humanum morem intuentes, ad eam intellectualem speciem suam effingere cupiant, merito uberiori illius participatione beatæ sunt. Adstant enim propius illi cohærentes, ac semper in anteriora, quantum fas est, eximia divini et nunquam fatiscentis amoris intentione contendunt, divinos illos fulgores absque ulla materia et admixtione jugiter haurientes, atque in illorum formæ naturam transeuntes, vitamque omnem habentes spiritualem. Hæ sunt igitur quæ principali et multiplici modo, divinæ societatis honore sunt præditæ, secretumque divinum præcipue multisque enuntiant modis. Idcirco et præ omnibus angelicum cognomen meruerunt, quod quum in eas primo divinæ claritatis fulgor emanet, ipsæ postmodum in nos enuntiationes illas sublimiores superne trajiciant. Sic denique et lex, ut Scriptura divina testatur, per angelos nobis indulta est. Inclytosque illos patres nostros qui ante legem, quique fuere post legem, angeli ad Deum subvexere : sive quid agendum esset admonentes, atque ab errore sacrilego vitaque profana, ad rectum veritatis iter traducentes; sive sacra quævis instituta, seu cœlestium sacramentorum occultas visiones, sive divinas aliquas prædictiones, docendo pandentes.

*Act.* VII, 53; *Galat.* III, 19.

Enimvero si quis fortasse dixerit, ex Deo ipso absque ullo medio quibusdam Sanctorum divinas apparitiones contigisse, is illud quoque de sacratissimis libris sapienter intelligat, ut secretum ipsum Dei, quodcumque tandem illud est, nemo unquam vidit neque videbit. Ceterum divinæ illæ apparitiones sanctis viris per signa Deo convenientissima, sacris quibusdam atque intuentium modo ac viribus accommodatis visionibus, contigere. At vero sapientissima Theologia, visionem illam quæ in semetipsa descriptam ostendit divinam veluti effictam ex rebus formas non capientibus similitudinem, quod ad Deum cernentes adducat, divinam apparitionem rectissime appellat : per quam intuentibus divinus ille fulgor irradiet, eosque sacratius aliquid atque augustius doceat.

*Joann.* I, 18; I *Tim.* VI, 16; I *Joann.* IV, 12.

Hujusmodi vero divinas visiones celeberrimi illi patres nostri ministerio cœlestium virtutum ediscebant. An non ipsam quoque legis sacram sanctionem ut ex Deo Moysi traditam Scripturæ sanctæ traditio loquitur? At id quidem nos verius instruit divinæ illam fuisse sacratiorisque legis effigiem. Ex quo et illud sapientissime Theologia videtur innuere, quod scilicet idcirco illa per angelos ad nos usque manaverit, ut id sanctissimæ ac divinæ legis institutione caveretur, priora sequentibus iter ad Deum sternere. Non enim solum in superioribus inferioribusque spiritibus lex ista constituta est, verum in æqualibus quoque, et qui ejusdem ordinis sunt. Quippe statuit summus ille ac supersubstantialis omnium ordo, per singulas distinctiones primos et medios extremosque esse ordines atque virtutes, ut scilicet inferiorum spirituum excellentiores quique præceptores ac duces sint, per quos illi accessum habeant ad Deum, et ad lucem illam secretissimam Dei societatemque perveniant.

*Exod.* XXXI, 18.

*Act.* VII, 53; *Galat.* III, 19.

Intueri autem libet, ut divinum illud sacramentum quo nostræ humanitatis Jesus benignissime factus est particeps, angeli primum didicerunt, deinde per illos ad nos quoque scientiæ istius gratia derivavit. Sic denique Gabriel Zachariam quidem pontificem, ut legimus, docuit nasciturum ex se præter spem sola divina gratia filium,

*Luc.* I, 11-20.

prophetam fore ac prævium illius quæ mundo clementissime atque saluberrime revelanda erat in humana carne Jesu, divinæ operationis; Mariam vero, quo pacto in ea divinum illud atque ineffabile susceptæ a Deo humanitatis sacramentum perficeretur, instruxit. Alius item angelus Joseph pium erudivit, et quæ patriarchæ David divinitus promissa fuerant, impleta præmonuit. Alius item pastores, ut solitudinis recessu et quiete purgatos, alloquitur, eisque nuntiat gaudium; atque cum illo multitudo cœlestis exercitus hymnum illum celeberrimum atque laudatissimum mortalibus tradit. Libet ad ipsas quoque supremas Sanctorum altissimasque intelligentias cordis lumen attollere. Cerno enim, ut ipse quoque Jesus cœlestium substantiarum auctor mirabilis atque incomprehensibilis, ab humana quam ipse statuerat et elegerat lege atque ordine non desciverit, quum ad infirma nostra sine ulla sui mutatione venisset, imo obtemperanter Patris ac Dei institutis quæ per angelos dederat, fuerit obsecutus. Illorum item ministerio nuntiatur Joseph, a Patre summa dispensatione decretus Jesu vel in Ægyptum discessus, vel ex Ægypto in Judæam denuo reditus; ipsum quoque per angelos cernimus paternis legibus subditum. Omitto enim ea dicere quæ sacrosanctis nostris traditionibus exponuntur, scienti enim loquor, ut scilicet Jesum angelus passioni proximum et orantem, confortasse memoretur; et ipse quoque Jesus, quum ob nimiam caritatem suam, salutique nostræ nimis necessariam, ad suæ pietatis opus implendum in ordine venisset nuntiantis, magni consilii Angelus sit prædicatus. Nam profecto, sicut ipse suo ministerio convenientia locutus ait, quæcumque audivit a Patre, nuntiavit nobis.

*Luc.* I, 26-35. *Matth.* I, 20, 21. *Luc.* II, 9-12. *Ibid.* 13, 14. *Matth.* II, 13. *Ibid.* 19, 20. *Luc.* XXII, 43. *Is.* IX, 6, juxta LXX. *Joann.* XV, 15.

# CAPITULUM V

### CUR OMNES COELESTES SPIRITUS COMMUNI APPELLATIONE DICANTUR ANGELI.

HÆC igitur est, quantum ipsi sapimus, angelicæ (quam in Scripturis sanctis invenimus) appellationis causa. Dignum vero videtur inquirere diligentiusque rimari, quamobrem hi qui nobis de Deo rebusque divinis disseruerunt, omnes quidem simul cœlestes substantias angelos vocent : ubi vero altissimas illarum distinctiones exponere et enarrare pergunt, angelicum eum proprie ordinem nominant, qui divina et cœlestia agmina complet, extremoque in loco positus perficit ; ante hunc vero Archangelos eminentius statuunt, Principatus deinceps, et Potestates, ac Virtutes, quasque his etiam superiores substantias norunt atque enuntiant sanctorum voluminum traditiones, graduum inter se celsitudine differentes. Dicimus itaque in omnibus sacratissimis distinctionibus superiores quosque eminentioresque ordines, inferiorum quoque agminum non carere fulgoribus atque virtutibus; posteriores vero, superiorum intelligentiæ exsortes esse. Igitur sanctissima illa summorum spirituum agmina, etiam angelos theologi appellant : et ipsa enim vim superni illius divinique fulgoris enuntiant. Porro extremum sanctorum spirituum ordinem, Principatus, aut Thronos, aut Seraphin dicere, absurdum est et a ratione prorsus alienum. Neque enim supremis illis virtutibus societate aut participatione conjungitur. Ceterum, quemadmodum ipse hic venerandos divinosque pontifices nostros, ad familiares sibi et cognitas summæ Divinitatis intelligentias provehit; ita et quæ illi prælatæ sunt et longe eminent sacra-

tissimæ distinctiones, implentem cœlestes angelicasque functiones ad Deum subvehunt ordinem. Nisi forte istud quoque quis dixerit, idcirco angelicas omnes appellationes esse communes, quod omnium cœlestium virtutum sit æqua societas, atque ad Dei similitudinem lucemque divinam, licet aliæ aliis excellant, gradusque diversi sint, una tamen intentione nitantur. Verum ut hujus rei ratio liquidius constet, et quod dicimus magis perspicuum sit, intueamur alto mentis obtutu cujusque cœlestis ordinis expositas * in sanctis Litteris proprietates.

* expressas atque tactas

# CAPITULUM VI

## QUÆNAM SIT COELESTIUM SUBSTANTIARUM PRIMA, QUÆ MEDIA, QUÆ EXTREMA DISTINCTIO.

QUOT nempe et cujusmodi sint sanctorum spirituum distinctiones, et quo pacto sacræ illorum functiones peragantur, solam examussim nosse dixerim summam per quam illi in Deum assumuntur Deitatem. Ad hæc ipsos quoque cœlites, virtutes proprias atque fulgores et sacratissimum suum cœlestemque ordinem, non ignorare par est. Neque enim scire possumus nos beatissimorum spirituum abstrusa mysteria, utque illi sanctissime perficiantur : nisi illa forte nos scire quis dicat, quæque illorum ministerio, sua scilicet rite callentium, divina nos pietas docuit. Itaque nos quidem nihil motu proprio instructuque dicemus. Ceterum quæ a sanctis theologis notata sunt angelicæ proprietatis insignia, ea nos edocti pro viribus exponemus. Omnes simul cœlestes immortalesque substantias, in novem ordines divinus sermo distinxit, propriisque ac significantibus vocabulis appellavit. Has eximius præceptor noster*, in ternas tertio repetitas distinctiones ad sanctæ Trinitatis divisit imaginem. Ac primam quidem esse ait quæ coram Deo versetur semper, idque ex divina dignatione susceperit ut illi inhæreat jugiter, nullisque mediis interjectis spiritibus inseratur. Nam sanctissimos Thronos, et oculis plurimis alisque præditos ordines, Cherubin scilicet et Seraphin Hebræorum voce appellatos, juxta Deum, nullis mediis insertis agminibus, eminenti propinquitate locatos ait, idque sanctarum Scripturarum tradere expositionem. Hanc igitur ternariam distinctionem, ut unam et per omnia æqualem primamque revera hierarchiam, illustris dux noster ac magister esse ait : qua non sit præstantior altera, primoribusque Dei summi splendoribus majori propinquitate conjuncta. Secundam vero asseruit quæ Potestatibus, Dominationibus Virtutibusque conficitur. Tertiam item, quæ in cœlestibus functionibus extremum teneat locum, ex Angelis et Archangelis Principatibusque constantem.

* beatissimus Paulus

*Ezech.* I, 18; X, 12; *Is.* VI, 2.

# CAPITULUM VII

## DE SERAPHIN ET CHERUBIN ET THRONIS, ET DE PRIMA EORUM HIERARCHIA.

HUNC nos quoque suscipientes functionum cœlestium ordinem aptissimamque distributionem, dicimus primo, omne sanctorum spirituum cognomen, insinuationem atque indicium præferre divinæ cujuslibet ipsorum proprietatis. Ac sanctorum quidem Seraphin appellationem, ii qui Hebrææ linguæ periti sunt, incendentes sive calefacientes ; Cherubin vero, multitudinem scientiæ, sive sapientiæ effusionem significare aiunt. Merito igitur prima illa cœlestis functio ab altissimis spiritibus agitur, cui sit ordo omnibus celsior atque sacratior, ut ante conspectum divinæ majestatis continenter adsistat, perpetuoque locata sit, atque in ipsam utpote propinquissimam, primores illæ divinæ apparitiones ac perfectiones præcipue ac peculiarius penetrent. Appellantur nempe calefacientes, et Throni, et sapientiæ effusio, congruo scilicet ac divino illorum habitus signante nomine.

Nam, quod divinis rebus sempiterno motu et nunquam lacessente studio inserviant, ardoreque ac celeritate mirabili ac fervore perpetui illius et nunquam cedentis aut inclinantis æterni motus sui, inferiora etiam agmina ad sui similitudinem potentissime subvehant, illa veluti incendentes, atque ad similem fervoris gratiam exsuscitantes ; præterea, quod summa vi flammantis incendii expurgent, lucidaque et illuminante proprietate beatissimi spiritus, apertaque, et inexstinguibili, et quæ semper eodem se habeat modo, totius obscurissimæ caliginis ac cæcitatis expultrice ac profligatrice, sint præditi : Seraphin accepere cognomen. — At vero sanctorum Cherubin appellatione, illorum eximia scientia, Deique speculatio, summæque et exuberantis lucis capacitas, atque contemplatio qua divinam speciem non per traduces ullos, sed primaria vi sua intuentur, gratiæ quoque copiosa traditio et communicatio, invidiæ livore carens, qua indultam sibi sapientiam in sequentia et inferiora transfundunt, designatur. — Porro altissimarum et elevatarum Sedium nomine, illas ab omni terreni affectus humilitate longissime remotas esse, sursumque ad ardua inviolabili studio ferri, edocemur, dum illæ ab infimis omnibus jugi intentione disjunctæ, ac circa illum qui vere excelsus est, totis viribus inconcusse stabiliterque locatæ, divinum illius adventum absque ullius perturbationis ac materiæ impedimento suscipiunt, Deumque ferentes obsequii devotione, ad ipsius percipiendos fulgores semper patent. Ista quidem nominum ipsorum, quantum ipsi intelligimus, ratio est.

Dicendum vero, quam esse ipsorum hierarchiam arbitremur. Nempe enim quod omnis hujusce sacræ functionis intentio ex divina imitatione ac specie dependeat, quodque officium ipsius omne, in participationem sacram traditionemque purgationis immixtæ, et divini luminis, consummantisque scientiæ, divisum sit, supra jam satis dictum esse arbitror. Nunc vero digne pro merito tantarum rerum dicere cupio, quonam modo hæc altissimorum spirituum functio in sanctis Litteris traditur. Primis illis substantiis quæ post auctorem suum Deum locatæ, ac veluti in ipsius valvis positæ, omnem invisibilem visibilemque virtutem conditam longe transcendunt, propriam quamdam esse atque adesse in nullo dissimilem functionem, arbitrandum est.

Puritate quoque singulari præditas existimandum, non quasi maculis impuris

* non quasi liberatas a rerum materialium imaginationibus

* immutationem, offensionem atque injuriam

colluvionibusque liberatas, neque ut materiales non suscipientes imagines* : sed ut omni submissione atque admixtione celsiores, sacraque omni re, excellenti licet, per supremam atque inviolabilem puritatem, divinisque ipsis virtutibus omnibus, superne eminentes ; atque ordinem suum sempiterno parilique et constanti vigentem motu, fixum atque invertibilem divina dignatione tenentes ; nullamque in deterius immimutionem* penitus scientes, sed stabili semper atque immobili divinæ proprietatis suæ, purissimaque sede, subnixas.

Contemplativas item pari ratione sentiendum est : non quasi illæ sensibilia vel spiritualia contemplentur signa, neque ut quæ traditæ in divinis Litteris speculationis ad Deum varietate ferantur ; sed ut totius spiritualis scientiæ celsiori luce repletas, principalisque atque pulchra cuncta facientis speciei, supersubstantiali ac liquidissima contemplatione plenitudineque beatas. Eadem quoque ratione, Jesu felicissima societate dignatas : intelligendum, non quod ex fictis imaginibus ac formis illæ deificam similitudinem nitantur exprimere ; sed quod veraciter in prima participatione scientiæ deificorum ipsius luminum illi propinquæ sint ; ac præterea, quod ipsis divina imitatio excellentiori modo donata sit, communicantque, quantum par est, in primæ conditionis suæ potestate, deificis ipsius benignissimisque virtutibus.

Perfectas autem itidem fatendum, non quasi eam scientiam didicerint, qua signorum sacra varietas perplexaque solvantur involucra, sed ut quæ primæ illius eminentisque gratiæ per quam Deo inseruntur, plenitudinem sint consecutæ, juxta supremam illam cujus capaces sunt angeli, divinorum operum disciplinam. Neque enim per sanctos alios spiritus, sed a Divinitate ipsa, sacratius erudiuntur, in illam perpetua se intentione dirigentes, excellenti cunctis virtute atque ordine ; ad summum quoque puritatis et nusquam deviantis constantiæ verticem pervectæ, et in eo stabilitæ, decorem illum omni materia celsiorem, intelligibilemque, ut fas est, contemplari pergunt ; divinorumque operum profundas et quæ sciri possunt rationes, ut primariæ et quæ juxta Deum sint, discunt, ab ipsa sancta Trinitate supreme eruditæ.

Istud nempe theologi apertius indicant, inferiores scilicet cœlestium spirituum ordines a superioribus divinorum operum scientiam honestissime discere ; qui vero celsiores omnibus sunt, a Deitate ipsa, ut fas est, seorsum sacratius erudiri. Quosdam
*Ps.* XXIII, 10. enim ex ipsis inducunt a prioribus sacramenta perdiscere, Dominumque cœlestium virtutum esse ac regem gloriæ, qui humana forma assumptus esset in cœlum, aliis docentibus nosse ; quosdam item ad Jesu ipsius hæsitantes adspectum, divinique illius operis et pro nobis assumptæ carnis scientiam discere cupientes, quos ipse Jesus per
*Is.* LXIII, 1, juxta LXX. se doceat, eximiamque benignitatem suam primo ipsis insinuet. Ego enim, inquit, loquor justitiam et judicium salutaris. Dignum vero miraculo est, cur primæ illæ quoque virtutes angelicæ, quæ ceteras tanto celsitudinis honore transcendunt, divinarum intelligentias rerum, quasi non summæ, sed mediæ sint, reverenter addiscere cupiant : non enim ad ipsum statim verba dirigunt, interrogantes, Quare rubra sunt vestimenta tua ? Sed prius inter se hærentes inquirunt, ut ostendant quidem se discendi avidas, et divini operis scientiam cupere, verum hanc sibi nequaquam ante divinæ illustrationis gratiam suo ordine procedentis, usurpare præsumere.

Prima igitur cœlestium spirituum sacratissima functio, ab ipso Deo (ut diximus) eruditur. Quumque ad illum nullo medio tota intentione feratur, purgatione castissima, ingenti lumine, et exactissima primaque perfectione pro modo et captu suo plena, purgatur, et illuminatur, atque perficitur, omnis quidem submissionis admixtione pura, ceterum primo plena lumine, et primitus indultæ notionis ac scientiæ effecta particeps. Illud quoque paucis non inconvenienter addiderim, quod participatio

ipsa divinæ scientiæ, et purgatio et illuminatio sit, atque perfectio : dum per indultam sibi ordinatissime perfectorum mysteriorum notionem, veluti ab ignorantia purgat; ipsaque divina scientia illuminat per quam etiam purgat, dum quæ antea non videbantur, sublimioris nunc intelligentiæ luce panduntur; perficit itidem hoc lumine, dum altissimorum sensuum firmam perseverantemque scientiam tradit.

Hæc igitur est, quantum ipse sapio, cœlestium spirituum prima distinctio : quæ Deum jugiter ambiens, et circa illum nullis mediis interpositis agminibus adstans, æternam ipsius scientiam simpliciter et indeficienti circumstat affectu, secundum altissimam illius angelicæ firmitatis sempiterno vigentis motu, rationem. Ea quippe plurimas ac beatissimas speculationes, purissimis intuetur obtutibus, simplicesque et continentes divinæ claritatis radios suscipit. Atque divini cibi alimonia pascitur : qui primæ quidem est largitionis profusione plurimus; ceterum divinæ refectionis unitate non varia, et quos repleverit sibi inserente, unus est. Permulta item divinæ societatis gratia et familiaritate et cooperatione beata, dum ejus in se pro viribus similitudinem exprimit, præclaros habitus actionesque imitatur; plurima ex divinis rebus excellenti ratione cognoscens, divinæque scientiæ et agnitionis, quantum fas est, particeps facta.

Quocirca ipsius quoque laudes Scriptura sacra mortalibus tradidit, in quibus aperte supremæ illius lucis et augustissimæ intelligentiæ notatur eminentia. Namque, ut humano more dixerim, alii ex his spiritibus aquarum voces imitantur, dum exclamant : Benedicta gloria Domini de loco suo. Alii laudatissimam illam et horroris reverentiæque ac sacratioris intelligentiæ plenam clamantes emittunt vocem : Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth; plena est omnis terra gloria illius. Has autem altissimas cœlestium spirituum laudationes, jam quidem quum de divinis hymnis scriberemus, satis tunc hac de re pro modulo nostro in illo opere diximus. Ex quo admonendi causa id tantum impræsentiarum dixisse sufficiat, quod Theologiæ scientiam prima ista distinctio a divina bonitate (ut fas est) intimi fulgoris accipiens, hanc ad divinæ bonitatis imaginem, deinceps iis etiam qui post eam sunt ordinibus tradit, illud (ut breviter dixerim) docens : venerandam illam excellentique laude ab omnibus prædicandam Deitatem, fas esse laudabiliter a divinis tantæque majestatis capacibus spiritibus agnosci, atque pro merito ac modo singulari celebrari (sunt enim isti plane, quod sacræ tradunt Litteræ, ut divinam speciem præ se ferentes, divinæ requiei beatissimæ sedes); illud præterea monadem esse, atque in tribus personis unitatem, quæ a summis illis angelicisque substantiis usque ad terræ novissima, ineffabili benignitate pertingat, et quæ sunt omnia providentiæ suæ ratione moderetur, ut totius substantiæ singulare principium et causa, et quod omnia supersubstantialiter inviolabili modo comprehensa contineat.

*Ezech.* I, 24.
*Ibid.* III, 12.
*Is.* VI, 3.

# CAPITULUM VIII

## DE DOMINATIONIBUS, VIRTUTIBUS AC POTESTATIBUS, ET DE MEDIA ILLARUM HIERARCHIA.

TRANSEUNDUM jam nobis est ad mediam cœlestium spirituum distinctionem, Dominationesque illas et potentissima omnino spectacula divinarum Potestatum atque Virtutum, erectis in æterna luminibus, pro captu nostro contemplandum. Quælibet enim supernarum virtutum appellatio, proprietates illarum divinam imi-

tantes speciem, signat. Sanctarum igitur Dominationum pleno mysterii nomine, signari arbitror celsiorem intelligentiam quamdam, totius servitutis ignaram, omnique submissione infima liberam, nullique tyrannicæ dissimilitudini ullo omnino modo se ipsam subjicientem. Quæ quum suam asserit libertatem, ut nullis blanditiis cedens, veraque dominatio, servili omni et imminutioni obnoxio opere superior est, nullique submissioni cedit; atque omni dissimilitudine celsior, veræ dominationis, imo Deitatis ipsius summe dominantis, indeficienti ardentique flagrat desiderio, atque ad illius propriam similitudinem se ipsam, in quantum potest, et quæ post se sunt, ad summi boni exemplar effingit, atque ad nihil eorum quæ frustra* videntur, sed ad id solum quod vere ac proprie est, tota intentione conversa, summe semper dominantis Deitatis pro viribus particeps fit.

* vane caduceque

Enimvero beatissimarum appellatione Virtutum, virilem quamdam et (ut sic dixerim) masculam inconcussamque fortitudinem signari, certum est, qua in omnibus divinis suis actionibus præditæ, ad nullius superne illabentis divini fulgoris perceptionem invalidæ fiunt, atque ad Dei imitationem potenter assurgunt, neque per imbecillitatis ignaviam divinos suos deserunt motus. Ceterum intentione perpetua supremam illam (per quam valent omnia) virtutem intuentur, ejusque potens imago pro viribus fiunt, atque ad ipsam ut virtutis totius auctorem vi summa conversæ, ad ea quæ inferiora secundo loco sunt, virtutis largitate ad divinæ bonitatis effigiem, prodeunt.

Porro sanctarum Potestatum vocabulo, quæ unam et æqualem cum altissimis Dominationibus atque Virtutibus sortem accepere, significari dicimus ornatissimum, et nulla permixtione confusum ad divina suscipienda, ac pulcherrimum ordinem, et aptissimam seriem cœlestis spiritualisque potentiæ, nequaquam tyrannice atque in deterius viribus suæ potestatis abutentis, verum insuperabili constantia ordinatissime ad divina tendentis, et quæ post se sunt agmina, Dei imitatione promoventis. Hæ vero summæ illius potestatis (ex qua, ut sint potentes, acceperunt) similitudinem in se nituntur exprimere, eamque, ut angelis fas est, in suis ordinibus decore* potentissimæ virtutis insignibus, præferunt.

* forma et pulchritudine

His divinis proprietatibus freta, cœlestium spirituum media illa distinctio purgatur quidem et illuminatur atque perficitur, modo quo diximus, ex sacris intelligentiæ divinæ fulgoribus in illam per primæ superiorisque distinctionis officium secundo loco manantibus, perque mediam illam hac liquidiore penetrantibus luce*. Denique, quod legimus per angelum in alium angelum cujusdam rei pervenisse notitiam, evidens indicium esse arbitramur perfectionis ex longinquo venientis, ac processus ratione in secundum perfectionis locum derivantis. Nempe enim ut hi qui nostra veneranda mysteria probatissime callent, eas divinarum perceptiones rerum quæ a Deo ipso sumuntur nullius intercedente ministerio, perfectiores esse aiunt iis divinæ contemplationis participationibus quæ per alios veniunt; ita reor angelicorum quoque ordinum gradum qui sine ullo medio divina contemplatione fruuntur, dum in Deum ipsum præcipue tendunt, longe esse certiorem et efficaciorem, quam illorum qui per alios medios id assequuntur. Quocirca nostra quoque sancta sacerdotalisque traditio, primores illos spiritus, sequentium perficientes et illuminantes ac purgantes appellat, quorum illi ministerio ad summum illud omnium principium subvehuntur, divinarumque purgationum et illustrationum ac perfectionum, ut sibi fas est, participes fiunt. Id quippe divina et æterna lege atque ordine sancitum est, ut per prima secundis divini fulgoris radius influat.

* quæ in secunda per primam suscipitur hierarchia

Invenies hoc plerisque in locis docuisse theologos. Nam quum divina paternaque

clementia Israeliticam plebem pro salute sua ad conversionis gratiam erudiret, ferisque et immitibus gentibus ad emendationem et ad pœnam de illa sumendam exponeret, omnique providentiæ genere errantes ad meliora converteret, ubi ad pœnitentiæ remedia confugissent, et liberos a captivitatis injuria dimittebat, et ad priores per summam clementiam delicias copiasque revocabat : cernit nempe Zacharias, unus ex theologis, unum ex primis (ut arbitror) angelis qui oculis divinæ majestatis semper adsistunt (communis quippe est, ut supra jam diximus, cœlestibus omnibus angelica cognominatio) verba consolatoria de hoc ipso a Deo didicisse, ut dictum est; alium *Zach.* I, 13. vero ex inferioribus angelis in occursum primi processisse, ut divinæ per illum *Ibid.* II, 3 *et seq.* intelligentiæ capax et particeps fieret, deinde, quum ab eo veluti ab antistite divinum consilium didicisset, ut Prophetam quoque doceret fuisse permissum, quod ubertim habitabitur Jerusalem a multitudine hominum. Alius item ex theologorum numero, Ezechiel, hoc et a Deitate ipsa sedente super Cherubin in suæ gloria majestatis, sacratissime fuisse constitutum ait. Israeliticam enim (ut diximus) gentem paterna clementia per disciplinam ad meliora traducens, justitia convenientissima insontes a reis discernendos instituit. Primus hoc post Cherubin discit, qui lumbos sapphiro *Ezech.* IX, 2. erat accinctus, qui talarem tunicam, pontificalis vestis indicium, induebatur. Porro angelos reliquos, qui securibus armati erant, divina et ornatissima dispositio jubet a priore discere divinum de re tanta discrimen. Nam illi quidem per mediam Jerusalem transire jubet, et signa frontibus insontium virorum imponere; aliis vero : *Ibid.* 4. Ite, dicitur, in civitatem post ipsum, et occidite, neque parcatis oculis vestris; super *Ibid.* 5, 6. omnes autem in quibus est signum, nolite propinquare. Quid autem de illo dicemus angelo qui Danieli ait, Exiit sermo? aut de illo qui primus ignem de medio Cherubin *Dan.* IX, 23. sumpsit? sive (quod ad demonstrationem angelici pulcherrimi ordinis profecto plus *Ezech.* X, 2. valet) quod Cherubin ipsa ignem in ejus manus injiciunt qui sanctam induerat *Ibid.* 7. stolam? sive de illo qui eximii meriti Gabrielem vocavit, et dixit, Fac intelligere istum *Dan.* VIII, 16. visionem? sive quæcumque alia a sanctis theologis de cœlestium spirituum divina specie ac decoro ordine dicta leguntur, ad cujus sane imaginem dum nostra quoque sacrosancta functio se componit, eique similis evadere pro viribus nititur, angelicum decorem veluti in figuris consequetur, formas inde capiens, ac per illum ad summum totius sacræ functionis auctorem Deum, ejus freta adminiculis, scandens?

# CAPITULUM IX

### DE PRINCIPATIBUS, ARCHANGELIS ET ANGELIS, DEQUE EXTREMA ILLORUM HIERARCHIA.

RELIQUA nobis ad speculandum superest sacra illa distinctio quæ ordines concludit angelicos, quæ profecto in divinos Principatus, et Archangelos, Angelosque distinguitur. Ac primo quidem necessario dicendum puto, in quantum vires suppetunt, quid ipsorum significet nomen. Exprimitur namque cœlestium Principatuum nomine, illos ad Dei imaginem principari ac duces esse, cum sacrosancto principalibusque virtutibus convenientissimo ordine, atque id præterea, ad summum eos principatum tota intentione conversos, aliorum quoque præcipua dignitate duces

esse, ac pro viribus in se effingere supremum illum suique auctorem principatum student, principaliumque decore virtutum summum illius divinumque ordinem promere.

Porro sanctissimus Archangelorum ordo, æqualis quidem cœlestibus Principatibus dicitur. Est enim, ut diximus, ipsorum atque Angelorum functio una, unaque distinctio. Quia tamen nulla est hujusmodi sacratissima functio, quæ non et primas habeat et medias extremasque virtutes, sanctus Archangelorum ordo, quum sit in medio functionis constitutus, communi quodam socialique jure extrema complectitur. Altissimis namque Principatibus, et sanctis communicat Angelis : illis quidem, quoniam ad supremum illum principatum præcipue intentus est, et ad ejus, quantum fas est, formatur imaginem, ac præterea honestissimis atque ordinatissimis et invisibilibus ductibus suis, Angelos etiam jungit atque unum facit ; his autem, quia etiam docendi atque dictandi aliis ordinem tenet, dum divinarum intelligentias rerum a primariis virtutibus sumens, eas Angelis quoque gratuita nuntiat bonitate, ac per Angelos nobis, pro modo ac ratione cujusque divinorum sensuum aperiens lucem.

Angeli namque, ut supra jam diximus, implendi peragunt munus, omnesque cœlestium spirituum ordines complent, extremo in loco inter eximias illas immortalesque substantias, angelicam proprietatem consecuti. Atque ideo a nobis angeli rectius quam superiores appellantur, quod scilicet et ipsorum ordo magis circa evidentiora et apertiora versatur, ac mundana ferme negotia ab eis disponuntur. Nam supremam illam (ut diximus) distinctionem, ut secreto illi sacratissimo primo ordine proximam, secundæ moderari ac scientiæ lucem secretius et abditius dare putandum est ; sequentem vero, ex altissimis Dominationibus et Virtutibus Potestatibusque constantem, tertiæ illi, quæ Principatibus, Archangelis Angelisque conficitur, præesse : priori quidem supremaque distinctione, manifestius ; sequenti autem extremaque, secretius. At vero Principatuum, Archangelorum Angelorumque postremam distributionem enuntiandi munus adeptam, humanis ordinibus ac functionibus sacris vicissim præesse credendum est, ut illius ministerio, suo ordine ferantur ad Deum et convertantur, sintque ipsius societate et conjunctione felices, dum divinus processus eximia dignatione cunctis sacris ordinibus indulgetur, et socialiter ac divino cum ornatu revelatur. Hinc profecto humanam istam sacramque functionem Angelis sacra Scri-
*Dan.* x. 21. ptura distribuit, quæ Michaelem principem Judaicæ gentis appellat, et alios ceterarum
*Deut.* xxxii. 8, juxta LXX. nationum. Statuit enim Altissimus terminos gentium juxta numerum angelorum Dei.

Porro, si quis inquirere pergat, quid sit cur Hebræorum populus solus ad Dei divinarumque rerum intelligentiam subvectus sit : respondendum, non oportere imputari rectissime gubernantibus angelis, si gentes aliæ ad eorum qui dii non sunt culturam devolutæ sint, sed illis ipsis in primis, qui motibus propriis a recto calle quo ad Deum ascendere possent, sua sponte deviarunt. Cujus erroris adeo perniciosi, causa illis fuit amor sui atque superbia, et (quod sequi necesse erat) eorum cultura quæ divinum aliquid habere putavissent. Hujus rei etiam ipsi Hebræorum populo
*Osee* iv, 6, juxta LXX. crimen impingitur, atque ideo id ipsum passus memoratur. Scientiam enim (inquit) Dei repulisti, et post cor tuum ambulasti. Neque enim coactam habemus vitam, neque liberi arbitrii gratia divinitus indulta mortalibus, providentiæ divinæ luce et splendore obtunditur. Ceterum dissimilitudo spiritualium luminum facit ut affluentissima paternæ benignitatis lux, aut omnino capi participarique non possit, quippe quæ ipsos obtutus intimos suo fulgore perstringat, aut certe ipsa lucis participatio pro suscipientium meritis varia sit, parva scilicet vel magna, obscura vel lucida, quum tamen radius ille divinus unus ac simplex sit, eodemque modo se habeat, super omnia semper explicitus*.

*expansus, extentus, superfusus.

Nempe enim et aliis gentibus (ex quibus et nos ad immensum et infinitum divini luminis pelagus, quod paratum semper est et patet omnibus ad participandum, ex præteriti erroris cæcitate respiravimus) nunquam præfuerunt alieni aliqui dii, sed unum illud omnium ac singulare principium : ad quod sane obsequentes ducebant angeli præfecti singulis gentibus. Considerare libet Melchisedech illum pontificem carissimum Deo, qui nequaquam inanium deorum, sed altissimi æternique Dei sacerdos fuit. Non enim sine ratione sapientia divina illustres viri, Melchisedech, non modo amicum Dei, verum etiam sacerdotem Dei appellarunt : sive ut prudentioribus aperte indicarent, non modo ipsum ad verum ac sempiternum Deum esse conversum, verum et ceteris, ad veram et solam supremamque Deitatem provehendis, auctorem ducemque fuisse. *Gen.* xiv, 18; *Ps.* cix, 4; *Hebr.* vii, 1. Illud quoque sacerdotale pectus tuum sanctamque prudentiam admonere curabimus, ut Pharaoni ab Ægyptiorum præsule angelo, Babyloniorumque principi a suæ itidem gentis præside, et providentis et dominantis omnibus dispensatio atque potestas per visum innotuere; et illis gentibus veri Dei famuli atque cultores, duces constituebantur, dum ea visionum expositio quæ figurata prius ab angelis fuerat, sanctissimis viris, et qui angelis ferme pares evaserant, Danieli ac Joseph, a Deo revelata per angelos fuit. *Gen.* xli, 1-7; 17-24. *Dan.* ii, 31-35; iv, 7-14. *Dan.* ii, 36-45; iv, 17-23; *Gen.* xli, 25-32.

Unum quippe omnium principium est, unica providentia ; neque ullo modo putandum est, Judæis quidem præfuisse Deum, quasi id sorte consecutum, ceteris autem gentibus angelos proprie ac seorsum, sive æqualiter, sive adversanter, sive deos alios quosdam, præsules esse. Sed et illud quoque divinæ Scripturæ juxta hunc sensum sacratius accipiendum est : non quasi Deus cum diis aliis aut angelis, humani generis gubernaculum regimenque diviserit, et Israeliticæ gentis princeps et dux ipse constitutus sit; sed quod una illa quidem Altissimi in cunctis providentia, mortales omnes in salutem, angelorum suorum ductibus ad se pervehendos distribuerit, solus autem ferme Israel præ omnibus ad verissimi Domini intelligentiam cognitionemque conversus sit. Unde Israeliticam plebem sese divino cultui devovisse, illumque hereditario jure suscepisse, sacra Scriptura indicat, dicens : Factus est pars Domini. *Deut.* xxxii, 9, juxta LXX. Ceterum, ipsum quoque populum signans æquali cum gentibus ceteris jure, alicui sanctorum angelorum fuisse assignatum, cujus officio et ministerio unum illud omnium principium nosceret, Michaelem ait Judæorum præfectum esse genti : apertis profecto indiciis comprobans, unam esse omnium providentiam, quæ omnibus invisibilibus visibilibusque virtutibus longe vi summæ majestatis emineat; omnes autem angelos singulis præfectos nationibus, ad ipsam veluti ad principium suum, eos qui voluntarie sequerentur, quantum fas est, provehere atque perducere. *Dan.* x, 21; xii, 1.

# CAPITULUM X

### EPILOGUS ET CONCLUSIO TOTIUS ANGELICI ORDINIS.

COLLIGITUR itaque ex iis quæ supra diximus, ut sanctorum spirituum qui divinis conspectibus semper adsistunt, prima illa antiquissimaque distinctio (quippe quæ a divino illo totius perfectionis auctore radio erudiatur, ad quem, nullis interpositis ordinibus aliis, perpetua intentione subvehitur) secretiori Divinitatis et candidiori luce purgatur, illustratur, atque perficitur : secretiori quidem, quod in-

telligibilior sit, magisque simplicitati divinæ nos jungat atque inserat; candidiori autem, ut quæ primo indulta sit, primoque apparuerit, totamque se in illam beatissimorum spirituum seriem, utpote capaciorem sui fulgoris, effuderit. Ab hac autem tam excellentis meriti functione, secunda pro modo et ratione sua rursus imbuitur, atque a secunda itidem tertia, a qua nostra quoque sancta functio, eodem pulcherrimæ atque ordinatissimæ dispositionis jure, convenientia et ratione divina*, ad totius pulchritudinis atque ordinis summum illud æternumque principium ac finem officio sacratissimi muneris fertur.

* coaptatione, congruentia, harmonia, divina ratione, divinaque analogia

Sunt autem et angeli omnes ita instituti, ut inferiores superioribus obaudiant, eorumque nutus enuntient : ac primi illi quidem, ut summi Dei se moventis, consilia et voces exponant; reliqui vero proportione debita, eorum qui a Deo moventur, exprimant voces. In tantum enim summa illa omnium et supereminens congruentia, quorumlibet rationalium ac spiritualium sacro decori et ordinatissimo instituto prospexit, ut ipsis quoque distinctionibus sacris ordines decentissimos poneret. Denique hierarchiam omnem cernimus in primas, et medias, extremasque virtutes distributam. Imo et ipsas quoque singulas (ut proprie dixerim) distinctiones ita discrevit, ut in eisdem convenientiæ pulchritudo servetur. Quocirca et ipsa sacratissima Seraphin alterum ad alterum clamasse theologi aiunt : apertissime per hoc (ut reor) indicantes, quod divinarum rerum notiones prima sequentibus tradunt.

*Is.* VI, 3.

Et hoc præterea non inconvenienter addiderim, esse quibusque seorsum cœlestibus humanisque animis proprias ac primas, et medias, extremasque virtutes atque ordines, quibus memoratæ pro cujusque modo singulorum cœlestium ordinum proprie de Deo intelligentiæ expressæ videantur, per quas unusquisque, quantum sibi fas est, quantumque penetrare sufficit, castissimæ illius et eminentissimæ purgationis, plenissimique luminis, et principalis perfectionis particeps fit. Nihil enim est quod absolute perfectum sit, aut omnino perfectione non egeat, nisi quod vere perfectum est ipsaque perfectio.

# CAPITULUM XI

## CUR OMNES COELESTES SUBSTANTIÆ COMMUNI VOCABULO COELESTES VIRTUTES APPELLENTUR.

HIS ita definitis, illud quoque considerare dignum est, quam ob causam omnes simul angelicos spiritus, cœlestes appellare virtutes consuevimus. Neque enim, ut de angelis, dicere possumus quod omnium extrema sit distinctio, sanctarum Virtutum ordo. Atque inferiorum quidem scientiæ sanctique fulgoris, superiorum spirituum ordines participes sunt, non autem identidem superioribus ac primis inferiores novissimique communicant. Cujus igitur rei gratia, cœlestes quidem virtutes, sublimes illæ substantiæ omnes nominantur, non autem Seraphin, et Throni, et Dominationes, pari ratione dicuntur? Extremæ namque supremis illis proprietatibus omnibus non communicant. Angeli enim, et ante ipsos Archangeli, Principatusque, ac Potestates, quum a sanctis viris ac theologis post Virtutes statuuntur, communi sæpe a nobis vocabulo una cum aliis sanctis spiritibus, cœlestes virtutes appellantur. Dicimus autem, quia dum communiter in omnibus utimur cœlestium appellatione

virtutum, nullam cujusque ordinis proprietatum confusionem introducimus. Sed quoniam divini omnes spiritus altissima ratione sua in tria dividuntur, substantiam scilicet, virtutem, atque actionem; quoties aut omnes, aut aliquos ipsorum, omissa diligentiori observatione, substantias cœlestes sive virtutes appellaverimus, ipsos de quibus sermo est, nos significare circumlocutione putandum est, ex ea quæ in singulis est, substantia atque virtute. Neque enim eminentem illam sanctarum Virtutum proprietatem a nobis jam rite digestam, inferioribus quoque putandi sumus per omnia applicare substantiis, unde profecto summi illius et inconfusi cœlestium spirituum ordinis perversio sequeretur. Nam juxta rectissimam illam rationem quam sæpe reddidimus, superiores illæ distinctiones, inferiorum quoque proprietates abunde in se habent. Extremæ vero, priorum excellentioribus meritis carent, quum primitivi illius luminis fulgor, in illas pro captu suo, superiorum officio derivetur.

# CAPITULUM XII

## CUR SACERDOTES INTER HOMINES DICANTUR ANGELI.

QUÆRI autem et illud solet ab his qui divinorum librorum studio et amore flagrant : Si extrema integre non communicant summis, quam ob causam sacerdos homo inter homines, Domini omnipotentis angelus a sacra Scriptura *Malach.* II, 7.
nominatur. Est autem ratio nequaquam his quæ supra definivimus, adversa. Dicimus enim extremos illos ordines, licet integerrima et summa priorum distinctionum virtute indigeant, ejus tamen pro captu suo vel ex parte, juxta unam omnium concinnam seque mutuo jungentem societatem, esse participes. Exempli causa : Sanctorum Cherubin ordo, sapientiæ celsiori scientiæque communicat; qui vero sub illis sunt sanctorum spirituum ordines, et ipsi sapientiæ ac scientiæ participes sunt quidem, particularis tamen, pro modo suo, atque inferioris. Nempe enim sapientiæ ac scientiæ communicare, prorsus commune omnibus divinis spiritibus est. At vero continenter, et primo sive secundo loco, et humiliter id agere, commune jam non est, sed ut singulis pro modo suo et ratione definitum est. Hoc autem et de omnibus divinis spiritibus qui statuerit, nequaquam peccabit. Nam, quemadmodum primi sanctas inferiorum proprietates affatim habent, ita et ultimi priorum proprietates habent, licet modo non simili, sed inferiori. Nihil igitur, ut reor, absurdum est, si sacerdotem quoque hominem, Theologia angelum vocat, qui pro viribus angelicæ proprietati docendo participat, atque ad angelorum similitudinem, ut homini possibile est, per nuntiandi officium nititur. Invenies autem cœlestes illas angelicasque substantias, in sacris *Ps.* LXXXI, 1.
Litteris deos quoque appellari; sanctos item viros et Dei familiaritate dignissimos, *Exod.* VII, 1; XXII, 8, 28.
deos dici. Et certe, quum divinum illud secretum, exceptum ab omnibus, et summæ potentia majestatis super omnia locatum sit, nihilque in rerum natura simile illi dici proprie et per omnia possit ; si tamen quæcumque spiritualis rationalisque substantia (dum id totis viribus totaque fit intentione) contendit ut ei conjuncta, unum cum illo fiat, atque ad divinos ejus fulgores hauriendos, quantum fas est, indesinenti studio ac desiderio adspirat quod Deum pro viribus, si dici licet, imitari pergat, divino quoque cognomine digna censetur.

# CAPITULUM XIII

CUR A SERAPHIN PURGATUS FUISSE DICATUR PROPHETA ISAIAS.

*Is.* VI, 6. AGE, illud quoque pro viribus inspiciamus, cujus rei gratia ad unum ex theologis Seraphin mitti memoretur. Merito enim inde scrupulus nascitur, quod non ex inferioribus angelis quispiam, sed ipse qui inter primas excellentioresque substantias numeratur, Prophetam expurgat. Sunt qui dicant, juxta id quod supra definivimus de spirituum omnium societate et suarum inter se proprietatum communione, non unum ex altissimis illis primisque spiritibus ad purgationem theologi advenisse, a Scriptura memorari, sed aliquem ex his qui nobis præfecti sunt angelis, purgandi Prophetæ officio functum, Seraphin appellatum esse cognomine, ob incendendi ministerium, quo et peccata deleta sunt, et is qui purgatus fuerat, ad divinæ obedientiæ reparatus ardorem. Aiuntque Scripturas unum ex Seraphin simpliciter dixisse, non ex his qui prope Deum adstant excelsi ordinis dignitate, sed ex his virtutibus quæ purgandis hominibus præsunt.

Alius item hujusce quæstionis non improbabilem mihi rationem ita assignavit. Aiebat enim magnum illum (quicumque tandem is fuerit) angelum qui visionem adeo insignem effinxerat ut Prophetam divinis rebus instrueret, purgandi munus quod sui erat officii, in Deum, et post Deum, ad primum illum ac primo conditum retulisse ordinem. Et vera fortassis ea ratio fuerit. Dicebat enim hujus auctor sententiæ, quod divina virtus super omnia pergens graditur, et per omnia ineffabili penetrat modo, omnibusque item invisibilis est, non solum quod excellentior super omnia sit, verum et quod occulto ac secretissimo ordine, suæ providentiæ vires ac munera cunctis immittat. Nempe enim et spiritualibus omnibus pro suo quibusque captu apparet, antiquissimis illis primoribusque substantiis lucis suæ radios tradens, ac per illas ut eminentiores ac primas, inferioribus quoque pro modo cujusque ordinis et contemplandi viribus, ejusdem lucis distribuit jubar.

Sive, ut apertius loquar, exemplisque utar ex nostro usu petitis, etsi longe inferioribus Deo, qui superne omnibus eminet, apertioribus tamen : Solaris distributio radii in eam primo materiam tota facilitate concedit, quæ omnibus limpidior et clarior sit, ac per illam aptius et evidentius fulgores suos jaculatur. Ubi vero crassiores materias offendit, minus valet ad splendoris sui vires diffundendas, quod hæ materiæ in quas lucis spicula incidunt, ad exuberantis lucis traducendos radios idoneæ non sint; atque ideo sensim ad hoc usque contrahitur, ut distribui ferme omnino non possit. Rursus, ignis calor in ea quæ ad percipiendum aptiora sunt, sese diffundit magis, et quæ illi facilius cedunt, et in ejus traducuntur effigiem; porro in reluctantes penitus contrariasque substantias, aut nullum, aut prorsus exiguum ignei vigoris et muneris vestigium apparet injectum. Et quod his majus est, his quæ sui generis non sunt, per ea quæ sibi familiaria sunt, si adsint, vim sui fervoris immittit : ea igniens, quæ in ignis facile vertuntur effigiem, ac per illa, sive aquam, sive aliud quidpiam eorum quæ difficile ignescunt, pro cujusque calefaciens modo.

Juxta hunc igitur naturalis consequentiæ ordinem, summus ille totius venustatis

visibilis atque invisibilis ordo, ineffabili in primis modo, lucis suæ exuberantem claritatem altissimis illis primisque substantiis largissimo insinuat lapsu, ac per illas ipsas, inferiores quoque substantiæ divini radii participes fiunt. Nempe enim hæ quum primo loco Dei cognitione beatæ sint, divinæque virtutis desiderio summe ardeant, id quoque meruerunt, ut primæ, quantum fas est, ad imitationem divinæ virtutis et actionis assurgerent, sequentesque substantias ipsæ ad eamdem imitationem, pro viribus, summi boni exemplo subveherent, affatim illis ejus quam accepere lucis participationem, absque invidia ulla tradentes, atque illæ itidem inferioribus. Et hunc in modum singulæ faciunt, dum quæ prima est, sequenti secundo loco, indultæ sibi divinæ lucis consortium tradit, atque ita in omnes divinus ille fulgor emanat. Omnibus igitur qui illuminantur, percipiendæ lucis initium est Deus quidem per naturam, et omnino proprie, utpote substantia lucis, ipsiusque essentiæ et visionis auctor. Ceterum positione et illuminatione Dei, per partes superior quæque inferiori principium luminis est, dum per ipsam in illam divinum jubar derivatur atque diffunditur. Itaque summam illam cœlestium distinctionem animorum, reliquorum angelorum omnium substantiæ, totius sacrosanctæ scientiæ divinæque imitationis auctorem (ut ratio docuit) arbitrantur, utpote per illam in omnes atque in nos divinæ claritatis manante splendore. Quocirca omnem quoque sacratiorem et ad Dei imitationem tendentem actionem, ad Deum quidem ut causam principalem referunt; deinde vero divinis quoque illis summisque spiritibus, ut qui primi divina operentur et doceant, acceptam nihilo minus referunt. — Habet igitur prima distinctio sanctorum angelorum plus ceteris igneam proprietatem, effusamque divinæ sapientiæ traditionem, ac scientiam divinarum illustrationum dijudicandarum summam, thronorumque proprietatem, apertam ac patulam Dei susceptionem indicantem. Porro inferiorum spirituum ordines, igneæ, sapientis, scientis Deique capacis virtutis participes sunt quidem, sed minori modo; atque ad primos illos intuentes altissimos spiritus, per illos, ut qui Dei imitatione primi dignati sint, ad consequendam divinæ speciei similitudinem scandunt. Sanctas igitur quas diximus proprietates, quarum per primas ceteræ quoque substantiæ participes sunt, his illis post Deum, ut primoribus ac principibus sacris, assignant.

Dicebat ergo qui ista me docuit, visionem quidem illam per unum ex præsulibus nostris sanctis ac beatissimis angelis, ostensam esse theologo, atque ab ipsius illuminante ductu, ad sacram illam speculationem fuisse subvectum, in qua summas illas altissimasque substantias, veluti per signa ut ita dixerim, sub Deo, et post Deum, atque circa Deum collocatas vidit, summitatemque illam ante omne principium omnibus atque illis ipsis ineffabiliter eminentem, in medio excellentium virtutum excelse residentem. Admonebatur ergo theologus ex his quæ cernebat, ut secundum omnem supersubstantialem eminentiam, cunctis visibilibus invisibilibusque virtutibus absque ulla comparatione Deus excelsior sit; ac præterea, quod ita exceptus ab omnibus, ut ne ipsis quidem primis cœlestibus immortalibusque substantiis, similis per omnia putari possit; ad hæc, principium quoque illum esse omnium et subsistendi causam, atque insolubilis cœlitum mansionis immutabilem sedem, ex qua, ut essent, et bene essent, excellentiores quoque illæ virtutes acceperunt.

Deinde ipsorum quoque Seraphin divinas profecto virtutes, ex ea visione sacratissima Propheta discebat, incendium sacro illorum significante cognomine : de quo paulo post dicturi sumus, quantum nobis explicare fas fuerit igneæ virtutis altissimas cap. xv.
intelligentias, utque incentiva illa vis ad divinam speciem ferat. Porro illa sex alarum *Is.* vi, 2.
sacratissima fictio, absolutissimam summamque in Deum intentionem, in primis, ac

mediis, et ultimis intelligentiis signat. At quando multos quoque illorum pedes et complures facies cernens theologus inclytus, utque alis et pedum et vultuum arceretur adspectus, alæque mediæ perpetuo ferrentur motu, ad intelligibilem eorum quæ cernebat scientiam ducebatur. Aperiebatur nempe illi per hæc, altissimorum spirituum vis multa peragrans multaque prospiciens; sacraque illorum et plena horroris veneratio ac religio, qua ultra humanum modum celsiorum profundiorumque mysteriorum insolentem et temerariam neque omnino promoventem* indaginem exhorrescunt; præterea et indefessus ille atque alta petens sempiternus motus, quo præditi pro modo suo divinas quoque actiones imitantur. Ad hæc, et divinam illam ac pretiosissimam laudationem in secreto ille discebat, quippe angelo qui formabat visionem, pro viribus Prophetam sacratioris scientiæ suæ participem faciente.

* pervenientem, pertingentem

Docebat igitur ipsum et hoc, ut* iis qui quomodolibet mundi sunt, munditiæ purgationisque suæ causa est divini fulgoris divinæque munditiæ, pro captu cujusque, participatio. Ceterum purgatio hujusmodi, a Divinitate ipsa præcipuis causis, in omnes angelicos spiritus summo et secretissimo perficitur modo, atque altissimis illis virtutibus quæ propinquiores ipsi sunt, evidentior ferme est, magisque se insinuat atque distribuit. Porro in iis quæ secundo loco sunt, sive in extremis mediisve substantiis intellectualibus, quantum singulæ ab ea meritis distant, pro modo distantiæ claram intelligentiæ suæ lucem ad secreti sui singularis atque ignoti laudem colligit. Datur autem ea lux singulatim, priorum officio, secundis atque sequentibus. Et si summatim dicere necesse est, primo loco ex occulto illo sacratissimo per primas virtutes in apertum educitur. Hoc itaque theologus ab angelo se instituente discebat, purgationem scilicet, et ceteras divinas actiones, per primas celsioresque substantias vim suæ claritatis aperire, atque in omnes reliquas dividi, quantum quæque deificæ illius participationis est capax. Atque ideo purgationis illam proprietatem quæ incendio fit, altissimis Seraphin post Deum rectissime omnino assignavit.

* qualiter, quo pacto

Nihil igitur absurdum est, si Seraphin purgare theologum dicitur. Sicut enim Deus purgat omnes, quod sit ipse purgationis auctor; imo (ut similiori utamur exemplo) quemadmodum apud nos pontifex homo, quum ministrorum suorum sive sacerdotum officio purget, aut gratia doctrinæ salutaris illuminet, ipse purgare et illuminare dicitur, quum hi qui ab eo consecrati sunt ordines, ad ipsum ut auctorem, sacra functionis suæ munera referant : ita et purgantem scientiam suam atque virtutem, is qui purgationem Prophetæ peragit angelus, ad Deum quidem, ut auctorem, ad Seraphin vero, quasi primo post Deum operantem pontificem, refert, eum qui a se purgabatur, angelica cum reverentia (ut ita dixerim) ita docens : Ejus quæ in te meo ministerio perficitur purgationis, principium quidem præcipuum, et substantia, et conditor, et auctor, ille est qui primas quoque substantias ad esse produxit, et perpetua circa se continet sede, et ne mutari queant atque decidere, sola clementia servat, ipseque eas ad prima providentissimarum actionum suarum consortia promovet. Hoc enim is a quo didici, missionem Seraphin signare ait. At vero princeps ille, et post Deum dux, primarum antiquissimarum substantiarum sacra distinctio, ex qua purgare ipse ad Dei similitudinem didici, illa est quæ te meo ministerio purgat, per quam auctor ille totius purgationis atque opifex, providentiæ suæ opera ex abdito illo secretissimo ad nos quoque deduxit.

Ista quidem ille me docuit : quæ tibi ego itidem trado. Tuæ jam erit spiritualis discretæque scientiæ, aut altera ex his causis omni ambiguitatis absolvi scrupulo, eamque alteri in honore præferre, ut quæ consentanea ratione ac fortassis veritate subnixa sit; aut abs te ipso aliquid invenire, sive ab alio discere, quod sit integerrimæ veri-

tati propinquius (Deo scilicet verbum tribuente, ac subministrantibus angelis), idque ipsum nobis quoque angelorum studiosis revelare, ut liquidiori intelligentia, mihique gratiori, si fieri potest, et ipse tecum fruar.

# CAPITULUM XIV

### QUID SIGNIFICET IS QUI TRADITUR ANGELICUS NUMERUS.

AT hoc item spirituali discussione et magisterio dignum puto, quamobrem Scripturæ sanctæ traditio de angelis loquens, millia millium esse dicat, et decies *Dan.* VII, 10, millies dena millia, supremos humanos numeros in se ipsos involvens atque juxta LXX. multiplicans, perque hos, cœlestium substantiarum ordines nobis esse innumerabiles, apertis rationibus pandens. Sunt enim profecto plurimæ cœlestium militiæ spirituum, quæ mortalium nostrorum numerorum infirmum brevemque modum longe transcendant, atque a sola sua eminentissima et cœlesti intelligentia atque notione scitæ sint ac definitæ, quam illis opulentissime largita est summa Divinitas, immensæ auctor scientiæ, atque sapientiæ fons, et principium omnibus simul exsistentibus excellentis ratione substantiæ ipsa exsistens, et causa substantiæ, et continens omnia virtus, et consummatio cuncta complectens.

# CAPITULUM XV

### QUÆ SINT FIGURATIVÆ ANGELICARUM VIRTUTUM IMAGINES, ET RELIQUA.

AGE vero jam, si placet, relaxantes parumper intentionem nostram, et mentis aciem a sublimibus illis angelorum speculationibus tantisper avertentes, ad dividuam atque in plura discissam latitudinem multiplicis angelicarum imaginum varietatis descendamus, atque ab ipsis rursus, veluti ab imaginibus, ad simplicitatem cœlestium spirituum per illarum solutionem redeamus.

Id autem ante omnia compertum tibi sit velim, quod imaginum sacratiora signantium designationes, easdem interdum substantiarum cœlestium distinctiones perfectas atque docentes inducunt, aliquando discentes atque subjectas, et ultimas sæpe docentes, primariasque discentes, denique (ut dictum est) et primas, et medias, et extremas virtutibus præditas : ac per hunc expositionis explicitæ modum, nihil absurditatis inseritur, nihil quod sit a ratione alienum. Nam si quidem regi ac doceri aliquas a prioribus diceremus, deinde easdem regere atque docere, prioresque rursus extremas docere, et postmodum ab ipsis illis discentibus discere ; esset profecto ea res perabsurda, et ingenti confusione plena. Sin autem easdem et docere et doceri dicimus, verum non easdem et ab eisdem, sed singulas a superioribus regi ac discere, extremas vero docere atque regere ; non inconvenienter infertur, eas quæ in sacro Eloquio

continentur sacratius effictas formas, easdem aliquando et primis, et mediis, extremisque virtutibus proprie ac vere circumponi posse. Igitur et illa vel in anteriora conversio ac jugis intentio, vel suis in locis mansio, atque tuendarum virtutum suarum causa nusquam progressio, status ille præterea per quem sociali ad sequentes secundo loco communicabilique processu providentissimæ virtutis participes fiunt, omnibus profecto cœlestibus spiritibus aptissime ac verissime congruit, etsi aliis eminentissime atque integre quidem, quod sæpe jam diximus, aliis vero ex parte atque submissius.

Aggrediamur itaque quod instituimus, illud statim in prima figurarum expositione
inquirentes, quam ob causam divina Eloquia igneam descriptionem præ omnibus ferme
*Dan.* VII, 9. honorare videntur. Denique invenies in his non modo igneas rotas effingi, verum
IV *Reg.* II, 11. ignita quoque animalia, et viros ignem veluti ex se coruscationis instar emittentes, ac
*Ezech.* I, 5, 7, 13. 27. juxta ipsas quoque cœlestes substantias congestos carbones ignis apponi, et flumina
ingenti fragore ignis fervorem emittentia. Sed et Thronos esse aiunt igneos, et ipsa
*Ibid.* X, 2, 6, 7. eminentissima Seraphin, incendendi munus ipsa nominis sui appellatione signare,
*Dan.* VII, 10. *Ibid.* 9. ipsisque proprietatem et officium ignis in primis assignant : ac prorsus ultro citroque
*Is.* VI, 6, 7. ignis figuras præcipue honorant. Per ignem itaque signari arbitror cœlestium spirituum
faciem Dei maxime specie insignem. Nam profecto sanctissimi qui de Deo locuti sunt viri, summam illam et nullis obnoxiam figuris formisque substantiam, varie in igne describunt : quippe qui divinæ proprietatis, si dici liceat, in rebus visibilibus plurimas servat imagines.

Nempe enim ignis sensibilis in omnibus (ut ita dixerim) est; et per omnia sine ulla sui admixtione proficiscitur, et ab omnibus prorsus excipitur; quumque lucidissimus sit, ipse tamen, non admota materia in qua suam vim suumque ostendat officium, in se ipso occultus atque incognitus manet; neque admittit habitum, neque patet adspectui; ipse omnia superat, et ea quibus insederit, in suum traducit officium; omnibusque quomodolibet sibi appropinquantibus, sui consortium tradit; renovat omnia calore vitali, ac fulgoribus apertis illuminat; teneri miscerique non potest; discernendi vim habet, atque immutabilis est; superiora semper petit, et in acumen tendit; agilis, celer, sublimis, nullaque vi, ut inferiora petessat, adigi potest; semper mobilis, eodemque motu vigens, alia movet; complectitur omnia, quum tamen adstringi ipse non possit; quumque alio ipse non egeat, sibi ipsi tamen clam incrementa suppeditat, atque in qualibet suscipiente materia, suæ majestatis potentiam indicat; efficax, potens, omnibus invisibiliter præsens; si negligatur, non esse videtur; attritu autem, veluti irritatione quadam, naturaliter ac proprie continuo lucentem excitatur in flammam, rursusque incomprehensibili avolat modo; quumque affatim omnibus participationem sui locupletissimam præbeat, nunquam tamen ipse minuitur. Complures item alias ignis proprietates invenies, divinæ actioni (quantum humanis imaginibus fas est) prope accedentes. Hoc itaque non ignorantes viri illi divina sapientia repleti, cœlestes substantias ex igne maxime effingunt, ut illarum divinam speciem ad Dei imitationem tendere pro viribus indicent.

Humana quoque illas forma describunt, quod mente vigeant homines, videndique vires habeant ad superna tendentes, sublimique ore et erecto sint statu, et per naturam ad imperandum ac regendum idonei; quumque sensu ac viribus, brutorum animalium comparatione, minimum valeant, præstanti tamen virtute animi, ac rationabilis scientiæ dominatu, et quod anima naturaliter libera, servire vincique non possit, omnia superant. — Possumus autem et per singula plurifariam divisa humani corporis membra non inconcinnas (ut reor) imagines cœlestium invenire virtutum. Dicimus enim, visu quidem in sanctis angelis clarissimam signari aciem qua divinis hauriendis

luminibus inhiant, simplicemque præterea illam, et liquidam, nihilque obluctantem, sed motus celeritate constantem, puramque, et patulam suscipiendis absque perturbatione ulla divinæ claritatis fulgoribus qualitatem; porro naribus olfaciendi ac dijudicandi vi præditis, capacem eorum perceptionem qua summam illam suavissimamque fragrantiam pro viribus admittentes, cetera quæ hujusmodi non sint, scite dijudicant ac penitus fugiunt; auribus vero, vim illam participandi divinamque participationem scite suscipiendi; gustu autem, intelligibilis alimoniæ refectionem, et divinorum nutrientiumque liquorum admissionem. At vero tactu, constantiam illam exprimi putamus, qua quid utile, quid noxium sit, perite discernunt. Palpebras autem et supercilia, statum illum significare arbitramur, quo divinæ speculationis sensus atque intelligentias cautissime servant; pubescentem vero ac juvenilem ætatem, vitalis virtutis constantiam sempiterne vigentis. Porro dentes, divisionem indultæ sibi perficientis alimoniæ alentisque perfectiones exprimere credimus. Quælibet enim substantia spiritualis, quam ab augustiore perceperit unicam et uniformem intelligentiam, provida virtute dividit atque multiplicat, dum inferiorem quoque pro captu suo promovet, atque ad altiora sustollit. Humeros autem, atque ulnas, et manus, faciendi et operandi strenuam ac potentissimam vim in divinis spiritibus interpretamur. Cor item, signum esse dicimus divinam speciem præ se ferentis vitæ, quæ vitalem vim summi boni instar in inferiora disseminat. Porro pectora, virtutem insuperabilem servandique vim, ut est a subjecti cordis vivifica distributione, significant. Dorsa vero, vim indicant vitales omnes virtutes continentem. Pedes autem, mobilitatem, celeritatem, atque cursum insinuant sempiterni motus ad divina tendentis. Quocirca et sanctorum spirituum pennatos Theologia pedes effinxit. Quippe alis signatur celeritas alta conscendens, et *Is.* VI, 2. cœlestis vitæ cursus iter in anteriora semper ac celsiora consternens, et quod ad superiora feratur, mortalibus atque infimis omnibus exceptus. Sed enim alarum levitas, id in sanctis angelis indicat, quod terreni corporis sarcina liberi, toti absque ulla admixtione vel pondere ad celsa ferantur. Quod autem nudi ac discalceati describuntur, hoc signat, quod liberi, et absoluti, et expediti, atque exterioris omnis adjectionis labe sint puri, et ad divinæ simplicitatis similitudinem pro viribus tendant.

Verum, quia rursus simplex illa multiformisque sapientia nudos etiam operit, et vasa quædam illis circumferenda largitur, age ipsa quoque cœlestium spirituum sacra operimenta atque instrumenta, in quantum possumus, explicare pergamus. Perlucidam nempe atque igneam vestem signare arbitror divinam speciem, secundum illam quam diximus, ignis imaginem; illuminandi præterea vim, ob præmia in cœlo posita, ubi lux est, et quod prorsus intelligibiliter illustrat, sive intellectualiter illustratur. Porro sacerdotalem vestem, vim illam adducendi ad divina et sacratiora spectacula, totiusque vitæ consecrationem, insinuare puto. Zonas vero, fecundarum ipsarum virtutum custodiam diligentem, cogentemque ipsas in habitum, qui in semet singulari facilitate convertitur, ac per gyrum circa se ipsum immutabili identitate versatur. — Virgas itidem, regis ac ducis insigne præferre, quod omnia recta perficiat, dicimus. Hastas vero atque secures, vim dissimilia dividendi, discernentiumque virtutum habilitatem, et efficientiam, atque strenuitatem, intelligimus. Vasa quoque geometrica atque fabrilia, fundandi et construendi ac perficiendi vim, et quæque alia sunt providentiæ illius munera, quæ inferiora promovet atque convertit. Interdum et divinorum in nos judiciorum signa sunt, quæ finguntur sanctorum angelorum instrumenta: aliis quidem significantibus emendantem disciplinam, sive justitiam punientem; aliis vero, mœstorum casuum ereptionem, sive disciplinæ finem, sive prioris felicitatis receptionem, seu aliorum quoque munerum adjectionem, sive illa parva sive magna, sive carnalia sive

intelligibilia sint. Prorsusque mens divinis in rebus exercitata, nunquam dubitabit invisibilibus rebus rerum visibiles coaptare imagines.

At vero, quum ventorum appellatione censentur, naturæ summa celeritas, quæ cuncta ferme absque ulla mora temporis penetrat, motusque ille ex summis ad infima, rursusque ex imis ad summa, in momento pertingens, profecto signatur, inferiora et secundo a se loco posita ad superiorem celsitudinem tollens, primasque substantias ad tradenda inferioribus lucis suæ consortia providentissime movens. Dicet fortasse aliquis, hunc aerium spiritum qui ventus dicitur, divinam quoque cœlestium spirituum præferre speciem. Habet enim et ipse, divinæ actionis imaginem atque figuram (sicut in Symbolica theologia juxta quatuor elementorum expositionem pluribus documentis ostendimus) secundum naturalem mobilitatem, vimque animandi, et celerem insuperabilemque discessum, et mobilium principiorum atque finium incognitas nobis
*Joann.* III, 8. atque invisibiles latebras. Non enim scis, inquit, unde venit, et quo vadit. — Nubis quoque speciem divina Scriptura illis affingit, per id profecto innuens, sanctos spiritus occulto quidem lumine supra mundanum impleri modum, ceterum primitivam illam primoque apparentem lucem, modeste reverenterque suscipere, eamque sequentibus, absque invidia pro suo cujusque captu secunda derivatione transfundere. Præterea, quod illis et fecunditas, et vis item animandi, et augendi, ac perficiendi adsit, juxta intelligibilis imbris fecunditatem, quæ subjectum gremium ad vitalem partum pinguibus evocet pluviis, rectissime nube signantur.

Et si quæritur quam ob causam, æris quoque, et electri, ac discolorum lapidum speciem divinæ Litteræ sanctis angelis applicant, id profecto dixerim : Electro, quod auri atque argenti speciem præfert, ex qua parte auri color ostenditur, splendorem illum inviolabilem designari, qui neque consumi, neque imminui possit, neque ulla ratione maculari ; qua vero argentum lucet, nitidum illud, ac purum, cœlesteque jubar ostendi. Porro æri, juxta eas quas supra exposuimus rationes, ignis aut auri speciem oportet adscribi. At vero gemmarum species, colorum varietate distinctas, ita accipiendas puto, ut sive illæ sint candidæ, nitorem lucis insinuent ; sive rutilæ, ignis speciem signent ; sive fulvæ, rutilans referant aurum ; sive virides, vigorem ac robur juventutis enuntient. Invenies denique per singulas figurarum imagines dignissimos sensus, quibus ad superiora feraris.

Verum, quia de his pro modo virium nostrarum satis dictum puto, ad cetera discutienda transeamus, et cœlestibus spiritibus effictas bestiarum effigies explicemus. Leonis faciem signare putamus, vim illam in angelis principalem, ac robustam, et indomabilem, per quam occultissimo illi ineloquibilis Divinitatis arcano, pro viribus similes nituntur evadere, opertis spiritualibus vestigiis, et expedita illa atque ineffabili celeritate itineris ad divini fulgoris secreta tendentis. Bovis autem imaginem, fortitudinis ac robustatis præferre speciem, et qua spirituales sulcos suscipiendis cœlestibus fecundisque imbribus scindunt. Cornua item servatricem illam signant atque insuperabilem vim. Porro effigiem aquilæ, regiam dignitatem, motumque ad superna tendentem, celeremque volatum ; atque ad captandum necessarium reparandis viribus cibum, agilitatem, atque vigilantiam, et cursum et facilitatem summam ; ac præterea vim illam singularem speculandi atque intendendi libere, directe, in nullam partem inclinando aciem luminum, in radium illum uberrimum et lucidissimum Deitatis, quem ex se instar solis emittit. Equorum quoque figuram, obedientiam in sanctis angelis significare dicimus, qua divinis obtemperant jussis. Qui si quidem albi sint, candorem ac divinæ propinquitatem lucis quam maxime signant ; sin vero pulli, occulta Divinitatis insinuant ; si autem rubei, vigorem ignis et strenuam efficaciam

indicant; quod si ex albo nigroque permixti, vis illa signatur qua traducente nectuntur extrema, et prima secundis, ac secunda primis, conversionis ac prudentiæ ratione junguntur.

Enimvero, nisi cohibendæ prolixitatis rationem haberemus, particulares quoque memoratorum animalium proprietates corporalesque illorum descriptiones omnes, cœlestibus illis virtutibus, dissimilium similitudinum ratione, aptissime congruere profecto doceremus : fervorem iracundiæ, ad spiritualem fortitudinem, cujus extremum ira vestigium est; concupiscentiam quoque, ad divinum amorem; et ut totum simul explicem, omnes mutorum animantium sensus, et partes in plura discissas, ad virtutum cœlestium altissimas intelligentias et unicas virtutes referentes. Verum prudentibus non modo ista sufficiunt; sed vel unius obscuræ imaginis expositio, ad similia pari ratione solvenda sufficiet.

Illud inspiciendum, quid sibi velint flumina, rotæ, et currus qui cœlestibus virtutibus conjuncti referuntur. Nempe enim ignea flumina divinos significant latices, largissimam angelis atque indeficientem inundationis copiam largientes, vitalisque fecunditatis altores. Currus autem, conjunctam similium et æqualium societatem signant. Rotæ vero, quæ alatæ quidem sunt, ceterum in anteriora semper absque ulla conversione in nullam partem declinando incedunt, vim profecto actionis angelicæ qua rectam semper viam atque arduam pergunt, insinuant. Quippe omnis illorum cursus spiritualisque rotatus, ad viam illam erectam atque arduam cœlesti intentione dirigitur. Possumus autem et juxta alium sensum, intellectualium rotarum figuralem descriptionem exponere. Est enim eis, ut Propheta ait, cognomen inditum, Gelgel : *Ezech.* x,
quod Hebræorum voce, revelationes, ac revolutiones significat. Igneæ namque atque 13, juxta LXX.
divinæ rotæ, regyrationes quidem habent, quod sempiterno motu circa summum idem versentur bonum; revelationes autem, quod occulta sacramenta revelent, et humiliores quosque promoveant, sublimesque divini fulgoris radios in inferiora agmina descendendo transfundant.

Reliqua nobis ad exponendum est gaudii cœlestium ordinum ratio. Sunt enim illi passivæ voluptatis nostræ prorsus ignari. Congaudere autem dicuntur Deo in eorum *Luc.*xv,10.
qui perierant inventione, juxta congruam sibi divinam prorsus tranquillitatem, et benignissimam copiosissimamque lætitiam quam de illorum providentia et salute capiunt, qui convertuntur ad Deum, ac voluptatem illam prorsus ineffabilem cujus et sancti viri sæpenumero participes effecti sunt, quum in eos divinæ illius ac deificæ lucis fulgor influeret.

Sed hæc hactenus de figuris ac fictionibus sacris : quæ licet ad diligentiorem hujusmodi signorum enodationem non attigerint, multum tamen, ut reor, conferent intelligentiæ nostræ, ne in humilitate litteræ figamur, figuralibusque imaginibus inhæreamus. Quod si objicias nos non omnium deinceps imaginum quæ in sacris Litteris angelicas virtutes actionesque significant, fecisse mentionem : respondebimus quod verum est, fatebimurque ingenue divinarum et earum quæ supra mundum sunt rerum, partim liquidam nos ignorasse scientiam, atque ad ea ediscenda quæ supra nos sunt, doctore ac duce indigere; partim quædam omisisse ex industria, ut quæ ex antea expositis colligi possent, tantumdem ferme valentia. Simul et ne modum liber excederet prospicientes, arcana cœlestia silentio honoranda putavimus.

---

# COMMENTARIA IN LIBRUM
# DE ECCLESIASTICA HIERARCHIA

# PRÆFATIO

TALEM *habemus pontificem, qui consedit in dextera sedis magnitudinis in cœlis, sanctorum minister et tabernaculi veri, quod fixit Deus, et non homo.* Hebr. VIII, 1, 2.

Olim in lege Deus per magnos et sanctos Prophetas prænuntiavit, in adventu Messiæ novum et præexcellens sacerdotium esse præstandum, novam quoque legem perfectam. Siquidem translato sacerdotio, necesse est ut et legis translatio fiat. Hinc *Hebr.* VII,
de Christo fuit vaticinatum in Psalmo : Juravit Dominus, et non pœnitebit eum : Tu 12. *Ps.* CIX, 4.
es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. De cujus lege Isaias prædixit : Attendite ad me, popule meus, quia lex a me exiet, et judicium meum in *Is.* LI, 4.
lucem populorum requiescet; et rursus, De Sion exibit lex, et verbum Domini de *Ibid.* II, 3.
Jerusalem. Denique, de horum utroque Jeremias prophetavit simul aperte : Ecce, *Jer.* XXXI,
inquiens, dies veniunt, dicit Dominus, et feriam domui Israel et domui Juda fœdus 31-38.
novum : non secundum pactum quod pepigi cum patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti : pactum quod irritum fecerunt. Sed hoc erit pactum quod feriam cum domo Israel : Post dies illos, dicit Dominus, dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam, et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum, etc.

Hanc legem contulit Christus ecclesiasticæ hierarchiæ ac politiæ, in qua ipse fuit rex et sacerdos, caput et pontifex. Primos quoque ejus sacerdotes instituit, ordinavit, et consecravit in Cœna : in qua sacrificium ac Sacramentum quod ipsi eorumque successores de cetero consecrarent, offerrent et frequentarent, ipsemet primitus consecravit, ac formam consecrationis et celebrationis præfixit ac tradidit, et cetera evangelicæ legis instituit sacramenta. Amplius, unum discipulorum suorum aliis præfecit in prælatum ac præsulem, atque in plenum, summum ac generalem suum vicarium, dicens eidem : Pasce oves meas. Distinxit quoque et statuit in Ecclesia sua *Joann.* XXI,
diversos ministros, pastores, officiatos ac præsidentes, cum multiplici differentia 17.
gratiarum, virtutum, donorum, et ministrationum, prout in prima ad Corinthios epistola docet Apostolus : Divisiones (dicens) gratiarum sunt, idem autem Spiritus; et I *Cor.* XII,
divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus; et divisiones operationum 4-6.
sunt, idem vero Deus qui operatur omnia in omnibus. Consequenter, in eadem *Ibid.* 7 *et*
epistola prosequitur de his docte, subtiliter, copiose. *seq.*

Præterea, sicut in præcedenti volumine beatissimus, ferventissimus et illuminatissimus Dionysius tractavit diffuse de supernis, ordinibusque angelicis, de quibus magister et institutor suus sacratissimus Paulus breviter in suis tetigit epistolis; ita in isto volumine idem auctor compendiose tractat de quibusdam nunc tactis ecclesiasticæ hierarchiæ sacramentis, officiis, religionibus ac statutis. Hinc, quemadmodum scientia libri de Angelica hierarchia, est quædam quasi pars scientiæ secundi libri Sententiarum, in quo, inter cetera, de hierarchiis et choris cœlestibus agitur; sic libri hujus scientia, est quasi pars quædam scientiæ quarti libri Sententiarum, in quo, inter reliqua, de ecclesiasticis sacramentis, aliisque prætactis tractatur. Ex quibus elicitur quæ sint subjecta libri hujus ac præcedentis.

# S. DIONYSII AREOPAGITÆ

MARTYRIS, ATHENARUM EPISCOPI ET GALLIARUM APOSTOLI

# DE ECCLESIASTICA HIERARCHIA

AD TIMOTHEUM EPHESINÆ CIVITATIS EPISCOPUM

INTERPRETE JOANNE SCOTO

---

## CAPITULUM PRIMUM

### QUÆ SIT ECCLESIASTICÆ HIERARCHIÆ TRADITIO, ET QUÆ EJUSDEM SPECULATIO.

COMPRESBYTERO Timotheo, Dionysius presbyter salutem. — Quia quidem secundum nos hierarchia divinorum principiorum sacratissime intenta atque divina habetur deifica scientia, et operatione, et consummatione, ex supermundanis et sacratissimis nos ostendere oportet Eloquiis, sacræque perfectionis mysteriorum teleten, his qui ex hierarchicis sacramentis et traditionibus perfecti sunt. Sed vide quomodo ut ex principio, deinde sancta sanctorum revenerare. Sed autem et hæc secreti Dei intellectualibus et invisibilibus scientiis honorifica, imparticipata quidem hæc et incontaminata ab imperfectis conservans, sacris autem solis, sacrorum cum sacra illuminatione, sancte et pulchre communicans. Sic enim, ut Theologia discentibus nobis tradidit, et ipse Jesus (divinissimus animus et superessentialis, omnis hierarchiæ et sanctificationis et deificationis principium, et essentia, et divinissima virtus) beatis et nostrum melioribus essentiis significantius simul et intellectualius illucet, et eas ad proprium lumen assimilat secundum virtutem; nostrasque ad se extentorum, et nos extendente bono amore, complicat multas alteritates, et in uniformem et divinam consummans et vitam, et habitum et actionem, sanctam et pulchram donat divinæ sacerdotalitatis virtutem. Deinde in sanctam venientes divini sacerdotii operationem, propius quidem nos efficimur super nos essentiarum, secundum virtutem, similitudini manentis et immutabilis earum sacræ collocationis; et hac ad lumen Jesu et divinam claritatem respicientes, et quæcumque videre possibile explorantes sacre, et speculationibus scientiæ illu-

minati, mystica disciplina consecrati et consecrantes, luciformes, sed et deifici, perfecti et perfectiores fieri poterimus.

Quædam igitur Angelorum est et Archangelorum hierarchia, et supermundialium Principatuum, et Potestatum, et Virtutum, Dominationumque, et divinorum Thronorum, aut æquipotentium Thronis essentiarum, quas Theologia attente et semper circa Deum esse et post Deum tradit, Cherubim eas Hebræorum voce et Seraphim nominans. Ornatum earum et hierarchiarum secundos ordines et divisiones consequens invenies in eis, nobis non condigne quidem, ut possibile autem, et ut Theologia sacratissimis scripturis subintroduxit, juxta eas hierarchiam laudantibus. Tantum tamen dicere necessarium, quomodo et illa, et omnis nunc laudans supra nos hierarchia, unam habet et eamdem per omnem hierarchicam actionem virtutem, ipsumque summum sacerdotem, quomodo juxta eum essentia et analogia et ordo habet perfici secundum divina, et deificari, et subjectis tradere, secundum dignitatem unicuique facta ei divinitus sacra deificatione ; ipsosque subditos sequi quidem meliores, extendere vero minores in ea quæ ante sunt ; quosdam autem et præesse, et quantum possibile, alios ducere : et per hanc divinam hierarchicam harmoniam, vere subsistens bonum, et sapiens, et optimum, participare unumquemque juxta virtutem. — Sed ipsæ quidem super nos essentiæ et ordinationes quarum jam memoriam sacram fecimus, et incorporales sunt et invisibiles, et supermundana est secundum ipsas hierarchia. Eam vero secundum nos, videmus proportionaliter nobis ipsis sensibilium symbolorum varietate multiplicatam, ex quibus hierarchice in uniformem deificationem, in commensuratione quæ secundum nos est, reducimur, in Deumque et divinam virtutem. Ipsæ quidem, ut intellectus, intelligunt juxta quod eis fas est ; nos vero sensibilibus imaginibus in divinas, quantum possibile est, reducimur contemplationes. Vereque dicendum, unum quidem est quod omnes uniformes appetunt ; participant vero non uniformiter id ipsum unum quod est, sed sicut unicuique divina juga distribuunt juxta dignitates partem. Sed hæc quidem nobis in ea quæ est de invisibilibus et sensibilibus actione, latius dicta sunt.

Nunc vero nostram hierarchiam, principiumque ejus et essentiam, quantum possibile est, dicere tentabo, omnium hierarchiarum principium et consummationem Jesum invocans. Est quidem hierarchia omnis, secundum adorabile nostræ sacræ traditionis, omnis subjectorum sacrorum ratio, aut universalissima hujus continuatim hierarchiæ, aut hujus, sacrorum consummatio. Nostra igitur hierarchia dicitur et est continens omnium quæ juxta eam sunt sacrorum negotium : secundum quam divinus hierarches perfectus, omnium habebit quæ secundum ipsum sunt sacratissimorum participationem, utpote ab hierarchia cognominatus. Sicut enim hierarchiam qui dicit, omnium simul comprehensam dicit sacrorum dispositionem ; sic hierarcham dicens, declarat mirabilem et divinum virum, omnis sacræ eruditum scientiæ, in quo pure sua hierarchia omnis perficitur et cognoscitur.

Hujus principium hierarchiæ, fons vitæ, essentia bonitatis, una exsistentium causa, Trinitas est, ex qua et esse et bene esse, est subsistentibus per bonitatem. Hæc autem omnium summitas divinissima, principali beatitudine trina, unica vere exsistit, secundum quod nobis incomprehensibile est. Huic autem desiderabilis voluntas quidem est, rationalis salus et secundum nos et super nos essentiarum. Hæc autem non aliter fieri potest, nisi deificatis salvatis. Deificatio autem est, ad Deum, quantum possibile, et similitudo et unitas. Omni autem hoc commune hierarchiæ summum, ad Deum et divina attenta dilectio, divinitus atque potenter sacrificata, et ante hæc, ab eorum contrariis perfecta et inconvertibilis reversio, et cognitio eorum quæ sunt, quæ ea quæ sunt, est intellectualis veritatis et visio et scientia, et uniformis consummationis divina participatio, ipsius unius, quantum possibile, contemplationis refectio, nutriens invisibiliter, et deificans omnem in se extentum.

Dicamus itaque quomodo divina beatitudo, vera Divinitas, principium deificationis, ex quo deificari deificatis bonitate divina, hierarchiam in salute et unitate omnium et rationalium et intellectualium essentiarum donavit. Et supermundanis quidem et beatis quietibus, immaterialiter et intellectualiter : non enim extrinsecus eas Deus in divina movet, invisibiliter autem et intrinsecus illuminatas in eam in se puram et immaterialiter * divinissimam voluntatem. Nobis autem, quod illis uniformiter et connexim donatur, ex Deo traditis Eloquiis, quantum nobis possibile, in varietate et multitudine separabilium symbolorum donatum est. Essentia enim nostræ hierarchiæ est, Deo tradita Eloquia. Sanctissima autem Eloquia hæc dicimus, quæcumque a divinis nostris sacre perfectoribus, in hagiographis nobis et theologicis donata sunt deltis, atqui et quæcumque ab ipsis sacris viris immateriali doctrina et minori quodam modo jam in cœlesti hierarchia, ex intellectu in intellectum, per medium verbum corporale quidem, immaterialius vero, tamen extra scripturam, duces nostri eruditi sunt.

* immaterialem

Neque hæc divini summi sacerdotes, in sacrificii commune, non velatis invisibilibus, sed in symbolis sacris tradiderunt. Est enim non omnis mundus, neque omnium (ut Eloquia aiunt) scientia. Necessario igitur primi nostræ hierarchiæ duces, ex superessentiali Deitate ipsi repleti divino dono, et in id ipsum, deinde præire ex divina bonitate missi sunt. Ipsi vero copiose amantes, tanquam dii eorum qui post se sunt reductionis et deificationis, sensibilibus imaginibus supercœlestia, et varietate et multitudine connexum, et in humanis divina, et in materialibus immaterialia, et his quæ sunt secundum nos superessentialia, scriptis suis et non scriptis doctrinis secundum sacras nobis tradiderunt leges : non propter immundos solum, quibus nec symbola tangere fas est ; sed quia et symbolica quædam est, quod quidem dixi, proportionaliter nobis ipsis nostra hierarchia, desiderans sensibilia in eam ex eis ad invisibilia divinorum nostram reductionem.

I *Cor.* VIII, 7.

Revelandæ tamen sunt symbolorum rationes divinis sacris perfectoribus, quas

non est justum educere in adhuc perficiendos, scientes quomodo sacrorum, Deo tradente, legislatores ornatuum, statutis et inconfusis ordinibus, et unoquoque secundum dignitatem accipiente, proportionibus et sacris distributionibus hierarchiam ordinaverunt. Propter quod et tuis sacris confessionibus credens (recordari enim earum sanctum est), sic omnem quidem suppositam hierarchicam sanctam laudem non tradas alteri, præter æque ordinatos tibi, deiformes, sacros perfectoresque. Eosque patieris confiteri secundum legem hierarchicam, mundorum quidem munda tangere, communicareque solum divinis deificata, et perfectorum perfectivis, sanctisque sanctissima. Aliaque hierarchicorum tibi et hæc tradidi divino dono.

# COMMENTARIA DIONYSII CARTUSIANI

## IN LIBRUM

# DE ECCLESIASTICA HIERARCHIA

---

## ARTICULUS PRIMUS

**ELUCIDATIO INITII CAPITULI HUJUS PRIMI : OBJECTUM PRÆSENTIS LIBRI, ET QUOD MYSTERIA SACRA NON TEMERE CUIVIS, NEC ÆQUALITER OMNIBUS, SINT COMMUNICANDA.**

LIBER iste, quemadmodum et præcedens, A et duo sequentes, quorum unus tractat de divinis nominibus, alter de mystica theologia, scriptus est per modum epistolæ. Omnes quippe scripsit ad Timotheum. Idcirco præmittitur : *Compresbytero Timotheo, Dionysius presbyter salutem.* Quæ verba in exordio præcedentis libri habentur, et ibi exposita sunt. Etenim S. « Dionysius presbyter », id est sacerdos seu senior, utputa præsul Atheniensis, scribit et mittit hæc « Timotheo compresbytero », id est consacerdoti et B coepiscopo suo. Sequitur textus.

*Quia quidem secundum nos hierarchia puerorum divinorum* sacratissime intenta atque divina habetur deifica scientia, et operatione, et consummatione, ex supermundanis et sacratissimis nos ostendere oportet Eloquiis.* Istud dupliciter potest exponi. Primo sic : « Sacratissime puerorum divinorum », id est, o tu Timothee, sacratissime puerorum divinorum, id est valde sacer et sacrate seu sanctificate inter pueros divinos, id est ministros ac C discipulos, Deo gratiose ac virtuose assimilatos. — Secundo sic, et magis ad litteram, ut ex aliis translationibus considerratur : « Oportet », id est expedit, « nos ostendere ex Eloquiis supermundanis », id est Scripturis supernaturalibus divinitus revelatis, « et sacratissimis », id est eminenter sanctis, « quia quidem », id est pro certo quod, « hierarchia secundum nos », id est ecclesiastica hierarchia, « puerorum divinorum », id est fidelium personarum (quibus dicitur : Laudate, pueri, Dominum), « intenta sacratissime », id est devotissime occupata, et advertens verba Scripturæ (juxta illud Actuum : Nobiliores eorum cum omni aviditate susceperunt verbum Dei), « atque divina », id est Deo per actus contemplationis ac sancti amoris conformata (juxta illud Apostoli : Imitatores Dei estote, sicut filii carissimi), « habetur », id est consistit, « scientia deifica », id est in scientia salutari, quæ scientem Deo conformat (de qua ipse Dominus per Jeremiam hortatur : In hoc gloerietur qui gloriatur, scire et nosse me), « et operatione », id est expurgatione a culpa (juxta illud : Pœnitentiam agite), « et consummatione », id est perfectione. Hi namque sunt tres actus thearchici* : illuminatio, quæ nomine scientiæ designatur ; purgatio, quæ per operationem

* divinorum principiorum

Ps. cxii, 1. — Act. xvii, 11. — Ephes. v, 1. — Jer. ix, 24. — Matth. iii, 2; iv, 17.

* hierarchici

exprimitur, quia operatio pœnitentialis et observantia præceptorum, illuminationem et contemplationem præcedit, sicut ethica theoricam, et vita activa contemplativam; et perfectio.

*Sacræque perfectionis mysteriorum teleten :* hoc est, ostendere nos etiam oportet et declarare « teleten », id est ritum ac formam, « sacræ perfectionis », id est sanctæ completionis, « mysteriorum », id est divinorum secretorum, videlicet sacramentalium operum, et benedictionum seu consecrationum quæ fiunt et adhibentur in sacris, et sacramentis ac sacramentalibus, quæ indignis, et potissime perfidis, sunt celanda : qualiter scilicet accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum.

Quibus autem ostendenda et publicanda sint ista, subjungit : *his qui ex hierarchicis sacramentis et traditionibus perfecti sunt,* id est, qui bene sunt instituti, fundati et eruditi in fide et usu sacramentorum, atque catholicis documentis. Et recte ait, « hierarchicis sacramentis » : quoniam per sacramenta evangelicæ legis, eo quod gratiam contineant, fit purgatio, illuminatio, et perfectio, quæ sunt actus hierarchici. Et quia sacramenta per ministros Ecclesiæ dispensantur, consequenter prohibet mysteria ista indignis manifestari.

*Sed vide,* id est considera, *quomodo ut ex principio,* id est, qualiter ista mysteria sint ex Deo et institutione divina, non humana, tanquam a principali, imo et immediato institutore; *deinde sancta sanctorum revenerare :* id est, hæc sacramenta quæ præ sacramentis legis naturæ ac legis scriptæ potissime sancta sunt, in quorum uno Sanctus Sanctorum, Deus et homo, realiter et incomprehensibiliter continetur : hæc, inquam, sacramenta « revenerare », id est, assidue venereris, nec sine debita præparatione, confessione, puritate et reverentia accipias ea. Nempe qui in mortali peccato scienter exsistens, ea consecrat, dispensat aut sumit, peccat mortaliter, ut docet S. Dionysius iste. Non ergo sufficit credere, sed oportet etiam efficaciter honorare hæc sacramenta. *Sic* autem et hæc secreti Dei intellectualibus et invisibilibus scientiis honorifica,* id est, mysteria ista sic honorifices per considerationes mentales ac spirituales, *imparticipata quidem hæc et incontaminata ab imperfectis conservans,* id est, ea non communicans, porrigens aut dispensans carnalibus proficere non curantibus, nec talibus ea irridenda aut violanda exponens quæ sunt « secreti Dei », id est pertinentia ad incomprehensibilem altitudinem sapientiæ Creatoris ac Salvatoris. Verumtamen interdum, ut scandalum evitetur, ne occultum peccatum prodatur, dandum est sacramentum indigno occulto. *Sacris autem solis, sacrorum cum sacra illuminatione, sancte et pulchre communicans :* id est, impertiens et propalans mysteria ista « sancte et pulchre », id est devote et immaculate, ita ut tu quoque irreprehensibiliter converseris, « solis sacris », id est tantum sanctificatis fidelibus, « cum sacra illuminatione sacrorum », id est catholica informatione de istis mysteriis, ut sciant quid sentire et credere debeant de eisdem. Verumtamen ista non dicuntur, quod minister sacramentorum teneatur certo scire an proximi aut subditi sui sint in statu salutis et spiritualiter digni, quum hoc ei impossibile sit sine revelatione divina (quum et Apostolus dicat : Quis scit quid agatur in homine, nisi spiritus ejus ?) ; sed ut minister faciat circa hoc diligentiam suam, juxta illud Proverbiorum : Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera.

*Sic enim, ut Theologia discentibus nobis tradidit,* id est, sicut Scriptura docet nos addiscentes, *et ipse Jesus divinissimus animus,* id est mens summe divina, præsertim secundum deitatis suæ naturam, *et superessentiale* omnis hierarchiæ et sanctificationis et deificationis principium,* id est fontale et superexaltatum causale exordium « omnis hierarchiæ » angelicæ ac humanæ, omnisque gratiæ sancti-

* *Sed*

I Cor. II, 11.

Prov. XXVII, 23.

* *superessentialis.*

ficantis, atque internæ purificationis et A
perfectionis, qua homo quodammodo dei-
ficatur, id est, deus quidam per partici-
pationem efficitur. Unde et principes ac
judices in Scripturis dii vocantur, secun-
*Exod.* XXII, 28. dum illud in Exodo : Diis non detrahes.
Omnium horum, Pater et Filius ac Spi-
ritus Sanctus, sunt unum principium, sic-
ut et unus creator, quum superbeatissimæ
Trinitatis indivisa sint opera. *Et essentia,*
*et divinissima virtus,* id est, Jesus se-
cundum quod Deus, est omnibus illis
essentia, et virtus suprema, non formali-
ter, sed effective, nulli inhærens, sed cun-
cta efficiens, quemadmodum juxta Apo-
I *Cor.* XV, 28. stolum, Deus est omnia in omnibus. *Beatis*
*et nostrum melioribus essentiis signifi-*
*cantius simul et intellectualius illucet :*
id est, ipse Jesus Deus incarnatus « illu-
cet », id est, intus fulget, « significan-
tius », id est clarius et expressius, « et
intellectualius », id est purius atque abs-
tractius, « essentiis » illis « beatis », id
est spiritibus illis supernis, « et melio-
ribus nostrum », id est virtuosioribus ac
præstantioribus quam nos, quum tam in
naturalibus quam in gratuitis multum
excedant nos, et videant Creatorem in se
ipso clare per speciem, et confirmati sint
in bono, ac sine interpolatione diligant
Deum secundum posse suum extremum.
*Matth.* XI, 11. Hinc Christo testante : Qui minor est in
regno Dei, id est infimus in paradiso cœ-
lesti, major est illo, puta Joanne Baptista,
secundum quod fuit viator. Hinc demum,
quantum ad illuminationes hierarchicas,
Dominus multo splendidius micat illis
quam nobis. *Et eas ad proprium lumen*
*assimilat,* id est, lumini gloriæ suæ, ac
suo lumini increato, lumini quoque sa-
pientiæ suæ, mentes illas conformat, *se-*
*cundum virtutem,* id est juxta possibi-
litatem et capacitatem earum, sicut in
expositione præcedentis libri frequenter
expositum est.

*Nostrasque ad se extentorum, et nos ex-*
*tendente bono amore, complicat multas al-*
*teritates,* id est : Christus « complicat », id
est, simplificat in se, « alteritates nostras
multas », id est varias nostras distractiones,
curas, inquietudines, et inordinatas affecti-
ones, per quas non solum a simplicissimo
illo uno quod solum necessarium est, elon- *Luc.* X, 42.
gamur, dividimur, dissipamur (juxta il-
lud : Divisum est cor eorum, nunc inte- *Osee* X, 2.
ribunt), imo etiam a nobis ipsis alieni
efficimur, in regionem dissimilitudinis *Luc.* XV, 13.
abeuntes instar filii prodigi et carnalis,
cum quo sic dissipati, pascimus porcos, *Ibid.* 15.
id est sensuales et viles affectus : no-
B stras, inquam, « extentorum ad se », id
est, nostrorum qui mente nos extendimus
et levamus ad ipsum per pium conatum,
faciendo quod in nobis est, ejusque opem
et gratiam invocando, et ipsum pro posse
aliqualiter intuendo. Complicat quoque et
nos in se ipso, adunando et recolligendo
corda nostra in se, dummodo nos apte-
mus ad hoc. Propter quod per Jeremiam
ait : Quis est iste qui applicet cor suum, *Jer.* XXX, 21.
ut appropinquet mihi ? Nempe, ut in li-
bro Job asseritur, Si direxerit homo ad *Job* XXXIV, 14.
C Deum cor suum, spiritum illius et flatum
ad se trahet. Sed quoniam se ita aptare
et applicare, est donum Dei et gratiæ præ-
venientis effectus, sapienter deprecatus
est Jeremias : Converte me, Domine, et *Jer.* XXXI, 18, 19.
convertar, quia tu es Dominus Deus meus.
Postquam enim convertisti me, egi pœ-
nitentiam ; et postquam ostendisti mihi,
percussi femur meum. Sic ergo nos com-
plicat, « extendente nos bono amore », id
est, spirituali dilectione erigente et coa-
dunante nos in ipso, quia per caritatem
D et ejus affectum fit complicatio ista, pro
qua Salvator Patrem oravit : Rogo (in- *Joann.* XVII, 20, 21.
quiens), Pater, ut omnes unum sint, sicut
tu, Pater, in me, et ego in te, ut et ipsi
sint unum in nobis.

Denique expositio ista consonat Glossæ.
Quam tamen reprehendit Albertus, dicen-
do : Complicat multas alteritates nostras,
id est intellectus nostros non firmiter
stantes in uno, sed ad diversa nutantes.
Non enim alteritates nominat multiformes
carnalium voluptatum curas, ut dicit Com- S. Maximus

mentator : quia has non complicat, sed A abjicit. — Ad quod dico, quod interdum etiam aliqua complicantur et colligantur, ut simul juncta abjiciantur, juxta illud *Mich.* VII, 19. Michææ, Projiciet in profundum maris omnia peccata nostra; vel in ignem mittantur, prout per Isaiam loquitur Deus de *Is.* XXIV, 22. reprobis : Congregabuntur in congregatione unius fascis in lacum, et claudentur ibi in carcere. Unde in Evangelio Domi- *Matth.* XIII, 30. nus : Dicam (ait) messoribus, Alligate ea in fasciculos ad comburendum.

* *Et in uniformem* *Et uniformem* * *et divinam consum-* B *mans et vitam, et habitum et actionem,* hoc est, Jesus « consummans », id est, perfecte in nobis efficiens, « vitam uniformem et divinam », id est conversationem in Deo fixam ac stabilem, multumque virtuosam et contemplativam, « et habitum et actionem », id est habitus virtuosos eorumque actus. Habitus enim virtutum gratuitarum infundit, et ad eliciendum actus ex illis, excitat, movet et cooperatur. *Is.* XXVI, 12. Propter quod Isaias ait : Domine, dabis pacem nobis ; omnia enim opera nostra C *Philipp.* II, 13. operatus es nobis. Itemque Apostolus : Deus operatur in vobis et velle et perficere. *Sanctam et pulchram donat divinæ sacerdotalitatis virtutem,* id est, Jesus largitur nobis efficaciam præclaram, decentem ac ordinatam, « sacerdotalitatis divinæ », id est evangelici sacerdotii desuper dati, supernaturalis ac penitus spiritualis, hoc est potestatem consecrandi, celebrandi, et sacerdotalia opera exercendi. Nam et sacerdotalem imprimit characterem per creationem. Per divinam quoque sacer- D dotalitatem, potest intelligi spiritualis vis immolativa sui ipsius, qua quisque devotus se ipsum quotidie offert Deo in holocaustum aut hostiam salutarem, secun- *Rom.* XII, 1. dum illud ad Romanos : Obsecro vos, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem. Hæc virtus sacerdotalis, est latria, quæ est virtus moralis, Deo cultum cærimoniamque impendens. Præterea, ad hanc vitam divinam et uniformem, Vas electionis nos admonens :

Estote, inquit, stabiles et immobiles, abundantes in opere Domini semper. *I Cor.* XV, 58.

*Deinde in sanctam venientes divini sacerdotii operationem,* id est post prætactam divinorum munerum largitionem, nos procedentes in saluberrimos actus sacerdotii jam prætacti, mancipando nos totos atque totaliter amori cultuique divino, et oblationibus sacris ac hostiis sacri altaris, secundum illud Psalmi : Introibo ad *Ps.* XLII, 4. altare Dei ; *propius quidem nos efficimur super nos essentiarum, secundum virtutem, similitudini manentis et immutabilis earum sacræ collocationis :* id est, magis appropinquamus « similitudini » perfectionis « essentiarum » quæ « super nos » sunt, id est angelicorum spirituum, qui sublimiores sunt nobis, « secundum virtutem », id est juxta nostram possibilitatem ; vel, « secundum virtutem », id est, prout amplius in virtutibus crescimus. Itaque propinquiores « efficimur similitudini collocationis earum sacræ » et « manentis et immutabilis », id est perfectionis angelorum, in qua a Deo collocati sunt et fundati : quæ perfectio, seu collocatio in donis naturæ et gratiæ ac gloriæ, est manens, quia incorruptibilis sunt naturæ ; et sacra, per charismata gratiæ ; et immutabilis, quantum ad dona felicitatis ac gloriæ, in qua invariabiliter sunt firmati.

*Et hac,* id est per gratiosam istam cum angelis assimilationem et cœliformem perfectionem, *ad beatum Jesum* * *et divinam claritatem respicientes,* id est, mentem * *lumen Jesu* nostram ac ejus intuitum dirigentes « ad » Unigenitum Patris « Jesum » Christum, essentialiter « beatum » secundum divinitatis naturam, et secundum assumptam humanitatem excellentissime glorificatum, « et divinam claritatem », id est lucem gloriæ ac totius superbenedictæ Trinitatis supersplendidissimam puritatem. Unde in Apocalypsi asseritur : Civitas non *Apoc.* XXI, 23. eget sole neque luna ; nam claritas Dei illuminabit eam. *Et quæcumque videre possibile explorantes sacre,* id est, perscrutantes humiliter ac devote omnia illa

quæ possibile nobis est investigare ac A capere, juxta illud Ecclesiastici : Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris. Alioqui, ut in libro Proverbiorum inducitur : Sicut qui mel comedit multum, non est ei bonum : sic qui perscrutator est majestatis, opprimetur a gloria.

Eccli. III, 22.

Prov. XXV, 27.

*Et speculationibus scientiæ illuminati,* loquendo de scientia salutari quæ est donum Spiritus Sancti (de qua ait Scriptura, Dedit illi scientiam sanctorum ; et ad Colossenses Apostolus, Ambuletis di- B gne Deo per omnia, crescentes in scientia Dei) ; *mysticam disciplinam* consecrati et consecrantes :* id est, per fidem et operum exhibitionem « consecrantes » et honorantes « disciplinam », id est sacram Scripturam, « mysticam », id est spiritualem, secretam, velatam. Vel, « disciplinam », id est virgam Dei seu correctionem ; « mysticam », id est judicio occulto inflictam, seu a Deo permissam, qua præsertim in primitiva Ecclesia exercebantur electi, « consecrantes », id est, patienter ferentes, ac C justo et sancto Creatoris judicio illatam fatentes. Unde Apostolus : In disciplina, inquit, perseverate ; et Salomon, Disciplinam Domini, fili mi, ne abjicias. « Et consecrati », id est per eam purgati, exercitati, probati, secundum illud libri Sapientiæ : Tanquam aurum in fornace probavit Dominus justos.

Sap. X, 10.

Coloss. I, 10.

* mystica disciplina

Hebr. XII, 7.

Prov. III, 11.

Sap. III, 6.

*Luciformes et* deifici, perfecti et perfectores* fieri poterimus.* Id est : Deo sic operante et auxiliante, « poterimus » effici « luciformes », id est luce gratiæ informati ac decorati, instar lucis clari (juxta illud Apostoli : Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino), « et deifici », id est Deo assimilati, et ea quæ Dei sunt facientes, deiformiter conversantes, atque divina jugiter exercentes ; « perfecti », habendo virtutes secundum gradum earum completum, et in termino excellentiæ, ut viri heroici (juxta illud Matthæi : Estote perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est), « et perfectores », id est alios ad perfectionem hujusmodi perducendo, juxta quod ait beatissimus Petrus : Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes. Hoc implent viri sancti qui sibi commissos in schola virtutum exemplis et documentis assidue trahunt ad meliora, ut non cessent condigne proficere, quemadmodum ad Colossenses hortatur Apostolus : Exhibete vos sanctos, et immaculatos, et irreprehensibiles coram Deo ; et ad Ephesios, Renovamini spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in sanctitate et justitia. Nempe, ad hoc venit in mundum hunc unigenitus Filius Dei, ut sine timore carnali, mundano, puerili, inordinato, de manibus inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi in sanctitate et justitia coram ipso, omnibus diebus vitæ nostræ.

* sed et

* perfectiores

Ephes. V, 8.

Matth. V, 48.

I Petr. IV, 10.

Coloss. I, 22.

Ephes. IV, 23, 24.

Luc. I, 74, 75.

## ARTICULUS II

### DE CONVENIENTIA ET DIFFERENTIA HIERARCHIARUM ANGELICÆ ET ECCLESIASTICÆ.

CONSEQUENTER Theologus repetit aliqua in præcedenti libro inducta, de D angelicis hierarchiis et choris, ut ex illis aptius aggrediatur tractatum de Ecclesiastica hierarchia, ostendendo in quibus conveniant atque differant.

*Quædam igitur Angelorum est et Archangelorum hierarchia, et supermundialium Principatuum,* id est, una « est hierarchia Angelorum et Archangelorum, et Principatuum » cœlestium, qui sunt supra hunc mundum inferiorem, quem

oportet esse contiguum lationibus superiorum, et supra sphæram activorum et passivorum. Isti sunt tres ordines infimæ hierarchiæ cœlestis : de quibus tractatum est nono Cœlestis hierarchiæ capitulo. *Et Potestatum, et Virtutum, Dominationumque,* id est, alia ac media hierarchia angelica, est « Potestatum », quæ sunt de quarto ordine angelorum, « et Virtutum », quæ sunt de ordine quinto, et « Dominationum », quæ sunt de ordine sexto : de quibus tractatum est capitulo Hierarchiæ angelicæ octavo.

*Et divinorum Thronorum,* qui est infimus chorus tertiæ ac supremæ hierarchiæ angelicæ, *aut æquipotentium Thronis essentiarum,* id est mentium supernarum cherubicarum et seraphicarum : quæ sunt æquipotentes Thronis, id est æqualis potentiæ et perfectionis cum Thronis in genere, quia ejusdem sunt hierarchiæ, sicque conveniunt in ratione generica ; excellentiores tamen sunt illis in specie, quia superiorum sunt ordinum. Quod totum in præcedenti libro expositum est diffuse. *Quas Theologia attente et semper circa Deum esse et post Deum tradit :* id est, « quas » mentes supremæ hierarchiæ « Theologia », id est divina Scriptura, « tradit », id est docet, « esse attente et semper », id est diligenter et incessanter, « circa Deum », id est proximas Creatori in ordine rerum, juxta quod loquitur Augustinus : Deus creavit angelum prope se, materiam prope nihil. Quamvis Christus secundum quod homo, et beatissima Virgo, propinquiores sint Deo per unionem et gratiam. Sic ergo sunt circa Deum dignitate naturæ, hierarchica propinquitate : quia immediate illuminantur ab ipso, et circa ipsum objectaliter versantur indesinenter. De quorum suprema hierarchia et tribus ordinibus, septimo Angelicæ hierarchiæ capitulo est tractatum. Sic, inquam, sunt circa Deum, « et post Deum », id est descendendo a primo supersublimi rerum principio ad creata. *Cherubim eas Hebræorum voce et Seraphim nominans,*

A id est, Scriptura appellans mentes illas in lingua Hebræa « Cherubim », ab excessu scientiæ, « et Seraphim », ab ardore amoris præcipuo.

*Ornatuum eorum et hierarchiarum sanctos* ordines et divisiones consequens :* id est, tu consequenter considerans « divisiones », id est distinctiones ac differentias, « ornatuum eorum », id est perfectionum, proprietatum et donorum ordinum horum, « et ordines sanctos hierarchiarum » cœlestium : quorum ordinum proprietates, actiones, officia, ex eorum nominibus perpenduntur, ut in expositione dictum est libri præhabiti. *Invenies in eis nostram* non condigne quidem, ut possibile autem, et ut Theologia sacratissimis scripturis subintroduxit, juxta eas hierarchiam laudantibus :* id est, in prædictis reperies et addisces quæ dicta sunt « non condigne quidem », id est certe non tam excellenter ut congruit tam sublimi materiæ, « ut possibile autem », id est, sed prout nobis possibile fuit describere (divina enim desuper revelata, non valent tam clare perfecteque exprimi, quam lucide intelliguntur), « et ut Theologia », id est sermo divinus, « subintroduxit », id est, quasi subtus induxit ex corde humano, secundum quod supra fuit inspiratus ex mente æterna, « scripturis sacratissimis », id est in divinissimis libris, « laudantibus nostram hierarchiam juxta eas », id est, secundum quod dignitas earum requirit, et juxta verum paginarum sanctarum tenorem ac intellectum.

* *Ornatum earum et hierarchiarum secundos*

* *nobis*

B C D

*Tantum tamen dicere necessarium,* id est, quamvis non valeamus hierarchias illas ordinesque cœlestes digne laudare, « tantum tamen » hoc loco oportuit seu expediens fuit « dicere », *quomodo et illa,* id est qualiter et cœlestis hierarchia, *et omnis nunc laudans supra nos hierarchia,* id est, « omnis » seu tota ecclesiastica « hierarchia laudans nunc », id est in statu hujus exsilii, « supra nos », id est Deum super nos exsistentem ; vel, « quomodo illa hierarchia » cœlestis « supra nos »

exsistens; *unam habet et camdem per omnem hierarchicam actionem virtutem,* id A est, similem vim seu efficaciam eamdem in generali habet a Deo in cunctis hierarchicis actibus : quæ virtus potest latria appellari, quæ Deo exhibet laudem et cultum ; vel sapientia, per quam fiunt hierarchicæ actiones, quæ sunt purgatio, illuminatio, perfectio. Habent quoque eamdem virtutem substantificam, causalem, fundamentalem, cui innituntur : quæ est omnipotens Dei virtus, omnia fulciens et conservans, in se pure subsistens, nulli B innitens. Hinc subditur :

*Ipsumque summum sacerdotem,* id est summum hierarcham, omnia sacra donantem, qui est Deus omnipotens, totius hierarchici actus ac ordinis fons, dator ac princeps, *quomodo juxta eum essentia et analogia et ordo,* id est, quemadmodum secundum illius ordinationem ac jussionem, omnis « essentia », seu persona hierarchica contenta in quacumque hierarchia, « et analogia », id est habitudo seu proportio vel capacitas, « et ordo », id C est chorus seu ordinatio, *habet perfici,* id est, indiget a suo superiori decorari et actuari, *secundum divina,* id est participando ab illo superna charismata, aut aliquid complementi in illis, *et deificari,* id est Deo eminenter conformari, *et subjectis tradere,* id est inferioribus communicare atque influere (quod est deificari, id est divinam proprietatem sortiri et exercere), *secundum dignitatem unicuique facta ei divinitus sacra deificatione,* id est, assimilatione hac sancta cum Deo « facta », D id est impensa, « unicuique ei », id est cuilibet inferiori, « secundum dignitatem », id est juxta ipsius capacitatem, dispositionem, seu meritum.

*Ipsosque subditos sequi quidem meliores,* id est subditos obtemperare, acquiescere, seque conformare exemplis, doctrinis, jussionibus suorum majorum, juxta illud ad Hebr. xiii, 7. Hebræos : Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei ; quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem. Itemque : Obedite Hebr. xiii, 17. præpositis vestris et subjacete illis ; ipsi enim pervigilant quasi pro animabus vestris rationem reddituri : ut cum gaudio hoc faciant, et non gementes. *Extendere vero minores in ea quæ ante sunt,* id est, eos qui præsunt oportet erigere « minores », id est subditos, in anteriora, præcedendo ac exhortando eos ad meliora ac Ibid. vi, 9. viciniora saluti, prout Vas ait electionis : Quæ retro sunt obliviscens, in anteriora Philipp iii, 13. extendo me ipsum. Hinc præsidentibus loquitur Christus : Vos estis lux mundi ; Matth. v, 14, 13. vos estis sal terræ.

*Quosdam autem et præesse,* id est, nonnullos oportet aliis præsidere : quia ut in Regula sua scribit Hieronymus, nec civitas, nec domus, nec congregatio ulla diu subsisteret, si deesset cujus imperio pareretur ; *et quantum possibile, alios ducere,* id est subditos ad finem beatum dirigere cum omni diligentia et conatu sibi possibili. Nisi enim prælati fecerint quod in ipsis est, subditos instruendo, ædificando, corripiendo, corrigendo, hortando, persuadendo, comminando, terrendo, subditorum peccata et condemnatio redundarent in ipsos qui præsunt. Nihil ergo periculosius quam præesse. Hinc recte dixit Chrysostomus : Quis est qui cupit præesse, nisi qui non timet judicium Dei? Impleat ergo qui præest, quod in Proverbiis legitur : Ducam te per semitas æquitatis, Prov. iv, 11, 12. ne currens habeas offendiculum; et quod Timotheum hortatur Apostolus : Prædica II Tim. iv, 2. verbum, insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa in omni patientia; et rursus : Exemplum esto fidelium in I Tim. iv, 12. verbo, in conversatione, in caritate, etc.

*Et per hanc divinam hierarchicam harmoniam,* id est per istam discretam ac proportionatam contemperantiam in actibus hierarchicis, ita quod præsidentes debite purgent, illuminent, perficiantque subjectos, et subditi econverso rite obtemperent, et ducantur, purgentur, doceantur, et perficiantur a superioribus suis, sicque simul pertingant ad beatitudinem

æternalem. Unde subjungitur : *vere subsistens bonum, et sapiens, et optimum, participare unumquemque secundum* virtutem,* id est, quemlibet, tam præsidentem quam subditum, « participare » per gratiam et profectum in præsenti, et per gloriam in futuro, « bonum » increatum, invariabiliter « subsistens », essentialiter « sapiens », et incomparabiliter « optimum », in quo solo consistit omnium nostrum beatitudo, cui, ut dixit Hilarius, non est accidens, sed subsistens veritas, manens causa, et naturalis proprietas generis. Hinc in libro de Civitate allegat Augustinus Ciceronem dixisse, quod sicut in cantu melodia consurgit ex comproportione notarum, ita in urbibus oritur bonum rei publicæ ex contemperantia rationabiliter præsidentium ac recte obedientium. Hoc est quod gloriosissimus Archiapostolus in prima sua deprompsit Canonica : Seniores, obsecro, pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum; neque turpis lucri gratia, sed voluntarie ; neque ut dominantes in cleris, sed forma gregis facti, et ex animo : et quum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam.

* juxta

I Petr. v, 1-4.

De differentia utriusque hierarchiæ.

*Sed ipsæ quidem super nos essentiæ et ordinationes,* id est mentes supernæ ordinesque angelici super nos exsistentes, *quarum jam memoriam sacram fecimus,* præsertim in libro præcedenti, *et incorporales sunt et invisibiles :* propter quod a Peripateticis intelligentiæ atque substantiæ separatæ nuncupantur ; *et supermundana est secundum ipsas hierarchia,* id est, sacer principatus ex ipsis constans, cœlestis est, non terrenus.

*Eam vero secundum nos,* id est hierarchiam humanam, quæ est « secundum nos », id est ex hominibus constans, *videmus proportionaliter nobis ipsis sensibilium symbolorum varietate multiplicatam,* id est, cernimus diversam et plurificatam seu multipliciter decoratam multiplicitate A similitudinum ac signorum corporalium rerum, « proportionaliter nobis », id est, prout connaturale est nobis per sensibilia ad intelligibilium, invisibilium ac divinorum notitiam ac amorem sustolli. Denique ecclesiastica hierarchia, est ipsa militans Ecclesia; et sicut est una totalis Ecclesia militans, ita et una ecclesiastica hierarchia. Rursus, sicut sunt plures particulares Ecclesiæ, ita et plures ecclesiasticæ hierarchiæ, in quibus sunt aliqua symbola et statuta, ac cærimonialia plura distin- B cta. *Ex quibus hierarchice in uniformem deificationem, in commensuratione quæ secundum nos est, reducimur, in Deumque et divinam virtutem :* id est, « ex quibus » sensibilibus signis et symbolis « reducimur hierarchice », id est per illuminationes ecclesiasticas et expositiones spirituales, « in deificationem uniformem », id est in assimilationem cum Deo simplicem et communem, quæ est per fidem et caritatem, et sacramentorum susceptionem, « in commensuratione quæ secun- C dum nos est », id est per proportionem nobis convenientem; atque per hoc quod ita reducimur in uniformem deificationem, participando æqualia aut consimilia munera gratiarum, reducimur quoque « in Deum et » in « divinam virtutem ». Illa quippe deificatio est nostra formalis perfectio, cujus objectum et causa ac finis supremus, est ipsemet superpræstantissimus Deus, et virtus ejus omnipotens, cui innitimur, et qua conservamur ac figimur, juxta illud Isaiæ : Innitatur homo Is. L, 10.
D super Deum suum. Et Jeremias ait : Dominus fortitudo mea et robur meum, et refugium meum. Jer. xvi, 19.

*Ipsæ quidem, ut intellectus, intelligunt juxta quod eis fas est :* id est, mentes istæ angelicæ, tanquam « intellectus » separati ac deiformes, « intelligunt » claro simplicique intuitu, sine involutione et admixtione phantasmatum ac sensitivæ notitiæ, ut connaturale et condecens ipsis est, quoniam operatio sequitur formam, et modus agendi parificatur modo essendi.

*Nos vero sensibilibus imaginibus*, id est per sensibiles species, *in divinas, quantum possibile est, reducimur contemplationes*, id est, ad intellectuales et spirituales notitias devenimus : prout plenius expositum est super illud primi capituli de Angelica hierarchia, Impossibile est aliter nobis lucere divinum radium, etc. Quod verum est quoad originalem specierum intelligibilium ac intellectualium cognitionum adoptionem, quia cognitio nostra intellectiva, a sensitiva sumit exordium. Porro in anagogica et pure mentali contemplatione aliter esse censetur. (art. VII.)

*Vereque dicendum, unum quidem est quod omnes uniformes appetunt* : id est, universæ mentes hierarchicæ, cœlestes et ecclesiasticæ, quæ « uniformes » sunt genere, in quantum conveniunt in intellectuali natura, et immortalitate, ac veræ felicitatis capacitate, « appetunt » finaliter « unum » et idem bonum summum et increatum, totius beatitudinis objectum et causam.

*Participant vero non uniformiter*, id est, inæqualiter adipiscuntur bonum illud finale. Viatores enim in sæculo isto non obtinent illud beatifice, id est clare per speciem; et unus eorum majori caritate illi unitur, quam alter, clarius etiam illud contemplatur per fidem illuminatam rationibus credendorum, ac purificatæ mentis intelligentia, et per sapientiæ donum, ac per mysticam theologiam, quam alter, secundum quod unus est perfectior alio. Conformiter, unus comprehensorum ad excellentiorem beatificæ visionis limpiditatem ac dulciorem increatæ bonitatis fruitionem pertingit, quam alter, juxta meritorum diversitatem, et sanctæ dilectionis multiplicem gradum. Propter quod disseruit Dominus : In domo Patris mei mansiones multæ sunt. (Joann. XIV, 2.) Participant ergo inæqualiter *id ipsum unum quod est*, id est, quod prorsus incommutabile est, et æternaliter idem ipsum est : de quo Psalmista, In pace, inquit, in id ipsum dormiam et requiescam. (Ps. IV, 9.) Quod solum est esse tam simplicissimum, tamque perfectum et infinitum, ut ejus comparatione aliorum esse sit quasi non esse, propter quod in Exodo ait : Ego sum qui sum. (Exod. III, 14.) Et per Jeremiam asseritur : Qui fecit omnia, ipse est, et Israel sceptrum hereditatis ejus ; Dominus exercituum nomen ejus. (Jer. II, 19.)

*Sed sicut unicuique divina juga distribuunt juxta dignitates partem.* Apud Matthæum Christus affirmat : Tollite jugum meum super vos. (Matth. XI, 29.) Ubi per jugum, designatur lex Salvatoris. « Juga » ergo « divina » possunt intelligi leges æternæ, quibus cuncta subduntur ac dispensantur; seu decreta providentiæ Dei, secundum quæ omnia fiunt ac bona remunerantur; et item observationes præceptorum Altissimi, quæ per modum causæ meritoriæ distribuunt præmia ac participationes boni immensi, prout Hieronymus ait, quod regnum cœlorum non debetur personæ, sed vitæ. Rursus, « divina juga » sunt justa Dei judicia. Unde alia translatio habet : Sicut unicuique divina statera tribuit secundum dignitatem delegatam. Alia vero translatio, quæ fertur præfati supra Ambrosii, continet : Verum, ut cuique pro merito sortem divina et æquissima libra distribuit. Quod redit in idem. « Distribuunt » ergo « juga divina unicuique » bono « partem », id est certam et justam participationem, secundum « dignitates », id est juxta merita recipientium. Verumtamen universi et singuli recipiunt objectaliter unum et idem ac totum summum bonum : quod quum sit supersimplicissimum, partes non habet. Non tamen illud suscipiunt tote sive totaliter, id est tam plene ut in se ipso consistit. Ideo fertur in libro de Causis : Quamvis causa prima exsistat in rebus omnibus, tamen unaquæque recipit eam secundum modum potentiæ suæ. Hinc secundum modum propinquitatis causæ primæ, et secundum modum quo res potest recipere illam, secundum quantitatem illius recipit eam et delectatur in ea. Proclus quoque Platonicus in Elementatione sua theologica loquitur : Omne totalius in primordialibus causis, irradiat in partici-

pantia, et secunda ab illis deficiunt aliquid participantia. A

*Sed hæc quidem nobis in ea quæ est de invisibilibus et sensibilibus actione, latius dicta sunt :* id est, ista a « nobis » plenius sunt expressa « in actione ea », id est in illa editione seu compilatione, « quæ est », id est, quam fecimus « de invisibilibus et sensibilibus » rebus. Quem codicem non habemus. Sicque ex hoc passu et aliis constat quam sublimis iste theologus multa compegit volumina, quæ non habemus translata : et si apud Græcos sunt, utinam transferrentur.

# ARTICULUS III

## DE DEFINITIONE HIERARCHIÆ ECCLESIASTICÆ.

Ex præhabitis illucescit differentia inter hierarchiam ecclesiasticam et cœlestem. Quibus præmissis, de ecclesiastica incipit hierarchia tractare.

*Nunc vero nostram hierarchiam, principiumque ejus et essentiam, quantum possibile est, dicere tentabo :* id est, jam conabor exprimere et declarare, « quantum » mihi « est possibile », ecclesiasticam « hierarchiam », utpote « principium ejus » formale, scilicet genus, seu principium ejus effectivum et institutivum, quod est supersapientissimus Deus, « et essentiam », id est speciem ac differentiam ejus seu aliqua æquivalentia, ex quibus sumitur definitio hierarchiæ istius. Non enim intendit eam hic formaliter definire, sed tangere ea ex quibus definitio ejus elici valeat ac formari, quemadmodum plenius expositum est libri de Angelica hierarchia capitulo tertio. *Omnium hierarchiarum principium et consummationem Jesum invocans :* id est, viscera misericordiæ Christi exorans, pro gratiosa directione et illuminatione ipsius in omnibus : qui Jesus, secundum quod Deus, est « principium » fontale, exemplarisque causa et finis consummativus omnis sacri principatus. B C D

Consequenter tangit essentialia hierarchiæ. *Est quidem hierarchia omnis,* id est, « omnis hierarchia », tam angelica quam humana, « est », *secundum adorabile nostræ sacræ eruditionis*,* id est juxta honorabilem appellationem evangelicæ nostræ doctrinæ. Unde Vercellensis, in libris magni Dionysii exercitatissimus, ponit sic : Est quidem hierarchia, secundum venerabilem traditionem quam ab apostolica doctrina suscepimus. Sarracenus vero sic transtulit : Est quidem hierarchia omnis, secundum venerabile nostræ sanctæ traditionis, id est secundum venerandam doctrinam majorum nostrorum. *Omnis subjectorum sacrorum ratio.* Secundum Philosophum, omne et totum et perfectum vicissim coincidunt. Hierarchia ergo, quantum ad formalia sua, est « omnis ratio sacrorum » ipsorum « subjectorum », puta inferiorum : hoc est, hierarchia est res seu principatus in se continens omnem seu totam rationem « sacrorum », id est sanctarum actionum, influxionum, divinorumve operum, quæ fiunt seu imprimuntur in subditos, vel exercentur ab ipsis juxta superiorum jussionem. Quum enim subjecti et præsidentes, seu suppositi et superpositi, relative dicantur ad invicem, in nominatione unius intelligitur aliud.

* *traditionis*

*Aut universalissima hujus continuatim hierarchiæ, aut hujus, sacrorum consummatio.* Id est : Hierarchia juxta sensum

prælactum, etiam dici potest « universalissima A consummatio sacrorum », id est res sancta habens in se generalissimam consummationem, id est communissimam perfectionem, contentivam sacrorum actuum, per quos fit perfectio talis, spectans ad omnes in hierarchia contentos : quoniam superiorum est, sanctificare atque perficere inferiores; inferiorum autem est, a superioribus sanctificari ac perfici. Ideo dicitur communissima consummatio « hierarchiæ continuatim hujus aut hujus », id est hierarchicæ collectionis superiorum B aut inferiorum continuatim sumptorum, secundum quod una connectitur alteri, comprehenditque aliam, prout superiores sub se continent inferiores.

*Nostra igitur hierarchia*, puta ecclesiastica, *dicitur et est continens omnium quæ juxta eam sunt sacrorum*, id est, contentiva est omnium sacrorum ad ipsam spectantium, puta sanctorum actuum et sacramentorum. Nam et semper sunt aliqui Sancti ac perfecti in ea. *Actio* *, id est, actionum sanctarum congeriem habens, C *secundum quam divinus hierarches perfectus*, id est juxta quam congeriem actionum sanctarum « hierarches divinus », id est principalis hierarcha. Unde Ambrosius transtulit : Divinus pontifex, perfectus in genere suo. Est enim status episcopalis, status perfectionis jam habitæ, id est acquisitæ sive infusæ, et episcopus tenetur esse perfectus : quod si non sit perfectus perfectione virtutum ac vitæ, est tamen perfectus, et sanctus vocatur, ratione officii, et ecclesiastica potestate ac D jurisdictione, ut super quartum Sententiarum librum conscriptum est. *Omnium habebit quæ secundum ipsum sunt sacratissimorum participationem*, id est, merito debet habere « participationem », id est adeptionem et exercitationem, omnium actuum et operum valde sanctorum, concernentium suum statum atque officium : ut quo dignior est prælatione et altior auctoritate et jurisdictione, eo perfectior sit in omni virtute, omnique sapientia, discretione et exercitatione interna : alioqui tanto officio est indignus, aut certe non satis dignus, nisi forsan in proficiendi conatu sit assiduo et condigno. *Utpote ab hierarchia cognominatus*, id est nomen hujuscemodi dignitatis sortitus. Nam sicut quis nuncupatur grammaticus a grammatica (accidens namque denominat suum subjectum), sic ab hierarchia vocatur qui præest, hierarcha seu hierarches.

*negotium

*Sicut enim hierarchiam qui dicit*, id est, sicut qui exprimit nomen hoc, hierarchia, *omnium simul comprehensam dicit sacrorum dispositionem*, id est, designat « dispositionem » comprehendentem in se « simul » omnia sacra ad illam spectantia; *sic hierarchen* * *dicens*, id est, qui aliquem vocat hierarcham, *declarat*, id est, expresse insinuat, *mirabilem et divinum virum*, id est hominem præexcellenter sublimatum ecclesiastica dignitate, quæ est donum gratiæ gratis datæ, « et divinum », id est heroicum, virtutibus in termino excellentiæ perornatum : quæ virtutes sunt dona gratiæ gratum facientis ; *sacrum*, * *eruditum scientiæ*, id est in Scripturis sublimiter informatum : imo, sicut et alibi docet Theologus, episcopus debet esse tam doctus in divinis, ut valeat difficillimas solvere quæstiones. Unde in Deuteronomio quoque jusserat Dominus, ut difficiliora reservarentur judicio summi pontificis. (Deut. XVII, 8, 9.) *In quo pure sua hierarchia omnis perficitur* : id est, « in quo » hierarcha, tanquam in capite, judice ac magistro, « omnis », id est tota, « sua hierarchia », id est congregatio ecclesiastica ei subjecta, « perficitur pure », id est, complementum et ornatum magnum sortitur. Nam et totum denominatur a parte, præsertim causa principali : maxime autem, dum talis prælatus vocatione sua digne conversatur. (Ephes. IV, 1.) Hinc subditur : *et cognoscitur*. Si enim episcopus vere pontificaliter conversetur, id est irreprehensibiliter, exemplarissime, juste ac sancte, tota Ecclesia ei commissa, in ipso et de ipso laudatur et glorificatur. Idcirco regina Saba

* hierarcham

* omnis sacræ

III *Reg.* x, 8. sapientiam Salomonis experta, ait : Beati viri tui, et beati servi tui, qui hic stant coram te semper, et audiunt sapientiam tuam. Econverso, insipientia atque improbitas præsidentis nociva ac turpis est gregi suo. Propter quod in Ecclesiaste scri- *Eccle.* x, 16, 17. ptum est : Væ tibi, terra cujus rex puer est, et cujus principes mane comedunt ; beata terra cujus rex nobilis est, et cujus principes vescuntur in tempore suo ad reficiendum, et non ad luxuriam.

Itaque nomen rei debet correspondere A suo significato, et econtra, quemadmodum libro de Nomine christiano pulcherrime ac devotissime docuit Augustinus, quam damnabile sit, a Christo christianum vocari, et Christi virtutes non imitari. Insuper, præinductis de excellentia perfectionis hierarchæ consonant quæ ad Timotheum ac Titum scribit Apostolus de virtutibus ad episcopum pertinentibus : Oportet, in- I *Tim.* III, 2. quit, episcopum irreprehensibilem esse ; itemque, Oportet episcopum sine crimine *Tit.* I, 7. esse, sicut Dei dispensatorem.

# ARTICULUS IV

## DE EFFECTIVO HIERARCHIÆ PRINCIPIO, ET DEIFICATIONE.

AMPLIUS, de effectivo hierarchiæ principio subditur :

*Hujus principium hierarchiæ, fons vitæ, essentia bonitatis, una exsistentium causa, Trinitas est.* Id est : Superbenedicta « Trinitas una » omnium rerum « causa », unus Creator, unus verus ac summus Deus, « fons vitæ », a quo omnis vita naturæ, vita gratiæ, vitaque gloriæ, quæ est ipsa « bonitatis essentia », naturaliter, omniformiter et interminabiliter bonus, prout libro de Divinis nominibus edocetur diffusius (de quo Proclus octavo theoremate Elementationis theologicæ loquitur : Omnia qualitercumque participantia bono, præcedit quod primo bonum, et quod nihil est aliud quam bonum ; et alibi, Omnium entium principium et causa prima, est bonum) : hæc, inquam, Trinitas, « est principium hujus hierarchiæ ». Præterea non admiror quod impiissimi vilissimique hæretici absconderunt, ac pro viribus destruxerunt beatissimi Dionysii libros, in quibus tam præclarissima testimonia continentur de supergloriosissima Trinitate, ne tanti doctoris, patris ac martyris auctoritatibus confunderentur. *Ex qua et esse* B *et bene esse, est subsistentibus per bonitatem :* id est, ex ipsa summa et incomparabili Trinitate omnibus subsistentibus communicatum est « esse et bene esse », id est actus primus et actus secundus, seu ipsum esse et ejus perfectio, « per bonitatem », id est ratione primæ et puræ bonitatis ipsius supersanctissimæ Trinitatis. Bonitas quippe est ratio, et motivum ac incitamentum communicationis et diffusionis. Proprietas etenim boni, est se communicare : et de hoc Platonici, et auctor C libri de Causis, ac Avicenna, multa dixerunt.

*Hæc autem omnium summitas divinissima,* id est Trinitas ista « omnium » summa, imo et « summitas » ipsa, quoniam tres increatæ Personæ sunt una essentia, et una supremitas, unusque omnium finis, *principali beatitudine trina, unica vere exsistit.* Trinitas, proprie et abstracte loquendo, non est trina, ut primo libro Magister in Sententiis docet. Trinitas ergo « principali beatitudine trina », id est Deus D in personis trinus, in quibus est eadem numero principalis beatitudo, sicut et par majestas, quia indivisæ sunt et æquales,

est etiam « vere unica » propter identitatem naturæ. *Secundum quod nobis incomprehensibile est,* id est, sicut istud « est nobis » prorsus « incomprehensibile », et est primus atque difficillimus articulus fidei.

*Huic autem desiderabilis voluntas quidem est, rationalis salus et secundum nos et super nos essentiarum.* Hoc est : « Salus », id est æterna felicitas, « rationalis », supple, creaturæ, « et essentiarum » quæ « secundum nos, et » earum quæ « super nos », id est tam creaturæ humanæ, quam cœlestium et angelicarum creaturarum, « est voluntas desiderabilis », id est res volita multum desideranda, « huic » superfelicissimæ Trinitati, quæ ad sui ipsius beatificam fruitionem nos condidit. Juxta
I *Thess.* IV, 3. quem modum dixit Apostolus : Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra. Apud Matthæum quoque Veritas protestatur :
*Matth.* XVIII, 14. Non est voluntas ante Patrem, ut pereat unus ex his pusillis. Unde per Ezechielem
*Ezech.* XVIII, 23. deprompsit : Numquid voluntatis meæ est mors impii ? dicit Dominus. Verumtamen duplex in Deo voluntas distinguitur, utpote antecedens, et consequens, ut primo
I *Sent.*, dist. 46, q. 1. Sententiarum declaratur : per quod argumenta quædam quæ hic fieri possent, solvuntur. Frequenter etiam sumitur voluntas pro re volita, sicut et spes pro re sperata, et fides pro credito.

* *Hæc* *Hoc* autem non aliter fieri potest,* id est, rationales creaturæ salutem actualiter consequi nequeunt, *nisi deificatis salvatis,* id est nisi electis Deo plenarie assimilatis : quod in præsenti fit inchoative et incomplete per gratiam et virtutes, præ-
*Matth* XXII, 11, 12. sertim per caritatem, quæ nuptialis est vestis ; et in futuro per lumen gloriæ, atque plenissimam conformationem mentis creatæ cum Creatore per claram contemplationem ipsius, prout in prima sua epi-
I *Joann.* III, 2. stola ait Joannes : Carissimi, nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus ; scimus quoniam quum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est. *Deificatio autem est, ad Deum, quantum*
A *possibile, et similitudo et unitas,* id est, deificatio ista est excellens assimilatio deiformis, et cum Deo unitio, quantum possibile est, utpote servata identitate naturæ creatæ. Estque « deificatio » per participationem, non consumpto esse creato, sed supernaturaliter decorato, quemadmodum omnis res dicitur transformari in id cujus actionibus magis insistit, ut homo libidinosus in porcum, gulosus in lupum. Denique rationalis creatura etiam per naturalia sua est Creatoris imagine ac similitudine
B insignita : quæ imago et similitudo per supernaturalia charismata gratiæ sublimiter reformatur aut decoratur, atque per dona gloriæ plene ac beatifice consummatur. Unde in secunda Petri epistola inducitur : Maxima et pretiosa nobis promissa II *Petr.* I, 4.
donavit, ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ.

*Omni autem hoc commune hierarchiæ summum,* id est, istud est summum bonum et ultimata formalis perfectio omnis hierarchiæ angelicæ ac humanæ, *ad*
C *Deum et divina attenta dilectio,* id est fixa et fervens dilectio Dei ac divinorum seu spiritualium rerum, virtutum et actuum virtuosorum, ac rationalium creaturarum, quæ sunt secundarium caritatis objectum. Possunt quoque per divina intelligi invisibiles Dei proprietates, et attributa divinæ naturæ æterna, seu perfectionalia prædicata ipsius : de quibus ad Romanos asseritur, Invisibilia Dei per ea *Rom.* I, 20.
quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur, sempiterna quoque virtus ejus et divi-
D nitas. Debemus ergo Deum attente et sine distractione diligere, et singula quæque ipsius attributa considerare, amare, ac vehementer delectari in eis, nunc ejus sapientiam, nunc omnipotentiam, nunc pulchritudinem, nunc suavitatem intuendo, sinceriter diligendo, ardenter honorando, colendo, laudando præcordialiter. Ideo sequitur : *divinitus atque potenter sacrificata,* id est deiformiter ac valenter exhibita, ac Deo oblata, sic quod nil possit nos a divina dilectione avertere, juxta il-

*Rom.* VIII, 35. lud Apostoli : Quis nos separabit a caritate A Dei ? Hæc demum dilectio deiformiter sacrificatur et exhibetur, quando nos diligimus Deum sicut ipse dilexit nos, hoc est, quando diligimus Deum, non intuitu proprii commodi ac honoris, sed puro intuitu suæ bonitatis immensæ, optamusque eum ab omnibus diligi ac honorari, quemadmodum ipse dilexit nos pure, non ad commodum suum, sed ad nostram veram *Joann.* XIII, 34, 35; XV, 12, 17. salutem, et jussit ut diligamus nos invicem. Porro dilectio talis non solum Deo sacrificatur, sed et ipsa nos sacrificat Deo, et B facit nos holocaustum ipsius, incendendo nos sancto ejus amore, ita quod dicimus *Ps.* LIII, 8. ei : Voluntarie sacrificabo tibi. Hinc alia translatio continet, Sacrificans. De potestate vero dilectionis istius dicitur in Canti- *Cant.* VIII, 6. cis : Fortis est ut mors dilectio ; lampades ejus, lampades ignis atque flammarum.

* hæc *Et ante hoc*, ab eorum contrariis perfecta et inconvertibilis reversio,* id est perpetuus recessus mentis ab his quæ caritati et similitudini ac unioni cum Deo contrariantur, videlicet detestatio talium C omnium : etenim unumquodque tanto plus est tale, quanto impermixtius suo contrario. Quod spectat ad purgationem hierarchicam, quæ est emundatio a dissimilitudine et minoratione illuminationis internæ. *Et cognitio eorum quæ sunt,* id est contemplatio divinorum vere exsistentium : quod pertinet ad hierarchialem illuminationem; * quæ ea *quia eorum* quæ sunt, est intellectualis veritatis et visio et scientia :* id est, cognitio ista « est visio » interior « et scientia », id est certa notitia habitualis seu D actualis, « veritatis intellectualis », quæ dicitur adæquatio ipsius intellectus ad rem intellectam, « eorum quæ sunt ». Est etiam *et uniformis consummationis divina participatio,* id est susceptio sacra perfectionis stabilis ac constantis : in quo tangitur tertius actus hierarchicus, quæ vocatur perfectio ; *ipsius unius, quantum possibile, contemplationis refectio,* id est, consummatio seu perfectio hæc, est spiritualis « refectio contemplationis », id est refectio in actu contemplationis consistens, seu refectio contemplativa, « ipsius unius » increati, quod solum necessari- *Luc.* X, 42. um est, et primum ac beatificum sanctæ contemplationis objectum, *nutriens invisibiliter,* id est, mentem immaterialiter alens, delectans, confortans, sicut Tobiæ Raphael fassus est : Ego cibo et potu in- *Tob.* XII, 19. visibili utor ; *et deificans omnem in se extentum,* id est, omnem intellectum creatum in Deum reductum, stabilitum, et simplificatum, assimilans suo Creatori sublimiter : nam et cognitio fit per assimilationem intelligentis ad intellectum, secundum Philosophum.

Præterea, de hujuscemodi assimilatione cum Deo et deificatione cum Deo, etiam suo modo quidam elevati ingenii solennes philosophi sunt locuti. Siquidem Proclus in sua Elementatione : Omne, inquit, corpus divinum, propter animam est divinum ex causa Dei ; omnis autem anima, divina propter divinum intellectum ; omnis autem intellectus, divinus secundum participationem Divinitatis : et intellectus quidem, divinissimus ; anima autem, divina ; corpus vero, deiforme. Auctor quoque libri de Causis : Ex intelligentiis, ait, est quæ est intelligentia divina, quoniam recipit ex bonitatibus causæ primæ receptione multa ; et ex intelligentiis est quæ est intelligentia tantum, etc.

# ARTICULUS V

QUOMODO DEUS TAM NOBIS QUAM ANGELIS CONVENIENTEM HIERARCHIAM PROVIDERIT.

*DICAMUS itaque quomodo divina beatitudo, natura* Divinitas, principium deificationis,* id est, prosequamur exponere qualiter increata Dei felicitas, et natura Deitas (quæ sunt unum esse in Deo), sit fontale et causale « principium » totius « deificationis » intellectualium creaturarum, *ex quo est* deificari deificatis bonitate divina :* id est, « ex quo » principio « est », id est, contingit et conceditur, « deificari », id est Deo assimilari, « deificatis », id est sanctis angelis et virtuosis hominibus, qui sunt adoptivi filii Dei, quibus et dicitur, Ego dixi, Dii estis, et filii Excelsi omnes, « bonitate divina », id est participatione increatæ bonitatis, quæ est causa effectiva deificationis, ejusque participatio est ipsa deificatio, id est cum Deo assimilatio ; *hierarchiam in salute et unitate omnium et rationalium et intellectualium essentiarum donavit :* id est, « hierarchiam omnium essentiarum », tam « rationalium » quam « intellectualium » substantiarum, constituit « in salute et unitate », id est, ad hoc quod veram beatitudinem et unionem perpetuam sortiatur a Deo et in Deo, quia ad hoc omnis præsidentia hierarchialis, et omnis actus hierarchicus, omnisque auctoritas et potestas ecclesiastica et jurisdictionalis, institutæ et datæ sunt, atque finaliter ordinantur ac tendunt : attamen differenter. Ideo subditur :

* *vera*

* alias om. *est*

*Ps.* LXXXI, 6.

*Et supermundanis quidem et beatis quietibus,* id est angelicis spiritibus in Creatore feliciter quietatis et quiescentibus, datum est istud *immaterialiter et intellectualiter,* id est per illuminationes internas et cognitivas conversiones ad Deum, sine sensibilibus signis et manuductionibus. Omnis enim intelligentia, secundum philosophos, cognoscit suam essentiam, et redit ad eam ; cognoscit quoque quod supra se est, quoniam illud est causa ipsius. *Non enim extrinsecus eas Deus in divina movet,* id est, Deus non reducit nec convertit eas ad se per media exteriora, aut sensibilia et sacramentalia signa : quamvis aliquando mittat eas ad agendum aliqua exteriora, ad quæ moventur non instar corporalium rerum, quanquam nonnunquam in assumptis corporibus tendant successive de loco ad locum, sicut tres angeli cum Abraham, et Raphael cum Tobia, ut in Genesi et Tobia narratur ; *invisibiliter autem et intrinsecus illuminatas eas* in se puram et immaterialem* divinissimam voluntatem,* id est, Deus reducit mentes illas a se spiritualiter illustratas, ad sui ipsius « voluntatem divinissimam, immaterialem, puram », nullatenus sensualem, cui illas rectissime inavertibiliterque conformat. Quæ Dei voluntas, est lex et regula ac mensura totius æquitatis ac veritatis : quod etiam convenit intellectui ac sapientiæ Dei, cui dicitur in libro Sapientiæ, Virtus tua justitiæ initium est.

*Gen.* XVIII, 2, 16, 22, 33. *Tob.* V *et seq.*

* *in eam*

* *immaterialiter*

*Sap.* XII, 16.

*Nobis vero, quod illis uniformiter et connexim donatur, ex Deo traditis Eloquiis, quantum nobis possibile, in varietate et multitudine separabilium symbolorum donatum est.* Id est : Hierarchica consistentia et reductio conversiva quam Deus præstitit angelis « uniformiter et connexim », id est uno spiritualique modo : uno (inquam) modo in genere, non tamen cunctis æqualiter et conjunctim. Non enim in eis successio temporalis habet locum, ut in hominibus, qui generati

oni corruptionique subjacent : ideo simul reducti et conformati sunt voluntati divinæ, quantum ad angelos electos. Lucifer vero cum angelis suis apostatis a divina voluntate avertit se, volens sibi ipsi ac adhærentibus ei, esse lex et legifer : propter quod simul ejecti sunt. Quod ergo illis datum est uniformiter et conjunctim, hoc idem in genere valde communi collatum est « nobis » viatoribus, « Eloquiis ex Deo traditis », id est secundum Scripturas divinitus revelatas, « in varietate et multitudine separabilium symbolorum », id est per varias atque multiplices similitudines corporales et formas sacramentales, quæ a rebus per eas significatis possunt separari et corrumpi : imo et nos debemus similitudines illas transcendere, elevando mentem ad spiritualia per ea designata.

*Essentia enim nostræ hierarchiæ est,* *alias om. a
*a* Deo tradita Eloquia,* id est, Scripturæ « a Deo » datæ, sunt « essentia nostræ hierarchiæ », non realiter, sed vel partim causaliter, vel quantum ad formas sacramentorum ecclesiasticæ hierarchiæ, quæ in Scripturis continentur formaliter et expresse, aut virtualiter. Per sacramenta autem et Scripturas regeneramur in Christo, et ipsa Ecclesia spiritualiter gignitur,
Jacob. I, 18. juxta illud Jacobi : Voluntarie nos genuit verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturæ ejus. Unde et Paulus : In
I Cor. IV, 15. Christo, inquit, per Evangelium ego vos genui.

*Sanctissima autem Eloquia hæc dicimus, quæcumque a divinis nostris sacre perfectoribus,* id est quæ ab Apostolis, Evangelistis ac Prophetis nos sancte perficientibus, *in hagiographis nobis et theologicis donata sunt deltis,* id est, descripta et relicta sunt nobis in Scripturis canonicis. Pro eo quod hic dicitur « deltis », in aliis tribus translationibus dicitur, Libris. Proprie autem per deltas, intelligi possunt pugillares seu tabulæ. Porro ἁγιόγραφα dicitur ab ἅγιον, quod est sacrum, et γραφή, scriptura. Atque ut ait Hieronymus in

A Prologo galeato, Hebræi dividunt Scripturas veteris Testamenti in tres partes, in legem, in Prophetas, et in hagiographa. Verum hoc loco, per hagiographa, juxta nominis interpretationem, intelligi potest tota sacra Scriptura : sicque quod additur, Et theologicis, accipiendum est expositorie. Rursus, per hagiographa accipi possunt scripta pertinentia ad agenda ; per theologica vero, scripta quæ pertinent ad credenda.

*Atqui et quicumque* ab ipsis sacris* *quæcumque
B *viris immaterialiori* doctrina et mino-* *immateriali
*ri :* hoc est, « atqui », id est pro certo, « quicumque », id est ceteri post Apostolos et Evangelistas, qui « a sacris viris » Scripturæ sacræ auctoribus instructi sunt « doctrina immaterialiori et minori », id est informatione spiritualiori ac compendiosiori, qui scilicet subtiliores et illuminatiores fuerunt, atque ex paucis verbis multa conceperant, nec per sensibilia et similitudines ac exempla introduci ac instrui indigebant; *quomodo* jam in cœ-* *quodam modo
C *lesti hierarchia, ex intellectu in intellectum, per medium verbum corporale quidem, immaterialius vero, tamen extra scripturam, duces nostri eruditi sunt :* hoc est, « quomodo », id est per quem modum, « in cœlesti hierarchia » fit informatio immaterialiter ac brevissime, sine sensibilibus signis et pluribus verbis, sic pro parte « duces nostri eruditi sunt », id est sapientiores ac profundiores magistri a beatissimis Apostolis, ut Hierotheus, Ignatius : non tamen totaliter sicut in an-
D gelica hierarchia fit instructio, sed « ex intellectu in intellectum », id est, procedente eruditione ab intellectu unius in intellectum alterius per sensibilia signa, sicut subjungitur, « per medium verbum corporale quidem », id est per sermones exteriores audibiliter resonantes, « immaterialius vero », id est spiritualius quam alii communiter, quos per plura verba et similia quædam oportet doceri, juxta illud Apostoli, Non potui vobis loqui quasi I Cor. III, 1.
spiritualibus, sed quasi carnalibus; « ta-

men extra scripturam », id est, per infusionem et inspirationem supernam specialius et eminentius sunt instructi, quam A per exteriora : sicque ipsorum informatio, pro magna parte similis est illuminationi angelicæ hierarchiæ.

## ARTICULUS VI

### QUARE DOCTRINAM SUAM SACRI VIRI SYMBOLIS TRADIDERINT.

(* hæc) NEQUE *hoc* * *divini summi sacerdotes, in sacrificii commune, non velatis invisibilibus, sed in symbolis sacris tradiderunt.* Id est : Quamvis auctores Scripturæ et excellentiores eorum discipuli, fuerunt tam sublimiter et spiritualiter desuper eruditi (sicut per Jeremiam Deus (Jer. xxxi, 33; Hebr. x, 16.) prædixit, Dabo leges meas in mentem eorum, et in corde eorum superscribam eas), ipsi tamen non ita docuerunt plebem communem « in commune sacrificii », id est ad communem plebis instructionem, per quam plebs ipsa Deo offerretur in sacrificium, quoniam vulgus non est subtilium dogmatum capax. Propter quod (Hebr. v, 12.) quibusdam scripsit Apostolus : Quum deberetis magistri esse, rursus indigetis ut vos doceamini quæ sint elementa exordii sermonum Dei. Hinc ergo non docuerunt spiritualia et divina ipsis « invisibilibus non velatis », id est descriptis sine velamine et figuris ac similitudinibus corporalibus : imo per talia descripserunt illa, juxta capacitatem communitatis. Ideo subditur : « sed in symbolis sacris tradiderunt » docueruntque ea. Unde in Evangelio et Prophetis, refectio Beatorum in patria interdum per modum corporalis (Luc. xxii, 29, 30.) refectionis describitur, ut in Luca : Ego dispono vobis regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo.

*Est enim non omnis mundus,* id est, omnes non sunt spirituales et divinorum capaces, imo major pars hominum est carnalis; *neque omnium (ut Eloquia aiunt) scientia,* id est, vera et spiritualis scientia B cunctis non inest, ut Apostolus scripsit (I Cor. viii, 7.) Corinthiis : quod et in præcedenti libro est allegatum.

*Necessario ergo* * *primi nostræ hierarchiæ duces,* (* igitur) id est Apostoli et apostolici viri, superiores magistri et prælati ecclesiasticæ hierarchiæ, *ex superessentiali Deitate ipsi repleti divino dono,* id est a supersubstantiali Deo impleti « dono » increato, quod est Spiritus Sanctus (juxta illud Actuum, Repleti sunt omnes Spiritu (Act. ii, 4.) Sancto), dono quoque creato, utpote cari- C tate, ac gratiis, virtutibus, charismatibus ei annexis, sicut effatur Apostolus : Nos (Rom. viii, 23.) ipsi primitias Spiritus habentes. Hinc in Luca Christus spopondit Apostolis : Ego (Luc. xxiv, 49.) mittam promissum Patris mei in vos. *Et in id ipsum,* id est ex illa repletione in invariabile bonum reducti, et ipso summo bono completi. Unde et Joannes in eorum persona asserit : Nos omnes de plenitudine (Joann. i, 16.) ejus accepimus. *Deinde præire ex divina bonitate missi sunt,* id est, a Deo essentialiter bono « missi sunt » in omnem ter- (Marc. xvi, 15.) D ram prædicare evangelium Christi, aliosque « præire » in omni exemplaritate ac virtutum constantia. Non enim apti ac digni sunt aliis prædicare, nisi desuper illustrati, veraciter virtuosi, et exemplares : ne quod verbis docent, opere destruant. Ideo Dominus jussit : Luceat lux vestra (Matth. v, 16.) coram hominibus, ut videant bona facta vestra, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.

*Ipsi vero copiose amantes,* id est divino amore vehementer succensi, ac frater-

næ salutis zelo ardentes, quemadmodum
S. Clemens in Itinerario suo fatetur, quod
sacratissimus Petrus immensa caritate ad
omnium hominum salutem fervebat. Tales
etenim esse debent qui aliis præficiuntur
et evangelizant. Propter quod Christus,
electissimum et dilectissimum suum Petrum toti Ecclesiæ præfecturus, ter sciscitatus est illum : Petre, amas me? Apostolis (*Joann.* XXI, 15, 16.)
quoque et eorum condiscipulis ad prædicandum mittendis, misit Spiritum Sanctum in igneis linguis, quatenus corda (*Act.* II, 3.)
eorum amore succensa, verba loquerentur
flammantia. Sic quippe prædicatorem verbi cœlestis ex fervore loqui oportet, ut
verba ejus tanquam faculæ cœlestes penetrent et inflamment audientium mentes. Nam et de evangelica lege exponitur
illud Deuteronomii : In dextera ejus ignea (*Deut.* XXXIII, 2, 3.)
lex; dilexit populos; omnes sancti in manu ejus sunt, et qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina illius.

*Tanquam dii eorum qui post se sunt,*
id est quasi rectores, provisores, doctores,
ac instrumentales salvatores sequentium
se. Unde super illud, Vos autem quem me (*Matth.* XVI, 15.)
esse dicitis? ait Hieronymus : Illis qui homines sunt humana opinantibus, vos qui
dii estis, quem me esse dicitis ? Moysi
quoque Dominus locutus est : Ecce constitui te deum Pharaonis. Hinc Paulus : (*Exod.* VII, 1.)
Omnibus, inquit, omnia factus sum, ut (I *Cor.* IX, 22.)
omnes facerem salvos. Denique potestatem habebant multiplicem ecclesiasticam
et punitivam. Propter quod dixit Apostolus : In promptu habentes ulcisci omnem (II *Cor.* X, 6.)
inobedientiam. Dii, inquam, *reductionis et deificationis,* id est per participationem
divini auctores « reductionis et deificationis » eorum quos converterunt et ad salutem traxerunt, juxta illud Apostoli : Adjutores Dei sumus. Hinc Galatis scripsit : (I *Cor.* III, 9.)
Filioli mei, quos iterum parturio, donec (*Galat.* IV, 19.)
formetur Christus in vobis.

*Sensibilibus imaginibus supercœlestia, et varietate et multitudine connexum, et in humanis divina, et in materialibus immaterialia, et his quæ sunt secundum nos superessentialia, scriptis suis et non scriptis doctrinis secundum sacras nobis dederunt* leges.* (* tradiderunt)

Id est : Præfati nostri doctores *dederunt nobis,* id est, docuerunt nos, *scriptis suis,*
id est per libros sacros quos ediderunt dictante infallibiliterque dirigente Spiritu
Sancto, *et non scriptis doctrinis,* id est
per documenta vocalia, non descripta. Non
enim omnia scripta sunt. Propter quod
Paulus : Cetera, inquit, quum venero, disponam. Joannes quoque ait : Multa alia (I *Cor.* XI, 34. *Joann.* XX, 30.)
fecit Jesus quæ non sunt scripta in libro
hoc. *Secundum sacras leges,* id est juxta
evangelica apostolicaque præcepta. Unde
in Actibus recitatur, quod discipuli missi
docuerunt Ecclesias servare statuta et doctrinas Apostolorum et seniorum. Docuerunt ergo *supercœlestia,* id est spiritualia (*Act.* XV, 41.)
ac divina, et bona in futuro promissa, de
quibus ait Apostolus : Oculus non vidit, (I *Cor.* II, 9.)
nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus
se. Quæ auctoritas sumpta est ex illo Isaiæ:
Oculus non vidit, Deus, absque te, quæ (*Is.* LXIV, 4.)
præparasti exspectantibus te. Hæc docuerunt *sensibilibus imaginibus,* id est sub
metaphoris et similitudinibus sensibilium
rerum : ut quum in Evangelio dicitur,
Omnis qui reliquerit patrem, aut matrem, (*Matth.* XIX, 29.)
aut uxorem, centuplum accipiet. *Et varietate et multitudine connexum,* id est,
bonum spirituale conjunctum seu simplex,
docuerunt per similitudines materialium
rerum diversarum. Sic enim in Isaia et (*Is.* LX; *Tob.* XIII; *Ezech.* XL *et seq.*; *Apoc.* XXI.)
Tobia, in Ezechiele quoque et Apocalypsi,
status et beatitudo regni cœlestis per varia sensibilia describuntur : Portæ (inquiunt) ejus ex singulis margaritis, et plateæ (*Apoc.* XXI, 21; *Tob.* XIII, 21. 22.)
ejus ex auro mundissimo. *Et in humanis divina,* id est, per humanas res seu per
actus humanos, describunt notificantque
divina : ut quum in Evangelio de se ipso
dixit Salvator, Amen dico vobis, quod præcinget se, et transiens ministrabit illis. *Et* (*Luc.* XII, 37.)
*in materialibus immaterialia,* id est, per
materialia atque corporea docuerunt immaterialia : quod in Canticis canticorum

præcipue patet. *Et his quæ sunt secundum nos*, id est per exteriora quibus sumus assueti, docuerunt nos *superessentialia*, id est bona gloriæ. Sic et per dispositionem Ecclesiæ militantis, insinuatur et evidenter præfiguratur status et dispositio Ecclesiæ triumphantis, non autem per Synagogam. Unde ad Hebræos legitur : Umbram habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum. (Hebr. x, 1.) Hinc beatus in homilia scripsit Gregorius : Idcirco regnum cœlorum terrenis rebus simile perhibetur, ut ex his quæ animus novit, surgat ad incognita quæ non novit : quatenus exemplo visibilium ad invisibilia se rapiat, et per ea quæ usu didicit, quasi confricatus incalescat. Unde et sancta Ecclesia organa et discantum permisit. Nam et in Eliseo factus est spiritus prophetiæ, quum psaltes caneret coram eo, ut legitur quarto libro Regum. (IV Reg. III, 15.)

*Non propter immundos solum,* id est, sancte sic docuerunt, non tantum ob hoc quod immundi, id est carnales, rudes ac perfidi, incapaces sunt spiritualium, nisi per sensibilia proponantur, *quibus nec symbola tangere fas est,* id est, quibus carnalibus et indignis illicitum est « tangere symbola », id est exteriora instrumenta consecrata, sive sensibiles species ac vasa sacramentorum, ut sunt calix et corporalia : de quo verbo in fine expositionis hujus capituli aliquid dicam. *Sed quia et symbolica quædam est*, id est etiam ideo, quia ecclesiastica hierarchia ex sua natura ac proprietate « est symbolica », ita quod connaturale est ei sensibilibus signis, figuris et similitudinibus uti, *quod quidem dixi,* ut patuit supra, *proportionaliter nobis ipsis,* id est convenienter ad omnes nos, quibus impossibile est lucere divinum increatumque radium, nisi circumtectum, prout expositum est. [Symbolica est, inquam,] *nostra hierarchia, desiderans sensibilia in eam ex eis ad invisibilia diviniorem* nostram reductionem :* (art. VII de Cœlesti hierarchia.) (*divinorum) hoc est, « nostra » ecclesiastica « hierarchia desiderans », id est requirens, « sensibilia » symbola aliquando interponi Scripturis, et proponi fidelibus, cupiens « ex eis », id est ex sensibilibus illis, erigi nos « in eam reductionem nostram diviniorem », quæ est « ad invisibilia », id est, ut ex visibilibus ad invisibilium contemplationem et amorem præfervidum elevetur, juxta illud Gregorii : Quatenus exemplo visibilium ad invisibilia se rapiat. Et in Præfatione : Quia per incarnati Verbi mysterium, nova mentis nostræ oculis lux tuæ claritatis infulsit, ut dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc invisibilium amore rapiamur.

## ARTICULUS VII

### QUIBUS REVELANDA SINT NOSTRÆ HIERARCHIÆ SYMBOLA, ET QUIBUS OCCULTANDA.

R*EVELANDÆ tamen sunt symbolorum rationes divinis sacris perfectoribus,* id est, spirituales significationes et causæ institutionis « symbolorum », id est sensibilium signorum sacramentalium, et consimilium imaginum seu formarum, « sunt revelandæ perfectoribus sacris divinis », id est aliorum prælatis et spiritualibus viris, qui, juxta Apostolum, idonei sunt et alios docere. (II Tim. II, 2.) Istæ rationes sunt revelandæ a superioribus perfectoribus, puta episcopis et doctioribus perfectoribus, inferioribus minusque doctis. *Quas non est justum educere in adhuc perficiendos,* id est, « quas » rationes « non est justum » aut licitum « educere », id est palam in-

gerere, « in perficiendos adhuc », id est in corda imperfectorum necdum capacium Hebr. v, 14. mysticarum intelligentiarum, quæ sunt cibus solidus perfectorum, exercitatos sensus habentium, *scientes quomodo sacrorum, Deo tradente, legislatores ornatuum,* id est qualiter « legislatores », id est ordinatores, « ornatuum sacrorum », id est ecclesiasticarum observantiarum et sacramentalium solennitatum, puta Apostoli aut eorum sequaces, *statutis et inconfusis ordinibus, et unoquoque secundum dignitatem accipiente, proportionibus et sacris distributionibus hierarchiam ordinaverunt :* id est, ecclesiasticam « hierarchiam » disposuerunt regendam « statutis et ordinibus » seu ordinationibus decentibus, id est sapientialibus, ita ut unusquisque in Ecclesia agat, suscipiat, exsequatur, quod ad suum spectat statum, officium, vocationem : ideo sequitur, « proportionibus et sacris distributionibus », id est debitis coaptationibus ac mensuris, ac juxta dona sibi concessa. Unde dixit Aposto- I Cor. xiv, 40. lus : Omnia honeste et secundum ordinem fiant in vobis.

*Propter quod et tuis sacris confessionibus credens,* id est, firmiter tenens te impleturum quod professus es te servare. Profitebantur namque in primitiva Ecclesia præsules et sacerdotes in sua consecratione, se observaturos quædam statuta dist. 16. ab Apostolis edita. Unde in Decreto frequenter fit mentio de canonibus Apostolorum. Ad Timotheum quoque scribit Apo- I Tim. vi, 12. stolus : Confessus es bonam confessionem coram multis testibus. *Recordari enim earum sanctum est,* id est, salubre ac justum est illas ordinationes sæpius rememorari, ne negligantur : inter quas fuit et istud, quod scilicet ista secretiora et mystica ac sacramentalia symbola, non reserarentur indignis. *Sic omnem quidem superpositam* hierarchicam laudem sanctam non trades alteri,* id est, ita te habendo, ut scripsi, non pandes alicui « laudem » hierarchiæ supernaturalem de mysteriis ac sacramentis et symbolis ejus, hoc est, non

* suppositam

A prædicabis talia publice coram indignis, ne derideant ea; *præter æque ordinatos tibi, deiformes, sacros perfectores*,* id est, non reserabis ea nisi æqualibus aut omnino multum consimilibus tibi in sapientia atque virtutibus, qui in suis affectibus sint ordinati ac apti perficere ac regere alios.

* perfectoresque

*Eosque patieris confiteri secundum legem hierarchicam,* id est, æquanimiter tolerabis, imo et facies quantum ad te pertinet, ut juxta tenorem prætactæ legis B seu jussionis vel ordinationis ecclesiasticæ, profiteantur seu spondeant non publicare indignis hæc potius occultanda, sed solum dignis. De quibus subjungitur : *mundorum quidem tangere munda,* id est, eos qui de numero sunt « mundorum », decet videre, audire, tractare vel sumere « munda », quum dicat Salvator : Nolite sanctum Matth. vii, 6. dare canibus; itemque, Non est bonum Ibid. xv, 26. sumere panem filiorum, et mittere canibus; *communicareque solis* deificata divinis,* id est, sapientialia et abdita aut C sacramenta non impertiri nisi virtuosis, Deo per gratiam assimilatis, *et perfectorum perfectivis,* id est, ea quæ pertinent ad perfectos communicare perfectis, illis præsertim qui et alios queunt perficere : sicut ait Apostolus, Sapientiam loquimur I Cor. ii, 6. inter perfectos. Unicuique enim providendum, dandum vel influendum est juxta ipsius capacitatem seu dispositionem. Propter quod Salomon dixit : In auribus in- Prov. xxiii, 9. sipientium ne loquaris, quia despicient doctrinam eloquii tui. *Sanctisque sanctis-* D *sima,* id est, sacratissima legis divinæ mysteria ac Dominica sacramenta communicare sanctis hominibus, ut inter recipiens et receptum servetur proportio, nec aurum projiciatur in lutum. Nec enim turpior est cloaca, quam anima vitiosa.

* solum

*Aliaque hierarchicorum tibi et hæc tradidi divino dono,* id est, etiam alia documenta et charismata una cum isto ad ecclesiasticam disciplinam spectantia, tibi insinuavi in Spiritu Sancto, qui est primum increatum ac liberalissimum donum,

in quo cuncta dona gratuita conferuntur. A
*Joann.* XIV, 16. De quo Unigenitus ait : Ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis. Vel, « dono divino », id est donatione caritativa et liberali, pro tuo profectu, non commodi mei intuitu : quæ est irreddibilis datio, maxime competens Deo.

Verum his objici potest, quia hierarcha seu præsul, seu alius quicumque minister Ecclesiæ, incertus est de aliis an sint sancti, divini, deiformes, perfecti ac perfectivi : ergo periculose agit, illis communicando hæc sacra. Imo et de se ipso incertus B est an sit talis, nisi desuper sibi id reveletur, et vix potest quis talem se reputare. Et respondendum, quod in his non requiritur certitudo absoluta, infallibilis, ostensiva, sed sufficit pia atque probabilis conjectura, præhabita tamen diligenti et debita inquisitione, ad quam faciendam per se aut per fidelem vicarium tenetur ipse.

Postremo quæritur circa jam dicta, an immundis, carnalibus, et cunctis qui in mortali sunt culpa, illicitum sit tangere symbola sacra. Videtur quod non, quia si C sic, valde periculosum esset ordines sa-
*Eccle.* IX, 1. cros accipere : imo, quum ignoremus an amore simus digni an odio, committeremus nos grandi discrimini, sacra illa tangendo. Præterea, si illicitum est tangere illa, multo plus videtur illicitum ipsa dignissima sacramenta consecrare, ministrare, sumere aut tractare. Quid ergo facturus est sacerdos carnalis seu alias vitiosus, si instet ei necessitas baptizandi, celebrandi, confessionemve audiendi, aut corpus dominicum reperiat sacrilege projectum? — Circa hæc scribit Albertus : Dicendum, quod in veritate ille qui est in peccato mortali, peccat mortaliter quandocumque tangit symbola sacramentorum, et quandocumque induit vestes sacras. Nec licet sibi omnino tradere aliquod sacramentum, nisi Baptismum propter necessitatem : ita tamen, ut non exhibeat se tanquam ministrum Ecclesiæ, quum sit indignus. Similiter peccat, si non exhibeat quum tenetur. Non tamen perplexus est, quoniam potest pœnitere, et sic exhibere; aut renuntiare officio. His Thomas omnino concordat, addens quod exsistens in quocumque ordine sacro, peccat mortaliter in omni actu ordinis sacri, si est indignus, hoc est in mortali peccato scienter : quia lex in Deuteronomio præcipit, ut quod justum est, juste exsequamur. *Deut.* XVI, 20. Idem affirmant doctores communiter, Alexander, Bonaventura, Durandus. Nec recolo me in aliquo doctore authentico legisse contrarium, nisi in Henrico de Gandavo, qui in Quodlibetis suis tenet oppositum : in quo non mediocriter excessisse censetur, præsertim quum in epistola ad Demophilum sanctissimus iste theologus tam evidenter ac terribiliter asserat, omnem talem peccare mortaliter, et quasi irrisorem ac blasphemum exsistere. Quo constat, quam periculosissimum damnabilissimumque consistat, in sacris ordinibus conversari carnaliter aut indigne.

## PARAPHRASIS ABBATIS VERCELLENSIS

O TIMOTHEE, qui pluribus justis Christi ministris justior es, conveniens est ut his qui perfecte introducti sunt in cognitionem spiritualium mysteriorum, et spiritualiter perfecte eruditi sunt in institutionibus officiorum ecclesiasticorum, et mysteriorum quæ in eisdem signantur, demonstremus ex sacris Scripturis, quod nostra hierarchia habet tam scientiam D quam operationem, quam utriusque perfectionem in Deo manentem, et a Deo emanantem, et hierarchicas personas deificantem. Cave autem ne ista interiora mysteria ultra quam debeant per te publicentur. Sed ipsa tanquam Dei occulta, reverere et honora, communicando eadem solis intellectualibus cognitionibus virorum spiritualium : ea apud te ita conser-

vans, ut non audiantur ab imperfectis, qui eadem despicerent vel irriderent; sed solum sanctis et perfectis ipsa communices sancta, et illuminatam doctrinam, sicut decet sanctum facere. — Ita enim docet nos sacra Scriptura docuisse et facere Dominum Jesum, qui est divinissima mens et supersubstantialis secundum deitatem, qui etiam est principium et substantia sanctificationis et divinæ operationis omnis hierarchiæ angelicæ et humanæ,
*Matth.* VII, 6. et divinissima virtus : eo quod ipse dicit, No-
*Luc.* VIII, 10. lite sanctum dare canibus; rursusque, Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, ceteris autem in parabolis, ut videntes non videant, et audientes non intelligant. Item in eo quod ipse cœlestibus animis, qui sunt superiores nobis, illucet per speciem, et proprio lumini eos assimilat secundum singulorum capacita-
*Matth.* XVIII, 10. tem. Unde in Matthæo legitur : Angeli eorum semper vident faciem Patris mei. Et Petrus
I *Petr.* I, 12. ait : In quem desiderant angeli prospicere;
I *Joann.* III, 2. Joannes quoque, Quum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Virorum vero spiritualium per multa sparsorum amore ad ipsum extento et eos extendente, concludit et simplificat multiformes eorum curas et affectiones, et perficiens eos ad uniformem et divinam vitam, et habitum et operationem, donat eis virtutem divini sacerdotii, quæ decet sanctos : per quam ipsi proficientes ad sanctam sanctificationis operationem, propinquiores efficiantur animis cœlestibus, per imitationem mortalibus possibilem sanctæ collocationis eorum, quæ perpetua
II *Cor.* V, 7. est et incommutabilis. Nos autem qui per fidem ambulamus, et non per speciem, per hunc modum respicientes ad divinum splendorem Domini Jesu, et quæ nostræ sunt facultatis reverenter inspicientes, et illuminati per mysticam scientiam cognitionis eorum quæ inspexerimus, poterimus fieri et sanctificati et sanctificatores, et luciformes in nobis et deificantes alios, et perfecti et perficientes.

Quæ autem sit hierarchia Angelorum, Archangelorum, Principatuum, Potestatum, Virtutum, Dominationum, et Thronorum, et coordinatarum Thronis divinarum substantiarum, quas Theologia tradit proxime et semper adsistere Deo, quæ substantiæ vocantur in Scripturis Cherubim et Seraphim, secundum linguam Hebraicam, et quales sint istorum ordinum ornatus et hierarchicæ ordinationes et congruæ distinctiones, invenies in libro de

A sacro angelico principatu, in quo tractavimus de his omnibus, non quidem digne, sed secundum quod nobis est possibile, et juxta attestationes sacræ Scripturæ. Hæc deinde de ibi dictis supra repetimus, quod tam angelica quam ecclesiastica hierarchia, per universum hierarchicum negotium habet eamdem vitam et virtutem, et eumdem hierarcham : secundum quem quælibet hierarchica essentia, in mutua proportione hierarchicarum personarum et singularum ordine, habet perfici divina conformitate, et deificari, et sibi subjectis influere de sancta deificatione sibi a Deo in-
B genita, secundum singulorum subjectorum dignitatem : et ut ipsi subjecti sequantur quidem suos superiores, et inferiores se extendant ad anteriora; ipsi etiam inferiores ad superius extendantur, et aliis ducatum præbeant : et ita per hanc divinam hierarchicam harmoniam, unaquæque hierarchica persona participet Deo, qui vere est pulcher, sapiens et bonus, secundum singularum capacitatem. — Sed cœlestes substantiæ sive ordines de quibus mentionem fecimus, incorporales sunt et intelligibiles, et earum hierarchia supermundana est. Nostram autem hierarchiam vide-
C mus doceri secundum capacitatem mortalium, per multiplicia signa sensibilia (sicut in tractatu patebit Baptismi, Eucharistiæ, Chrismatis, et aliorum sacramentorum), ut per ipsa signa, secundum mensuram nostram, hierarchice sursumagamur ad uniformem Dei conformitatem. Præterea videmus quod cœlestes substantiæ, tanquam puræ mentes, intelligunt divinam virtutem secundum quod illis convenit. Nos autem per sensibilium imagines, secundum quod nobis est possibile, sursumagimur ad divinas contemplationes, juxta illud : Invisibilia Dei, per ea quæ facta sunt, *Rom.* I, 20.
D intellecta conspiciuntur. Quamvis autem varie, unum tamen desiderant omnes uniformes angeli et homines, ut patet infra capitulo quarto. Sed eodem varie participant, secundum quod divinæ misericordiæ distribuunt unicuique participationem sibi competentem, sicut diffusius tractavimus in tractatu de intelligibilibus et sensibilibus.

Nunc autem tractabo, secundum quod mihi est possibile, de hierarchia ecclesiastica, et de ejus principio et substantia, invocans Dominum Jesum, qui est principium et consummatio omnium hierarchiarum. Est autem hierarchia, secundum venerabilem traditionem

quam ab apostolica doctrina accepimus, omnis sanctus sermo vel doctrina de substantiis hierarchicis, scilicet universalissima ratio mysteriorum sacri principatus angelici vel humani. Nostra ergo hierarchia est doctrina comprehendens omnia mysteria ad negotium ecclesiasticum pertinentia, ut qui perfectus est hierarcha ecclesiasticus, omnium sacramentorum ecclesiasticorum habeat participationem sibi congruentem, a qua denominatur hierarcha. Sicut enim significatio hujus nominis, hierarchia, simul comprehendit omnium mysteriorum dispositionem; ita et hoc nomen, hierarcha, significat divinum virum in Deo manentem, qui est peritus omnis sanctæ cognitionis, in quo omnis doctrina ad propriam pertinens hierarchiam, munde perficitur et cognoscitur.

Principium autem omnis hierarchiæ est sancta Trinitas, quæ est fons vitæ, substantia bonitatis, una exsistentium causa, ex qua et esse et bene esse est exsistentibus propter ipsius bonitatem. Huic autem divinissimæ omnium summitati principalis beatitudinis, quæ vere exsistit trina in personis, et in essentia unica, secundum quod nobis quidem est incomprehensibile, ipsi autem scibile est, voluntas est, rationalis salvatio hominum, et sabbatum cœlestium animorum. Salvari autem non possunt, nisi qui deificati fuerint. Deificatio autem est assimilatio et unitio ad Deum secundum possibilitatem creaturæ. Universæ autem hierarchiæ finis et consummatio est dilectio intenta in Deum et divina, et divine et unitive sanctificata, et ante hoc, perfecta et inconvertibilis recessio a contrariis, et cognitio exsistentium secundum quod sunt exsistentia, et sancta visio et scientia veritatis, et divina participatio uniformis perfectionis, et de ipso uno, secundum quod possibile est, per inspectionem cibatio, nutriens intelligibiliter, et deificans omnem ad ipsam extentum.

Dicimus enim quod hierarchica beatitudo, quæ est per naturam Divinitas, quæ est principium deificationis, ex qua deificantur omnes qui deificantur, per divinam bonitatem ordinavit hierarchiam ad salvationem et deificationem angelorum et hominum : cœlestibus quidem et beatis mentibus, simpliciorem, eo quod Divinitas eos moveat ad divina cognoscenda et diligenda, non per investigationem creaturarum et Scripturarum, sed ipsas intelligibiliter et divinitus illuminatas movet ad

A divina, per purum splendorem gloriæ suæ, et immateriali divinissimo appetitu dulcedinis suæ. Quod autem illis datum est unitive et concluse in simplici verbo cognoscere, hoc nobis donatum est in sacris Scripturis secundum nostram possibilitatem cognoscere, ex investigatione variorum et multorum divisibilium signorum. Substantiæ siquidem nostræ hierarchiæ, sunt sacræ doctrinæ nobis a Deo traditæ, quas nobis tradiderunt sancti Apostoli ex hagiographis et theologicis libris, et quas tamen * ipsi didicerunt immediate a Domino Jesu per doctrinam vivæ vocis, quæ B immaterialior et simplicior est quam Scriptura, et quodammodo vicina est doctrinæ cœlestis hierarchiæ, in eo quod ex mente in mentem transfunditur per medium sermonem, quamvis corporalem, qui quidem simplicior et spiritualior est quam scriptura.

* et illas etiam quas

Sed et hæc ipsa Apostoli nobis tradiderunt ad communem fidelium sanctificationem, non in puris intellectualibus tantum doctrinis, sed in signis intellectualium figurativis, ut celetur veritas indignis. Ut enim dicit Apostolus, Non in omnibus est scientia. Erat autem Ecclesiæ necessarium, ut Apostoli (qui fuerunt C primi duces nostræ hierarchiæ, repleti Spiritu Sancto a supersubstantiali Deitate, missi ad nos a divina bonitate, ut ipsum Spiritus donum ad alios sibi adhærentes et ipsorum sequaces producerent, ipsi etiam tanquam Deo pleni, copiose amantes inferiores et sequaces suos, sursumagentes nos in deificationes) secundum sanctas ordinationes nobis traderent doctrinis scriptis et non scriptis, in signis sensibilibus supercœlestia, in varietate et multitudine conclusa unita, in humanis divina, in materialibus immaterialia, in his quæ secundum nos sunt, supersubstantialia : et hoc, D non tantum ea de causa ut veritas celetur immundis, quibus non licet sancta tangere, sed quia ut dixi, nostra hierarchia indiget sensibilibus signis, ad hoc ut per ipsa efficacius sursumagamur ad intelligibilia secundum nostram capacitatem.

I Cor. VIII, 7.

Perfectis tamen doctoribus revelantur mysticæ significationes signorum, quas non licet eisdem propalare imperfectis, sed solum perfectis, scientibus quod divini legislatores, juxta quod eisdem divinitus est inspiratum, ordinaverunt hierarchiam sacrorum ordinum ecclesiasticorum firmis et inconfusis ordinationibus, et mutuis proportionibus, et spiri-

tualium gratiarum distributionibus, secundum convenientiam uniuscujusque hierarchicæ personæ *. Quoniam ergo per epistolam promisisti, quod quidem commemorare religiosum est, quod de universa supposita hierarchica lectione non trades alicui, præter episcopos et alios perfectos in doctrinis hierarchicis, et A quod eisdem persuadebis, quod tibi promittant quod secundum legem hierarchicam, munda munde tangant, et communicent divina solis divinis, et perfecta perfectis, et sanctis sanctissima : ideo mihi persuasisti ut et hoc divinum donum et alia hierarchica tibi tradiderim.

* hierarchiæ perfectæ

# CAPITULUM II

## DE PERFICIENDIS IN PHOTISMATE.

DICTUM est igitur a nobis sacre, quomodo ipsa est secundum nos hierarchiæ interpretatio, ad Deum nostra, quantum licet, et similitudo et unitas. Hujus autem, ut divina docent Eloquia, piissimorum mandatorum dilectionibus et sacris actionibus jucunde perficimur. Servabit enim, inquit, diligens me verbum meum; et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. Quoddam igitur est principium sanctissimorum mandatorum sacræ actionis, ad aliorum divinorum eloquiorum et sacrarum actionum susceptivam opportunitatem formans animales nostros habitus, ad supercœlestis quietis anagogen nostrum iter faciens, sacræ et divinissimæ nostræ regenerationis traditio. Ut enim communis noster ait magister, secundum intellectum quidem in divina primordialis motus, est Deo divinaque dilectione, ad sacram operationem divinorum mandatorum, principalissima processio essendi divinitus nos, ineffabilissima creatio. Si enim esse divinitus est divina generatio, nequaquam aliquando quid noverit Deo traditorum, neque quidem operatus sit, qui neque subsistere divinitus habuit. Aut numquid et nos (humanum dicimus) subsistere oportet primum, deinde operari secundum nos? quomodo non exsistentis neque motum, sed neque subsistentiam habentis, exsistens illud solummodo operantis aut patientis, in quibus esse natum est. Sed hoc quidem (ut æstimo) apertum. Deinde autem divina divinæ generationis inspiciemus symbola. — Et mihi nullus imperfectus in contemplationem veniat. Etenim non solares fulgores infirmis pupillis intueri, non periculosum; nec his quæ supra nos sunt audere, innocuum : siquidem vera est juxta legem hierarchia, Oziam quidem, quia sacra tractavit, subvertens; Core vero, quia supra se sacris; Nadab autem et Abiu, quia propriis profane abusi sunt.

*Joann.* XIV, 23. — II *Par.* XXVI, 19, 20. — *Num.* XVI, 1-33. — *Lev.* X, 1, 2.

### MYSTERIUM PHOTISMATIS.

I *Tim.* II, 4. Summus quidem sacerdos assidue ad Dei similitudinem omnes homines volens salvos esse, et in agnitionem veritatis venire, prædicat omnibus ea quæ vere sunt

Evangelia : Deum manifestatum fuisse his qui in terra sunt, ex propria exsistentem, et naturali bonitate firmiter advenisse, ad unitatem suam per humanitatis dignitatem digna æstimantem, et ad se unitati instar ignis assimilando sibi unita secundum ipsum propositum coaptantem. Quotquot enim receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus : qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. — Qui autem horum diligit vere supermundialium divinam participationem, veniens ad quemdam eruditorum, suadet se duci ab eo ad summum sacerdotem via *. Ipse autem universaliter subsecuturum esse promittit tradituros, et digne accessionis ejus et simul omnis in id quod deinceps est vitæ, cognitionem recipere. Eum quidem illius salutem sacre amantem, at vero rei altitudinem contramensurantem humanum, horror quidem subito et impossibilitas circumstant. Obedientibus tamen eis, perficit quod petitum est et deiformiter confessus est ; et qui accipit eum, ducit ad hierarcham cognominatum. — Ipse vero cum lætitia tanquam in humeris ovem recipiens ambobus viris, ut diximus, primum quidem laudat per intellectuales eucharistias et corporalem adorationem, unum benignum principium, ex quo vocata vocantur, et salvata salvantur. Deinde omnem sacram dispositionem, in cooperatione quidem et confestivitate salutis viri, in eucharistia quoque divinæ bonitatis, in sacrum chorum congregans, in principio quidem quemdam Eloquiis incumbentem cum omnibus ecclesiæ plenitudinibus hymnum psallit. Et post hæc divinam salutans mensam, ad virum advenientem accedit, et interrogat eum, quid volens venit. Eo vero religiose accusante, juxta anadochi traditionem, incredulitatem, ignorantiam veri boni, a divina vita desidiam, dignanteque per sacram suam medietatem Deum et divina consequi, testatur quidem ipsi profuturam universalem fore propitiationem, tanquam perfectissimo et immaculato Deo. Et divinam ei conversationem introducens, et interrogans si sic conversaturus est, post confessionem imponit ejus capiti manum ; et signans, describi imperat sacerdotibus virum et anadochum.

*Joann.* I, 12, 13.

* ab eo, ea quæ est ad summum sacerdotem via

Ipsis autem describentibus virum, orationem sacram facit ; et hanc omni sic ecclesia faciente, subintroducit quidem eum, et exuit per ministros. Deinde statuens in occiduis intentum, et manus erigentem ad ipsam conversas regionem, exsufflare quidem ipsi ter jubetur Satanam, et adhuc quæ sunt abrenuntiationis confiteri. Et ter ei abrenuntiationem contestans, confitentem ter hoc transducit ad se ; et ad cœlum respicientem, et manus extendentem, jubet coordinari Christo et omnibus a Deo traditis sacris Eloquiis. Eo vero et hoc faciente, testatur iterum ei ter confessionem. Et iterum ipso ter confitente, orans benedicit, et manum imponit. — Et ad summum exuentibus eum ministris, afferunt quidem sacerdotes unctionis sacrum oleum. Ipse autem unctionem per signationem ter incipiens, ceterum sacerdotibus virum ungere omni corpore tradens, ipse ad matrem filiolitatis venit. Et tunc aquam sacris invocationibus sanctificans, et tribus sanctissimi chrismatis cruciformibus effusionibus perficiens illam, et chrismatis sanctissimis immissionibus æquali nu-

mero, sacrum Deo acceptabilium Prophetarum inspirationis melodema consonans, jubet virum afferri. Et quodam sacerdote ex descriptione ipsum et anadochum prædicante, ipse quidem a sacerdotibus ad aquam ducitur, ad summi sacerdotis manum, et ad eum manuductus. Ipse summus sacerdos desuper stans, reclamantibus iterum ad summum sacerdotem juxta aquam nomen perficiendi sacerdotibus, ter quidem ipsum summus sacerdos baptizat tribus perficiendi demersionibus et emersionibus, trinam divinæ beatitudinis invocans substantiam. Accipientes autem eum sacerdotes, porrigunt accessionis et anadocho et duci; et cum ipso accipientes vestimenta perficiendorum, adunatum ad summum sacerdotem iterum reducunt. Ipse vero deificantissimo unguento virum signans, participem manifestat de cetero sacræ perfectissimæ Eucharistiæ. — Hæc autem perficiens, ab ipsa in sequentia processione, iterum ad primorum extenditur contemplationem, quasi per nullum tempus aut modum, in alieno quodam præter propria conversaturus, sed a divinis in divina attendens, et semper divino Spiritu transordinandus.

## THEORIA.

Hæc quidem est, quantum in symbolis, sacræ hostiæ divina generatio, nil indecorum aut immundum ex sensibilibus habens characteribus, sed Deo dignæ contemplationis ænigmata, naturalibus et humanissimis speculis imaginata. Cur enim apparuerit refellens et diviniorem rationem perficiendorum silentem, persuaserit contemplativa advenientis fiduciam comparans sacre, et omnis simul malitiæ per eximiam et divinam vitam purgatione per aquam naturali corporaliter ipsi denuntians? Hæc ergo etsi nihil quidem divinius haberet perficiendorum symbolica traditio, non immunda esset, ut æstimo, doctrinam quidem rectæ vitæ introducens, perfectamque in malitia conversationis purgationem, universaliter corpore naturaliter purgato per aquam, insinuans. Sed sit quidem hic imperfectis introductivus animarum modus, et hierarchica et uniformia, quantum fas, a multitudine distinguens, et commoderans immundis ordinibus compactam conversationem. Nos autem ascensionibus sacris in perfectorum principia respicientes, et ea divinitus eruditi, cognoscemus quorum sunt characterum effigies, et quorum invisibilium sunt imagines. Sunt enim, ut in ea quæ est de invisibilibus et sensibilibus actione aperte disputatum est, quædam quidem sensibiliter sacræ invisibilium imaginationes, et in ea manuductio et via; invisibilia vero, eorum quæ secundum sensum hierarchicorum, et principium et scientia.

Dicamus ergo quomodo divinæ beatitudinis bonitas semper juxta eadem et sit sic habens, proprii luminis beneficos radios in omnes copiose expandit intellectuales vultus. Si quis ergo discesserit ab invisibili lumine aut invisibilibus, superbus, per se potens, malitiæ amore intimans naturaliter inspersas ei ad illuminandum virtutes, protendit, præsentis sibi luminis non recedentis, sed superlucentis, ipsa tristis et

convertens a currente deiformiter. Siquidem moderate ipsa dati visibilis visiones supersiliet, et ad ipsas semper suum vultum claritates obtueri fiducialiter audebit : lux quidem operabitur præter lumen nihil ; ipsa vero perfecta imperfecte concupiscens, eo quidem quo inobediens est, non etiam intelliget, humile vero inornate despiciens, per se ipsam restaurat. Verumtamen, quod quidem dixeram, benefice semper intellectualibus vultibus divinum expansum est lumen, inestque eis recipere præsente eo, et semper ad divinam propriorum traditionem exsistente paratissimo. Ad hanc divinus summus sacerdos formatur imitationem, luciformes suæ divinæ doctrinæ claritates copiose in omnes expandens, et advenientem illuminare Dei imitator paratissimus est, non invidiose neque immunde priori apostasia immoderata quidquam semper usurus, sed divinitus semper provenientibus suis in lucem ductionibus, hierarchice relucens in bono ornatu, et ordine, et analogia uniuscujusque ad sacra commensurationis.

Sed si quid sanctæ ordinationis est principium divinum, secundum quod se ipsos cognoscunt sacri intellectus, ad consequens naturæ visibile recurrens. In principio quidem quis, quando est ipse, videbit ; et hoc accipiet primum, ex respectu ad lumen sacrum donum. Qui autem propria lumini impassibilibus oculis inspicit, ex non lucentibus quidem revertetur ignorantiæ obscuris, Dei autem perfectissimam unitatem et participationem, qui imperfectus est, ipse non inde concupiscet ; in brevi vero per ipsa sua prima, deinde adhuc priora, et per illa præstantia et perfecta, in sublimissimam divinam in ordine et sacre ascendet communionem. Hujus est ornatus et sacri ordinis imago, advenientis confusio, et eorum quæ secundum se ipsum sunt cognitio, ad summum sacerdotem viæ anadochum habens ducem. Eum vero sic ascendentem divina beatitudo in suam participationem recipit, et proprio lumine tanquam quodam ipsi signo tradit divinum perficiens, et communicantem divinorum partis et sacræ ordinationis. Quorum est symbolum, sacrum a summo sacerdote advenienti donatum signaculum, et sacerdotum salutaris descriptio ; in salvatis eum connumerans, et memoriis sacris ponens apud eum anadochum, tanquam vivificæ ad veritatem viæ amatorem quidem et consequentem ducis divini ; non errantemque Deo traditis ductionibus sequentis manuductorem.

Sed non inest summe contraria simul participare, neque communionem quamdam ad unum habentem, partitas habere vitas, si unius recipit firmam participationem, sed immensurabilem esse et inordinabilem in omnibus uniformitate divisionibus. Quod quidem symbolorum traditio sacre expandens, advenientem velut priorem vitam exuens, et usque juxta illam ultimos habitus solvens, nudum et discalceatum sistit ad occidua adspicientem, et manuum abrenuntiatione obscuræ malitiæ renuentem communiones, et ingenitum sibi dissimilitudinis habitum tanquam exspirantem, et universales confitentem ad deiformis contrarium abrenuntiationes. Sic omnino non detentum ipsum, et absolutum factum, in conspectu traducit in divino lumine statutum et respectum, futurum fore munde in perfectis-

simo ex malitia reditu promittens, et sacras ejus ad unum rationabili intuitu confessiones uniformi facto per veritatis amorem recipiens.

Sed est ibi clarum, ut æstimo, hierarchicorum eruditis, quia devictis in fortitudine ad unum resistentibus, et contrariorum universalibus interemptionibus et abolitionibus immutabile valet ad intellectualia deiformis habitudinis. Non enim redire tantum oportet ab omni malitia, sed et viriliter durum esse, et intrepidum contra perniciosam semper in eam subjectionem; neque templi veritatis amoris in quiete unquam fieri, attente vero et æternaliter in eam, ut virtus, extendi ad perfectissimam* Divinitatis ascensionem sacre semper augentem*. Vides autem horum diligentes imagines in hierarchice perficiendis. Deiformis quidem summus sacerdos inchoat sacram unctionem; sacerdotes vero sub ipso perficiunt unctionis sacrificium, ad sacra, in similitudine, perficiendos certamina evocantes. Secundum quæ sub militante Christo factus est : quoniam ut Deus, est militiæ creator; ut sapiens vero, leges ejus posuit; operatus est, ut bonus, decoris victoribus bravia; et adhuc divinius, quoniam quidem, ut optimus, in militibus effectus est, cum ipsis sacre pro eorum libertate et victoria ad mortis et corruptionis concertans potestatem. Certantibus quidem, tanquam Deus perfectus, ascendit gaudens. Manet autem in Sapientis legislationibus, et secundum eas sine transgressione contendit ad bonorum præmiorum spem, firmiter se habens, sub optimo militiæ Domino et duce ordinatus.

* perfectissima
* agentem

Superans vero divinis vestigiis militum primi per bonitatem, Deum imitantibus militiis, ad deificationem contrarias ei et reluctantes operationes et subsistentias, commoritur Christo, mystice dicendum, peccato, per Baptismum. Et sapienter intelligit sacra cum quanta pulchritudine habet symbola. Etenim, quoniam quidem mors est in nobis non essentiæ vel subsistentiæ, juxta quod visum est aliis, unitorum vero separatio, in nobis invisibile ducens animam quidem, ut in privatione corporis semper futuram, corpus vero, ut in terra occultum, aut juxta alteram quamdam corporalium mutationum, ex ea quæ est secundum hominem specie demolitum; pulchre per aquam universalis occultatio, in mortis et sepulturæ informitatis imaginem accipitur. Sacre igitur baptizandorum symbolica doctrina mystice docet tribus in aqua demersionibus et elevationibus, divinam triduo totidemque noctibus in sepultura Jesu vitæ datoris imitari mortem, quantum possibile viris divina imitatio : in quo, juxta Eloquii mysterialem et occultam traditionem, nihil invenit princeps mundi. — Deinde vero luciformia vestimenta induunt consummatum. Virili enim et deiformi contrariorum impassibilitate et ad unum firmo contuitu, inornatum ornatur, et informe formificatur, luciformi universaliter vita splendens. — Unguenti autem perfectiva unctio, odoriferum facit perfectum : sacra enim divinæ generationis consummatio coadunat consummata divino Spiritui. Invisibiliter autem odorificum et perfectivum adventum ineffabiliter exsistentem, cognoscere intellectualiter concedo dignis secundum intellectum divini Spiritus sacra et deifica communicatione. — In fine autem omnium, summus sacerdos ad sacratissimam Eucharistiam vocat perfectum, et perfectivorum mysteriorum ipsi tradit communionem.

*Joann.* XIV, 30.

# ARTICULUS VIII

ELUCIDATIO PARTIS PRIMÆ CAPITULI HUJUS SECUNDI : DE BAPTISMI NATURA, ET QUOD EJUS MYSTERIA NON SINT PROFANIS TRADENDA.

POSTQUAM præcedenti capitulo tractavit Theologus de ecclesiastica hierarchia in generali, et de respectu ejus ad suum effectivum principium, quod est superaltissima Trinitas, unus et simplicissimus Deus, et qualiter ab hierarchia angelica distinguatur; hic jam in isto capitulo tractat de ea quoad quosdam speciales actus ipsius, potissime illos quos in quibusdam sacramentis exercet. Et primo de ejus actibus in Baptismo, qui est janua sacramentorum, et ostium ingressionis in militantem Ecclesiam seu ecclesiasticam hierarchiam.

Itaque ait : *Dictum est igitur a nobis sacre,* id est religiose et per applicationem ad Deum, *quomodo ipsa est secundum nos hierarchiæ interpretatio,* id est, quæ sit significatio, intentio, seu ratio « hierarchiæ secundum nos ». Hoc quippe expressum est tertio Cœlestis hierarchiæ capitulo, ac breviter tactum capitulo præcedenti, et nunc quoque brevissime repetitur : utpote *ad Deum nostra, quantum licet, et similitudo et unitas,* id est assimilatio ac unio ecclesiasticarum personarum cum Deo, prout possibile est ac decens, ita quod istud est formale in communi hierarchiæ descriptione. Ipsa vero hierarchia realiter est sacer principatus seu congregatio rationalium atque fidelium personarum, sicut Ecclesia.

*Hujus autem, ut divina docent Eloquia, piissimorum mandatorum dilectionibus et sacris actionibus jucunde perficimur :* id est, nos formaliter « perficimur », et virtuose agendo perficimus nos ipsos, Deo principaliter operante et auxiliante, « jucunde », id est delectabiliter, « dilectionibus et actionibus sacris mandatorum piissimorum hujus », id est exsecutionibus et exercitationibus interioribus ac exterioribus caritativis præceptorum quæ data sunt desuper ecclesiasticæ hierarchiæ : quorum prima duo sunt de dilectione Dei et proximi. Suntque præcepta piissima, quia piissime data, juxta illud Psalmi, Dulcis et rectus Dominus, propter hoc legem dabit delinquentibus in via ; et quia ad cultum Dei atque ad inhæsionem cum Deo internam nos ordinant ac inducunt. Unde in libro Job, secundum antiquam translationem, habetur : Ecce cultus Dei ipsa est pietas. Hinc patet, quod perfectio consistit in actibus potius quam in habitibus virtutum, quum et habitus ordinentur ad actus, et felicitas dicitur optima operatio virtutis dignissimæ. Denique recte ait, « jucunde perficimur » : quoniam actionibus virtutum delectationes sunt junctæ ac mixtæ, et juxta Philosophum, signum virtutis est delectatio in opere. Propter quod in Proverbiis dicitur : Gaudium est justo facere judicium. Et Tullius protestatur : Virtus est habitus rationi consentaneus, in modum naturæ delectabiliter operans. Quod potissime verum est de virtutibus, tam infusis quam acquisitis, in viris exercitatis, in quibus per usum exercitiumque virtutum, inclinationes contrariæ et vitiorum reliquiæ, scilicet pronitas seu inclinatio ad peccandum, debilitas quoque resistendi tentationibus et peccatis, ablatæ sunt. — Insuper, piissima mandata ecclesiasticæ hierarchiæ, intelligi possunt statuta et jussiones data fidelibus ab Ecclesia : quæ delectabiliter observantur, quando in consuetudinem convertuntur.

*Matth.* XXII, 37-39.

*Ps.* XXIV, 8.

*Job* XXVIII, 28.

*Prov.* XXI, 15.

Quod consequenter probat auctoritate A Scripturæ. *Servabit enim, inquit, diligens me verbum meum :* id est, Christus apud Joannem loquitur, (Joann. xiv, 23.) Si quis diligit me, sermonem meum servabit : *et Pater meus diliget eum* secundum præsentem justitiam : quod si prædestinatus est, diligit eum invariabiliter secundum prædestinationem æternam ; *et ad eum veniemus* per divinorum munerum incrementum, *et mansionem apud eum faciemus* per gratiosam inhabitationem : quoniam (I Joann. iv, 16.) Deus caritas est, et qui manet in caritate, in Deo B manet, et Deus in eo.

Consequenter describit Baptismum : *Quoddam ergo* * *est principium sanctissimorum mandatorum sacræ actionis, ad aliorum divinorum eloquiorum et sacrarum actionum susceptivam opportunitatem formans animales nostros habitus, ad supercœlestis quietis anagogen nostrum iter faciens, sacræ et divinissimæ nostræ regenerationis traditio.* Hoc est : « Traditio », id est sacramentum Baptismi, seu ipse Baptismus nobis traditus et collatus, C « regenerationis nostræ sacræ et divinissimæ », id est, per quam spiritualiter renascimur nativitate sancta et valde divina : quia per eam adipiscimur esse gratuitum, supernaturale, divinum, utputa gratiam gratum facientem, et caritatem atque characterem, sicque efficimur adoptivi filii Dei, (Rom. viii, 16. 17.) ac heredes regni cœlestis, prout apud Joannem Veritas protestatur : (Joann. iii, 5.) Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei. Hic Baptismus « est quoddam principium sa- D cræ actionis », id est meritoriæ conversationis. Quemadmodum enim in naturalibus præexigitur forma substantialis, seu esse naturale specificum, et ex illo mox profluit actio ; ita et in spiritualibus primo oportet intellectualem seu rationalem naturam constitui in esse supernaturali divino ac deiformi, ad meritorie agendum idoneo : quod fit per gratiam gratum facientem, ex qua, mediante fide et caritate, oritur actio virtuosa. Sacræ, inquam, actionis « mandatorum sanctissimorum », quæ imperant ut bene agamus, et virtuose vivamus : quæ mandata sanctissima potissime sunt duo caritatis præcepta, in quibus tota lex pendet et Prophetæ. (Matth. xxii, 37-40.) Principium, dico, « formans », id est, perficiens et actuans, « habitus nostros animales », id est vires naturales operativas, et habitus primorum principiorum eis connatos, seu etiam naturales virtutes, acquisitas, morales, « ad opportunitatem », id est aptitudinem et habilitatem, « susceptivam », id est amplexativam et exsecutivam, « eloquiorum divinorum aliorum », id est verborum sacræ Scripturæ docentium, exhortantium, et dirigentium nos ad omne bonum, « et actionum sacrarum », quæ sunt oratio, Dei laudatio et contemplatio, compunctio, prædicatio, correptioque peccantium, et misericordiæ actus, ac consimilia opera ; « faciens iter nostrum », id est, viam et vitam peregrinationis nostræ præsentis dirigens, excitans ac elevans, « ad anagogen », id est sursumductivam speculationem, adspirationem ac ferventissimam appetitionem, « quietis supercœlestis », id est beatificæ possessionis ultimi finis, ac tranquillissimæ pacis qua mens plene contentatur et quietatur in Deo.

*Ut enim communis noster ait magister,* utpote B. Hierotheus, tuus et meus instructor, *secundum intellectum quidem in divina primordialis motus, est Deo divinaque dilectione, ad sacram operationem divinorum mandatorum :* hoc est, « primordialis motus noster in divina », id est prima motio nostri in Deum, et in divina quæ cadunt sub fide, « secundum intellectum », id est intellectivam animæ partem, « ad operationem » sanctam, quæ est exsecutio « mandatorum divinorum, est » a « Deo » et « dilectione divina ». Est enim a Deo, tanquam a primo et summo motore extrinseco, in omni actu meritorio actualiter concurrente et cooperante ; et a divina dilectione, id est a caritate, quæ est primum principium promerendi intrinsecum et formale.

* igitur

*Principalissima processio essendi divinitus nos*, id est, primordialis motio illa est « processio », id est influxio, « principalissima », per quam sortimur esse spirituale divinum, et per quam dicimur esse « divinitus » ac deiformiter seu divine. Justus namque ex fide vivit : quod de fide formata, id est per caritatem ornata et vivificata, verificatur. Caritas quoque imperative movet omnem aliam virtutem ad operandum ; et ipsum credere, quamvis sit elicitive ab intellectu, imperialiter tamen procedit a voluntate, cujus forma, perfectio, habitus, vita et motrix, est caritas. *Ineffabilissima creatio*, id est, motio illa seu processio est prorsus ineffabilis « creatio », quantum ad hoc quod habitus illi fidei et caritatis non habentur nisi ex creativa infusione; vel quoad hoc quod procedunt a Deo, quia non præsupponitur quid aliud in spirituali esse ipsius gratiæ : et hujusmodi actio, creatio appellatur. Propter quod in libro de Causis asseritur, quod esse est per creationem, cetera per informationem : quoniam secundum intellectum præsupponunt ipsum esse, quod communissimum est, nec præsupponit nisi effectivum principium.

*Rom.* I, 17; *Habac.* II, 4.

*Si enim esse divinitus est divina generatio*, id est, quum spiritualiter et deiformiter seu meritorie esse, sit et detur ex regeneratione divina, qua in Baptismo seu in proposito ejus renascimur; *nequaquam aliquando quid noverit Deo traditorum, neque quidem operatus sit, qui neque subsistere divinitus habuit :* id est, is « qui » nondum « habuit subsistere divinitus », id est spirituale esse, quod habetur per gratiam gratum facientem, nequaquam aliquid novit eorum quæ a Deo revelata et tradita sunt per fidem, loquendo de agnitione formata : quamvis possit aliquid noscere de revelatis a Deo informi notitia, quemadmodum Balaam ariolus et propheta. Talis etiam nihil meritorium operatus est.

*Num.* XXII-XXIV.

*Aut numquid et nos humanum dicimus?* id est, nos ipsi in rebus humanis et naturalibus non concedimus istud, quod scilicet, id quod non est, aliquid operetur, quia oportet quod actus primus præcedat secundum ; nec potest facere actus humanos, quod non habet esse humanum, quamvis facere possit quosdam actus similes actibus humanis. Hinc subditur : *Subsistere oportet primum, deinde operari secundum nos*, id est, oportet primum esse, deinde operari, quum esse sit causa operationis. Non tamen ipsum esse, semper præcedit operari tempore : quia operationes quædam sunt ita naturales agenti, quod eodem instanti quo res incipit esse, incipit agere, ut videmus in igne et luce. *Quomodo aut** *non exsistentis, neque motum, sed neque subsistentiam habentis, exsistens illud solummodo operantis aut patientis, in quibus esse natum est ?* id est, qualiter agere erit ejus, aut competet ei, quod non exsistit, propter quod nec motum, nec subsistentiam habet? Illud tantum est de numero operantis aut patientis, quod habet esse eorum quorum actiones et passiones sibi attribuuntur.

* alias deest *aut*

*Sed hoc quidem (ut æstimo) apertum*, id est, istud manifestum est, ut puto. Nec in his esset tanta difficultas, nisi stilus esset tam intricatus. *Deinde autem divina divinæ generationis inspiciemus symbola*, id est, nunc consequenter considerabimus « symbola divina », id est sancta sensibilia exterioraque signa, « generationis divinæ », id est Baptismi, in quo multa exterius ostenduntur quæ aliqua spiritualia repræsentant : quorum omnes non sunt capaces. Propter quod subditur :

*Et mihi nullus imperfectus in contemplationem veniat*, id est, nullus adhuc carnalis et grossus accedat ad me ut audiat mystica ista, ne magis obtenebretur et scandalizetur, quam illustretur et ædificetur ex horum auditione. Nam et in Exodo jussum est : Si bestia tetigerit montem, lapidabitur. Quod consequenter probat per simile in naturalibus, puta in visu, deinde per exempla Scripturæ.

*Exod.* XIX, 13 ; *Hebr.* XII, 20.

*Etenim non solares fulgores infirmis* A *pupillis intueri, non periculosum,* id est, « non » est « non periculosum », sed imo periculosum est, « intueri fulgores solares », id est splendiflua lumina solis, « infirmis », id est ægris debilibusque, « pupillis » : quia læduntur, reverberantur et obcæcantur, secundum quod sensus ab excellentia sensibilis læditur, ratione complexionis organi, non visivæ potentiæ. *Neque** his quæ supra nos sunt audere, innocuum,* id est, non est innocuum, sed nocivum et vitiosum, ingerere se audenter et præsumptuose his quæ propriam capacitatem, mensuram, statum seu vocationem excedunt. Unde dixit Apostolus : (*Rom.* xi, 20.) Noli altum sapere, sed time ; et Ecclesiasticus : (*Eccli.* iii, 22.) Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris. *Siquidem vera est juxta legem hierarchia,* id est, Scriptura hierarchica veteris legis verum narrat, *Oziam quidem, quia sacra tractavit, subvertens,* id est, recitans Oziam regem Juda fuisse lepra percussum, quoniam usurpavit sibi sacerdotale officium, incipiens thurificare seu adolere incensum, prout (II *Par.* xxvi, 16-21.) secundo libro Paralipomenon legitur; *Core vero, quia supra se sacris :* id est, ipsum Core scriptura illa refert punitum, imo a terra absorptum, quoniam intromisit se de sacerdotali officio supra gradum et ordinem suum, volens ipsi Aaron coæquari, (*Num.* xvi, 1-33.) ut patet in libro Numerorum ; *Nadab autem et Abiu, quia propriis profane abusi sunt :* id est, scriptura illa etiam refert ipsos Nadab et Abiu, filios Aaron, igne consumptos, quia « abusi sunt profane », id est, sacrilege et perverse usi sunt, « propriis », id est sacerdotali officio ipsis commisso, offerendo ignem alienum coram Domino, ut habetur in Levitico. (*Lev.* x, 1, 2.) Per quæ docemur, quod pereunt qui divinis præsumptuose se ingerunt.

* nec

Præterea ex inductis Thomas motus est dicere, quod gratia gratum faciens realiter differt a caritate, et immediate perficit essentiam animæ : quia videlicet, sicut in naturalibus primo res constituitur in proprio esse per formam, deinde per potentias operatur ; ita rationalis natura primo ponitur in esse supernaturali, gratuito, deiformi, per gratiam gratum facientem, deinceps per caritatem aliasque virtutes meritorie agit.

Amplius de his super quartum Sententiarum et in tertia parte Summæ disseruit, exponendo verba S. Dionysii ac Damasceni. Damascenus equidem quarto asserit libro : Per Baptismum primitias Spiritus Sancti accipimus, et principium vitæ al- B terius, et sic nobis regeneratio est, et sigillum, et custodia, et illuminatio. In hoc quippe sacramento est aliquid quod est sacramentum tantum, puta ablutio ipsa exterior ; et aliquid quod est sacramentum et res, puta character interior, qui est lumen quoddam divinum increatæ nos assimilans Trinitati ; et aliquid quod est res tantum, utputa gratia sacramentalis seu justificatio. Damascenus itaque definit Baptismum, non quoad id quod exterius agitur, quod est sacramentum tantum, sed C quantum ad id quod interius est. Propter quod posuit duo quæ ad characterem pertinent, scilicet sigillum et custodiam, in quantum character, qui et sigillum vocatur, custodit, quantum ex se est, animam baptizati in bono. Duo quoque ponit pertinentia ad rem ultimam sacramenti, videlicet : regenerationem, pertinentem ad hoc quod homo per Baptismum inchoat novam vitam justitiæ ; et illuminationem, quæ specialiter spectat ad fidem, per quam homo spiritualem accipit vitam, juxta il- D lud, Justus ex fide vivit. (*Rom.* i, 17; *Habac.* ii, 4.) Porro Baptismus est quædam protestatio fidei, propter quod dicitur fidei sacramentum. — Simili modo S. Dionysius definivit Baptismum in ordine ad alia sacramenta, dicendo quod est quoddam principium sanctissimorum mandatorum sacræ actionis, ad aliorum divinorum eloquiorum et sacrarum actionum susceptivam opportunitatem formans animales nostros habitus ; et iterum, in ordine ad cœlestem gloriam, quæ est ultimus finis sacramentorum, addendo, Ad

supercœlestis quietis anagogen nostrum iter faciens; et rursus, quantum ad spiritualis vitæ principium, subdens, Sacræ et divinissimæ nostræ regenerationis traditio.

At vero id quod in hoc sacramento est A signum seu sacramentum tantum, cito pertransit, videlicet corporalis illa ablutio. Quod autem est sacramentum et res, indelebiliter manet, puta character. Quod vero est res tantum, amissibiliter manet, utputa gratia.

# ARTICULUS IX

**ELUCIDATIO PARTIS SECUNDÆ CAPITULI HUJUS SECUNDI : DE MYSTERIO AC RITU BAPTISMI, ET PRIMO DE HIS QUÆ FIUNT CIRCA INTRODUCENDUM.**

CONSEQUENTER agitur de mysterio ac ritu Baptismi, juxta morem primitivæ Ecclesiæ, quantum ad præcipuam Baptismi solennitatem, quamvis nec tunc semper ita dabatur.

*Summus quidem sacerdos,* id est episcopus, *assidue ad Deum similitudine**, id est per conformationem sui ad Deum, cujus gerit personam et vices agit, et cui assidue cupit assimilari ordinate secundum exigentiam sui officii, non usurpate et inordinate, sicut qui dixit, Similis ero Altissimo, *omnes homines volens salvos esse,* id est ad Christum converti, *et in agnitionem veritatis venire,* id est cognoscere necessaria ad salutem, imo et cetera quæque utilia, *prædicat omnibus ea quæ vere sunt Evangelia,* id est, cunctis audire cupientibus evangelizat evangelica documenta, et bona atque salubria nuntiat. Unde Timotheo scripsit Apostolus : Prædica verbum, insta opportune, importune. Christus quoque : Prædicate (inquit) Evangelium omni creaturæ.

* *ad Dei similitudinem*

*Is.* XIV, 14. — I *Tim.* II, 4. — II *Tim.* IV, 2. — *Marc.* XVI, 15.

*Deum manifestatum fuisse his qui in* D *terra sunt,* id est, Unigenitum Dei per assumptam humanitatem venisse in mundum et innotuisse hominibus successive, juxta illud Baruch : Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est. Isaias quoque ait : Paravit Dominus brachium sanctum suum in oculis omni- B um gentium, et videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri. Et Zacharias ait : Lauda et lætare, filia Sion, quia ecce ego ipse venio, et habitabo in medio tui ; et applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa. *Ex propria exsistentem,* id est, ex vera sua deitate subsistentem, non ex nostra natura, quæ est sibi ut habitus, juxta illud Apostoli : Habitu inventus est ut homo. Quam tamen in suo esse personali divino et increato suppositavit : non quod illa sit suppositum, alioqui essent C in Christo duo supposita; sed quod in suo esse suppositali eam consistere fecit, illud ei communicans non per inhærentiam, sed assumendo illam ad se, et fulciens ac substantificans ipsam in se.

*Baruch* III, 38. — *Is.* LII, 10. — *Zach.* II, 10, 11. — *Philipp.* II, 7.

*Et naturali bonitate firmiter advenisse,* id est, ipsum Unigenitum ex « naturali » atque ingenita sua « bonitate » ac pietate « advenisse » in carnem per incarnationis mysterium, « firmiter », id est certe ac vere, non illusoria aut phantastica apparitione, ut hostis veritatis impiissimus Manichæus mentitus est. Factus est enim ex semine David secundum carnem, ut Vas electionis fatetur. Et Verbum caro factum est, secundum Joannem. *Ad unitatem suam per humanitatem* digna æstimantem,* id est, gratiose reputantem ea quæ nostra sunt, scilicet corpus et animam, « digna ad unitatem suam », id

*Rom.* I, 3. — *Joann.* I, 14.

* *per humanitatis dignitatem*

est, ad piam unionem cum ipso, non ex A meritis nostris, sed « per humanitatem », id est per Christi incarnationem, seu per divinam benignitatem, juxta illud ad Ti- (Tit. III, 4.5.) tum : Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei, non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit. Imo, in incarnatione Verbi æterni, apparuit infinita bonitas, pietas, caritas, liberalitas (Philipp. II, 7.) Dei, qui exinanivit semetipsum, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus.

*Et ad se unitati instar ignis assimilando sibi unita secundum ipsum propositum coaptantem.* Hoc est : Deum incarnatum « coaptantem », id est, proportionantem et aptificantem, suoque modo dignificantem, « ad se », id est ad unionem cum ipso humana assimilando, « unita sibi », id est naturam humanam, videlicet corpus et animam hypostatice sibi conjunctam, « unitati » increatæ, simplificando eam in illa, et immobiliter stabiliendo eam in (Luc. x, 42.) ipsa, ita quod ab illo uno quod solum necessarium est, nunquam deflexit; supposita quoque humana electa, sibi per caritatem conjuncta, assimilavit unitati divinæ per reductionem et conversionem ipsorum ad illam, atque per adhæsionem illorum cum ipsa : et hoc, « instar ignis », qui applicata ad se, calefacit et ad suam trahit naturam : ita et Deus sibi conjunctos deificat et accendit. Non tamen consumit nisi nociva, juxta quod scriptum (Hebr. XII, 29; Deut. IV, 24.) est : Etenim Deus noster ignis consumens est. Qui et in Evangelio contestatur : Ignem (Luc. XII, 49.) veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut accendatur? Denique totum hoc egit « secundum ipsum propositum » suum, id est non casu aut improvise, nec naturali necessitate, sed juxta suæ liberrimæ voluntatis complacitum et decretum, juxta (Ephes. I, 5.) illud ad Ephesios : Deus prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum, secundum propositum vo- (Ibid. 11.) luntatis suæ; itemque, Prædestinati sumus secundum propositum Dei, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ. Qui ait per Isaiam : Consilium meum sta- (Is. XLVI, 10.) bit, et omnis voluntas mea fiet.

Consequenter hæc probat auctoritate. *Quotquot enim receperunt eum* per fidem, (Joann. I, 12, 13.) *dedit eis potestatem filios Dei fieri :* quia per fidem possunt proficere, et si fecerint quod in ipsis est, caritatem et adoptivam Dei filiationem consequentur. Unde dicitur ad Romanos : Non accepistis spiritum ser- (Rom. VIII, 15.) vitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum; et rursus, Quos (Ibid. 29.) B præscivit, et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui. *Credentibus* in nomine* (* His qui credunt) *ejus.* Qui enim non credit, jam judicatus (Joann. III, 18.) est, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei. *Qui non ex sanguinibus,* id est ex seminum commixtione, *neque ex voluntate carnis,* id est inclinatione seu libidine sensualitatis, *neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt,* id est spiritualiter regenerati, et quantum ad esse spirituale gratuitum, ex ipso producti : imo per prædestinationem æternam ex C ipso exorti, quoad electos. De qua nativitate multa scribit Joannes beatissimus in prima sua Canonica : Nos, inquiens, ex (I Joann. IV, 6.) Deo sumus. Et denuo : Qui natus est ex (Ibid. V, 18.) Deo, non peccat, sed generatio Dei conservat illum. Nihilo minus constat, quod quantum ad esse naturale humanum, ex complexu et copula maris et feminæ nati sint, non sine concupiscentia delectatione que carnis. Attamen actus conjugalis, per tria bona matrimonii, quæ sunt fides, sacramentum, et proles, honestatur : et D potest esse actus justitiæ, in quantum est redditio debiti; actus etiam latriæ, dum fit desiderio prolis ad Dei obsequium educandæ. — Amplius, ex hac allegatione elicitur, quod S. Dionysius scripsit hæc postquam B. Joannes evangelium suum descripsit : quod fuit post reditum suum ad Ephesum ab insula Patmos, in qua annis pluribus prædicavit, prout in originali ejus continetur legenda.

*Qui autem horum diligit vere supermundialium divinam participationem,* id

est, baptizandus cupiens « participationem » charismatum et beneficiorum « horum vere supermundialium », id est supernaturalium ac divinorum, videlicet regenerationis in Christo, et bonorum con- *quemdam sequentium eam, *veniens ad aliquem* * *eruditorum*, id est, accedens aliquem adstantium bene eruditum in evangelica lege, *suadet se duci ab eo ad summum sacerdotem*, id est, rogat illum eruditum ut ducat se ad episcopum baptizantem, *via*, id est apto et consueto itinere. Unde perpenditur quod hic mentio sit de ritu Baptismi celeberrimo, quod ab ipsis dabatur episcopis. Petebat autem duci ad præsulem, quasi nondum spiritualiter robustus ad gressum salutis; in testimonium quoque et certificationem, quod ex animo peteret baptizari ; atque ut vir ille de cetero specialem haberet respectum ad baptizatum, tanquam spiritualis pater ipsius. In susceptione namque Baptismi, spirituale esse suscipitur, et infunduntur virtutes ad bene agendum ac procedendum in salutis itinere.

*Ipse autem universaliter subsecuturum esse promittit tradituros*, id est, baptizandus promittit se imitaturum « universaliter », id est in omnibus ad suam vocationem spectantibus, « tradituros », id est, eos qui sibi sacrum Baptisma ac præcepta vitæ ac fidei dabunt. Unde subjungitur : *et digne accessionis ejus et simul omnis in id quod deinceps est vitæ, cognitionem recipere :* hoc est, promittit se suscepturum ac disciturum « cognitionem », id est veram notitiam, accessus ad fontem Baptismi, videlicet quid sit, cur fiat, et quæ sit efficacia ejus ; cognitionem quoque totius vitæ ad quam deinceps tenebitur. Quod non est intelligendum de informi et nuda cognitione, sed de cognitione formata, et practica approbativaque boni. De qua scriptum est in prima Joannis episto- I *Joann.* II, 4. la : Qui dicit se nosse Deum, et mandata ejus non custodit, mendax est. Et in Mar- *Marc.* XVI, 16. co dicitur : Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit. Baptizatus quippe, in

A Baptismo abrenuntiat diabolo et omnibus pompis ejus.

*Eum quidem illius salutem sacre contendunt* *, id est, adstantes « contendunt *amantem sacre », id est, instanter et quasi importune ex caritate rogant, et quasi impellunt per modum contendentium, « eum » quem baptizandus rogavit ut se ad episcopum duceret, « salutem illius », id est, ut cooperetur saluti baptizandi, ducendo eum ad præsulem. *At vero rei altitudinem contramensurantem humanum, horror qui-* B *dam* * *subito et impossibilitas circumstant :* * quidem id est, timor quidam et « impossibilitas », id est consideratio difficultatis, quæ causat illum timorem, « circumstant », id est invadunt, « mensurantem altitudinem rei », id est virum illum rogatum adducere baptizandum ad episcopum, virum, inquam, mensurantem, id est ponderantem, altitudinem rei, id est difficultatem et arduitatem negotii hujus, quod est fieri christianum, et baptizari, atque promittere observantiam pertinentium ad baptizatum, C « contra humanum », id est, per comparationem ad imbecillitatem virium humanarum ejus qui cupit et postulat baptizari, cujus vires excedit negotium tantum, nisi desuper multum juvetur : propter quod et ei videtur imminere periculum, quod accipit curam illius.

*Obedientibus tamen eis*, id est, episcopo et baptizando adhærentibus Deo per hoc quod constanter volunt Baptismum impendi uni eorum, puta præfato qui appetit baptizari, *perficit quod petitum est*, id D est, implet quod baptizandus rogavit, *et deiformiter confessus est*, id est, quod baptizandus promisit divine, cooperando ipsi baptizando ad talium impletionem. *Et qui accipit eum*, id est, vir ille rogatus accipiens baptizandum, *ducit eum ad ab hierarchia* * *cognominatum*, id est ad hie- * *ducit ad hierarcham* rarcham seu præsulem, qui ab hierarchia vocatur hierarcha, quemadmodum ab Ecclesia dicitur quis ecclesiasticus.

*Ipse vero cum lætitia tanquam in humeris ovem recipiens ambobus viris, ut*

*diximus,* id est, episcopus ab illis duobus, A utputa baptizando et ejus ductore, unum suscipiens, videlicet baptizandum, tanquam ovem quæ perdita fuit per infidelitatem, et modo inventa est. Propter quod accipit eum cum gaudio, sicut pastor in
Luc. xv. 4. 5. Evangelio dicitur ovem perditam gaudens imposuisse scapulis suis, ac reportasse ad suum ovile.

*Primum quidem laudat per intellectuales eucharistias et corporalem adorationem, unum benignum principium :* id est, in primis « laudat » Creatorem naturaliter B pium, « per eucharistias intellectuales », id est devotas et præcordiales gratiarum actiones, omne bonum omnemque gratiam Deo gratanter adscribens, qui et istum gratiose tetigit et reduxit ; deinde per corporales latriæ gestus, ut sunt genuflexio, pectoris tunsio, manuum elevatio, totius corporis in terram prostratio, Deum honorat et gratias agit. *Ex quo vocata vocantur, et salvata salvantur,* id est, a quo piissimo Deo per interiorem inspirationem vocantur, qui salubriter vocantur, tra- C huntur et perducuntur ad gratiam. Cujus etiam pietate et gratia salvantur omnes qui consequuntur salutem. De quo scri-
Rom. viii, 30. ptum est : Quos prædestinavit, hos et vocavit ; quos autem vocavit, hos et justi-
Is. xlv. 21. ficavit. Qui apud Isaiam effatur : Deus justus et salvans non est præter me ; apud
Osee xiii, 4. Osee quoque, Ego Dominus Deus tuus, et salvator non est præter me. Ideo Christus
Joann. vi. 44. disseruit : Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum. Infructuosa est ergo exterior exhortatio, prædicatio vel D correptio, nisi intus operetur Spiritus. Nam
Gen. iv. 6 8. Cain fuit a Domino increpatus ; non tamen fuit compunctus, quia non fuit interius unctus. Propterea dixit Apostolus :
Rom. ix. 16. Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. Hinc et Jeremias fate-
Jer. x, 23. tur : Scio, Domine, quia non est hominis via ejus, nec viri est ut ambulet et dirigat gressus suos. Nihilo minus, ut Salomon
Prov. xvi. 9. fassus est, hominis est animum præparare : quamvis ad hoc quoque quædam præveniens gratisque data gratia requiratur. Attamen, si fecerit homo quod in se est, Deus non deseret eum.

*Deinde omnem sacram dispositionem, in cooperatione quidem et confestivitate salutis viri, in eucharistia quoque divinæ bonitatis, in sacrum chorum congregans :* id est, post prædicta episcopus « congregans » et convocans « in chorum omnem sacram dispositionem », id est totum chorum cleri ; vel, universos fideles adstantes vocans in chorum, ita quod convenientes faciunt chorum et ordinem ; « in cooperatione quidem », id est, ad hoc quod secum laudent Deum, et celebrent ejus præconia, in « confestivitate salutis viri », id est congratulando celebriter baptizato de omni gratia ei concessa : ideo subditur, « in eucharistia quoque divinæ bonitatis », id est in bona gratia illi data a Deo : juxta illud Apostoli, Gratias agen- Coloss. iii. 17.
tes Deo Patri per ipsum ; et rursus, Gratias (inquit) Deo super inenarrabili dono II Cor. ix. 15.
ejus. *In principio quidem quemdam Eloquiis incumbentem cum omnibus ecclesiæ plenitudinibus hymnum psallit :* id est, episcopus primo decantat « quemdam hymnum », id est quoddam canticum spirituale, jucundum et regratiatorium, « incumbentem Eloquiis », id est, innitentem sacræ Scripturæ, et consonum ei, et sumptum aut factum ex ea, « cum plenitudinibus omnibus ecclesiæ », id est una cum omni turba credentium ibi præsente.

*Et post hoc* divinam salutans mensam,* * hæc
id est, sacrum altare deosculans, vel spiritualem Dei refectionem commendans, *ad virum advenientem accedit,* id est ad baptizandum, *et interrogat eum, quid volens venit,* id est, quid cupiendo accessit, ut sic probet ejus constantiam, et ad humillima responsa ipsum inducat, juxta formam tunc præfixam a patribus sanctis.

*Eo vero religiose accusante, juxta anadochi informationem*,* id est, prout ad- * traditionem
ductor suus ipsum instruxit : qui fuit ejus patrinus, et tunc vocabatur anadochus, ab ἀνά, id est sursum, et ducens, quia ad

superna eum erexit. Juxta cujus informa- A tionem accusavit in primis suam *incredulitatem*, id est priorem perfidiam, et quod in illa tempus suum infructuose expendit, imo et vitiose, quia teste Apostolo, Rom. XIV, 23. Quod non est ex fide, peccatum est. Et certe, quod fit intuitu finis quem perfidus error præstituit, est iniquum, quamvis non esset malum in se. *Ignorantiam veri boni,* potissime Dei et veræ felicitatis; *a divina vita desidiam,* id est acediam retrahentem « a vita divina », et quod tam tardus fuit ad fidem, quæ est exordium B vitæ meritoriæ ac salubris. *Dignante quoque* * *per sacram suam medietatem Deo divina* * *consequi :* id est, hoc etiam respondet, et orat « consequi divina », id est sacramentum Baptismi et dona gratiæ ei annexa, « Deo dignante », id est, dignanter et misericorditer secum agente, « per sacram suam medietatem », id est per sanctam intermediationem episcopi, puta per ejus orationes et per sacerdotale officium benedictionemque ejus. Etenim sacerdotes, prælati, præsertim episcopi, sunt C inter Deum et homines mediatores. Unde in Deuteronomio Moyses filiis Israel lo- Deut. v, 5. quens : Ego, ait, sequester et medius fui inter Deum et vos. *Testatur quidem ipsi profuturam universalem fore propitiationem,* id est, episcopus baptizans, aut etiam alius minister Ecclesiæ, affirmat baptizando adfuturam ac dandam « propitiationem universalem », id est generalem et plenam culparum suarum remissionem, virtute dominicæ passionis, dummodo sincere accedat. In ipsis tamen adultis re- D quiritur contritio, vel saltem attritio, et præcedere debet confessio, si opportunitas adsit, et ad minus confitendi propositum seu affectus. *Tanquam perfectissimo et immaculato Deo :* id est, tanquam Deo, qui istud promisit, exsistente infinite perfecto, ideo non fallit neque mentitur; et essentialiter puro, ideo omnem maculam culpæ aufert ab eo qui regeneratur in ipso.

* dignanteque * Deum et divina

*Et divinam ei conversationem introducens,* id est, episcopus baptizato committens ut de cetero christiformiter conversetur. Qui enim baptizatur, secundum Galat. III, 27. Apostolum, induit Christum. Et juxta Joannem, qui dicit se in Christo manere, I Joann. II, 6. debet sicut ille ambulavit, et ipse ambulare. *Et interrogans si sic conversaturus est,* id est, episcopus quærens de baptizando, an habeat firmum propositum taliter conversandi, *post confessionem,* id est post responsionem qua ait quod imo per gratiam Dei, imo et hoc promisit, *imponit ejus capiti manum,* in signum reconciliationis ejus cum Deo, cui et ipsum assignat tanquam ministrum et filium adoptivum, et cupiens gratiam Dei augeri ac manere in ipso. Quod fiebat cum hac magna cautela et circumspectione, quia ad Timotheum scripsit Apostolus : Manus nemini cito imposueris. I Tim. v, 22. *Et signans,* id est, signo crucis benedicens baptizandum, *describi imperat sacerdotibus virum et anadochum,* id est, presbyteris præsentibus jubet ut baptizandum et ejus anadochum scribant, ne quis non descriptus, ficte se ingerat.

# ARTICULUS X

### DE HIS QUÆ FIUNT CIRCA BAPTIZANDUM POSTQUAM INTRODUCTUS EST.

*IPSIS autem describentibus virum* et ejus patrinum, *orationem sacram facit,* id est, episcopus orat pro illo. *Et hanc omni sic complente ecclesia* *, id est, cunctis ministris Ecclesiæ ibi præsentibus orationem episcopi continuantibus,

* ecclesia faciente

aut certe terminantibus, dicendo, Amen, aut aliquid tale, juxta illud secundi Ma- II *Mach.* I, 23. chabæorum, Orationem faciebant sacerdotes, Jonatha inchoante, ceteris autem respondentibus : *subintroducit quidem eum,* id est, magis applicat baptizandum ad se, *et exuit per ministros,* vestes ipsius exuendo, juxta ritum illius temporis, in toto aut parte, per diaconos aliosve ministros.

*Deinde statuens in occiduis,* id est, episcopus collocans baptizandum versus plagam et partem occidentalem, *intentum,* id est diligenter advertentem quæ ibi fiebant, et Deo ferventer vacantem, *et manus erigentem ad ipsam conversas regionem,* id est habentem suas manus extentas versus occidentem : quæ extentio manuum ex spirituali fervore disponit ad mentis elevationem ad Deum, estque sacrificium quoddam. De qua extentione frequenter *Ps.* LXXXVII, 10. est locutus Psalmista : Expandi, inquiens, *Ps.* CXL, 2. manus meas ad te ; et, Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum. Hinc in prima epistola ad Timotheum scribit Apo- I *Tim.* II, 8. stolus : Volo viros orare in omni loco, levantes puras manus, sine ira et disceptatione. *Threne.* III, 41. Et Jeremias : Levemus, ait, corda nostra cum manibus ad Deum in cœlos. *Exsufflare quidem ipsi ter jubetur Satanam,* id est, episcopus præcipit baptizato ut in detestationem diaboli et operum ejus, ter exsufflet in eum, et in recognitionem ac dolorem quod superbeatissimam Trinitatem offendit, atque corde, ore et opere sit transgressus ; *et adhuc quæ sunt abrenuntiationis confiteri,* id est proferre verba sanctæ abrenuntiationis, dicendo : Abrenuntio tibi, Satana, et omnibus pompis tuis.

*Et ter ei abrenuntiationem contestans,* id est, episcopus baptizato tribus vicibus injungens talem abrenuntiationem, vel injungens ut vicibus tribus abrenuntiet, ut repetitio sit facti confirmatio, et tenaciorem ac recentiorem inducat memoriam abrenuntiationis hujusmodi, *confitentem ter hoc transducit ad se,* id est, baptiza- A tum ter ita abrenuntiantem et confitentem, ac protestantem quod hoc faciat, applicat sic. *Et ad cœlum respicientem, et manus extendentem,* ita quod per corporalem respectum ad cœlum, vere designat se Deo cœlorum intendere, et ei velle uniri ac complacere, juxta illud in Tobia : Ad te, Domine, faciem meam converto, ad *Tob.* III, 14. te oculos meos erigo. Quod et Christus in Evangelio frequenter fecisse narratur : non quod per exteriorem cœlorum intuitum mens ejus juvabatur ad Deitatis re- B spectum, sed ut nobis præberet exemplum, ut sciamus quo nostram intentionem figere debeamus. Hinc et cæcum illuminaturus, suspiciens in cœlum, ingemuit. *Marc.* VII, 34. *Jubet coordinari Christo,* id est illum sic facientem, censeri veraciter christianum, *et omnibus a Deo traditis sacris Eloquiis,* id est mancipandum divinis Scripturis a Deo collatis, ut ipse baptizatus secundum illas jam ordinate se habeat.

*Eo autem* *, videlicet baptizato, *et hoc* * *vero* *faciente, testatur iterum ei ter confessio-* C *nem,* id est, episcopus rursus injungit baptizato ter confiteri ea quæ fidei sunt, vel observaturum se quæ promisit, et quæ injuncta sunt ei. *Et iterum ipso ter confitente,* id est, baptizato exsequente quod præsul ei injunxit, *orans benedicit,* id est, episcopus orans pro illo, benedicit eumdem, *et manus* * *imponit,* sicut ex- * *manum* ponit Commentator, ut gratia Dei confirmetur in illo.

*Et ad summum exuentibus eum ministris,* id est totaliter, quantum decuit ; vel, D « ad summum », id est ultimum ; *afferunt quidem sacerdotes unctionis sacrum oleum,* cujus usus est in Baptismo. Sunt enim et oleum Unctionis extremæ, et oleum Confirmationis, distincta ab oleo isto. *Ipse autem unctionem per signationem ter incipiens,* id est, episcopus inchoans ungere baptizandum, faciendo in determinata parte corporis ejus, ut infra dicetur, tria crucis signacula cum tribus linitionibus olei, *ceterum sacerdotibus virum ungendum* * *omni corpore tradens,* id est, * *ungere*

residuam partem corporis viri baptizandi A « tradens sacerdotibus » ad « ungendum omni corpore », id est per omnia corporis membra in quibus fieri decet, excepta corporis parte ab episcopo uncta, *ipse ad matrem filiolitatis venit,* id est ad fontem seu aquam Baptismi, in qua regeneratio agitur, et cognatio spiritualis contrahitur ac filiatio adoptiva. Propter quod aliæ duæ translationes habent, Ad matrem adoptionis ; quarta vero, Ad matrem filiorum. Itaque, sicut in Ecclesiastico terra nomi-
Eccli. XL, 1. natur mater omnium hominum, quantum B ad materialem productionem ; sic aqua Baptismi mater appellatur Christianorum, quoad spiritualem regenerationem. — Circa hæc scribit Albertus : Episcopus incipit ungere baptizandum, ut ostendatur tota virtus sacramenti Baptismi descendere ab ipso in subditos. Quibus verbis objici potest, quia ut super quartum Magister et doctores concorditer adstruunt, sacramenta evangelicæ legis virtutem a Christo et ejus passione sortita sunt, non a ministris Ecclesiæ. Non ergo ab episco- C po, nisi forsitan ministerialiter.

*Et tunc aquam sacris invocationibus sanctificans,* id est, ad faciendum aliqua sacra coaptans, applicans, benedicens, aut exorcizans, *et tribus sanctissimi chrismatis cruciformibus effusionibus perficiens illam,* id est, aquam illam habilitans ad faciendum instrumentaliter perfectionem in baptizando, ter fundendo in illam sacrum chrisma in figuram crucis, ita quod quælibet earum effusionum fiebat cum crucis signaculo, *et chrismatis sacratis-* D
* sanctissimis] *simis* immissionibus æquali numero,* id est cum trina instillatione chrismatis, sicut fuit triplex effusio chrismatis, *sacram**
* sacrum *Deo acceptabilium Prophetarum inspirationis melodiam* consonans,* id est, de-
* melodema cantare incipiens « melodiam sacram » sumptam ex libris « Prophetarum », hoc est lectionem propheticam aut psalmodiam ad propositum pertinentem, ex divina inspiratione conceptam et infusam sanctis Prophetis, qui Deo acceptabiles fuerant et accepti. Unde in secunda Petri epistola habetur : Non voluntate humana allata II Petr. I, 21. est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines. *Jubet virum afferri,* id est, præsul præcipit baptizandum adduci.

*Et quodam sacerdote ex descriptione ipsius anadochum* prædicante,* id est, * ipsum et anadochum « sacerdote prædicante », id est, sonora voce legente, « ex descriptione », id est charta in qua nomina baptizandorum et eorum anadochorum erant conscripta, « anadochum », id est nomen anadochi ; *ipse quidem,* utpote baptizandus, *a sacerdotibus ad aquam ducitur,* in qua scilicet baptizabitur, *ad summi sacerdotis manum,* id est ad episcopum, *et ad eum manuductus,* supple, figit gradum. *Ipse summus sacerdos desuper stans,* id est in loco et auctoritate eminenti, ut videatur et audiatur ab aliis, et locus sit correspondens locato, *reclamantibus iterum ad summum sacerdotem juxta aquam nomen perficiendi sacerdotibus,* id est, adstantibus presbyteris rursus alte clamantibus nomen baptizandi ad præsulem, *ter quidem ipsum summus sacerdos baptizat,* id est, ter aquis intingit, lavat et irrigat totum. Tamen est unus integerque Baptismus, quamvis sint plures, utpote tres, lotiones seu intinctiones particulares. De quibus subjungitur : *tribus perficiendi demersionibus et emersionibus,* quibus ipse perficiendus seu baptizandus perfunditur vel intingitur aqua et discooperitur eisdem, ad laudem et gloriam supersanctissimæ Trinitatis, de cujus invocatione mox additur : *trinam divinæ beatitudinis invocans substantiam,* id est, Deum trinum in personis, imo superdignissimam Trinitatem sub distincta expressione supersublimium Personarum, in quarum qualibet est beatitudo prorsus immensa, atque in tribus simul una beatitudo æterna, coæqualis, ac numero una, sicut et una indivisa essentia.

*Accipientes autem eum,* videlicet baptizatum, *sacerdotes,* de manu episcopi,

*porrigunt accessionis et anadocho et duci,* id est, assignant eum patrino, a quo fuit ad Baptismum primo perductus; *et cum ipso,* scilicet anadocho, *accipientes vestimenta perficiendorum,* id est baptizandorum, quæ (ut legitur) linea erant et alba, interiori gratiæ, nitori, puritati, ac innocentiæ baptizati correspondentia, *adunatum,* id est fidelibus incorporatum, *ad summum sacerdotem iterum reducunt.*

*Ipse vero deificantissimo unguento virum signans,* id est, episcopus baptizatum confestim consignans sacro chrismate Confirmationis, quoniam adulti baptizati mox confirmantur : quod unguentum appellatur deificantissimum, quia per ipsum, tanquam per instrumentum sanctificativum et cooperativum, baptizatus valde deificatur, ultra gratiam in Baptismo collatam, gratiam ampliorem suscipiens, per quam spiritualiter fit robustus, ut sit pugil ac miles Christi, ad pugnandum in campo et spatio sæculi hujus contra adversarios divini honoris ac suæ salutis. *Participem manifestat de cetero sacræ perfectissimæ Eucharistiæ,* id est, declarat quod ille baptizatus et confirmatus jam idoneus sit effectus sumere Eucharistiæ sacramentum, quod in se formaliter præ ceteris sacramentis perfectum ac sacratum est, quum Christum Deum et hominem vere substantialiterque contineat, perfectissimum quoque est in suis effectibus.

*Hæc autem perficiens,* id est, episcopus ista complens, *ab ipsa in sequentia processione, iterum ad primorum extenditur contemplationem :* id est, illis completis, extendit et exercet se denuo in contemplatione, id est in consideratione et occupatione spiritualium actuum, speculando, orando, celebrando, « ab ipsa processione », id est redeundo ab exterioribus occupationibus circa baptizatum, in quas

A processit : redeundo, inquam, « in sequentia », id est in actus consequenter complendos interiores divinos. Sic quippe prælati, præsertim episcopi, debent in secreto vacare Deo, ut tamen tempore opportuno procedant ad actus pastorales circa sibi commissos : quibus expletis, redire protinus debent ad Deum. In cujus signum Christus passione instante tribus vicibus *Marc.* XIV. 35-41. orans, post quamlibet orationem rediit ad suos discipulos, increpans, instruens, et admonens eos. *Quasi per nullum tempus* B *aut modum, in alieno quodam præter propria conversaturus,* id est, tanquam nullo tempore, nullo modo, nulla occasione aut occupatione occupaturus se in rebus impertinentibus suo officio, sed solum in divinis et spiritualibus, ac congruentibus suo officio. Ideo subditur : *sed a divinis in divina attendens,* id est, ab uno actu spirituali divino ad alium attente et considerate progrediens cum profectu assiduo, juxta illud, Ibunt de virtute in virtutem ; *Ps.* LXXXIII, 8. *et semper divino Spiritu transordinan-* C *dus,* id est a Spiritu Sancto in omnibus dirigendus, ut in cunctis ordinate ac fructuose procedat. Hinc Timotheo episcopo, imo per illum cunctis episcopis, scripsit Apostolus : Labora sicut bonus miles Christi; nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus; sollicite cura te ipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem, recte tractantem verbum veritatis. II *Tim.* II. 3, 4, 15.

Prælatus ergo, potissime pontifex, nunquam otio vacet, non jocis aut risibus, nec D indignis carnalibusque solatiis; sed quo pluribus præsidet, et quo pro pluribus reddí turus est rationem, eo semper sollicitior, operosior, timoratiorque consistens, nullum temporis momentum expendat infructuose, præ cunctis æstuans caritate, fervens devotione, et animarum intentus custodiæ cum sollicitudine summa.

# ARTICULUS XI

THEORIA, SEU RATIO CONTEMPLATIVA AC MYSTICA PRÆDICTORUM : ET PRIMO DE CONVENIENTIA RITUS PRÆDICTI.

CONSEQUENTER sanctus hic doctor exponit sensibilia signa et facta quæ in Baptismo forinsecus apparent et exhibentur, declarans quid illa designent.

*Hæc quidem est, quantum in symbolis, sacræ hostiæ divina generatio.* Id est : Præhabita regeneratio spiritualis in Baptismo, regeneratio, inquam, « hostiæ sacræ », id est hominis baptizati, qui per Baptismum moritur mundo, commoritur consepeliturque Christo, atque cum ipso resurgit spiritualiter conversando, juxta illud ad Romanos : Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus; consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus. « Hæc » ergo « est divina » regeneratio, « quantum in symbolis », id est, secundum quod describi habet, et quantum spectat ad sensibilia signa et opera quæ fiunt in ipsis, *nihil* indecorum aut immundum ex sensibilibus habens characteribus :* id est, regeneratio ista Baptismatis non habet admixtam turpitudinem aut immunditiam aliquam, « ex sensibilibus characteribus », id est visibilibus illis signis et figuris lotioni admixtis, sicut in sacris deorum multæ erant turpitudines et fœditates admixtæ, in sacrificiis quoque legalibus, ex excoriatione et combustione corporum oblatorum et combustorum : unde et qui talia offerebant aut exercebant, erant immundi usque ad vesperam, ut in Levitico legitur. *Sed Deo dignæ contemplationis ænigmata,* id est, sunt in Baptismo quædam repræsentationes obscuræ, ut prætactæ exsufflationes, seu mersiones in aqua, quæ sunt « ænigmata contemplationis dignæ Deo », id est includentia et requirentia speculationem et expositionem spiritualem, quæ condecet Deum : et hoc, *naturalibus et humanissimis speculis imaginata,* id est ex signis et symbolis sensibilibus connaturalibus homini, quibus et assuetus est.

Rom. vi, 3, 4.

* nil

Lev. xvi, passim.

A

*Cur enim apparuerit refellens et diviniorem rationem perficiendorum silentem, persuaserit contemplativa advenientis fiduciam comparans sacre, et omnis simul malitiæ per eximiam et divinam vitam purgatione per aquam naturali corporaliter ipsi denuntians ?* Id est : Ipse baptizans « denuntians ipsi », utputa baptizato, « comparans sacre », id est, devotionaliter procurans, « fiduciam advenientis », id est confidentiam et spem ipsius adhuc baptizandi venientis ad Baptismum, « purgatione per aquam naturali », id est corporali lotione et emundatione quæ fit per aquam, « corporaliter » etiam designari purgationem « simul omnis malitiæ », id est totius suæ iniquitatis, « per vitam eximiam et divinam », id est merito conversationis Christi in hoc sæculo summæ atque mundissimæ, qui suæ sanctissimæ carnis tactu vim regenerativam contulit aquis ; vel, per vitam eximiam et sanctam baptizati post suum Baptismum, per quam permanere poterit in gratia in Baptismo suscepta, merito conversationis passionisque Christi : « cur », inquam, si ita « persuaserit » baptizato, aut etiam aliis, « apparuerit », id est, debeat apparere, « refellens », id est reprobans, « et silentem », id est eum qui

B C D

tacet, « rationem diviniorem », id est spiritualiorem causam, « perficiendorum », id est baptizandorum, cur scilicet baptizentur in aqua magis quam in alia materia ? quoniam aqua corporaliter melius et communius lavat, sicque per eam aptius significari et instrumentaliter fieri potest interior lotio sive purgatio, quamvis non essent causæ ad hoc diviniores. Idcirco subjungitur :

*Hæc ergo etsi nihil quidem divinius haberet perficiendorum symbolica traditio,* id est, quamvis « traditio perficiendo- B rum symbolica », id est doctrina tradita de perficiendis seu baptizandis, quod scilicet in aqua sunt baptizandi, quæ doctrina per sensibilia signa collata, quamvis non haberet causam diviniorem quam dictum est, *non immunda esset, ut æstimo,* id est, scio per fidem et convenientiam et proportionem significationis prætactæ, imo et connaturalis exsistit ; *doctrinam quidem rectæ vitæ introducens,* id est, designans ac proponens documentum juste vivendi, dum per corporalem lotionem in C aqua, instruimur de cetero præcavere ab omni immunditia culpæ, imo et si recidivaverimus, purgare nos lacrimis pœnitentiæ et aqua sapientiæ salutaris ; *perfectamque in malitia conversationis purgationem, universaliter corpore naturaliter purgato per aquam, insinuans :* id est, doctrina ista « insinuans », id est designans, « purgationem perfectam in malitia conversationis », id est ab omni malo culpæ vitæ præteritæ, « corpore universaliter » ac « naturaliter per aquam » Baptismi « pur- D gato », id est loto et emundato per intinctionem in aqua ter repetitam.

*Sed sit quidem hic imperfectis introductivus animarum modus :* id est, « modus » iste assignandi causam cur in aqua detur Baptismus, qui modus est « animarum » nondum spiritualium « introductivus », id est informativus et perductivus ad spiritualiora, « sit » pro nunc datus atque sufficiens « imperfectis » nondum capacibus mysticorum ; *hierarchica* * *et uniformia,*

* *et hierarchica*

A *quantum fas, a multitudine distinguens,* id est, separans et occultans documenta spiritualia et mystica, quæ sunt « hierarchica et uniformia », id est ecclesiastica, simplicia ac stabilia, non humanis institutionibus novis et voluntariis subdita, in jure divino aut naturali fundata, « a multitudine », id est a vulgo indocto, quantum possibile aut congruum est ; *et commoderans immundis ordinibus compactam conversationem,* id est, solidam et spiritualem vitam perfectorum contemperans ac proportionabiliter coaptans « ordinibus immundis », id est generibus hominum imperfectorum, ut scilicet perfectiores imperfectioribus condescendant, et eos paulatim ad perfectiora alliciant, ut sic pariter coalescant, sicut ad Romanos ait Apostolus : Debemus nos firmiores, imbecillitates in- *Rom.* XV, 1.
firmorum portare, et non nobis placere. Sic quippe, ut in Actibus legitur, Apostoli qui erant Jerosolymis, scripserunt Ecclesiæ Antiochenæ ex Judæis gentilibusque conversis collectæ : Visum est Spiritui San- *Act.* XV, 28, 29.
cto et nobis, nihil ultra vobis oneris imponere, quam ut abstineatis ab immolatis simulacrorum, et sanguine, et suffocato, et fornicatione, etc. Hinc item ad Galatas docetur : Fratres, et si præoccupatus *Galat.* VI, 1, 2.
fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne et tu tenteris ; alter alterius onera portate.

*Nos autem ascensionibus sacris in perfectorum principia respicientes.* Alia littera habet : Ad perfectorum principia. Est itaque sensus : « Nos » qui sumus aliorum magistri et prælati, « respicientes » ad « principia perfectorum », id est ad virtutes et dogmata spiritualium et heroicorum virorum. *Et ea divinitus eruditi, cognoscemus quorum sunt characterum effigies,* id est, nos desuper illustrati sciemus, aliosque docebimus, « quorum characterum » et formarum ac spiritualium luminum ipsa sensibilia signa sint « effigies », id est similitudines repræsentativæ,

*et quorum invisibilium sunt imagines,* id est, quorum immaterialium bonorum ipsa symbola exsistant imagines.

*Sunt enim, ut in ea quæ est de invisibilibus et sensibilibus actione aperte disputatum est, quædam quidem sensibiliter sacræ invisibilium imaginationes, et in ea manuductio et via :* id est, sensibilia signa « sunt quidem », id est certe, « quædam imaginationes », id est sensibiles repræsentationes, « sacræ », id est sanctæ, quantum ad significationem, ut « sensibiliter », id est experimentaliter, « invisibilium », id est gratiarum divinarum ac supercœlestium, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit (*Is.* LXIV, 4; I *Cor.* II, 9) : sicut lotio corporalis exterior, signum est interioris purificationis ac cœlestis munditiæ. Unde per Ezechielem Dominus dixit (*Ezech.* XXXVI, 25) : Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris. Sunt quoque « in ea manuductio et via » : A invisibilia enim Dei per ea quæ facta sunt intellecta, conspiciuntur (*Rom.* I, 20). Quemadmodum dictum est « in actione ea », id est in libro quem feci, « de invisibilibus et sensibilibus ». Qui liber etiam in præcedenti volumine memoratur, nec apud nos invenitur (*Cf.* p. 358A.). *Invisibilia vero, eorum quæ circa* * (* secundum) *sensum hierarchicorum, et principium et scientia :* id est, æterna et incomprehensibilis sapientia et providentia atque benignitas Dei, est causa exemplaris, fontalis et effectiva « hierarchicorum », id est B actionum hierarchialium sensibiliumque signorum et sacramentorum, « quæ circa sensum », aut secundum nos, id est quæ in ecclesiastica hierarchia consistunt, ut dictum est supra, tam in isto quam in libro præhabito; [est etiam] « et scientia », id est causa totius scientiæ nostræ mediata ac immediata. Propter quod dicitur primo libro Regum, quia Deus scientiarum Dominus est (I *Reg.* II, 3).

# ARTICULUS XII

### DE SENSIBILIBUS SIGNIS CIRCA INTRODUCTIONEM BAPTIZANDI CONTINGENTIBUS : ET PRIMO DE SIGNIFICATIONE PRÆDICATIONIS EPISCOPI.

CONSEQUENTER exponuntur sensibilia signa quæ circa introducendum ad Baptismum contingunt.

*Dicamus ergo quoniam est divinæ* * (* quomodo divinæ) *beatitudinis bonitas semper juxta eadem,* id est, qualiter bonitas prima, quæ est sua beatitudo immensa, sit jugiter « juxta eadem », id est in eadem sui dispositione subsistens, *et sit sic habens,* id est, taliter et non aliter habens se, *proprii luminis beneficos radios in omnes copiose expandit intellectuales vultus,* id est, radios sapientiæ atque scientiæ suæ liberaliter D superinfundit mentibus cunctis creatis capacibus, et quantum est ex parte ipsius, prout in libro de Causis asseritur, quod C implet omnia sæcula bonitatibus, et instar aquei elementi, universis infundit ac influit se undique. Unde et Joannes ait : Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (*Joann.* I, 9).

*Si quis ergo discesserit ab invisibili lumine,* id est, a luce divina et increata, seu a splendore gratiæ ejus, mentem suam averterit, consentiendo vanitati, iniquitati vel errori, *aut invisibilibus,* id est a spiritualibus donis ipsius, et ab inspirationibus divinis, instinctibusque angelicis, aut rectæ rationis judicio, remorsu conscientiæ, remurmuratione synderesis, *superbus, per se potens :* id est, potentem se reputans per se et ex se; vel ita se habens ac si

aliunde non accepisset omne posse quod A
habet : aut certe ex naturalibus donis ar-
bitrans se posse promereri, proficere et
salvari ; *malitiæ amore,* id est, sic pec-
cans et errans ex pravitatis affectu, ex
mali electione, ex certa malitia, ex ha-
Ps. xxxv, 2. bitu vitioso, juxta illud in Psalmo : Dixit
injustus ut delinquat in semetipso. Unde
Apoc. III, 17. in Apocalypsi dicitur : Dicis, Quod dives
sum, et nullius egeo ; et nescis quia tu
es pauper, et cæcus, et nudus, et miser,
et miserabilis. Verumtamen nemo peccat
amore malitiæ formaliter sumptæ. Propter B
Prov. XXI, 2. quod in Proverbiis scriptum est : Omnis
viri via recta sibi videtur. *Intimans na-
turaliter inspersas ei ad illuminandum
virtutes,* id est, habitus virtutum ei con-
natos intrahens et claudens, non aperiens,
sed excæcans. Sunt enim « naturaliter »
in anima rationali generalia quædam se-
minaria virtutum, et habitus primorum
principiorum, tam in operabilibus quam
in speculabilibus : ut quod bonum sit di-
ligendum, malum vitandum, et quod to-
tum est majus sua parte. Hinc præcepta C
Decalogi perhibentur de naturalis dicta-
Ps. IV, 7. mine rationis, de quo in Psalmo : Signa-
tum est super nos lumen vultus tui, Do-
mine. Per hos habitus habilitata est anima
« ad illuminandum », id est ad partici-
pandum illuminationes supernas, si in-
choatis istis virtutibus bene utatur. Impii
autem eas inficiunt et obscurant, juxta
Is. XXIV, 5. illud Isaiæ : Transgressi sunt leges, mu-
taverunt jus, dissipaverunt fœdus sempi-
ternum. *Protendit,* id est, procul tendit
ac recedit a Domino, secundum illud Osee : D
Osee IV, 10. Dereliquerunt Dominum in non custodi-
endo. Hinc alia littera habet, Excidit.

*Præsentis sibi luminis non recedentis,
sed superlucentis, ipsa tristis et conver-*
* a currente *tens occurrentem* * *deiformiter.* Id est :
« Ipsa » mens talis « tristis », id est in
se ipsa inordinata, turbata et gravis : ani-
mus enim inordinatus, sibi ipsi est gra-
vis ; « convertens », id est, a se avertens,
quia et sic continet translatio alia, « oc-
currentem deiformiter », id est Deum ei
aversæ adhuc piissime occurrentem et au-
xiliari paratum, imo invitantem eam ad
conversionem per se, per angelum bonum,
per proximum exhortantem, sicut ait Apo-
stolus : Obsecramus pro Christo, reconci- II Cor. V, 20.
liamini Deo. Sic namque per Jeremiam
loquitur Deus animæ peccatrici : Tu for- Jer. III, 1.
nicata es cum amatoribus multis ; tamen
revertere ad me, ait Dominus. Deum, in-
quam, « luminis sibi præsentis non rece-
dentis, sed superlucentis ». Deus quippe
est lux infinita, invariabilis, indefectibi-
liter fulgens, nec tempore nec loco rece-
dens, imo gratia præveniente ac gratis
data sæpius animam pulsans, ut in Apo-
calypsi protestatur : Ecce sto ad ostium, Apoc. III, 20.
et pulso. Et quamvis dicatur longe a pec- Prov. XV, 29.
catoribus esse, et a transgredientibus ac Jer. XXIII, 39.
ingratis recedere, quantum ad quosdam
effectus, attamen per essentiam, præsen-
tiam, et potentiam, est ubique.

*Siquidem moderate ipsa dati visibilis
visiones supersiliet,* id est, mens talis,
aversa, superba, « supersiliet », id est,
transcendere præsumet, « visiones », id est
cognitiones, « visibilis » sibi « dati mo-
derate », id est objecti quod concessum
est ei cognoscere moderate, puta cum dis-
cretione, ut scilicet imbecillitatem suæ
intellectualitatis advertens, non se ingerat
ad illius perscrutationem immoderatam :
quoniam perscrutator majestatis opprimi- Prov. XXV, 27.
tur a gloria. *Et ad ipsas super* * *suum* * semper
*vultum claritates obtueri fiducialiter au-
debit,* id est, cum immoderata audacia
præsumet intueri « ad claritates ipsas su-
per vultum suum », id est ad sublimes
virtutes divinas suum intellectum trans-
cendentes, discutiendo occulta Dei judi-
cia, et irreverenter loquendo de incom-
prehensibilibus fidei, ut quidam quæ non
intelligunt paratiores docere quam dis-
cere, quemadmodum in prima epistola ad
Timotheum de talibus scripsit Aposto-
lus : Finis præcepti est caritas de corde I Tim. I, 5-7.
puro, et conscientia bona, et fide non
ficta : a quibus quidam aberrantes, con-
versi sunt in vaniloquium, volentes esse

legis doctores, non intelligentes neque quæ A loquuntur, neque de quibus affirmant.

* lumen *Lux quidem operabitur præter lucem* * *nihil :* id est, lux divina directe nil faciet, nisi quod suæ naturæ est, quia directe nullum obtenebrat nec excæcat ; sed permissive ac justo judicio excæcari et obdurari permittit eos qui sponte ac pertinaciter se avertunt ab ea, quemadmodum sol non illuminat claudentem oculos suos
Is. VI, 10. a lumine ejus. Sicque loquitur Isaias : Excæca cor populi hujus. Verum tales excæcant se ipsos, secundum illud Sapien- B
Sap. II, 21. tiæ : Excæcavit illos malitia eorum. Sic et Apostolus de præsumptuosis superbisque
Rom. I, 21. loquens : Obscuratum est, inquit, insipiens cor eorum. Et hoc quare ? Certe quia
Job XXIV, 13. ut scriptum est in Job, ipsi fuerunt rebelles lumini. Verumtamen lux ista divina, in quantum justitia, damnat et punit iniquos.

*Ipsa vero perfecta imperfecte concupiscens,* id est, mens aversa et elata « concupiscens », id est desiderans, « perfecta », id est bonum increatum infinite perfectum, et bona gratiæ, donaque gloriæ in C futuro, « imperfecte », videlicet minus quam bona carnalia et caduca, divitias, voluptates, honores, in quibus sibi finem constituit : ideo utitur Deo, et fruitur semetipsa. Attamen aliquo modo desiderat bona perfecta, quoniam omnes naturaliter appetunt felicitatem. Scientiam quoque et virtutes cupiunt multi imperfecte, qui renuunt debite laborare pro illis. Talibus inest voluntas optativa remissa, quæ non reputatur pro opere ; non autem imperativa et efficax, quæ pro opere reputatur. D
Prov. XIII, 4. Unde et in Proverbiis legitur : Vult et
Deut. VI, 5. non vult piger. Econtra jubet se Deus toto corde amari. *Eo quidem quo inobediens est, non etiam intelliget,* id est, « eo » ipso « quo » Deo « inobediens est », formatam divinorum notitiam non habebit, nec Scripturas profunde intelliget. Imo hoc ipso quod videbatur aut valebat habere, priva-
Matth. XXV, 29. tur, sicut ait Salvator : Habenti dabitur ; ei
Matth. XI, 25. autem qui non habet, et quod videtur habere auferetur ab eo. Et rursus : Confiteor tibi, Pater, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, id est superbis sapientes et prudentes se reputantibus, et revelasti ea parvulis, id est humilibus. Idcirco Psalmista cecinit Deo : Declaratio Ps. CXVIII, 130.
sermonum tuorum illuminat, et intellectum dat parvulis. *Humile vero inornate despiciens,* hoc est, mens talis « despiciens inornate », id est turpiter ac stolide, « humile », id est ea quæ sunt veræ humilitatis, videlicet propriam defectuositatem, culpam imperitiamque fateri ac pandere, et informationem benevole petere, *per se ipsam restaurat,* id est, per se vult defectum suum supplere, et proprio intellectu invenire. Propter quod frequenter plus errat, et novitates adinvenit, erroresque spargit, et decipit plures, sicut ad Timotheum scribit Apostolus : Superbus, I Tim. VI, 4, 5.
nihil sciens, sed languens circa quæstiones et pugnas verborum, ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, etc. Hinc Salomon in Proverbiis docet : Habe fiduciam in Do- Prov. III, 5.
mino ex toto corde tuo, et ne innitaris prudentiæ tuæ ; itemque, Non sis sapiens Ibid. 7.
apud temetipsum.

*Verum* * *quod quidem dixeram,* id est, * Verumtamen
quod jam dixi verum est, *benefice semper intellectualibus vultibus divinum expansum est lumen,* id est, lux increata immensa, ubique et semper objecta est, et paratam se exhibet pie ac liberaliter mentibus sapientibus, studiosis, capacibus ; *inestque eis,* id est, in promptu habent, faciendo quod in ipsis est, *recipere præsente eo,* id est splendorem gratiæ, claritatem illuminationis internæ, et omnem profectum optatum obtinere a lumine illo vere præsente : quod infinitæ munificentiæ, opulentiæ atque potentiæ est. Propter quod subditur : *et semper ad divinam propriorum traditionem exsistente paratissimo,* id est pronissimo ad communicandum et influendum mentibus affectuose petentibus charismata munerum divinorum. Hinc scriptum est in Sapientiæ libro : Clara est, et quæ nunquam mar- Sap. VI, 13-15, 17.
cescit, sapientia, et facile videtur ab his

qui diligunt illam. Præoccupat qui se concupiscunt, ut se illis prior ostendat. Qui de luce vigilaverit ad illam, non laborabit : assidentem enim illam foribus suis inveniet. Quoniam dignos se ipsa circuit quærens, et in viis suis ostendit se illis hilariter, et in omni providentia occurrit illis. Istud Christus in Evangelio apertissime contestatur : Petite, dicens, et dabitur vobis; quærite, et invenietis; pulsate, et aperietur vobis : omnis enim qui petit, accipit; et qui quærit, invenit; et pulsanti aperietur. Intueamur ergo Dominum Deum nostrum tanquam verissime nobis præsentem, imo omnia penetrantem ; et ipsum intra nos contemplemur, amplectamur, ac ferventissime brachiis sancti amoris stringamus, cum ingenti fiducia ipsum incessabiliter invocantes (oportet enim semper orare, et non deficere : etenim aliquando differt, probans fidem et patientiam nostram, atque ut postea copiosius salubriusque exaudiat), id demum diligentissime prospicientes, ne ipsum in aliquo offendamus.

*Matth.* VII, 7, 8. — *Luc.* XVIII, 1.

His præmissis, declarat qualiter præsul in his Deum pro posse sectatur.

*Ad hanc divinus summus sacerdos formatur imitationem,* id est, episcopus regulatur ac dirigitur ad faciendum conformiter, ut se illi assimilet cujus gerit vicem, *luciformes suæ divinæ doctrinæ claritates,* id est fulgida documenta, *copiose in omnes expandens* publice prædicando, *et advenientem illuminare Dei imitator paratissimus est,* id est, præsul Dei sectator valde paratus est docere, et omni modo sibi possibili illustrare, omnem advenientem ad suam sermocinationem, baptizationem, aut cujuscumque sacramenti susceptionem : imo invitat, hortatur, rogat ut veniat, et reprehendit ac punit non venientes, instar Dei qui per Isaiam effatur : Utinam attendisses mandata mea ; et in Deuteronomio, Quis det talem eos habere mentem, ut timeant me, et custodiant universa mandata mea, et bene sit eis in sempiternum ?

*Is.* XLVIII, 18. — *Deut.* V, 29.

*Non invidiose neque immunde priori apostasia immoderata quidquam semper usurus,* id est, episcopus de cetero nunquam in aliquo usurus seu functurus ex invidia aut alia turpi causa, « apostasia » sua « priori immoderata », id est pristina sua aversione aut elatione, per quas apostatavit, id est, recessit corde a Deo. Unde Ecclesiasticus ait : Initium superbiæ hominis, apostatare a Deo; quoniam ab eo qui fecit illum, recessit cor ejus. *Sed divinitus semper provenientibus suis in lucem ductionibus, hierarchice relucens,* id est, ecclesiastice seu prælatice fulgens proximis suis, potissime subditis, « ductionibus suis », id est exemplaribus actibus suis ac directionibus directivis in Deum, « provenientibus divinitus in lucem », id est ex divina præordinatione in publicum, juxta illud, Sic luceat lux vestra coram hominibus : relucens, inquam, *in bono ornatu,* id est decore virtutum, *et ordine,* id est gradu officii sui, *et analogia,* id est habitudine et proportione, *uniuscujusque ad sacra communionis*,* id est ad sancta dona divinæ communicationis, ita ut dirigat unumquemque secundum illius dispositionem et capacitatem, et ad ea quæ magis conveniunt illi, ut ambulet digne Deo, secundum tenorem et exigentiam suæ vocationis aut professionis.

*Eccli.* X, 14, 15. — *Matth.* V, 16. — * *commensurationis* — *Ephes.* IV, 1; *Coloss.* I, 10; I *Thess.* II, 12.

# ARTICULUS XIII

## QUID SIGNIFICET ANADOCHI ELECTIO, BAPTIZANDI SIGNATIO, SACERDOTUM DESCRIPTIO.

* quid

SED *si quidem* * *sanctæ ordinationis est principium divinum :* id est, « si », pro quia, « quidem », id est certe, « principium divinum ordinationis sanctæ » ad Deum, id est sacrum et salubre exordium ordinationis, id est reductionis sacræ, ad Creatorem ; *secundum quod se ipsos cognoscunt sacri intellectus,* id est, secundum quod mentes devotæ in primis cognoscunt se ipsas, sic quod sui ipsius recta cognitio, principium est conversionis ad Deum. Exordium, inquam, *ad consequens naturæ visibile recurrens,* id est, « recurrens » ad aptum suæ « naturæ » auxilium, puta ad signum sacramentale Baptismi aut confessionis, per quod connaturaliter manuducitur ad salutem. Nam Baptismus est regeneratio ; et initium bonorum, confessio est malorum. *In principio quidem quis, quando est ipse, videbit :* hoc est, aliquis « videbit in principio » suæ conversionis, « quando ipse est », id est, quando spiritualiter incipit esse, quum senserit gratiam Dei in se certitudinaliter aut probabiliter. *Et hoc accipiet primum,* id est, primo cognitionem et gratiam istam percipiet, *ex respectu ad lumen sacrum donum,* id est, ex consideratione sui per respectum et comparationem « ad lumen » divinum, si scilicet ab illo se inveniat illustratum, experiendo in se actus sacros quos lumen illud operatur in mente, ita ut magis diligat veritatem in cunctis, quam tenebras, id est vanitatem et culpam : quod utique lumen, est « sacrum » Dei « donum », sicut in Joanne ait Lux ipsa : Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis sitis. (Joann. XII, 36.)

* lumini

*Qui autem propria bene* * *impassibilibus oculis inspicit,* id est, qui propriam conditionem, proprietatem et defectuositatem claris et reformatis interioribus oculis pensat, *ex non lucentibus quidem revertetur ignorantiæ obscuris,* id est, de caligine ignorantiarum suarum et vitiorum erubescens ac pœnitens, ab illis recedet. Saluberrimum namque est, se ipsum ita cognoscere. *Dei autem perfectissima unitate et participatione* * *qui imperfectus est,* id est, qui adhuc imperfectus est, non habendo perfectissimam hujus vitæ unionem et participationem cum Deo, *ipse non inde concupiscet,* id est, ex sui ipsius præfata cognitione non protinus aut confestim accendetur desiderio perfectissimæ unionis, sed paulatim proficiet. Ideo sequitur : *in brevi vero per ipsa sui* * *prima, deinde adhuc priora, et per illa præstantia et perfectus* *, *in sublimissimam divinam in ordine et sacre ascendet communionem.* Hoc est : Talis « ascendet in brevi perfectus », id est cito perfectus effectus, « sacre », id est per exercitia sanctitatis, « in communionem divinam sublimissimam in ordine », id est in gradu perfectionis, hoc est ad perfectissimam unionem cum Deo per actus clarissimos doni sapientiæ ac divini amoris igniti, « per ipsa sui prima », id est inchoando ab his quæ spectant ad statum incipientium et servorum, purgativamque viam, « deinde adhuc priora », id est ab illis ascendendo ad actus pertinentes ad statum proficientium, « et per illa præstantia », id est ab illis ascendendo ad actus qui ad statum pertinent perfectorum : qui actus præstantiores sunt exercitiis aliis. Oportet enim a fundamento incipere ; et in via generationis non prius est quod spirituale, sed quod animale. (I Cor. XV, 46.) Propter quod asserit Christus de homine ordinate procedente : Assimilabitur viro (Matth. VII, 24.)

*perfectissimam unitatem et participationem

* sua

* perfecta in

sapienti qui ædificavit domum suam supra petram. Verumtamen omnipotens Deus supra hunc communem ordinem agere potest, et sæpius egit, dando quibusdam etiam magnis peccatoribus, in conversionis exordio, ferventissimum zelum justitiæ, ardentissimumque amorem, ac sincerissimum perfectionis affectum.

*Hujus est ornatus et sacri ordinis imago, advenientis confusio, et eorum quæ circa ipsum* * *sunt cognitio, ad summum sacerdotem viæ anadochum habens ducem.* Hoc est : « Confusio », id est erubescentia de peccatis præteritis, seu illorum confessio, « advenientis », id est hominis accedentis ad Baptismum, « et cognitio eorum quæ circa ipsum sunt », id est consideratio eorum quæ agit et intendit, ut sunt profectio ejus ad episcopum baptizantem, et proprietas viæ ejus qua pergit ad sacrum Baptisma, « habens ducem », id est ductorem in via illa, suum « anadochum » : hæc, inquam, sunt « imago » et repræsentatio successivi processus ad perfectionem, incipiendo ab infimo.

* secundum se ipsum

*Eum vero sic ascendentem,* id est baptizandum sic progredientem ad fontem Baptismi et ad incrementa virtutum, *divina beatitudo in suam participationem recipit,* id est, Deus essentialiter beatus suscipit illum sic, quod facit eum participem gratiarum suarum, *et proprio lumine tanquam quodam ipsi signo tradit divinum perficiens,* id est, impressione characteris, qui est invisibile signum distinguens baptizatum a non baptizato, Dominus Deus « tradit » ipsi baptizando « divinum perficiens », id est supernaturale lumen gratiæ gratum facientis, perficiens eum, ponendo eum in esse supernaturali deiformi, *et communicantem divinorum partis et sacræ ordinationis,* id est, recipientem aliquid doni ac dispositionis « divinorum », id est sacrorum signorum, aut sacramentorum, aut spiritualium munerum. *Quorum est symbolum,* id est corporalis similitudo, *sacrum a summo sacerdote advenienti donatum signaculum,* hoc est, « signaculum sacrum », id est crucis signum, « donatum », id est impressum, « advenienti », utputa baptizando ad Baptismum venienti, « a summo sacerdote », id est ab episcopo ; *et sacerdotum salutaris descriptio :* qui juxta præhabita, scripserunt nomen baptizandi in libro inter alios baptizandos, ad designandum quod per Baptismum annumerandus et consociandus esset electis, prout tunc pie sperabatur. Hinc subditur : *in salvatis eum connumerans,* id est, descriptio illa computans baptizandum inter salvandos finaliter, sicut et nunc inter fideles Christi sanguine liberatos fiducialiter computatur, juxta illud Apostoli : Nos autem gloriari oportet in cruce Domini nostri Jesu Christi, in quo est salus, vita et resurrectio nostra, per quem salvati et liberati sumus. *Et memoriis sacris,* id est in scripturis libri illius, quæ conscriptio fuit memoriale personæ inscriptæ, *ponens eum apud* * *anadochum,* id est, nomen baptizandi ponens juxta nomen anadochi, qui simul cum baptizando fuit scriptus in libro illo, *tanquam vivificæ ad veritatem viæ amatorem,* hoc est, apud anadochum tanquam apud « amatorem viæ vivificæ », id est salutaris itineris ducentis « ad veritatem » evangelicæ legis ac veræ salutis. Vel sic : Connumerans eum, utputa baptizandum, tanquam amatorem viæ vivificæ ad veritatem ducentis. Et ista expositio aptior videtur, quia subjungitur : *quidem verum* * *et consequentem,* id est amatorem utique « verum et consequentem » et sequacem et assecutorem, *ducis divini,* id est anadochi. *Non errantemque Deo traditis ductionibus sequentis manuductorem,* id est, inscriptio illa ponens etiam anadochum « manuductorem sequentis », id est baptizandi, qui sequitur eum seu ejus ducatum, « non errantem », id est non deviantem, « ductionibus », id est in suis directionibus et doctrinis, « traditis » a « Deo », per quas et secundum quas ducit baptizandum.

Galat. vi, 14.

* apud eum

* alias om. verum

# ARTICULUS XIV

### DE SENSIBILIBUS SIGNIS QUÆ CIRCA BAPTIZANDUM SUSCEPTUM EXERCENTUR : ET PRIMO DE SIGNIFICATIONE BAPTIZANDI EXUITIONIS, ADSPECTUS AD OCCIDENTEM, EXTENSIONIS MANUUM, EXSUFFLATIONUM, DUCTIONIS AD ORIENTEM, ET CONFESSIONIS.

S*ED non inest summe contraria simul* A
*participare,* id est, non contingit neque possibile est aliquem « simul participare », recipere aut habere in se, « summe contraria », id est ea quæ maxime invicem contrariantur, aut simul ea habere in summo gradu : quamvis secundum gradum remissum possint simul inesse, ut quod aliquis sit aliqualiter calidus, et aliqualiter frigidus. Unde communis auctoritas est, quod contraria non possunt simul inesse, et quod unum eorum expellit aliud, atque quod unumquodque B
tanto plus est tale, quanto minus habet admixtum de suo contrario. *Neque communionem quamdam ad unum habentem,* id est, non contingit eum qui habet « communionem », id est unionem et dilectio-
Luc. x, 42. nem, cum illo uno quod solum et summe necessarium est, *partitas habere vitas,* id est actiones vitales dispersas per passiones et vitia, et divisas a Deo ac ultimo
Matth. vi, 24. fine. Hoc est quod asserit Christus, Nemo potest duobus dominis servire : dominis,
Ibidem. inquam, contrariis. Ideo additur : Non po- C
testis Deo servire et mammonæ. Joannes
I Joann. ii, 15. quoque in prima sua Canonica : Si quis diligit mundum, non est caritas Patris in
Jacob. iv, 4. eo. Hinc alibi scriptum est : Adulteri, nescitis quia amicitia hujus mundi inimica est Deo? Quicumque ergo voluerit amicus hujus mundi fieri, inimicus Dei constitu-
Josue xxiv, 14. etur. Et in libro Josue habetur : Servite Domino corde perfecto atque verissimo.
Joel ii, 12. Ac per Joelem Dominus exhortatur : Convertimini ad me in toto corde vestro. Hinc dixit Chrysostomus : Pro quanta parte cor D
tuum est ad aliquam rem, pro tanta minus est ad Deum. Quod intelligendum est,

si sit ad aliquam rem non in Deo neque secundum Deum, hoc est secundum exigentiam ultimi finis. Istud itaque non contingit, *si unius recipit firmam participationem,* id est, si habeat fixam et sinceram unionem cum illo simplicissimo uno, ita quod careat omni affectione inordinata contraria, juxta illud Ecclesiasti-
ci : Esto firmus in via Dei. Hinc sapiens Eccli. v, 12.
alius docet : In simplicitate cordis quærite Sap. i, 1.
Dominum, id est corde puro ac simplici.
Apostolus quoque : Stabiles (inquit) esto- I Cor. xv, 58.
te et immobiles, abundantes in opere Domini semper.

*Sed immensurabilem esse et inordinatum* in omnibus :* id est, illum qui ita *inordinabilem
divisus est et corde dispersus, oportet esse « immensurabilem », id est non regulatum, nec recta æquitatis mensura utentem, « et inordinatum », id est ab ultimo fine aversum, nec mente directum juxta
illud : Pes meus stetit in directo. Verum- Ps. xxv, 12.
tamen potest pœnitere, seque emendare,
juxta illud Osee : Convertere ad Dominum Osee xiv, 2.
Deum tuum, quoniam corruisti in iniquitate tua. Sed loquendo de eo formaliter, secundum quod talis est, istud verificatur. « In omnibus » demum inordinatus est quæ agit, ut ita divisus. Attamen in tali statu potest agere bonum ex genere, ut honorare parentes, quia naturalis lex habet hoc. Juxta hunc sensum est Jeremiæ
illud eloquium : Pravum est cor hominis Jer. xvii, 9.
et inscrutabile. Hinc juxta Apostolum, Me- II Cor. x, 12, 13.
tiamur nos intra nos, ut non in immensum inflemur ; et infra terminos nobis præfixos contineamus nos ipsos, ne simus transgredientes ; nec simus inordinati. *Uniformitate divisionibus,* id est per divisi-

ones, distractiones dissipationesque cordis A ab « uniformitate », id est unita in Deo stabilitate, implendo quod Salomon ait, [*Prov.* IV. 23.] Omni custodia custodi cor tuum; et Moyses in Deuteronomio, [*Deut.* IV. 9; VI. 13; VIII. 11.] Custodi temetipsum et animam tuam sollicite, nec unquam obliviscaris Domini Dei tui.

Deinde pandit quomodo hoc in baptizando signetur.

*Quod quidem symbolorum traditio sacre expandens, advenientem velut priorem vitam exuens:* hoc est, « quod traditio symbolorum », id est doctrina sanctorum B patrum per symbola tradita, « expandens », id est, extendere se jubens, « advenientem » ut baptizetur, « velut exuens vitam priorem », id est, tanquam deponens pristinam conversationem iniquam, juxta illud Apostoli : [*Coloss.* III. 9.] Exuite veterem hominem cum actibus suis. *Et usque juxta illam ultimos habitus solvens,* id est, extrema vestimenta removens, quibus usus est « juxta illam », id est juxta consuetudinem vitæ prioris, in qua sunt multæ abusiones, vanitates, superfluitates et curiositates in C vestibus, contra illud Apostoli : [I *Tim.* VI. 8.] Habentes victum et indumenta quibus tegamur, his contenti simus. *Nudum et discalceatum sistit,* id est, stare facit, *ad occidua adspicientem,* id est versus occidentem, *et manuum abrenuntiatione obscuræ malitiæ renuentem communiones,* hoc est, « abrenuntiatione manuum », seu detestatione mentali facta cum aliqua manuum motione aut significatione tanquam cum signo sensibili, « renuentem », id est abnegantem, « communiones », id est affectus D et participationes, « malitiæ obscuræ », id est pravitatis tenebrosæ, secundum illud [*Prov.* IV. 19.] Proverbiorum : Via impiorum tenebrosa; nesciunt ubi corruunt. *Et ingenitum sibi dissimilitudinis habitum tanquam exspirantem,* id est, morientem aut suffocantem in se « habitum dissimilitudinis ingenitum sibi », id est habitualem inclinationem seu fomitis corruptionem, reprimendo motus et actus illicitos, juxta illud [*Coloss.* III. 5.] Pauli, Mortificate membra vestra quæ sunt super terram; ac principis Apostolorum, [I *Petr.* II. 11.] Obsecro vos abstinere a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam. Vel, « exspirantem », id est, extra se spirantem et exsufflantem habitum hunc innatum, abominando eumdem. *Et universales confitentem ad deiformis contrarium abrenuntiationes,* id est, profitentem abjicere « universales », id est cunctas dissimilitudines vitiorum. Unde alia translatio clarius continet : Profitentem his integre abrenuntiare quæ sunt Deo contraria.

*Ad hæc* * *sic omnino non detentum ipsum,* [* alias om. *Ad hæc*] id est, baptizandum « ipsum omnino non detentum ad hæc », id est non irretitum aliquo peccato prætacto, quia nunc resipiscere cœpit a laqueis diaboli, [II *Tim.* II. 26.] quibus captus detinebatur. [*Prov.* V. 22.] Iniquitates enim suæ capiunt impium, et funibus peccatorum suorum constringitur, ut in Proverbiis dicitur. *Et absolutum factum* etiam in confessione sacramentali, quæ in adultis Baptismum præcedit. [*Ps.* XXXI. 5; *Prov.* XXVIII. 13.] Omnia enim in confessione lavantur. *In conspectu traducit,* id est, ponit in loco patenti, puta ad orientem, unde lumen visibile oritur nobis, ad innuendum quod baptizandus jam consistat in lumine spirituali, ut subditur : *in divino lumine statutum et respectum,* id est in gratia, caritate, fide, sapientia collocatum, atque a Deo misericorditer visitatum ac visum, juxta illud primæ Joannis epistolæ : [I *Joann.* I. 7.] Ambulemus in luce, sicut et Deus in luce est. *Futurum fore munde in perfectissimo ex malitia reditu promittens,* id est, firmiter asserens se « munde fore futurum », id est de cetero conversaturum, et constituendum seu perventurum « in reditu ex malitia perfectissimo », id est in recessu a peccatis valde perfecto, per conversionem plenam ad Deum. Hæc autem professio seu promissio quæ adhuc fit in Baptismo, non videtur fuisse votum absolute, sed firmum quoddam propositum ac fortis assertio, quæ frequenter pro promissione accipitur. Alioqui Christiani in omni peccato mortali agerent seu peccarent contra promissio-

nem seu votum, et non solum contra præceptum. Qui autem ad Deum convertitur, debet ad Deum perfecte converti, prout Jer. IV, 1. per Jeremiam Dominus loquitur : Si reverteris ad me, convertere.

*Et sacras ejus ad unum rationabili intuitu confessiones uniformi facto per veritatis amorem recipiens.* Hoc est : Episcopus seu ejus traditio, « recipiens sacras confessiones ejus », videlicet baptizandi, quibus confitetur ea quæ fidei sunt Rom. X, 10. (dicente Apostolo, Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem), « rationabili intuitu ad unum », id est ex sapienti consideratione ad Deum, qui est prima increataque veritas, cui in-

A nititur catholica fides, et cujus auctoritate atque intuitu credimus Scripturis divinitus revelatis, prout per miracula sufficientissime est ostensum ; « uniformi facto », id est stabiliter recollecto ipso baptizato in Deo, « per veritatis amorem », id est sinceram dilectionem, sine qua fides informis est, nec sufficit ad salutem, juxta quod ait Apostolus : Si linguis hominum et angelorum loquar, caritatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans aut cymbalum tinniens. (I Cor. XIII, 1.)

B Denique amor veritatis valde stabilit uniformemque efficit hominem. Propter quod Salomon : Justus, inquit, quasi fundamentum sempiternum. (Prov. X, 25.)

# ARTICULUS XV

## DE BAPTIZANDORUM UNCTIONE.

CONSEQUENTER tangitur quid significet unctio qua ungitur baptizandus.

*Sed est ibi clarum, ut æstimo, hierarchicorum eruditis,* id est, bene instructis in hierarchicorum significationibus et actionibus, « clarum » et notum « est », ut puto, « ibi », id est in Baptismi exhibitione, *quia devictis in fortitudine ad unum resistentibus,* id est, peccatis, tentationibus ac dæmonibus « resistentibus » conversioni mentis « ad unum » totius beatitudinis fontem, superatis « in fortitudine », id est per gratiosum et grande auxilium Dei, et per fortem conatum con- Hebr. VI, 9. versi ad meliora ac viciniora saluti. Qui enim creavit te sine te, id est sine tua cooperatione, non justificabit te sine te. II Tim. II, 5. Nec coronatur nisi qui legitime certaverit. *Et contrariorum universalibus interemptionibus et abolitionibus,* id est, invisibilium hostium plenis ac totalibus victoriis « et abolitionibus », id est expulsionibus, acquisitis quantum ad hoc quod nullum

C mortale actualiter dominetur in corde, *immutabile valet,* id est, mens confirmata in Deo (juxta illud Apostoli ad Hebræos, Optimum est gratia stabiliri cor) potens et apta est, *ad intellectualia deiformis habitudinis,* id est ad receptionem ac perfectionem divinorum charismatum, et ad omnem profectum eorum per quæ habere se potest deiformiter per imitationem præcipuam. Ideo scriptum est in Amos : Præparare in occursum Dei tui. Alia littera habet : Adorna thalamum tuum, Sion. (Hebr. XIII, 9.) (Amos IV, 12.)

D *Non enim redire tantum oportet ab omni malitia,* id est, non solum oportet ab omni peccato cessare, juxta illud Psalmi, Declina a malo; et in Ecclesiastico, Quasi a facie colubri fuge peccata. Unde Salvator dixit sanato : Jam noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat. Etenim vulnera repetita plus nocent. *Sed et viriliter durum esse,* id est constantem, nec molliter cedere, sed idonee esse armatum contra jacula vitiorum ac dæmonum. De (Ps. XXXVI, 27.) (Eccli. XXI, 2.) (Joann. V, 14.)

qua salubri duritia Dominus dixit Ezechieli, Ut adamantem et silicem dedi te; atque ad Jeremiam, Dedi te in murum æreum et columnam ferream, et bellabunt adversum te, et non prævalebunt. *Et intrepidum,* semper abjiciendo carnalem, effeminatum et inordinatum, imo et servilem timorem, non innitendo propriis viribus, sed sperando in Deo. Ordinate quoque et prudenter timere oportet, quoniam in medio laqueorum et innumerabilium hostium ambulamus : sicque inter spem et timorem, medium observare. Nam qui sine timore est, justificari non potest. Nec certi sumus nos esse sine peccato mortali. Propter quod in Ecclesiastico scriptum est : De propitiatu peccati noli esse securus. Sic ergo oportet esse intrepidum *contra perniciosam semper in eam subjectionem,* id est adversus vilem, turpem, damnabilem recidivationem, quæ est miserrima servitus, secundum illud Joannis : Omnis qui facit peccatum, servus est peccati. Et Petrus : Iniqui (inquit) sunt servi corruptionis et peccati, imo et diaboli; a quo enim quis superatus est, hujus et servus est.

Ezech. III, 9. Jer. I, 18. 19. Eccli. I, 28. Eccle. IX, 1. Eccli. V, 5. Joann. VIII, 34. II Petr. II, 19.

*Neque templi veritatis amoris in quiete unquam fieri,* id est, nunquam constitui « in » ipsa « quiete », id est cessatione, actuum sanctorum « templi veritatis », id est pertinentium ad spirituale templum veritatis æternæ et caritatis, quod est mens devota, Ecclesia quoque militans ac triumphans (dicente Apostolo, Templum Dei sanctum est, quod estis vos), aut etiam materialis ecclesia, in qua jugiter sunt Dei laudatio, adoratio, invocatio, celebratio et saluberrima dispensatio sacramentorum. Hoc implevit beatissima Anna prophetissa, quæ ut in Luca conscriptum est, non discedebat de templo, orationibus et jejuniis serviens Deo die ac nocte. *Attente vero et æternaliter in eam, ut virtus, extendi :* id est, ad ipsam altissimam veritatem oportet « extendi », id est mente elevari, « attente », id est cum omni diligentia et consideratione, pensando superdignissimam et superhonorandissimam præsentiam ejus, « et æternaliter », id est modo quamdiu hic degimus, inchoative per fidem, et in futuro per beatificam contemplationem, in qua nulla est interruptio, nec in perpetuum finis : neque enim nobis sufficit finis consummationis, nisi cujus nullus est finis durationis; *ad perfectissimam Divinitatis ascensionem,* id est ad contemplationem ipsius summam ascensivam, id est superaltissimum illud objectum, ut illam adipiscamur in patria, et crescamus in ea in via : nam subditur, *sacre semper augentem,* id est assidue in mentibus fervide devotorum crescentem. Nempe quo amplius crescunt in sancta humilitate, caritatis fervore ac sapientiæ dono, eo et in contemplatione nunc magis proficiunt. In patria autem cessant meritorum et præmiorum profectus.

I Cor. III, 17. Luc. II, 37.

Ecce in verbis his compendiosissima documenta tanguntur, in quibus tota nostra consistit salus, profectus, perfectio, ut sic ab omni Dei offensa cessemus, virtuosisque actibus jugiter insistamus, contra aciem vitiorum stemus armati, salubriter duri, sapienter intrepidi, et ita ad contemplationis fastigia properemus. Et hoc est quod Christus nos docet humili planoque stilo, sed sensu profundo : Omnis, inquiens, qui audit verba hæc, et facit ea, assimilabitur viro sapienti qui ædificavit domum suam supra petram; et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et non cecidit.

Matth. VII, 24, 25.

Deinde hæc ad propositum applicantur.

*Vides autem horum diligentes imagines* [*in hierarchice perficiendis :*] id est, nonne advertis imagines et figuras istarum spiritualium perfectionum, diligenter institutas a Sanctis ex inspiratione divina? *Deiformis quidem summus sacerdos,* id est episcopus multum divinus ac Dei vicarius, *inchoat sacram unctionem.* Incipit enim ungere baptizandum, quem tribus crucis signat signaculis, ut est dictum.

*Sacerdotes vero sub ipso,* id est aliqui A sacerdotum inferiorum, *perficiunt unctionis sacrificium,* id est, obsequium illius unctionis Deo oblatum exsequuntur et complent in baptizando, quem in aliis certis membris unxerunt secundum ritum primitivæ Ecclesiæ, qui modo in multis mutatus est. *Ad sacra, in similitudine, perficiendum* * *certamina evocantes,* id est, excitantes et invitantes « perficiendum », id est baptizandum, « ad certamina sacra », id est spiritualia bella contra hostes salutis. Verum unctio ista non est B Confirmatio, quæ est sacramentum, et datur ad robur fidei ac spiritualis militiæ, ne quis Christum publice confiteri verecundetur. Propter quod datur in fronte. Hæc autem confertur ad refrenandum dæmonis potestatem in fomite, in præparationem pugnæ adversus eumdem. Propter quod spectat ad exorcismum. Sic itaque evocant illum « in similitudine », id est per sensibilia signa quæ circa baptizandum adhibentur, ut sunt hujusmodi unctiones et alia quædam præfata. C

* perficiendos

*Secundum quæ sub militante Christo factus est,* id est, « secundum quæ » sensibilia symbola ipse baptizandus « factus est », id est, constitutus est, « sub Christo militante », id est, qui in hac vita militans fuit, et nunc potius est triumphans : tamen et nunc in suis fidelibus pugnatoribus militans est et pugnans.

*Quoniam ut Deus, est militiæ creator,* id est, spiritualis militiæ, imo et spiritualium militum, institutor est et causa. Deus namque est nomen universalis principii D causalis et provisivi, ut in expositione præcedentis libri philosophice ac theologice est probatum. *Ut sapiens vero, leges ejus posuit,* id est, Christus secundum quod « sapiens » et sapientia ipsa, « posuit leges ejus », id est jussiones et statuta hujus militiæ, secundum quæ exercenda est : ut quum in Evangelio loquitur, Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit; (Matth. x, 22; xxiv, 13.) et rursus, Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum (Ibid. v, 10.) est regnum cœlorum; itemque, Quum steteritis ante reges et præsides, etc. ; et (Matth. x, 18-20.) denuo. Nolite timere eos qui corpus occidunt ; (Ibid. 28.) et iterum, Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidie, et sequatur me. (Luc. ix, 23.) *Operatus est, ut bonus, decora* * *victoribus bravia,* id est, Christus secundum quod bonus, promisit, paravit atque largitus est prævalentibus hostibus, divini honoris ac suæ salutis præmia copiosa et splendida : quæ dicuntur « bravia », secundum quod conferuntur in fine cursus et agonis vitæ præsentis. Unde dixit Apostolus : Nescitis quod hi qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? (I Cor. ix, 24.) Et iterum : Ad destinatum persequor, ad bravium vocationis supernæ. (Philipp. iii, 14.) De remuneratione autem vincentium, multa deprompsit in Apocalypsi : Esto, dicens, fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ; qui vicerit, non lædetur a morte secunda ; vincenti dabo manna absconditum : multaque alia. (Apoc. ii, 10, 11, 17.) Similiter et Sapiens ait : Spes electorum immortalitate plena est; in paucis vexati, in multis bene disponentur. (Sap. iii, 4, 5.)

* decoris

*Et adhuc divinius,* id est, istud adhuc magis divinum est, *quoniam quidem, ut optimus, in militibus effectus est,* id est, ipse Christus, in quantum piissimus et communicativissimus, effectus est militum ac militantium unus, per incarnationis mysterium inter homines conversatus, et præ omnibus ac pro omnibus persecutionem ac acerbissimam mortem perpessus, (Baruch iii, 38.) juxta illud : Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. (Philipp. ii, 8.) Et Isaias ait : Tradidit in mortem animam suam, et cum sceleratis reputatus est; vere languores nostros ipse tulit. (Is. liii, 12, 4.) Hinc subditur :

*Cum ipsis sacre pro eorum libertate et victoria ad mortis et corruptionis concertans potestatem :* id est, ipse Christus « concertans », id est, simul cum suis commilitonibus pugnans, « sacre », imo sacratissime et virtuosissime, « pro liber-

tate et victoria eorum », id est ad promerendum et impetrandum eis libertatem a servitute peccati et jugo diaboli, observantiarumque legalium, quæ erant onus gravissimum, quod nec patres nostri potuerunt servare, ut in Actibus legitur; pro libertate quoque ab obligatione damnationis perpetuæ, quia eramus natura filii iræ. De qua libertate ipse Salvator ait : Si Filius vos liberaverit, vere liberi eritis; et Paulus ad Galatas, Vos, inquit, in libertatem vocati estis. Ad impetrandum etiam eis victoriam, id est gratiam et virtutem vincendi cunctos adversarios suæ salutis, sicut ait Apostolus : Gratias Deo qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum. Qui dixit discipulis : In mundo pressuram habebitis; sed confidite, ego vici mundum. Idcirco Apostolus fassus est : Omnia possum in eo qui me confortat. Sic ergo Salvator fuit concertans « ad potestatem mortis et corruptionis », id est ad subjugandum sibi potestative ac meritorie ipsam mortem et corruptionem. Promeruit etenim nobis immortalitatem et incorruptionem contra mortem naturæ; eripuit quoque nos a morte culpæ, et item a morte gehennæ, quæ ut in Apocalypsi fertur, est mors secunda. Et isti sunt effectus passionis dominicæ. Hinc Christus in Apocalypsi fatetur : Habeo claves mortis et inferni. Sed et imperium mortis habere asseritur, de quo scripsit Psalmista : Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio. Qui in Osee prænuntiavit : De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos; ero mors tua, o mors, ero morsus tuus, inferne.

Act. xv, 10. Ephes. ii, 3. Joann. viii, 36. Galat. v, 13. I Cor. xv, 57. Joann. xvi, 33. Philipp. iv, 13. Apoc. ii, 11; xx, 14; xxi, 8. Ibid. i, 18. Ps. xxiii, 8. Osee xiii, 14.

*Certantibus quidem, tanquam Deus perfectus, ascendit gaudens :* id est, Christus ad consolationem et exemplum certantium « ascendit » in cœlum, « tanquam Deus perfectus », id est quasi vere omnipotens, quamvis corporalis illa ascensio convenerit ei secundum humanitatem assumptam. Divina ergo et increata virtute principaliter fuit ascendens : nihilo minus etiam secundario, merito suæ dignissimæ passionis, dote quoque agilitatis, dicente Apostolo, Factus est obediens usque ad mortem, propter quod et Deus exaltavit illum : et ad Hebræos, Videmus Jesum propter passionem mortis, gloria et honore coronatum, ut gratia Dei pro omnibus gustaret mortem. Ascendit autem « gaudens », jam glorificatus in anima et corpore. Glorificatio etenim illa, resurgendo et ascendendo atque in summo cœli empyrei residendo, completa est. Quam accidentalem glorificationem ipse sibi promeruit, quæ et ratione hypostaticæ unionis suæ humanitatis cum Verbo, sibi debebatur et competebat. Hinc Michæas prædixit : Ascendet pandens iter ante eos; et Psalmista, Ascendit Deus in jubilatione. Quæ ascensio est spes nostra, quia ascendit præstans nobis fiduciam felicissimæ ascensionis in cœlum, primo in anima, secundo in anima et corpore feliciter reunitis. Unde in hymno sanctus dixit Ambrosius : Est elevatus nubibus, et spem fecit credentibus.

Philipp. ii, 8, 9. Hebr. ii, 9. Mich. ii, 13. Ps. xlvi, 6.

*Manet autem in Sapientis legislationibus, et secundum eas sine transgressione contendit ad bonorum præmiorum spem, firmiter se habens, sub optimo militiæ Domino et duce ordinatus.* Istud non de Christo, sed de baptizato constituto sub Christo, exponitur : qui « manet in legislationibus Sapientis », id est in præceptis collatis sapientissimæ evangelicæ legis, « et contendit », id est, certat, laborat et satagit conversari, « secundum eas sine transgressione, ad spem », id est ad obtinendum bonum speratum, « præmiorum » optimorum, quæ omne desiderium spe superant, et omnem intellectum viatorum excedunt : propter quod Apostolus est testatus, Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis; « firmiter se habens », id est, fortiter et salubriter stans, « ordinatus sub optimo duce » ac principe « militiæ », id est Christo rege et capite suo. De quo ad Hebræos inducitur : Decebat eum propter quem omnia et per

Rom. viii, 18. Hebr. ii, 10.

quem omnia, auctorem salutis eorum per passionem consummare. Et Propheta : Quis est iste rex gloriæ ? Dominus virtutum ipse est rex gloriæ. (Ps. xxiii, 10.)

Porro Commentator etiam de baptizato exponit præcedentia quædam, videlicet, « certantibus quidem, tanquam Deus perfectus, ascendit ». Quæ expositio, secundum istam translationem, videtur extranea. Ve- A rum, secundum aliam potest teneri. Alia quippe habet : Certantibus quidem, ut in divinis perfectus. Sicque intelligi potest, quod baptizandus jam notabiliter factus divinus per præparationes præfatas, ascendit gaudens ad fontem Baptismi et ad præsulem baptizantem, ad ædificationem aliorum certantium contra peccata quæ ipse jam vicit.

# ARTICULUS XVI

## DE SPIRITUALI SIGNIFICATIONE MERSIONIS QUÆ IN BAPTISMO FIT, ALBARUM BAPTIZATI VESTIUM, ET UNCTIONIS.

DEINDE describitur spiritualis significatio mersionis quæ agitur in Baptismo. *Superans vero divinis vestigiis militum primi per bonitatem, Deum imitantibus militiis, ad deificationem contrarias ei et reluctantes operationes et subsistentias, commoritur Christo.* Hoc est : Baptizandus « superans operationes contrarias ei », id est pravas, saluti oppositas, « et reluctantes » ei, id est rationis suæ judicio, « et subsistentias », id est spiritus malignos, de quibus Apostolus, Colluctatio nobis est contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus : (Ephes. vi, 12.) quæ ei contrariantur « ad deificationem », quia deificationem ejus impedire conantur formaliter. Has superans « militiis imitantibus Deum », id est exercitiis spiritualibus Deo placentibus et conformantibus, « vestigiis militum primi », id est sectando vestigia Christi, qui secundum quod homo, et pugnator fuit et miles, et militum primus (qui teste Archiapostolo, passus est pro nobis, nobis relinquens exemplum, ut sequamur vestigia ejus : (I Petr. ii, 21.) prout ipse in Joanne loquitur, Si quis mihi ministrat, me sequatur), (Joann. xii, 26.) « per bonitatem », id est per actus virtutum, juxta quod dixit in Matthæo : Tollite jugum meum super vos, et (Matth. xi, 29.) B discite a me quia mitis sum et humilis corde; « commoritur Christo », id est simul cum Christo, deserendo vitam priorem iniquam, et de cetero christiformiter conversando : quod est mori peccatis. Propterea subditur : *mystice dicendum, peccato, per Baptismum,* id est, spiritualiter loquendo, moritur omni iniquitati, cui cum tanta exsecratione frequenter renuntiat.

*Et sapienter intelligit* ex informationibus sibi factis, *sacra cum quanta pulchritudine habet symbola,* id est, cum quam C magno decore virtutum accepit sensibilia illa signa et opera quæ ei adhibita sunt ante Baptismum, ut sunt unctio et crucis impressio, etc.

*Etenim, quoniam quidem mors est in nobis non essentiæ vel subsistentiæ, juxta quod visum est aliis, unitorum vero separatio :* hoc est, quia pro certo « mors » naturalis in hominibus « non est » corruptio « essentiæ », id est humanitatis aut animæ rationalis, nec « subsistentiæ », id est actualis exsistentiæ quæ ab essen- D tia fluit, et dicitur actus ejus, « juxta quod visum est aliis », id est, secundum quod apparuit quibusdam grossis philosophis, ut Epicureis, qui dixerunt animam rationalem esse mortalem; sed mors (Act. xvii, 18.)

ista est « separatio unitorum », id est divisio seu recessus animæ a corpore, præsertim in homine, cujus anima immortalis consistit. Hoc et Plato asserit in Phædone : Mors, inquiens, aliud non est quam animæ corporisque divisio. In quo libro immortalitatem animæ Plato fatetur evidenter ac probat. Quam et Proclus in Elementatione apertissime reserat et ostendit, dicendo : Omne quod ad se ipsum conversivum est, αὐθυπόστατον est ; et rursus, Omne αὐθυπόστατον perpetuum est ; itemque, Omne αὐθυπόστατον incorruptibile est. Denique, sicut juxta Philosophum, esse proprie est suppositorum, ita generari et corrumpi : sic quod sicut generatio dicitur esse conjunctio formæ substantialis atque materiæ, sic corruptio seu mors, earum separatio nominatur. De isto tamen plenius est dicendum in libro sequenti, in quo idem hic auctor affirmat, quod non corrumpitur aliquid exsistentium, sed modi et harmoniæ seu commensurationes circa exsistentia. *In nobis invisibile ducens,* id est, separatio ista seu mors ducit « in invisibile nobis », id est aliquid nobis occultum, *animam quidem, ut in privatione corporis semper futuram,* id est perpetuo mansuram post separationem a corpore, saltem usque ad diem judicii et horam resurrectionis communis futuræ, vel perpetuo, secundum philosophiæ doctrinam ; *corpus vero, ut in terra occultum,* id est, mors ducit corpus in invisibile, tanquam sub terra sepeliendum, *aut juxta alteram quamdam corporalium mutationem* *, id est per putrefactionem sub terra, *ex ea quæ est secundum hominem specie demolitum,* id est, destructum « ex specie ea quæ est secundum hominem », id est a forma et figura, quam amittit in sepulcro, nec eam recuperabit secundum cursum naturæ. Propter quod sanctus Job ait : Viam per quam non revertar, ambulo ; et iterum, Homo quum dormierit non resurget, donec atteratur cœlum non evigilabit, nec consurget de somno suo.

* mutationum

*Job* XVI, 23.

*Ibid.* XIV, 12.

*Pulchre per aquam universalis occultatio,* id est tota absconsio baptizandi in aqua Baptismi, in qua ad horulam mergitur, *in mortis et sepulturæ informitatis imaginem accipitur :* id est, occultatio illa « pulchre », id est condecenter, « accipitur in imaginem », id est pro figura, « informitatis », id est amissionis formæ prioris, « mortis » corporalis ac sepelitionis, id est, quæ amissio fit per mortem et sepulturam, quas consequitur resolutio et putrefactio corporis. De hac re dictum est supra, cum allegatione verborum Apostoli ad Romanos. art. XI. *Rom.* VI, 3, 4.

Præterea, quid designet trina baptizandi immersio in aqua subjungit.

*Sacre ergo* * *baptizandorum symbolica doctrina mystice docet,* id est, « doctrina » ista data de baptizandis, includens in se sensibilia signa et facta, seu facta significativa, id est aliquid designantia, « sacre », id est religiose, « docet mystice », id est spiritualiter et occulte; *tribus in aqua demersionibus et elevationibus,* id est per tres demersiones baptizandi in aqua Baptismatis, et per totidem extractiones et elevationes ejus ex illa, *divinam triduo totidemque noctibus in sepultura Jesu vitæ datoris imitari mortem :* id est, sectari « divinam mortem » corporalem « Jesu » qui est dator « vitæ » : qua morte ipse mortuus fuit « triduo », id est tribus diebus artificialibus, « totidemque noctibus » in sepulcro, intelligendo hoc ipsum per synecdochen, ut satis vulgatum est. Unde in Evangelio dixit : Sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terræ. Unde et per Osee prædictum est : Vivificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos. Hanc divinam mortem triduanam sequimur cessando totaliter a triplici genere culpæ, videlicet cordis, oris, et operis. Dicitur autem mors divina, quia mors Christi, qui verus est Deus, quamvis non conveniat ei secundum naturam divinam. Rursus divina mors appellatur, quoniam sancta est illa mors,

* igitur

*Matth.* XII, 40.

*Osee* VI, 3.

per quam divinæ et beatæ vitæ consortes A et heredes sumus effecti, et a multiplici morte erepti, juxta illud Petri : (*I Petr.* III, 18, 22.) Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo, mortificatos quidem carne, vivificatos autem spiritu, deglutiens mortem ut vitæ æternæ efficeremur heredes. Præterea Christus secundum quod Deus, est dator primus ac principalis totius vitæ naturæ et gratiæ ac gloriæ ; secundum naturam vero assumptam (quæ teste Damasceno libro tertio, fuit instrumentum animatum, pro- B prium et conjunctum, Verbi ei uniti), est dator vitæ gratiæ et gloriæ meritorius et instrumentalis : quia ut fertur apud Joannem, (*Joann.* I, 16.) De plenitudine ejus nos omnes accepimus gratiam pro gratia. Unde denuo protestatur : (*Ibid.* X, 10.) Ego veni ut vitam habeant, et abundantius habeant; itemque, (*Ibid.* 28.) Ego vitam æternam do eis.

Sic itaque imitari debemus mortem divinam, *quantum possibile viris divina imitatio,* id est, « quantum imitatio » ista « divina », videlicet cessatio ab omni pec- C cato, est quid « possibile viris » divinis, communi infirmitate et fragilitate circumdatis : qui secundum legem generalem diu esse non queunt sine veniali peccato, quia etsi singula, non tamen omnia venialia valent vitare.

*In quo, juxta Eloquii mysterialem et occultam traditionem,* id est juxta evangelicam doctrinam, cœlestis vitæ ac patriæ significativam, *nihil invenit princeps mundi,* id est, « nihil » culpæ « invenit » diabolus, mundanorum hominum D « princeps » et caput quantum ad esse iniquitatis. Nempe ut scriptum est : (*I Petr.* II, 22.) Peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. Qui in Joanne fassus est : (*Joann.* XIV, 30.) Venit enim princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam.

Sequitur de spirituali significatione vestimentorum alborum. *Deinde vero luciformia vestimenta induunt consummatum,* id est, sacerdotes episcopo baptizanti subministrantes, post præfata « induunt consummatum », id est baptizatum jam in Baptismo plene purgatum ac virtutibus decoratum, vestes luciformes, id est albas et mundas, in quibus lux magis imbibita est et abundat, quam in coloribus aliis. *Virili enim et deiformi vi* *, *contrariorum impassibilitate et ad unum firmo contuitu, inordinatum ornant* *, id est, baptizatum qui ante suam conversionem fuit inordinatus, « ornant » et induunt sacerdotes « vi virili et deiformi », id est vigore virtutum valde divino, et « impassibilitate contrariorum », id est reformatione passionum inordinatarum, ut non lædatur ab illis, neque ab aliis vitiis seu invisibilibus inimicis, « et contuitu firmo », id est respectu forti, « ad unum », id est ad ultimum finem. His divinissimis bonis induunt illum vel dispositive, vel cooperative, ad proficiendum et persistendum in illis, vel quia designant eum his esse ornatum, per hoc quod induunt eum vestes per quas ista signantur. *Et informe formificatur, luciformi universaliter vita splendens,* id est, conversatio ejus prius informis, infructuosa et arida, nunc in Baptismo formata est caritate ferventi seu ejus profectu, « splendens » de cetero « universaliter », id est in omnibus verbis et actibus, « luciformi vita », id est actionibus exemplaribus et doctrinalibus verbis, juxta illud : Sic luceat lux vestra (*Matth.* V, 16.) coram hominibus. Sicque Philippensibus scripsit Apostolus : Sitis simplices filii (*Philipp.* II, 15, 16.) Dei in medio nationis pravæ et perversæ, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes. Salomon quoque in Proverbiis : Justorum (inquit) (*Prov.* IV, 18.) semita quasi lux splendens, procedit et crescit usque ad perfectam diem.

* alias om. vi

* inornatum ornatur

Sequitur de mystica notatione unctionis. *Unguenti autem perfectiva unctio,* id est baptizati unctio consummativa significatione, *odoriferum facit perfectum,* id est, designat ipsum baptizatum esse dulcis ac bonæ famæ, sicut ait Apostolus : Christi (*II Cor.* II, 15, 14.) bonus odor sumus in omni loco. Nam et chrisma per balsamum ei admixtum odo-

riferum est. *Sacra enim divinæ generationis consummatio,* id est sancta Baptismi completio, *coadjuvat* * *consummata divino Spiritui,* id est, perfecta actualiter seu exsecutive « coadjuvat », id est, cooperatur ut quoddam instrumentum, « Spiritui » Sancto, qui per sensibilia signa operatur in baptizato. *Invisibiliter autem odorificum et perfectivum adventum ineffabiliter exsistentem,* id est, interiorem et spiritualem « adventum » Spiritus Sancti vere suavem et « perfectivum », qui ineffabilis est, id est, plene et comprehensive exprimi nequit, quamvis vocaliter exprimatur, *cognoscere intellectualiter,* id est mentaliter noscere per experientiam, aut certa vel probabilia indicia, *concedo,* id est, fateor convenire, *dignis secundum intellectum divini Spiritus sacra et deifica communicatione,* id est, hominibus purgatæ mentis, qui quantum possibile est, ex dignatione et gratia Dei digni sunt « communicatione », id est copiosa, sancta ac deificante influxione et participatione, « Spiritus » Sancti, ita quod multum divini sunt et Dei amici, tanquam secretarii ejus, qui vel ex revelatione, vel ex certis experientiis et visitationibus revelationi quasi æquivalentibus, noscunt se esse in caritate ac donis atque effectibus ei annexis, quum et Apostolus fateatur : Ipse Spiritus testimonium perhibet spiritui nostro, quod filii Dei sumus. Sed et princeps Apostolorum : Per opera (ait) bona certam faciatis vocationem vestram. Porro de invisibili Spiritus Sancti adventu in libro Job asseritur : Si venerit ad me, non videbo eum ; si abierit, non intelligam.

* coadunat

*Rom.* VIII, 16.

II *Petr.* I, 10.

*Job* IX, 11.

*In fine autem omnium,* id est, cunctis prædictis circa baptizatum completis, *summus sacerdos ad sacratissimam Eucharistiam vocat perfectum,* id est, ipsum baptizatum taliter intus ornatum et consummatum, hortatur ad sacram communionem, *et perfectivorum mysteriorum ipsi tradit communionem,* id est Eucharistiæ sacramentum, in quo continentur et considerantur plura et magna mysteria, quorum fide, virtute et efficacia perficimur et salvamur. In hujus etenim sacramenti celebratione et receptione, recordamur dilectionis, miserationis et beneficentiæ Dei ad nos, mysteriorumque Christi, videlicet incarnationis, conversationis ejus in sæculo isto, ultimæ Cœnæ, ac institutionis sacramenti istius, passionis, resurrectionis ascensionisque ejus : quorum omnium, hoc superadmirabile et supervenerandissimum sacramentum, est pretiosissimum memoriale. Hujus vero sacramentalis communionis significationem et rationem hic transilit, quoniam in capitulo proxime subsequenti tractaturus est inde.

# ARTICULUS XVII

### APPENDIX QUORUMDAM AD BAPTISMA PERTINENTIUM.

NUNC de sacramento Baptismi aliqua sunt addenda.

Baptismus ergo essentialiter est intinctio hominis prius non baptizati, in aqua verbo vitæ sanctificata, seu ablutio facta in aqua simplici naturali, sub præfixa forma verborum.

Sunt demum tria ad Baptismum requisita, quæ sunt materia ejus, utpute : Aqua elementaris. Et forma verborum, quæ est : Ego baptizo te in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Verumtamen istud, Ego te baptizo, non est, stricte loquendo, de Baptismi essentia. Nam et Græci vere ba-

ptizant dicendo : Baptizetur servus Christi in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Latinis tamen non licet præscriptam formam mutare. Tertium est ministri intentio, ut saltem intendat facere quod facit Ecclesia. Regularis quoque minister Baptismi, est sacerdos, quamvis in necessitate homo quicumque. Immersio quoque in aqua, sive una, sive trina, non est de necessitate Baptismi : imo sufficeret, si caput solum adspergeretur. Attamen idonea consuetudo Ecclesiæ non est omittenda.

Denique modo quatuor sacramentalia præcedunt Baptismum, quæ sunt : Exsufflatio baptizandi, designans expulsionem diaboli ; et insufflatio baptizantis, significans Spiritus Sancti infusionem. Secundum est immissio digitorum in aures, denotans gratiam et sapientiam, atque a vitiorum putredine præservationem. Tertium est contactus salivæ ad aures et nares, designans apertionem spiritualium sensuum. Quartum est unctio olei in pectore et inter scapulas, quo designatur amor legis divinæ, et devota ad eam subjectio. Tria quoque fiunt post Baptismum, quæ sunt : chrismatio in vertice, denotans gratiam Christi in mente ; impositio cerei, significans claritatem fidei et amoris ; induitio vestis albæ, restitutionem innocentiæ signans. De his tamen diffusius beatissimus Dionysius tractat in textu.

Insuper, triplex assignatur a Magistro, A libro quarto, ratio institutionis sacramentorum. Prima, ut dum homo in rebus materialibus et vilibus quærit salutem, magis se ipsum in cunctis humiliet. Secunda, propter eruditionem, ut per exteriora signa, interiorem gratiam, virtutem et effectum addiscat. Tertia, propter exercitationem, ut in sacramentis utiliter occupatus, nequaquam otio resolvatur aut teporem incurrat. Verumtamen sanctus auctor hujus voluminis aliam tangit, quæ et quarta potest ratio appellari, quia con- B naturale est nobis per sensibilia ad spiritualia introduci.

Amplius, passio Christi est quasi universalis causa et medicina salutis humanæ. Causa autem et medicina generalis necessario applicatur ad diversos effectus ac varias curationes per diversa instrumenta seu media, quæ et sensibilia convenit esse. Hinc Salvator septem instituit sacramenta, per quæ tanquam per medicinalia vasa, applicatur hominibus virtus, gratia et meritum dominicæ passionis. Per C quod etiam edocemur visibilia et invisibilia, materialia et immaterialia, ab eodem principio esse producta, ut confundatur stultissima hæresis Manichæi.

Postremo, circa hoc ipsum capitulum plurima possent inquiri, et quasi omnia quæ circa sacramentum Baptismi occurrunt quærenda. De quibus pertranseo, quoniam super quartum Sententiarum et in Summis doctorum plene inveniuntur.

## PARAPHRASIS ABBATIS VERCELLENSIS

QUOD intentionem hierarchiæ nostræ, id est assimilationem et unitionem ad Deum, consequimur diligendo et operando divina mandata, et quod sancta et divina regeneratio Baptismi, est principium operationis mandatorum Dei, formans et quasi figurans nostrum interiorem hominem ad susceptionem et habitudinem aliarum doctrinarum, et operationum, et sanctificationum, et studium et D contemplationem divinorum. Hæc autem ita se habere, ostendit per dilectionem Dei, quæ teste Hierotheo, primus et principalis motus est mentis in divina. Baptismus vero, qui in divinum esse nos regenerat, principium et quasi fundamentum est ipsius dilectionis per quam implentur mandata : quia sicut prius est esse, quam scire vel movere vel operari, et prius est esse hominem, quam operari hu-

mana; ita prius est esse divine, quam scire vel operari divina. — Post arcet imperfectos a profundis mysteriis, sub exemplo radiorum solis, et quorumdam hominum qui leguntur de præsumptione correcti et puniti.

MYSTERIUM.

Hierarcha siquidem provocans peccatores ad pœnitentiam, annuntiat divinam misericordiam et bonitatem, commemorando Verbi incarnationem, et Dei ad nos unitionem sub
*Joann.* I, 12, 13. exemplo ignis, juxta illud Joannis : Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus : qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. — De peccatore compuncto ad conversionem, et quærente ducem et magistrum conversionis suæ, se ipsum arguente, obedientiam promittente, et ad tanta obstupescente. Quem dux ille benigne suscipiens et clementer tractans, ducit ad hierarcham. — Quem hierarcha suscipit hilariter, exemplo
*Luc.* XV, 4, 5. Domini ovem perditam reportantis. Et de ipsius conversione mentaliter gratias agendo, et adorat corporaliter, et chorum invitat ad cooperandum saluti ejus qui convertitur, et ad gratias agendum Deo cum aliquo cantico sacræ Scripturæ publice decantato. Post hierarcha osculatur altare; deinde procedens, eum qui convertitur quærit quid petat. Quo se ipsum accusante de prava conversatione, et infidelitatis errore, et boni omissione, et rogante ut fiat ipse mediator reconciliationis suæ ad Deum, hierarcha respondet quod oportet eum totaliter ad Deum converti, et vitæ præteritæ integre renuntiare; et qualiter eum conversari oportet recitans, quærit an paratus sit ita agere. Quo ita confitente, imponit manum capiti, et jubet eum et susceptorem suum a sacerdotibus describi, incipiens orationem.

Qua completa ab universa ecclesia, exuit eum, sed non ex toto, per manus ministrorum. Postea facit eum prosterni ad occidentem, et ter abrenuntiare Satanæ et conversationi præteritæ vitæ. Deinde ducit ad orientem, et sursum respicientem et manus extendentem participem facit Christianorum et sanctarum Scripturarum. Deinde hierarcha eidem iterum ter confitenti ut supra, orans benedicit. — Et tunc penitus denudant eum ministri, et hierarcha eum oleo sancto ungere incipit trina significatione, et sacerdotes complent, ungentes oleo totum corpus ejus. Et tunc ad Baptismum procedit; et præmissa benedictione super aquam, hierarcha cum chrismate tres cruces facit in ipsa aqua, cum totidem decantationibus alleluia et psalmorum, secundum varias Ecclesiæ consuetudines. Deinde recitata descriptione tam viri quam susceptoris sui, ipse vir a sacerdotibus ad aquam adducitur, dirigente eum in aqua manu hierarchæ. Deinde sacerdotibus nomen baptizandi recitantibus, episcopus ter eum immergens in aquam, et ter elevans, baptizat eum cum nominatione sanctæ Trinitatis. Quem sacerdotes mox assignant susceptori suo; et ipsi cum ipso susceptore, baptizatum veste sibi congrua indutum reducunt ad hierarcham. Quem episcopus chrismate signans, concedit ei Eucharistiam. — Quibus completis, baptizatus extenditur ad cognitionem mysteriorum quorum fidem suscepit, tanquam semper profecturus, in anteriora se extendens, et posteriorum oblitus, nec aliquando ad pristina *Philipp.* III, 13. reversurus, sed in divina a Spiritu Sancto semper promovendus.

CONTEMPLATIO.

Quod hæc quæ symbolice in Baptismo fiunt, nihil continent immundum vel inconveniens, sed quod invisibilia Dei opera insinuant per signa connaturalia et hominibus congruentia. Nec nocet, quod suppresso interim subtiliori mysterio, negotietur persuasio conversionis et cognitio sibi competens, salutem ejus qui convertitur, et per aquæ ablutionem insinuetur ei purgatio interior peccatorum suorum. Opera siquidem illa symbolica, licet nihil aliud mysterii continerent, immunditiæ notam non haberent, quum eum qui convertitur, ad vitam ordinatam inducant, et vitæ præteritæ purgationem eidem evidenter denuntient. Sed talis denuntiatio facile intelligibilis, congruit inductioni imperfectorum ad hierarcham, qui per hujusmodi jam distinguuntur ab immundorum multitudine, et coaptantur mysteriis inferioribus sibi congruentibus. Provectioribus vero congruit, ad principalia eorum quæ fiunt mysteria intendere, et horum characterum occulta ex imagine scrutari. Sensibilia enim viam præbent ad investiganda invisibilia tanquam ta-

lium imaginum veritatem, et intelligibilia sunt sensibilium principium et veritas.

Mysterium primi articuli hujus sacramenti, quod est supra. Hierarcha ergo materialis cunctos ad veritatis cognitionem invitans, Deum signat, cujus bonitas semper uniformiter cunctis intellectibus superradiat, se ipsam offerens et exponens. Si autem mens a præsenti et superradianti lumine vel intellectuales oculos clauserit, vel averterit, vel etiam mensuram suam excedens, in scrutinia divinorum præsumptuose se mergat, divinum lumen nihil agit nisi quod suum est, scilicet ut prædictum est. Qui autem supra mensuram suam præsumit, et illa perfectiora quæ præsumit, non consequitur, et imperfectioribus quæ consequi poterat, privatur. Divinum autem lumen, ut dictum est, nihilo minus semper mentibus se extendit, et in optione earum est haurire de ipso lumine semper præsenti et paratissimo se ipsum dare. Prædictam Dei bonitatem imitatur episcopus, cunctis offerens lumen doctrinæ suæ, neque iracunde improperans infidelitatem vel malitiam vitæ præteritæ his qui convertuntur, sed benigne eos suscipiens vel erudiens secundum singulorum capacitatem.

Sequitur de eo qui convertitur, se ipsum cognoscente et accusante, ut supra eodem. Unde innuitur quod mentes Deum cogniturae, primo in se deflectantur, et ex se speculis Dei et imaginibus divinas in theorias proficiscantur. Qui autem propria invisibilia sine obtusione et aciei reverberatione clare inspicit, jam tenebrosæ ignorantiæ eripitur, sed ad divinæ unitionis excellentiam non statim extenditur. Necesse enim habet de infimis gradibus ad medios, et per medios ad summum seriatim conscendere. Et hujus mediationis symbolum est, conversi verecundi sui cognitio, susceptoris ducatus ad hierarcham. Similiter per prædictam mediationem mens pervenit ad divinam participationem. — De

A significatione signationis, et descriptionis conversi et susceptoris.

Quod oportet a vitiis prius exui et quibuslibet contrariis, ut sequatur induitio virtutum et donorum. Hoc innuit exuitio, et cetera, ut habetur eodem capitulo supra. De cujus anagoge anagogica, in Angelica vel cœlesti hierarchia, sicut patet infra, videlicet decimo quinto capitulo. Item quid signat abrenuntiatio, exsufflatio, ad orientem reductio, etc. Quod vitiorum mortificationibus et assiduis in Deum profectibus, habitum intellectualis ornatus consequimur, et lumine sicut vestimen- *Ps.* CIII, 2.
B to amicimur.

Neque sufficit a malo recedere, nisi assidue et perseveranter in anteriora extendamur. *Philipp.* III, 13.
Quorum symbola sunt quæ successive hinc fiunt, scilicet unctio, quæ pugili convenit. Deus autem per potentiam, quæ Patri attribuitur, hunc pugilem roborat; per sapientiam Scripturarum, quæ Filio attribuitur, eumdem instruit; per bonitatem, quæ attribuitur Spiritui Sancto, eumdem remunerat.

Pugil autem spiritualis luctans contra vitia et dæmones, impedientia suam deificationem superans certamina ad imitationem Salvato-
C ris, vestigiis ipsius Christi primi certatoris, propter bonam gratiam unctionis tandem baptizatus, quasi Christo commoritur peccato, id est, a peccato separatur. Mors enim non est rei consumptio, sed conjunctorum separatio. Vel ideo Baptismus morti comparatur, quia baptizatus totus aquæ immersus absconditur sicut mortuus in sepulcro. — Quod trina immersio in aqua cum totidem elevationibus, signat imitationem mortis dominicæ, cujus triduana fuit sepultura. Et quod splendidæ vestis induitio signat habitum splendidæ conversationis. — Quod chrismatis inunctio signat
D baptizatum ipsum spiritui ecclesiastico unitum, intellectualiter bene fragrare, et divina dignum esse communione : unde tandem assumitur ad participationem Eucharistiæ.

# CAPITULUM III

## DE PERFICIENDIS IN SYNAXI.

SED euge, quoniam hujus commemoratio quidem erat, non mihi justum est transcurrenti hierarchicorum quid ante eam aliud laudare. Etenim est, secundum gloriosum nostrum magistrum, hostiarum hostia. Et oportet ante alias eam sacre scribens exponentem ex divina (juxta Eloquia) et hierarchica scientia, in sacram ejus ascendere divino Spiritu contemplationem. Et primo quidem hoc sacre inspiciamus, propter quid commune aliis hierarchicis teletis, discrete huic ultra ceteras deputatur, et singulariter prædicatur communio et synaxis, unaquaque sacra perfectiva actione partitas nostras vitas in uniformem deificationem colligente, et divisarum deiformi complicatione, ad unum communionem et unitatem donante. Dicimus autem quia eas aliorum hierarchicorum symbolorum participationem, consummationem, ex istius divinis et perfectivis invenire est donis. Non enim inest fere quamdam perfici teletam hierarchicam, nisi divinissimæ Eucharistiæ in consummatione per singula perficiendorum, ad unum perficiente sacrificio collectionem, et Deo tradita donatione perfectivorum mysteriorum, perficiente ipsius communionem ad Dominum. Si ergo unaquæque hierarchicarum teletarum imperfecta quidem dum sit, ad unum nostram communionem et synaxim non perficiet, et est teleta, propter quod perfectissimum dedicat, finis autem totius et capitulum divinorum mysteriorum, perfecta traditio; merito hierarchica intelligentia cognominationem ei propriam ex actionum veritate invenit. Sic et sacram divinæ generationis teletam, quoniam primum lumen tradit, et omnium est principium divinarum in lumine introductionum, ex perfecto veram illuminationis nominationem laudamus. Siquidem omnibus commune hierarchicis, lucem sanctam tradere perficiendis. Sed hæc primum videre donavit mihi, et per ipsum ejus principale lumen in aliorum sacrorum conspectum luciducor. Hæc autem dicentes, respiciemus et videbimus hierarchice per singula diligentem sanctissimæ teletæ actionem sacram et contemplationem.

### MYSTERIUM SYNAXEOS SIVE COMMUNIONIS.

Summus quidem sacerdos orationem sacram super divinum altare perficiens, ex ipso adolere inchoans, in omnem venit sacri chori ambitum; rediensque iterum ad divinum altare, incipit sacra psalmorum melodia, concinente ei psalmificam

sacram orationem omni ecclesiastica dispositione. Deinde vero per ministros ipsa professarum * deltarum lectio consequenter fit. Et post has foris fiunt sacro ambitu catechumeni, et cum ipsis energumeni, et qui sunt in pœnitentia. Manent autem divinorum adspectu et communione digni. Ministrorum vero alii quidem stant ad templi portas conclusas; alii vero aliud quid proprii ordinis operantur; alii autem ministratoria dispositione discreti, cum sacerdotibus super divinum altare proponunt sacrum panem et benedictionis calicem, ante confessa ab omni ecclesiæ plenitudine catholica hymnologia. Cum quibus divinus pontifex orationem sacram perficit, et sacram pacem omnibus promittit; et salutantibus inter se invicem omnibus, mystica sacrorum voluminum prædicatio perficitur. Et lavantibus manus aqua summo sacerdote et sacerdotibus, summus quidem sacerdos in medio divini altaris stat; circumstant autem soli cum sacerdotibus ministrorum selecti. Et sacras divinas actiones summus sacerdos laudans, sacrificat divinissima, et sub conspectu ducit laudata per sacre procumbentia symbola. Et donationes divinorum actuum ostendens, in communionem eorum sanctam ipseque venit et alios adhortatur. Accipiens vero et tradens divinam communionem, in eucharistiam sacram desinit : multis quidem in sola divina symbola prospicientibus, ipso autem semper divino Spiritu ad sancta perfectorum principia, in beatis et intellectualibus speculationibus hierarchice in puritate deiformis habitus ascendente.

* propheticarum

## THEORIA.

Veni ergo, o puer bone, post imagines, in ordine et sacre in deiformem principalium exemplorum veritatem. Illud perfectis in coadunatam suarum animarum introductionem dicam, quomodo symbolorum varia et sacra compositio non sine intellectu eis subsistit, et non usque ad ea quæ extra sunt apparens solummodo. Sacratissimi quidem enim Eloquiorum cantus et lectiones, doctrinam eis in virtute vitæ denuntiant, et cum his perfectam corrumpentis malitiæ purgationem. Divinissima autem unius et ejusdem et panis et calicis communio et pacifica traditio, similem eis conversationem divinam, tanquam similiter edentibus, promulgat; et divinissimam Cœnam et principale symbolum perfectorum, in memoriam sacram ducit : juxta quod et ipse symbolorum conditor partitur sanctissime non sancte ei et unimode sacra concœnantem, docens facile simul et deiformiter, quomodo ipsa juxta habitum vera in divina assumptio, ad similitudinem eorum communionem ipsis advenientibus donat.

Hæc igitur, ut dixi, in abditorum atria bene descripta, imperfectis adhuc ad contemplationem sufficientem relinquentes, intremus a causalibus in causas juxta sacram nostram synaxim et decoram. Invisibilium Jesu luciduco videbimus theoriam beatam declarantem manifeste principalium formarum pulchritudinem. Sed, divinissima et sacra teleta, circumposita tibi symbolice vestimenta ænigmatum

revelans, splendide nobis manifestare, et intellectuales nostros vultus uniformi et non velato lumine reple.

Oportet igitur nos intus adesse, sacratissimorumque invisibile primi agalmatum denudantes, in deiformem ejus pulchritudinem intendere, et summum sacerdotem divinitus videre a divino altari usque ad extrema templi cum suavi odore venientem, et iterum in ipso perfective residentem. Ipsa enim super omnia divina beatitudo, etsi bonitate divina proveniat in participantium sua sacra communionem, sed non extra, per substantiam immutabilem, statum et collocationem efficitur; et omnibus deiformibus proportionaliter illucendo, circa semetipsam vere exsistit, et a propria omnino non transmutatur immutabilitate. Similiter divina synaxeos teleta, etsi singulare et simplex habeat et complicitum principium, in sacram varietatem symbolorum humanitus multiplicatur, et usque ad omnem implet hierarchicam imaginum descriptionem; sed uniformiter ex his iterum in propriam unitatem colligitur, et unificat in se sacre reductos. Juxta hunc autem deiformem modum divinus summus sacerdos, etsi unitam suæ hierarchiæ disciplinam deiformiter in subjectos deducit, sacrorum ænigmatum pluralitatibus utens, sed iterum tanquam absolutus et minoribus immensurabilis, in proprium principium indiminute restituitur; et in unum, suum intellectualem faciens introitum, videt pure perfectorum uniformes rationes, in secunda humanæ processionis summum, in prima diviniorem conversionem faciens.

Psalmorum autem sacra oratio conveniens omnibus fere hierarchicis mysteriis, nonne futurum est explicari omnium summo sacerdotalissimo? Omnis quidem enim sacra et hagiographos deltos, aut ex Deo exsistentium generalem * subsistentiam et dispositionem, aut legalem hierarchiam et conversationem, aut divini populi hereditatum distributiones et habitationes, aut judicum sacrorum aut regum sapientium aut sacerdotum divinorum intelligentiam, aut veterum virorum in varietate et multitudine anxietatum immutabilem in patientia philosophiam, aut actionum sapientes synagogas, aut divinorum amorum cantica et divinas imagines, aut futurorum propheticas prædicationes, aut viriles Jesu divinas actiones, aut ipsorum discipulorum Deo traditas et Dei imitatorias conversationes et sacras doctrinas, aut occultam et mysticam visionem ipsorum discipulorum dilectissimi, et divini ac mirabilis (supermundanam Jesu theologiam ad deificationem opportunis narravit et sacris teletarum et deiformibus anagogis) corradicavit. Divinorum autem cantuum sacra scriptura intentionem habens et theologias et divinas actiones omnes hymnizare, et divinorum virorum sacras orationes et sacrificationes laudare, universalem facit divinorum cantum et narrationem, ad totius hierarchicæ teletæ susceptionem et traditionem habitum pulchrum efficiens divinitus eam psallentibus. Quum igitur continua sacratissimorum hymnologia animales nostros habitus coadunate disposuerit ad paululum * sacrificia exponenda, et divinorum cantuum consonantia ad divina et nosmetipsos et inter nos invicem consensum, ut una et confessa sacrorum regione promulgaverit coordinata et coadumbrata magis in

* generatam

* paulo post

intellectuali psalmorum psalmodia, per plures et apertiores imagines et prædicationes inveniuntur* sacratissimis professarum constructionum lectionibus. In his *dilatantur adspiciens sacre, videbit uniformiter unam inspirationem ut ab uno divino Spiritu conclusam. Unde pulchre illi mundo post antiquiorem traditionem novum Testamentum prædicatur : divina et hierarchica ordinatione illud (æstimo) declarante, quomodo ipsa quidem dixit futuras Jesu divinas operationes, hoc vero perfecit; et quomodo quidem illa in imaginibus veritatem scripsit, hoc vero præsentem demonstravit. Illius enim prædicationibus, hoc per se ipsam perfecta operatione veritatem cognovit; et est Theologiæ divina operatio consummatio.

Harum* alii quidem non circumtubicinantes, universaliter sacrarum teletarum * Horum neque imagines vident, impudenter negantes salutarem divinæ generationis doctrinam, et Eloquiis perdite respondentes : Vias tuas scire nolumus. Catechumenos, *Job* XXI, 14. energumenosque, et eos qui sunt in pœnitentia, sanctæ hierarchiæ lex permittit quidem audire psalmicam sacram orationem, et divinam sanctissimarum Scripturarum lectionem. Iterumque deinde ad sacrificationes et contemplationes non vocat tales, sed perfectos perfectorum oculos. Est enim deiformis hierarchia justitiæ sacræ plena, et juxta dignitatem unicuique salutariter describit compactam uniuscujusque divinorum participationem, in commensuratione et analogia secundum tempus sacre donans. — Ultimus igitur catechumenis distribuitur ordo. Sunt enim expertes et indocti omnis hierarchicæ perfectionis, neque juxta divinam comprobationem, divinam habentes subsistentiam, sed adhuc paternis eloquiis obstetricati, et adhuc talibus formis informati ad eam ex divina generatione primo vitalem et primo illuminantem et beatam accessionem, tanquam imperfecti et informes projecti secundum carnem infantes propria obstetricatione, velut obcæcati et abortivi, non genitalem et non vitalem et non illuminatum in terra casum habebunt. Et nonne quidam bene sapientium dicit, ad manifestum respiciens lumen, eos prægravari tenebris a vulva alienatos? Dicit enim fortassis corporum disciplina ad hos, quæ *Ps.* LVII, 4. est medicina, lumen operari in capacibus lucis. Sic et sacrorum sapientissima disciplina, primo quidem eos formativorum et vivificativorum eloquiorum introductivo alimento obstetricat; perficiens autem ante divina generatione eorum substantiam, dat salutariter eis in ordine ad lumen deiformem et perfectivam communionem. Nunc autem tanquam ab imperfectis separat perfecta, et bono ornatui sacrorum providens, et catechumenorum in deiformi hierarchicorum ordine obstetricationi et vitæ. — Energumenum autem multitudo, immunda quidem et ipsa, secunda vero sursum versus catechumenum est extremitate. Neque enim æquale est, ut æstimo, universaliter indocto et divinarum teletarum summe non communicanti, quod participationem quamdam sacratissimarum habet consummationum. Est autem contrariis aut potestatibus aut perturbationibus informatum. Sed et ab eis sacratissimorum divina communicatio corripitur, et valde merito. Si enim est vere ut universaliter divinus vir divinis dignus, ad suæ deiformitatis summum in perfectissimis et consummativis deificationibus ascendens, nec quæ carnis sunt

operabitur præter naturæ valde necessaria, et hæc, utpote annullatim, templum autem simul et consequens in sua sublimissima deificatione, divini Spiritus erit, simile in simili collocans; non fortassis talis aliquando a contrariis patietur phan- tasiis aut erroribus *. Deridebit autem hæc, et cum advenientibus luctabitur, et persequetur, et operabitur magis quam patietur. Et adhuc proprio habitu impatiente et non indigente, et aliis medicus videbitur talium operationum. — Æstimo autem ego, magis autem aperte scio, hierarchicorum purissima discretio pro talibus novit energumenum, per pollutissimam operationem quicumque a deiformi discedunt vita, et consentientes, et similiter conversantes, perditis fiunt dæmonibus : vere quidem exsistentia, et immortaliter creata, et æternaliter delectata, per extremam et sibimet perniciosam insipientiam avertentes; materialem vero et multum passibilem alienationem, et perditas et corrumpentes delicias, et infirmam, in alienis, non exsistentem sed opinabilem delectationem, concupiscentes et operantes. Primi ergo ipsi, et potius illis, a ministro discretiva voce segregantur. Non enim justum est eis alterius cujusdam sacri participare, quam Eloquiorum conversoriæ ad meliora doctrinæ. Ea enim divinorum supermundane sacrificatio, ab iis qui sunt in pœnitentia et ad eam jam venientibus absconditur, non omnino ad sacratissimum admittens. Appellat vero et hæc castissime, quia In aliquo ad deiformitatis summum imperfecte infirmantibus invisibilis vado et non communicabilis. Abigit enim per omnia clarissima vox non valentes conjungi divinorum digne communicationibus. Multo magis passibiliter energumenum multitudo immunda erit, et omni alienata sacrorum inspectione et communicatione.

* terroribus

Deinde divino fiunt foris templo et superexcellenti ejus sacrificio : teletarum indocti et imperfecti; et cum ipsis, a sacra apostatæ vita; consequenterque his, adversus contrariorum et vincula et phantasias propter infirmitatem bene patientes, quippe non pervenientes ad divina per corroboratum et non indigentem contuitum in deiformis habitus incommutabile et activum; deinde cum ipsis, contraria quidem recedentes vita, nondum autem et phantasiis ejus, habitu et amore divino et claro, purgati; et post hos, qui non omni modo uniformes, et legaliter dicendum, immaculati et incontaminati sunt perfectissime. Sanctissimi tunc sanctissimorum sanctificatores, et contemplationis amatores, sanctissimam teletam sancte et decenter inspicientes, laudant hymnologia catholica beneficum et bonorum largiens principium, subintroducentes salutares nobis, quæ revelatæ sunt teletæ, sanctam perfectorum deificationem sacrificantes. Hymnum autem hunc alii quidem hymnologiam vocant; alii autem, Religionis symbolum; alii vero (ut æstimo) divinius, hierarchicam eucharistiam, tanquam comprehensivam in nos divinitus pervenientium sacrorum donorum. Videtur enim mihi laudandorum omnium divinorum operum actionem circa nos fieri : essentiam quidem nostram et vitam deiformiter substituens, et principalibus exemplis et pulchris deiforme nostrum formans, et divinioris habitus et renovationis in participatione constituens; segregans autem ex negligentia ingenitam nobis sollicitudinem, divinorum reficiens nos bonis, in antiquum

revocat; et perfectissima nostrorum assumptione, consummatissimam propriorum traditionem optime operatur, et hanc societatem nobis Dei et divinorum donat.

Sic autem divina humanitate sacre laudata, occultus quidem divinus panis apponitur, et benedictionis calix. Divinissima autem salutatio sancte agitur, et hagiographorum voluminum mystica et supermundana recitatio. Non enim unum est ad unum congregari, et unius participare pacifica unitate, non ad se ipsos pacificatos. Si enim ab unius contemplatione et scientia illuminati, ad uniformem et divinam congregationem unificamur, non fortassis in partitas rescindimur decidere concupiscentias, ex quibus materiales creantur et passibiles adversus secundum naturam æquiforme infestationes. Hanc igitur, ut æstimo, uniformem et inseparabilem vitam, pacis sacra actio promulgat, simili simile collocans, et a partitis separans divina et unita spectacula. Sacrarum autem tabularum post pacem recitatio, prædicat sancte firmatos, et ad strenuæ vitæ consummationem immutabiliter advenientes : nos quidem per similitudinem eorum, in beatissimum habitum et deiformem quietem hortans et manuducens; quibus tanquam viventibus prædicat, et ut Theologia ait, non mortuis, sed in divinissimam vitam ex morte transeuntibus. *Joann.* v, 24. Vide autem quia et recordationibus sacris restituuntur divina memoria, non humanitus memorativa a phantasia declarante, sed veluti quis dixerit divinitus, secundum divinorum perfectam deiformium pretiosam et immutabilem cognitionem. Novit enim, ut aiunt Eloquia, qui sunt ejus; et, Pretiosa in conspectu Domini mors *II Tim.* II, 19. Sanctorum ejus : morte Sanctorum, pro in sanctitate consummatione, dicta. Et *Ps.* CXV, 15. hæc autem sacre intellige, quomodo superpositis divino altari piis symbolis per quæ Christus significatur et participatur, adest indubitanter Sanctorum professio, conjunctionem eorum inseparabiliter manifestans ad eum supermundana et sacra unitate.

His autem ea quæ dicta est lege sacrificatis, stans in conspectu sanctissimorum symbolorum, aqua manus summus sacerdos lavat cum pudico sacerdotum ordine : quia quidem, ut Eloquia aiunt, qui lotus est, non indiget alterius, nisi extremorum, *Joann.* XIII, 10. id est novissimorum suorum, lavationis. Propter quam sublimissimam purgationem, in castissimo deiformitatis habitu, et ad secunda proveniens deiformiter, non retentus erit, et absolutus, tanquam perfectissime uniformis; et ad unum iterum adunatum convertens, incontaminatam et immaculatam faciet conversionem, quasi deiformitatis salvans plenitudinem et integritatem. Sacer igitur luter, ut diximus, in ea *III Reg.* VII. secundum legem erat hierarchia; nunc autem summi sacerdotis et sacerdotum manuum purgatio ipsum insinuat. Eos enim ad sanctissimam venientes immolationem, purgare oportet et extremas animæ phantasias, et similitudine ipsi, tantum quantum possibile est, advenire in manifestiores sic theophanias super quas ponentur supermundialium fulgorum, in conformium speculorum claritatem universaliorem et lucidiorem apparentium pervenire proprium splendorem. Summi autem sacerdotis et sacerdotum usque ad summa, id est novissima, lavatio, in conspectu fit sanctissimorum symbolorum, tanquam in Christi omnes adspicientis nostras

occultissimas notiones, et subtilissimæ purgationis in ejus intentissimis subtilitatibus et justissimis et æquissimis judiciis terminatæ. Sic divinis summus sacerdos unitur; et sacras divinas actiones laudans, sanctificat divinissima, et sub conspectum ducit laudata.

Ergo esse in nos divinas actiones dicimus; deinceps narrandum, quanta virtus. Non enim omnes laudare sufficiens ego, neque aperte scire, et alios in mysteria ducere. Quæcumque autem a divinis summis sacerdotibus consequenter Eloquiis laudantur et sacrificantur, hic (ut nobis possibile est) dicemus, hierarchicam inspirationem ducem invocantes. Humanam naturam in principio ex divinis bonis insipienter perditam, multum passibilis vita suscepit, et corrumpentis mortis finis. Consequenter enim, quæ vere est bonitate perdita apostasia, sacræ in paradiso legislationis transgressione, recalcitrantem vivifico jugo, propriis motibus, et fomentis adversarii et inimicis seductionibus contrariis divinorum donorum, tradidit. Inde miserabiliter pro æterno quidem mortale mutavit; proprium autem principium habens in corruptibilibus generationibus, ad principii consequentem merito ducta est finem. Sed ex divina et ex sursumducente vita voluntarie decidens in terram, contrariam extremitatem, gravata est multum passibili mutabilitate. Errans autem a directa via, quæ est ad vere exsistentem Deum, vulnerata est; et perditis et maleficis subjecta multitudinibus, oblita est : non diis, sed neque amicis, sed inimicis famulans. Ipsis autem immisericorditer ea secundum propriam immanitatem abutentibus, in non substantias serviliter incidit et perditionis periculum. Divinæ autem bonitatis maxima humanitas, per se ipsam operatricem nobis divinitus non induravit providentiam; sed in veritate in participatione quæ secundum nos sunt
*Hebr.* IV, 15. facta est omnium sine peccato, et ad humile nostrum unificata cum propriorum inconfuso et immaculato perfectissime habitu, ad se nobis communicationem tanquam congenitis de cetero donavit, et propriorum recepit participes bonorum. Apostaticæ quidem multitudinis (sicut secreta traditio habet) quæ contra nos est, destruxit potentiam : non per virtutem superans, juxta vero mystice nobis traditum
*Jer.* XXIII, 5; *Ps.* CXVIII, 121. Eloquium, in judicio et justitia. Quæ autem secundum nos sunt, ad contrarium omnino benigne reparavit. Quod enim juxta animum nostrum obscurum est, implevit diviti et divinissimo lumine, et deiformibus ornavit informe pulchritudinibus. Animæ vero habitaculum in perfectissima salute tantum decidentis nostræ essentiæ, pollutissimis passionibus et corrumpentibus maculis liberavit, renovationem nostram supermundanam ostendens, et multam perfectionem divinam in ipsis ad eam nostris sacris (secundum quod possibile est) similitudinibus. Divina vero imitatio quomodo aliter nobis ingenita sit nisi sacratissimarum divinarum actionum memoria renovata semper hierarchicis et sacris orationibus et sacrificationibus? Hoc vero facimus, ut
*Luc.* XXII, 19. Eloquia aiunt, in ejus recordationem. Inde divinus summus sacerdos ad divinum altare stans, laudat dictas sacras actiones divinas Jesu divinissimæ nostræ providentiæ, quas in salutem generis nostri, beneplacito sanctissimi Patris, in Spiritu Sancto (secundum Eloquium) consummavit.

Laudans autem et cultum earum, et invisibilem contemplationem intellectualibus oculis inspiciens, in symbolicam earum sacrificationem venit : et hoc, Deo tradente. Unde et reverenter simul et hierarchice, post mirabiles divinarum actionum laudes, pro ipsa supra se actione mirabili apologiam facit, primum sacre ad ipsum reboans : Tu dixisti, Hoc facite in meam recordationem. Deinde Deo simili hac actione mirabili dignus petens fieri, et ad ipsum Christum similitudine divina perficere ac dare castissime, et sancta participantes divinitus participare, sacrificat divinissima, et sub conspectum ducit laudata per sacre procumbentia symbola. Velatum enim et non divisum panem revelans et in multa dividens, et unionem calicis omnibus dispertiens, symbolice unitatem multiplicat et distribuit, sanctissimam in his actionem sacram consummans. Unum enim et simplum et occultum Jesu divinissimi Verbi, secundum nos inhumanatione, ad compositum et visibile immutabili bonitate et humanitate provenit, et ad se nostram unificam societatem benigne peregit, nostra humilia divinissimis suis summe adunans : siquidem et nos tanquam membra corpori compaginamur ipsi secundum id ipsum ad secundum idem immaculatæ et divinæ vitæ, et non corrumpentibus passionibus mortificati, incompacti, et deformes, et non convenientes efficimur ad divina membra et sanctissima. Oportet enim nos, si ad eum desideramus communionem, in divinissimam sui secundum carnem vitam respicere, et ad eam similitudine, mirabili impeccabilitate per deiformem et immaculatum habitum, recurrere. Sic enim compacte nobis ad simile societatem donabit. — Hæc sacris actionibus summus sacerdos manifestat : velata quidem dona ad manifestum ducens ; uniformeque eorum in multa dividens, et distributorum ad ea in quibus fiunt secundum tempus unitati, socios eorum perficiens participes. Describit enim, in his sensibilibus sub conspectum ducens Jesum Christum, invisibilem nostram (quantum in imaginibus) vitam, secundum Deum ex occulto perfectissima et inconfusa juxta nos inhumanatione misericorditer in naturam nostram specificatum, et ad partibile nostrum immutabiliter ex uno secundum naturam provenientem, et per benignam hanc humanitatis dilectionem, in participationem sui et propriorum bonorum vocantem humanam gentem, siquidem unimur ipsi divinissimæ vitæ, ad eam nostra juxta virtutem similitudine. Et per hoc etiam ad veritatem communicatores Dei et divinissimarum consummationum erimus.

*Luc.* XXII, 19.

Accipiens autem et tradens divinam communionem, in Eucharistiam sacram desinit cum omni ecclesiæ sacra plenitudine. Participatio enim traditionem ducit, et mysticam distributionem, mysteriorum assumptio. Ipse enim est catholicus divinorum ornatus et ordo, primum in participatione fieri et consummatione sacrum ducem per se divinitus aliis donandorum, sicque et aliis tradere. Propter quod et divinis doctrinis quidam audacter abutentes ante secundum eas conversationem et habitum, immundi et alieni omnino a sacra sunt legislatione. Ut enim solarium splendorum subtiliores et clariores essentiarum primæ inflexu* repletæ, omnino eas supereminens lumen in ea quæ post eas soliformiter invehunt ; sic in divino omni

* influxu

non audendum aliis dux esse, nisi secundum omnem habitum suum factus deiformissimus, et ad divinæ intelligentiæ et judicii compaginationem approbatus. In his omnis sacrorum dispositio hierarchice condescendens, et divinissimis communicans, cum gratiarum actione sacra desinit, divinorum actuum proportionaliter cognoscens et laudans gratias. Itaque divina non participantes et ignorantes, non etiam in eucharistiam venient. Et quidem juxta propriam naturam dignis exsistentibus, gratiæ aguntur divinissimis donationibus. Sed, quod quidem dixeram, adspicere aliquando divina dona, ex eo qui in malo est contuitu, nolentes, ingrati ad
Ps. xxxiii, 9. magnas divinorum actuum permanserunt donationes. Gustate autem, aiunt Eloquia, et videte. Nam mirabili divinorum doctrina magnificas eorum qui discunt gratias, cognoscent etiam divinissimorum ipsorum altitudinem et magnitudinem in participatione, sacratissime inspicientes, supercœlestes gratiose laudabunt divinæ actionis benignitates.

## ARTICULUS XVII

### ELUCIDATIO PARTIS PRIMÆ HUJUS CAPITULI TERTII : DE HIS QUÆ FIUNT IN SYNAXI SEU CONGREGATIONE, ET QUARE SIC VOCETUR HOC SACRAMENTUM.

PRÆINDUCTO capitulo tractatum est de Baptismo ; nunc de Eucharistiæ sacramento tractatur, non simpliciter ut est sacramentum, sed prout circa ipsum versantur actiones hierarchicæ ministrorum Ecclesiæ. Hinc libri hujus subjectum non est sacramentum evangelicæ legis, sed ecclesiastica hierarchia, ut tactum est. Nec enim de omnibus Ecclesiæ sacramentis hic agitur, quia nec de Unctione extrema, neque de Matrimonio, neque de Pœnitentia. Unde scribit Albertus : Sacramenta hic non attenduntur nisi secundum quod ad dispensationem hierarchicam pertinent. Hinc B. Dionysius non determinat hic de eis in quantum sunt sacramenta, ostendendo quid sit res in quolibet sacramento, sed secundum quasdam operationes quibus dispensantur per hierarchas. Iterum ait : Non est intentio auctoris determinare in libro hoc de omnibus sacramentis, sed tantum de his in quibus tota virtus est ex operatione hierarchæ.

A Cui verbo objici potest, quod nec tota virtus, imo nec virtus sacramentorum novæ legis, est ex operatione ministrorum, sed principaliter ab increata virtute Dei, secundario autem et instrumentaliter ac meritorie, a dominica passione. Ad quod supra aliqualiter est responsum. Insuper prætactis verbis Alberti pro majori parte concordat quod asserit Thomas : Dionysius, inquiens, non facit mentionem in libro de Ecclesiastica hierarchia, de Extrema unctione, nec de Pœnitentia, neque
B de Matrimonio : quoniam non intendit determinare de sacramentis, nisi quatenus per ea innotescere potest dispositio ordinata ecclesiasticæ hierarchiæ quantum ad ministros et actiones ministrorum, ac recipientes.

*Sed euge.* Scripturus in isto capitulo de Eucharistiæ sacramento, præmittit, « euge », quod est exsultationis seu exhortationis adverbium : quia materia ista, seu Sacramentum, est res profundæ atque ju-

cundæ contemplationis, et memoriale dilectionis divinæ ad nos beneficiorumque Christi, de quibus cogitare et scribere est jucundum. *Quoniam hujus commemoratio quidem erat,* id est, ex quo jam interdum et in fine præcedentis capituli tacta est mentio sacramenti istius, *non mihi justum est transcurrenti,* id est, non reputo justum, qui de sacris rebus percurro et celeriter scribo, *hierarchicorum quid ante eam aliud laudare,* id est per modum laudis tractare et scribere quid hierarchicorum de aliqua re hierarchica restante nondum tractata, antequam tractem de Eucharistia. *Etenim est, secundum gloriosum nostrum magistrum, hostiarum hostia,* id est, Eucharistia, secundum eximium nostrum doctorem Hierotheum, est excellentissima hostia, cujus oblatione in cruce omnes sumus redempti, et ipsa continet Christum Deum et hominem.

*Et oportet ante alias eam sacre scribens exponentem ex divina (juxta Eloquia) et hierarchica scientia, in sacram ejus ascendere divino Spiritu contemplationem :* hoc est, « oportet scribens » (neutraliter), id est eum qui scribit de his, « sacre », id est religiose et fideliter, esse « exponentem eam », videlicet Eucharistiam, « ante alias » sequentes materias, « juxta Eloquia », id est secundum Scripturas, « ex scientia divina et hierarchica », id est ex cognitionibus ecclesiasticis desuper revelatis, sicque « ascendere in sacram ejus contemplationem », id est puram et supernaturalem considerationem et intuitionem, vi intellectiva abstracta ab imaginativa, et mente elevata supra omnem naturalem cursum ac ordinem rerum, insistendo contemplationi omnipotentiæ Dei et abyssalis sapientiæ ejus, ac rationibus credendorum : ideo additur, « divino Spiritu », id est ex illuminatione Spiritus Sancti, non insistendo naturalibus argumentis, ex quibus in errorem quis caderet nisi se protinus ad Dei omnipotentiam ac supernaturalem sapientiam elevaret.

*Et primo quidem hoc sacre inspiciamus,* id est consideremus, *propter quod* commune aliis hierarchicis teletis,* id est sacris mysteriis ac sacramentalibus signis ac ritibus, *discrete huic ultra ceteras deputatur,* id est, Eucharistiæ attribuitur magis quam ceteris, puta « discrete », id est singulariter et eminenter : quod exponens, adjecit, *et singulariter prædicatur,* id est appellatur, *communio* :* non quod sit ipsa communicatio cui excommunicatio opponitur ; sed quid unum in quo plures communicant, non sicut individua in natura specifica abstracte considerata, sed quid unum numero quod totum et integrum a quolibet fideli accipitur, quemadmodum beatissimus dixit Andreas apostolus : Ego quotidie offero Deo omnipotenti Agnum immaculatum, qui quum a cunctis et singulis fuerit comestus fidelibus, integer manet in cœlis. *Unaquaque sacra perfectiva actione partitas nostras vitas in uniformem deificationem colligente,* id est, non obstante quod quælibet actio sancta et perfectiva, id est omnis actio virtuosa, atque cujuslibet sacramenti devota perceptio, ac quævis illuminatio hierarchialis, reducat et colligat conversationes seu operationes nostras per multa inordinate divisas, ad amorosam ac stabilem adhæsionem mentis cum Deo, cui sic eminenter assimilatur. Hoc facit quælibet actio virtuosa mediate vel immediate, inchoative aut completive. Actiones namque habentes Deum pro immediato objecto, formalius faciunt hoc, præsertim sumptæ secundum gradum et statum perfectum. *Et divisarum deiformi complicatione, ad unum communionem et unitatem donante,* id est, actione illa virtuosa ac perfectiva « donante communionem et unitatem », id est comparticipationem, convenientiam et conjunctionem, « ad unum », quod est omnium finis, « complicatione deiformi », id est per complicationem seu inclusionem simplificatam et simplificativam, « divisarum » vitarum, quæ in rebus caducis et vanis quærunt delicias, opes, honores :

* *quid*

**communio et synaxis*

quæ omnia excellentius atque salubrius inveniuntur in uno illo, in quo est omnium bonorum et desiderabilium ac pulchrorum supersimplex possessio ac superopulentissima plenitudo.

Sequitur quæstionis hujus solutio.

*Dicimus autem,* id est respondemus, *quia eas aliorum hierarchicorum symbolorum participationem, consummationem, ex istius divinis et perfectivis invenire est donis :* id est, quod « est », seu contingit, « ex donis », id est gratiis et effectibus, « istius », utpote sacramenti Eucharistiæ, « divinis et perfectivis », quæ sunt dona divina, recipientium formaliter perfectiva, « invenire eas », videlicet « participationem » et « consummationem aliorum hierarchicorum symbolorum », id est sacramentalium signorum, seu sacramentorum sub sensibilibus signis per ministeria hierarcharum exhibitorum. Ex contento enim in hoc sacramento, videlicet Christo, cetera sacramenta suam efficaciam, gratiam et influentiam sunt sortita. Aliorum etiam sacramentorum administrationes, celebrationes, ac sumptiones, per hujus sacramenti celebrationem et sumptionem perficiuntur. Hinc subditur :

*Non enim inest fere,* id est, pene non accidit, *quamdam perfici teleten* hierarchicam,* id est aliquam sacramentalem consecrationem vel ministrationem compleri, *nisi divinissimæ Eucharistiæ in consummatione per singula perficiendorum, ad unum perficiente sacrificio collectionem :* id est, « nisi sacrificio divinissimæ Eucharistiæ », hoc est celebratione, oblatione, aut sumptione Sacramenti altaris, « perficiente collectionem ad unum », id est adunationem et reductionem, « perficiendorum per singula », id est hominum qui perficiuntur per singula sacramenta, « in consummatione », id est, in completione aut fine divini obsequii. *Et Deo tradita donatione perfectivorum mysteriorum, perficiente ipsius ad Dominum communione* :* hoc est, « donatione mysteriorum perfectivorum », utpota corporis et san- A guinis Christi, perficientium recipientes, a Deo concessa, et « perficiente » ipsa « communione » ad Deum.

* teletam

* communionem

*Si ergo unaquæque hierarchicarum teletarum,* id est quodlibet aliorum sacramentorum, *imperfecta quidem dum sit, ad unum nostram communionem et synaxim non perficiet, et est teleta, propter quod perfectissimum dedicat :* id est, quum sit in se et per se imperfectum, « non perficiet communionem nostram ad unum », id est conventionem et conjunctionem nostram ad Deum ; B et ob hoc est teleta perfecta, perfectissime nos dedicans, id est, consecrans ac socians Deo, videlicet Eucharistia ; *finis autem totius et capitulum divinorum mysteriorum, perfecta traditio :* id est, sacramentum istud dignissimum est « finis », id est consummativa completio, « totius » sacramentalis exercitii, « et capitulum », id est capitalis excellentia, « mysteriorum divinorum », id est mysticorum sacramentalium munerum Dei, et « perfecta traditio », id est, C donatio in se perfecta aliorumque perfectiva est Eucharistia benedicta. Quod quum ita sit, *merito hierarchica intelligentia,* id est ecclesiastica sapientia, *cognominationem ei propriam ex actionum veritate invenit,* id est, rationabiliter excogitavit et dedit hoc nomen Eucharistia, id est bona gratia, quod tam appropriate et eminenter competit ei « ex actionum veritate », id est, exigentibus veris ipsius effectibus.

*Sic enim* et sacram divinæ generationis* D *teletam,* id est Baptismi symbolicam speciem, hoc est ipsum Baptismum, *quoniam primum lumen tradit, et omnium est principium divinorum in lumen* introductionum, ex perfecto veram illuminationis nominationem laudamus :* id est, pari ratione « laudamus », id est, laudando vocamus, « nominationem veram illuminationis », hoc est, imponimus ei hoc nomen, Illuminatio, « quoniam » ipse Baptismus « tradit » instrumentaliter et concausaliter « primum », id est ante alia sacramenta,

* alias om. enim

* divinarum in lumine

quum sit janua sacramentorum, « lumen », A id est claritatem gratiæ ac fidei sanctæ, estque « principium omnium divinorum » operum et sacramentorum atque virtutum, « in lumen introductionum », id est introductorium lumen seu fundamentalem illuminationem, quæ est directio fidei, quæ introductiva est in omne bonum tanquam principium promerendi, et oculus cordis ostendens ei ultimum finem ad quem omnia debet referre, sicque rectificans intentionem.

*Siquidem omnibus commune hierarchicis, lucem sanctam tradere perficiendis :* B id est, generale est « hierarchicis omnibus », id est omnibus sacramentis et actibus hierarchialibus, « tradere lucem sanctam », id est aliquam salubrem illuminationem seu gratiam sacramentalem, « perficiendis », id est hominibus recipientibus illa, qui per ea perficiuntur. *Sed hoc** *primum videre donavit mihi,* id est, Baptismus primo contulit mihi spirituale videre, hoc est per fidem cognoscere : in quo item Baptismo lumen gratiæ gratum facientis C primo infunditur. *Et per ipsum ejus principale lumen,* id est per splendorem gratiæ hujus ac fidei, *in aliorum sacrorum conspectum luciducor,* id est, lucenter erigor ac deducor in contemplationem aliorum divinorum, quorum cognitio fundatur et inchoatur in fide.

* hæc

*Hæc autem dicentes, respiciemus et videbimus hierarchice,* id est per rationem, et fidem sive scripturam ecclesiasticam, et per illuminationem supernam, *per singula* de quibus tractabimus, *diligentem san-* D *ctissimæ teletæ actionem sacram,* id est decentem operationem « sanctissimæ teletæ », id est Eucharistiæ : varios quippe habet effectus in animabus devotis ; *et contemplationem,* id est sublimem ac subtilem illustrationem ipsius et speculationem quam parit in mente sincera : quæ desuper illustrat quantum condecens fuit, id est consonum rationi, quod Verbum Dei propter nos incarnatum, reliquit nobis hoc memoriale suæ caritatis et passionis, ut per illius frequentationem memores simus dilectionis et beneficentiæ Dei Patris in nobis, et omnium quæ Unigenitus ejus assumpsit, fecit ac pertulit pro nobis, sicque caritate accensi, totis viribus regratiemur ac veneremur Dominum Deum nostrum.

Ex introductis instruimur quam firmissima fide, devotissimo cultu, flammigera caritate, electissima illa primitiva Ecclesia tractavit, celebravit, sumpsit Eucharistiæ sacramentum ; cum quanta etiam caritate, concordia, puritate et reverentia nos illud suscipere teneamur, eo quod ipsum sit tam præexcellenter communio et synaxis, colligens in se et unum efficiens communicantes. Propter quod dixit Apostolus : Unum corpus, unus panis multi I Cor. x, 17. sumus, omnes qui de uno pane et de uno calice participamus ; et rursus, Deus patientiæ et solatii det vobis id ipsum sapere in alterutrum, ut unanimes uno ore honorificetis Deum. Rom. xv, 5, 6. Hinc quoque Christus sacramentum istud in materiis illis consecravit et celebrandum instituit, quæ ex multis constant et confluunt, ut panis ex granis, et vinum ex acinis. Propterea, quamvis secundum diversas considerationes ac rationes possit in quolibet sacramento aliquid singularis excellentiæ connotari, propter quod posset aliquo modo primum atque dignissimum nuncupari, Eucharistiæ tamen istud, absolute loquendo, perfectissime convenit ob rationes prætactas. Baptismus vero potissimum sacramentum vocatur ratione necessitatis, quia summe est necessarium et aliorum fundamentum ; Matrimonium, ratione significationis, quia designat conjunctionem Christi atque Ecclesiæ, et unionem utriusque naturæ in Christo ; Ordo, ratione cujusdam perfectionis et causalitatis ; Confirmatio, ratione ministri, quia per solum datur episcopum, sicut et Ordo ; Extrema unctio, ratione immediati effectus, quoniam statim introducit ad gloriam ; Pœnitentia, ratione utilitatis, quia deperdita recuperat.

Insuper, juxta Thomam, sacramentum hoc triplicem habet significationem : unam respectu præteriti, prout est commemorativum dominicæ passionis, quæ verum sacrificium fuit : sicque sacrificium dicitur. Aliam significationem habet respectu rei præsentis, utputa ecclesiasticæ unitatis, in qua aggregantur fideles : et ita vocatur communio et synaxis. Tertiam, respectu futuri, quoniam est figura fruitivæ unitionis in patria : sicque nominatur viaticum. Amplius, de his loquitur Damasce- A nus devote, libro quarto, capitulo tertiodecimo : Per ipsum (dicens) purgati, unimur corpori Domini et spiritui ejus, et efficimur corpus Christi. Hic panis principium est panis futuri, qui est supersubstantialis. Eucharistia dicitur etiam metalepsis, id est assumptio, quia per eam assumimus deitatem Filii Dei ; item etiam appellatur communio, quia per ipsam Christo communicamus, et participamus ejus carne ac deitate, et quia per ipsam communicamus et unimur ad invicem.

# ARTICULUS XVIII

### MYSTERIUM SYNAXIS SIVE COMMUNIONIS.

HÆC pars hujus capituli nominatur mysterium synaxis seu communionis, in qua determinat de ritu et celebratione sacramenti istius a præsule, juxta observantias et cærimonialia primitivæ Ecclesiæ pro tempore illo, quæ jam partim mutata sunt.

*Summus quidem sacerdos,* puta episcopus, *orationem sacram super divinum altare perficiens,* id est, juxta altare et ante altare stans : quod est altare Dei, juxta
*Ps.* XLII, 4. illud, Introibo ad altare Dei : idcirco vocatur « divinum ». Nam et in illo exercebantur et offerebantur divina, imo divinissima Ecclesiæ sacramenta. Sic et in
*Apoc.* VIII, 3. Apocalypsi habetur : Stetit angelus Domini ante altare. Juxta hunc modum loquendi
*Ps.* XXIII, 2. fertur et in Psalmo : Quia ipse super maria fundavit eum, id est juxta. Unde communiter dicitur : Colonia sita est super
*Eccli.* XXXIX, 17. Rhenum. In Ecclesiastico quoque : Quasi rosa plantata super rivos aquarum fructificate. *Ex ipso adolere inchoans,* id est, thurificare super altare incipiens, et inde procedens, *in omnem venit sacri chori ambitum,* id est in totum circuitum chori. Fiebat enim thurificatio in veteri lege : B quæ thurificatio inter cærimonialia computabatur. Quæ quamvis Evangelio divulgato sint mortificata, aliqua tamen illorum adhuc servantur, non ut cærimoniæ legis, nec tanquam præfigurativa ecclesiastici status, sed ex rationabili causa et institutione Ecclesiæ militantis, prout Alexander in Scripto tertii, et Thomas in prima secundæ, atque Guillelmus Parisiensis in libro de Fide et legibus, super hoc diffusius scribunt. *Rediensque iterum ad divinum altare, incipit sacra psalmorum me-* C *lodia,* id est, a psalmodia incipit divinum officium, *concinente ei psalmificam sacram orationem omni ecclesiastica dispositione,* id est, toto clero bene disposito ibi præsente, simul cum episcopo canente aut prosequente psalmodiam inceptam.

*Deinde vero per ministros ipsa professarum deltarum lectio consequenter fit,* id est, per diaconos aut inferiores eis fit lectio ex sacra pagina. Unde alia habet translatio : Deinde per ministros scriptorum librorum consequenter fit lectio. At- D que ut dicitur, in Græco habetur Hagiographa, ab ἅγιος, quod est sacra, et γραφή, scriptura. *Et post has foris fiunt*

*sacro ambitu catechumeni,* id est, nondum satis instructi in fide a corpore Ecclesiæ expelluntur, *et cum ipsis energumeni,* id est exorcizati, *et qui sunt in pœnitentia,* id est constituti in pœnitentia publica, tanquam indigni aut non satis aptati ad intuendum sacramentum altissimum, et ne scandalizarentur necdum instructi. *Manent autem divinorum adspectu et communione digni,* id est, boni Christifideles in ecclesia remanent.

*Ministrorum vero alii quidem stant ad templi portas conclusas,* utpote ostiarii, qui stabant juxta fores ecclesiæ clausas, ad prohibendum indignis ingressum; *alii vero aliud quid proprii ordinis operantur,* id est, exercent actum aliquem ad eorum officium pertinentem, sicut acolythi portantes urceos seu ampullas; *alii autem ministratoria dispositione discreti,* id est differentes ab aliis per ordinem administrationis materiæ sacramenti, puta diaconi, *cum sacerdotibus super divinum altare proponunt sacrum panem* in quo confici possit, *et benedictionis calicem,* id est vinum benedicendum, consecrandum, et transsubstantiandum in sanguinem Salvatoris, *ante confessa ab omni ecclesiæ plenitudine catholica hymnologia,* id est, fidei symbolo ab Apostolis edito, a toto fidelium cœtu vel clero ibi præsente ante panis oblationem pronuntiato. Tunc enim non fuit aliud fidei symbolum.

*Cum quibus divinus pontifex orationem sacram perficit,* disponendo se ad consecrationem vel sumptionem. *Et sanctam * pacem omnibus promittit,* vel imprecatur, dicendo : Pax Domini sit semper vobiscum. *Et salutantibus inter se invicem omnibus,* juxta illud Apostoli : Salutate invicem in osculo sancto; *mystica sacrorum voluminum prædicatio perficitur,* id est, unus ex sacris libris spiritualem facit collationem, ad confirmandum fideles in fide et gratiarum actione ac moribus, atque ad moriendum constanter pro fide.

* sacram

*Rom.* XVI, 16; I *Cor.* XVI, 20; II *Cor.* XIII, 12.

*Et lavantibus manus aqua summo sacerdote et sacerdotibus,* non quasi immun- A ditiæ aliquid sit in Sacramento altaris, sed ob reverentiam ejus, ne digitis quibus tetigit illud tangat quid aliud, nisi prius lotis, *summus quidem sacerdos in medio divini altaris stat* consecraturus. *Circumstant autem soli cum sacerdotibus ministrorum selecti,* id est principales ministri. *Et sacras divinas actiones summus sacerdos laudans,* id est, ea commemorans quæ Christus fecit in Cœna protinus ante consecrationem, *sacrificat divinissima,* id est, post consecrationem offert Deo Patri B corpus et sanguinem Domini. *Et sub conspectu* omnium *ducit laudata,* id est, commendata et consecrata cunctis ostendit, *per sacre procumbentia symbola,* id est, populo adorante per sensibilia reverentiæ et adorationis indicia. *Et donationes divinorum actuum ostendens,* id est dona sacra seu sacramenta, *in communionem eorum sanctificans*,* id est, oblatas materias in usum fidelium consecrans, ut communicent, *ipseque,* videlicet celebrans, *venit, et alios adhortatur,* id est, transit C ad locum in quo stando plebem communicabit, et ad communicandum admonet alios.

* sanctam

*Accipiens vero et tradens divinam communionem,* id est, personaliter sumens primo, deinde porrigens aliis sacram communionem, quemadmodum Christus fecit in Cœna, *in eucharistiam sacram desinit,* id est, officium suum complet et terminat Eucharistiam accipiendo, dando et sumendo, gratiarum actiones subjungens. *Multis quidem in sola divina symbola prospi-* D *cientibus,* id est, simplicioribus attendentibus exteriora quæ vident et fiunt, neque intelligentibus; *ipso autem semper divino Spiritu ad sancta perfectorum principia, in beatis et intellectualibus speculationibus hierarchice in puritate deiformis habitus ascendente :* id est, « ipso » summo sacerdote « semper ascendente », id est, jugiter per contemplationem se elevante, « Spiritu divino », id est ductu et gratia Spiritus Sancti, « ad sancta principia perfectorum », id est ad causas eorum

quæ facta sunt in Missæ solenniis, puta ad A causam eorum effectivam, quæ est Deus omnipotens, et ad causam institutivam, quæ est Verbum incarnatum, ad causam quoque finalem, quæ est multiplex fructus, utilitas et effectus celebrationis, et ad spiritualem rationem et significationem causæ materialis sacramenti istius : « ascendente », inquam, « in speculationibus beatis et intellectualibus », id est per speculationes salubres et intellectuales, id est sapientiales et puras, non imaginarias, grossas, phantasticas, puta « hierarchice », id est secundum illuminationes hierarchicas et cœlestes, « in puritate habitus deiformis », id est sanctæ fidei illuminatæ rationibus credendorum, purificatæque mentis intelligentia ac sapientiæ salutaris, et mysticæ theologiæ, ac ferventissimæ caritatis.

# ARTICULUS XIX

### THEORIA HUJUS MYSTERII : ET PRIMO DE SPIRITUALI INTELLIGENTIA IN COMMUNI CANTICORUM, LECTIONUM, ATQUE IPSIUS EUCHARISTIÆ.

V*ENI ergo, o puer bone,* id est tu Timothee, Christi discipule atque episcope, ut quæ de episcopo sunt dicta quoad sensibilia signa et opera, spiritualiter intelligas, *post imagines, in ordine et sacre in deiformem principalium exemplorum veritatem.* Hoc est : « Veni » per mentis considerationem « post imagines », id est sensibilia signa, « in veritatem deiformem », id est ad veram et spiritualem intelligentiam designatam per sensibilia et sacramentalia illa : ideo subditur, « exemplorum principalium », id est in veritatem figuratam per præcipua symbola illa. Veni, inquam, « in ordine », id est secundum exigentiam et condecentiam ordinis tui sacerdotalis et pontificalis, cum omni diligentia et maturitate ; vel, « in ordine », id est cum debita ordinatione, de figuris ad figurata, et de materialibus ad spiritualia ascendendo ; « et sacre », id est sancta intentione.

*Illud perfectis in coadunatam suarum animarum introductionem dicam :* id est, istud quod subditur « dicam perfectis », et tamen adhuc magis perficiendis, « in introductionem coadunatam », id est ad informationem præambulam et simplificativam, « animarum suarum », ut corporalia spiritualiter intelligere discant ; *quomodo symbolorum varia et sacra compositio,* id est qualiter multiplex et salubris connexio sensibilium similitudinum et signorum, seu formarum et specierum, *non sine intellectu eis subsistit,* id est, eis non servit sine spirituali intelligentia : imo sic potius duceret in errorem, ut dictum est, atque copiose libro præcedenti expositum ; *et non usque ad ea quæ extra sunt apparens solummodo,* id est, « et non apparens » eis « solummodo » esse intelligenda quoad « ea quæ extra sunt », id est de sensibilibus rebus. Nec servit nec confert eis, sicut nec cantus exterior sine sensu verborum : imo quoties plus delectat cantus quam id quod cantatur, peccatur.

*Sacratissimi quidem enim Eloquiorum cantus,* id est cantus qui sumitur ex Scripturis, *et lectiones, doctrinam eis in virtute vitæ denuntiant,* id est, insinuant audientibus « doctrinam » moralem « vitæ » directivam « in virtute », id est efficaciter ac potenter. Nam et ipsa cantus melodia ad devotionem est provocans. Propter quod magnus ille Eliseus, quum non

sentiret in se spiritum prophetiæ, dixit : A
IV *Reg.* III, 15. Adducite mihi psaltem. Quo psallente, venit in eum spiritus prophetiæ. *Et cum his perfectam corrumpentis malitiæ purgationem*, id est, etiam docent « purgationem perfectam » vitiorum, quæ corrumpunt formaliter peccantem, suntque formaliter ipsæ corruptiones integritati virtutum contrariæ.
*Sap.* XVI, 14. Hinc in libro Sapientiæ legitur : Homo per malitiam occidit animam suam. Et
I *Cor.* XV, 33. Apostolus ait : Corrumpunt bonos mores colloquia mala. Hinc in libro Sapientiæ
*Sap.* VI, 20. asseritur : Incorruptio facit esse proximum Deo.

*Divinissima autem unius et ejusdem et panis et calicis communio et pacifica traditio, similem eis conversationem divinam, tanquam similiter edentibus, promulgat:* id est, ex ipsa susceptione ejusdem sacramenti tacite admonentur ut respectu Dei pure et reverenter conversentur, prout tanti exigit dignitas sacramenti ; et inter se caritative, pacifice ac concorditer vivant, quum tantam habeant communicationem ad invicem, quia ad eamdem mensam accedunt, atque eumdem numero accipiunt cibum et potum. Hinc deprompsit
I *Cor.* XI, 27. Apostolus : Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini.

*Et divinissimam Cœnam et principale symbolum perfectorum, in memoriam sacram ducit :* id est, communio ista communicantibus facit renovatque memoriam novissimæ cœnæ Christi, et qualiter ac cur sacramentum istud instituit ibi. « Principale » autem « symbolum » eorum qui adhuc perficiuntur, est crux et passio Salvatoris, seu ipsum Eucharistiæ sacramentum sensibilibus formis contectum. *Juxta quod et ipse symbolorum conditor,* id est Christus sensibilium signorum creator et institutor, *partitur sanctissime,* id est, dividit justissime, *non sancte ei et unimode sacra concœnantem,* id est, Judam proditorem « concœnantem ei », videlicet Christo, « sacra », id est sancta cœna (vel, « concœnantem », id est, in cœnando cum Christo accipientem, « sacra », id est sancta mysteria corporis et sanguinis Christi), « non sancte », id est vitiose, neque « unimode », id est non uno et eodem modo quo Apostoli alii cum Christo cœnabant : a quibus tanquam electis divisit filium illum perditionis, de quo dixit in ipsa
B Cœna : Pater, quos dedisti mihi, ego servavi eos, et nemo ex eis periit, nisi filius perditionis. *Joann.* XVII, 12.
*Docens facile simul et deiformiter,* id est, Christus in hoc ipso nos informans faciliter, tanquam sapientissimus magister, « et deiformiter », id est divine et valde secreto judicio, *quomodo ipsa juxta habitum vera in divina assumptio,* id est qualiter gratiosa in Deum transformatio per habitum caritatis, et etiam per condignam Eucharistiæ sumptionem, in qua Christus non mutatur in
C nos, sed nos transformamur in eum : imo ipse spiritualiter nos manducat ac sibi incorporat. Unde in Psalmo : Domini est assumptio nostra. *Ps.* LXXXVIII, 19.
*Ad similitudinem eorum communionem ipsis advenientibus donat,* id est, devote accedentibus dat sacram communionem et divinorum charismatum participationem, ad similitudinem aliorum. Utrisque enim dedit et dat verum corpus et sanguinem suum ; nec quantum ad exteriores sensibiles species et sacramentalia signa, sed quoad interiorem ef-
D fectum, est differentia : et indigne sumens, judicium sibi manducat et bibit ; alius, gratiam et salutem. Denique ex hoc passu acceptum est quod allegant doctores dixisse Theologum, quod Christus in Cœna præstitit traditori corpus suum et sanguinem, quia peccatum illius fuit occultum.

# ARTICULUS XX

## DE MYSTICA SYMBOLORUM MISSÆ INTELLIGENTIA IN SPECIALI, INTRODUCTIO.

DEINDE tangit theoriam seu rationem spiritualem eorum quæ fiunt in celebratione circa hoc sacramentum. *Hæc igitur, ut dixi, in abditorum atria bene descripta, imperfectis adhuc ad contemplationem sufficientem relinquentes :* id est, nos « relinquentes hæc » jam introducta de sensibilibus signis sacramentorum, « bene descripta in atria abditorum », id est in præambulis et figurativis ad sequentia, scilicet in ipsis præhabitis passibus in quibus expressa sunt symbola ista, quæ sunt contentiva et occultantia abdita, id est spiritualia significata per ea, « imperfectis adhuc », id est, his qui adhuc inidonei sunt, « ad contemplationem sufficientem », id est ad intelligendum spirituales et mysticas symbolorum illorum rationes et sensus. Ideo dimittendi sunt occupari circa exteriora et sensibilia illa. *Intremus a causalibus in causas,* id est a symbolis istis ad significata per ea, hoc est ad spirituales et mysticos intellectus, qui sunt finalis causa materialium symbolorum, ipsaque symbola seu sensibilia signa sunt quasi materialis causa spiritualium contentiva, *juxta sacram nostram synaxim et decoram,* id est juxta exigentiam sanctæ lucidæ nostræ communionis et congregationis, videlicet cum humilitate, reverentia, et recta intentione, sicut docet Ecclesia. *Invisibilium Jesu luciduco videbimus theoriam beatam,* id est, sic intrantes mente concipimus « theoriam beatam », id est felicem sapientiam et contemplationem, « invisibilium », id est spiritualium et divinorum, *declarantem manifeste principalium formarum pulchritudinem,* id est convenientes et pulchras rationes et significationes « formarum principalium », id est sacramentalium illorum signorum et cærimonialium ac rituum ecclesiasticorum : et hoc, « Jesu luciduco », id est Christo lucidissimo ductore, cui cantamus : Deduc me, Domine, in via tua. Ipse etenim intus veritatem ostendit, qui est lux, et via, veritas et vita ; qui justum deducit per vias rectas. De quo scripsit Boetius : *Ps.* LXXXV, 11. *Joann.* VIII, 12; XIV, 6. *Sap.* X, 10.

Principium, vector, dux, semita, terminus idem. Boetius, lib. III metr. 9.

*Sed, divinissima et sacra teleta,* id est, tu Christe, qui es « teleta », id est consecrata consummatio, sancta et « divinissima », *circumposita tibi symbolice vestimenta ænigmatum revelans,* id est, declarans signa prædicta « ænigmatum », id est secretorum sensuum, quæ sunt quasi « vestimenta circumposita tibi symbolice », id est materialiter significative, quibus signis et sacramentalibus formis quasi vestibus in Sacramento circumtectus diceris et videris, *splendide nobis manifestare,* id est, te ipsum nobis manifesta in præsenti per fidem radio sapientiæ salutaris perfusam, et in futuro clare per speciem, quemadmodum amanti te promisisti : Qui diligit me, diligetur a Patre meo ; et ego diligam eum, et manifestabo ei me ipsum. *Et intellectuales nostros vultus uniformi et non velato lumine reple,* id est luce contemplationis sinceræ, non obscurata fumo phantasmatum, exclusa omni caligine vitiorum et inquietudine passionum, atque perstrepentium cogitationum inquietudine ac tumultu : imo te ipso qui ais, Ego sum lux mundi. Ut illud Michææ *Joann.* XIV, 21. *Ibid.* VIII, 12; IX, 5.

*Mich.* VII, 8, 9. dicere queam : Quum sedero in tenebris, A Dominus lux mea est, et deducet me Dominus in lucem sempiternam, videbo justitiam ejus ; et cum Psalmista : Dominus illuminatio mea et salus mea, quem timebo? *Ps.* XXVI, 1.

# ARTICULUS XXI

## DE SIGNIFICATIONE THURIFICATIONIS.

** igitur* OPORTET *ergo* nos intus adesse,* id B est, non hinc inde distrahi, sed intus *Eccli.* v, 11, 12. recolligi, juxta illud Ecclesiastici : Non ventiles te in omnem ventum ; esto firmus in via Domini, et in veritate sensus tui. *Sacratissimorumque invisibile primi agalmatum denudantes,* id est, abstrahentes « invisibile », id est spiritualem veritatem ac deitatem, « primi sacratissimorum agalmatum », id est sacramenti Eucharistiæ, quod est primum et dignissimum agalmatum sacratissimorum, id est sanctissimarum imaginum Dei, quia in C ipso refulget potissime bonitas, misericordia, sapientia Dei in mysteriis redemptionis humanæ. Ipse quoque Christus secundum naturam divinam est invisibilis *Sap.* VII, 26; *Hebr.* I, 3. *Joann.* XIV, 9. Dei imago naturalis et plena : qui dixit, Qui videt me, videt et Patrem : propter omnimodam videlicet similitudinem ejus cum Patre. Hoc sacramentum debemus denudare, id est spiritualiter, non imaginarie, contemplari, quasi sit in hostia sacra situaliter et extense, quasi locatum commensurative in loco. *In deiformem* D *ejus pulchritudinem intendere,* id est, contemplari increatum ejus decorem : quia teste S. Hilario, species est in imagine, id est pulchritudo in Filio : quæ pulchritudo in summa et superbeatissima Trinitate est prorsus una, æqualis et indivisa. Est item in Christo pulchritudo creata spiritualis et corporalis, naturalis et supernaturalis, pulchritudo naturæ et gratiæ ac *Ps.* XLIV, 5. gloriæ. Cui ait Psalmista : Specie tua et pulchritudine tua intende prospere, procede, et regna. Denique, prout sanctus ait Bernardus, Non minus splendet in manibus sacerdotis, quam in sinu Dei Patris. *Et summum sacerdotem divinitus videre,* id est episcopum sacerdotaliter vestitum tanquam Dei vicarium adspicere, *a divino altari usque ad extrema templi cum suavi odore venientem,* id est cum thurificatione totum populum in ecclesia congregatum thuris fragrantia recreando, non sine spirituali significatione, ut tangetur, *et iterum in ipso perfective residentem,* id est, post reditum juxta altare sedentem ad perficiendum agmen populi celebratione, doctrina, exemplo.

*Ipsa etenim* super omnia divina beatitudo,* id est ipse superbeatissimus Deus « super omnia » per infinitam excellentiam exsistens, *etsi bonitate divina proveniat in participantium suam sacram* communionem,* id est, quamvis per diffusionem suæ bonitatis et per infusionem charismatum suæ pietatis, pertingat in eos qui « sacram » suscipiunt « communionem » et divinorum donorum influxionem; *sed non extra, per substantiam immutabilem, statum et collocationem efficitur :* id est, quamvis ita per operationem in cuncta proveniat, attamen « per substantiam » suam « immutabilem », id est ob invariabilem suam naturam, « non efficitur extra statum et collocationem », id est, nec statum, neque quietem, nec locum variat per se, quamvis per accidens seu ratione effectus, desinat esse interdum ubi fuit, rebus ipsis destructis aut vari-

** enim*

** sua sacra*

*Is.* xviii, 4. atis. Ideo loquitur per Prophetam : Quiescam in loco meo. *Et omnibus deiformibus,* id est universis mentibus purgatis sibi gratiose assimilatis, *proportionaliter illucendo,* id est intus fulgendo juxta gradum et mensuram, capacitatem et meri- II *Cor.* iv, 6. tum earum, juxta illud Apostoli : Deus qui dixit de tenebris lumen splendescere, illuxit in cordibus nostris ; *circa semetipsam vere exsistit,* id est, in se ipso invariabiliter est et permanet, nec ulla distractione, cura, variatione discedit a se, *et a propria omnino non transmutatur immutabilitate,* id est, a connaturali sua I *Tim.* vi, 16. invariabilitate nullatenus deficit : qui solus habet immortalitatem, id est omnimodam incommutabilitatem. Cui ait Psal- *Ps.* ci, 28. mographus : Tu autem idem ipse es. De quo sanctissimus Christi frater disseruit : *Jacob.* i, 17. Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Est enim actus purus, et ens absolute perfectum, æternaliter in superoptima sui dispositione consistens, cui nil perfectionis potest accrescere nec auferri. Imo, ut in libro de Causis habetur, Non est ei diminutio neque perfectio, sed super omnem perfectionem subsistit. Quod et Proclus subtiliter probat.

*Similiter divina synaxeos teleta,* id est sacrum mysterium communionis, utputa Eucharistiæ sacramentum, *etsi singulare et simplex habeat et complicitum principium,* id est, quamvis contineat in se Verbum æternum, quod in se unicum et simplicissimum est et « complicitum principium », id est intra se inviolabiliter impassibiliterque firmatum : *Joann.* viii, 25. quod sciscitantibus Judæis, Tu quis es ? in Evangelio legitur respondisse : Principium, qui et loquor vobis. *In sacram varietatem symbolorum humanitus multiplicatur,* id est, per diversa sensibilia designatur, et sub variis materialibus formis habetur, *et usque ad omnem implet hierarchicam imaginum descriptionem,* id est, verificat et adimplet universaliter seu in cunctis « descriptionem hierarchicam », id est prænuntiationes propheticas et fi-

A guras in Scripturis contentas imaginum corporalium. Ideo scriptum est : Lex per *Joann.* i, 17. Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est. Et alibi : Oportet, *Luc.* xxiv, 44. inquit, impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysis et Prophetis et Psalmis de me. *Sed uniformiter ex his iterum in propriam unitatem colligitur,* id est, ex tot et tantis ipsius figuris et signis ac vaticiniis, unum et idem ac simplex in se ipso esse agnoscitur : quod quum sit universaliter et infinite perfectum, per pauca B plene et sufficienter exprimi nequit, nec significari, imo nec per omnia simul accepta ; *et unificat in se sacre reductos,* id est, eos qui reducuntur et convertuntur ad ipsum, efficit spiritualiter unitos, imo et unum per caritatem, ut frequenter expositum est.

*Juxta hunc autem deiformem modum,* quo multa sunt unum in Deo, et per recessum ab eo multiplicantur, *divinus summus sacerdos, etsi unitam suæ hierarchiæ disciplinam deiformiter in subjectos de-* C *ducit,* id est, quamvis episcopus hierarchicam et ecclesiasticam suam scientiam, in se ipso tanquam in uno subjecto unitam et plurium cognitivam, transfundat in subditos, sicut magister in discipulos, *sacrorum ænigmatum pluralitatibus utens,* id est diversis figuris, signis et exemplis : et hoc « deiformiter » agit, id est liberaliter et caritative, Deum in hoc imitando, qui dat omnibus affluenter, et *Jacob.* i, 5. non improperat. *Sed iterum tanquam absolutus et minoribus immensurabilis,* id D est tamen rursus tanquam liber et liberatus ab hujusmodi variis signis et ænigmatibus, « et immensurabilis », id est plene intelligi nequiens ab inferioribus, qui mensuram sui ingenii non attingunt, juxta illud Apostoli : Non potui vobis lo- I *Cor.* iii, 1. qui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus; *in proprium principium indiminute restituitur,* id est, in Deum sine minoratione suæ scientiæ et perfectionis convertitur, imo cum ampliori profectu sui et subditorum, quemadmodum flamma

candelæ ex hoc quod aliæ candelæ accenduntur ex ea, non patitur propriæ lucis diminutionem. *Et in unum, suum intellectualem faciens introitum,* id est, reditum et ingressum suum mentalem agens in Deum a quo processit, sicque quasi circulum complens, sicut et Salomon fassus est : Ad locum unde exeunt, flumina revertuntur. (*Eccle.* I, 7.) Et Proclus in Elementatione theologica contestatur : Omne quod procedit ab aliquo et ad illud convertitur, circularem habet operationem. *Videt pure perfectorum uniformes rationes,* id est, clare contemplatur « rationes uniformes », id est spirituales ac stabiles causas et significationes materialium symbolorum quæ adhibentur his quæ perficiuntur in sacra- A mentis, *in secunda humanæ processionis summum, in prima diviniorem conversionem facientes* :* hoc est, videt hujusmodi rationes « facientes conversionem in prima », id est in superiora principia, ad quorum speculationem inducunt « diviniorem » conversione in secunda, id est in symbola exteriora, quæ etiam sunt inferiora, et idcirco secunda, quoad ordinem dignitatis. Suntque rationes istæ « summum processionis humanæ in secunda », id est quid supremum et ultimum piæ B processionis et illuminationis Dei in materialia ista : quibus cognitis, cessat perscrutatio, et restat operatio secundum exigentiam spiritualium significationum et rationum illarum.

* *faciens*

# ARTICULUS XXII

### DE EXCELLENTIA ET PRÆCONIO INSIGNI PSALMORUM DAVIDICORUM.

CONSEQUENTER exponit rationem psal- C modiæ in Missa, videlicet quoniam quidquid in aliis Scripturæ libris continetur, in libro Psalmorum per modum laudis divinæ insinuatur. Nequaquam ergo scriptura psalmorum excludenda est a celeberrimo celebrationis officio.

*Psalmorum autem sacra oratio,* id est sanctus sermo seu devota invocatio psalmorum, *conveniens omnibus fere hierarchicis mysteriis,* id est cunctis divinis officiis et ecclesiasticis actibus : suntque orationes psalmorum ob hoc præcipue ef- D ficaces, quoniam laudibus Dei admixtæ sunt. Propter quod scriptum est : Laudans invocabo Dominum, et ab inimicis meis salvus ero. (*Ps.* XVII, 4.) *Nonne futurum est explicari,* id est, nonne consequens erit decantari seu exprimi, *omnium summo sacerdotalissimo,* id est celebrationis officio, quod est omnium sacerdotalium actuum principalissimum ?

*Omnis quidem enim sacra et hagiographos deltos,* id est tota Scriptura canonica et hagiographa, prout supra magis expositum est, *aut ex Deo exsistentium generalem subsistentiam et dispositionem, aut legalem hierarchiam et conversationem, aut divini populi,* etc., *corradicavit.*

Id est : Simul radicavit, seu pro radice, fundamento aut subjecto posuit, ac recitavit et descripsit, *aut ex Deo exsistentium generalem subsistentiam,* id est, « aut subsistentiam generalem exsistentium ex Deo », id est rerum creatarum a Deo, *et dispositionem earum,* id est coordinationem et gubernationem. Quod fit præsertim in Genesi, et consequenter in Exodo ac aliis Moysis libris. *Aut legalem hierarchiam,* id est principatum Israeliticæ plebis sub lege : quod specialiter fit in libro Numerorum ; *et conversationem :* quod in præfatis ac aliis multis fit libris veteris Testamenti. *Aut divini populi he-*

*reditatum distributiones et habitationes :* A quod fit præcipue in Josue libro, ubi describitur qualiter terra promissionis fuit sorte divisa et distributa in hereditatem duodecim tribuum, quæ tunc deditæ erant cultui veri Dei. *Aut* conversationem et gubernationem *judicum sacrorum :* de quibus in libro agitur Judicum ; et de quibus ad Hebræos scripsit Apostolus, Quid dicam de Gedeon, Barac, Samson, Jephthe, Samuel ? etc. (Hebr. xi. 32.) *Aut regum sapientium,* de quibus in libris Regum et Paralipomenon, *aut sacerdotum divinorum intelligentiam :* B ut fuerunt Esdras scriba velox, et Jeremias, et Machabæi, de quibus in libris Esdræ et Machabæorum. (I Esdr. vii. 6.)

*Aut veterum virorum in varietate et multitudine anxietatum,* id est antiquorum virorum in multis et variis anxietatibus, diffortuniis, tribulationibus, utputa Job et Tobiæ, ut patet in libris eorum, *immutabilem in patientia philosophiam,* id est firmam et inconcussam philosophiam seu sapientiam eorum, quam potissime ostenderunt in suis patientiis in tot C adversis. Propter quod Salomon ait : Qui patiens est, multa gubernatur prudentia. (Prov. xiv, 29.) Et rursus : Doctrina viri per patientiam noscitur; qui autem impatiens est, exaltat et ebullit stultitiam suam. (Ibid. xix, 11; xiv, 29; xv, 2.) *Aut actionum sapientes synagogas,* id est congregationes fideles in actibus strenuas. Alia translatio habet : Sive agenda sapientissima monita. *Aut divinorum amorum cantica,* videlicet Cantica canticorum, *et divinas imagines,* id est personas seu typos spiritualis Sponsi ac Sponsæ, sicut in Canticis. D *Aut futurorum propheticas prædicationes,* id est vaticinia Prophetarum, tam quatuor majorum, quam duodecim minorum.

*Aut viriles Jesu divinas actiones,* id est operationes Christi virtuosissimas ac ejus miracula. Erant autem operationes Christi simul divinæ et humanæ, id est unius et ejusdem personæ, quæ simul fuit vere Deus et homo. Verumtamen quædam competebant sibi ratione naturæ divinæ, quædam ratione naturæ humanæ. Hinc Christi operationem S. Dionysius alibi vocat theandricam, id est deivirilem. Hæc Christi opera, virtutes, mysteria, in evangeliis sunt descripta. *Aut ipsorum discipulorum Deo traditas et Dei imitatorias conversationes,* id est vitam et gesta Apostolorum et aliorum quorumdam discipulorum, eis a Deo concessa, et divinæ perfectionis potissime imitativa, ut [patet] in libro Actuum Apostolorum, *et sacras doctrinas,* quæ in epistolis Petri, Pauli, Joannis, Jacobi et Judæ contentæ sunt. *Aut occultam et mysticam visionem,* id est Apocalypsim, *ipsorum discipulorum dilectissimi,* id est S. Joannis prædilecti a Christo, saltem amicitia præcipuæ familiaritatis, et amore quodam connaturali ex inclinatione naturæ et consanguinitate. Joannis, inquam, *et divini ac mirabilis* per excellentiam divinorum charismatum. Quem Joannem quam affectuosissime dilexerit Sanctus iste, Deo præstante patebit in expositione epistolæ quam misit beatissimo Joanni (Epistol. x.) Dionysius sanctus. *Supermundanam Jesu theologiam,* id est, supernaturalem Christi sapientiam descripsit Joannes in Apocalypsi, *ad deificationem,* id est, ut eam sequentes deificemur per assimilationem non mediocrem, *opportunis narravit et sacris teletarum et deiformibus anagogis,* id est, ista expressit in Apocalypsi « anagogis », id est doctrinis sursumductivis, « deiformibus », quia per eas Deo supernaturaliter conformamur, et « opportunis », id est bene congruentibus, « et sacris teletarum », id est sanctis imaginibus et figuris ac signis.

Deinde subjungitur laus eximia psalmodiæ.

*Divinorum autem cantuum sacra scriptura,* id est, scriptura sancta psalmorum, seu ipsa psalmodia, *intentionem habens et theologias et divinas actiones omnes hymnizare,* id est, intendens ceteras paginas et operationes Dei pertinentes ad creationem aut reparationem vel glorificationem, per modum hymnorum seu lau-

dum exprimere, *et divinorum virorum* A
*sacras orationes et sacrificationes laudare*, id est laudando describere, quamvis non semper in eadem forma verborum, sed quantum ad sensum, et interdum in ipsa forma verborum : quemadmodum il-
*Ps.* LXVII, 2. lud Psalmi, Exsurgat Deus, et dissipentur inimici ejus, et fugiant qui oderunt eum
*Num.* X, 35. a facie ejus, in libro Numerorum legitur Moyses postulasse. In Genesi quoque nar-
*Gen.* IV, 26. ratur : Sed et Seth natus est filius quem vocavit Enos : iste cœpit invocare nomen Domini. Quocirca expositores aliqui di- B
cunt quod aliquas speciales orationes composuit; similiter alii quidam Sancti : quæ in libro continentur Psalmorum modo prætacto. *Universalem facit divinorum cantum et narrationem*, id est, de omni materia contexuit Dei præconia atque hi-
*Ps.* LXXVII. storias : ut patet in psalmo, Attendite, popule meus, legem meam; item in psalmo,
*Ps.* CIV. Confitemini Domino, et invocate nomen
*Ps.* CV, CVI. ejus; et duobus ibi immediate sequentibus. *Ad totius hierarchicæ teletæ susceptionem et traditionem habitum pulchrum* C
*efficiens divinitus eam psallentibus.* Id est : Psalmodia ipsa « efficiens habitum pulchrum », id est splendidam mentis qualitatem, decorem et apparatum, « psallentibus », id est decantantibus, « eam divinitus », id est eo spiritu quo concepta est, edita et descripta, utpute ex illuminatione et inflammatione Spiritus Sancti cum interno mentis sapore et advertentia
*Ps.* XLVI, 8. timorata : quemadmodum super illud, Psallite sapienter, sanctus ait Basilius, quod sicut gustus corporeus quamlibet cibi buc- D
cellam cum speciali sumit masticatque sapore, sic cordis palatum unamquamque psalmodiæ particulam cum speciali degustatione debet depromere. Qui sic psallit, sentit quod ipse Psalmographus cecinit :
*Ps.* CXVIII, 103. Quam dulcia faucibus meis eloquia tua ! super mel ori meo; itemque : Exsultabunt
*Ps.* LXX, 23. labia mea quum cantavero tibi. « Ad susceptionem et traditionem totius teletæ », id est formationis, « hierarchicæ », id est, ad hoc quod mens omnem hujusmodi impressionem perfectivam recipiat a superiore, et receptam communicet inferiori.

*Quum ergo* * *continua sacratissimorum hymnologia*, id est ex quo jugis psalmodia, « continua » vel assidua (vel, « continua », id est omni loco et tempore opportuno exhibita), *animales nostros habitus*, id est vires innatas seu virtutes morales, quæ circa passionum animalium et sensitivarum reformationem versantur, *coadunate disposuerit*, id est, simplificando affecerit, et ad summum illud unum reduxerit, ita quod cum tranquillitate sumus illi intenti, *ad paululum sacrificia exponenda*, id est ad exhibenda et declaranda paulisper dominica sacrificia, quæ Deo offerimus, et rationem hujusmodi oblationis assignamus : quoniam Christus Dominus in Cœna hoc ipsum sacrificium instituit, celebrari- *Luc.* XXII, 19, 20.
que jussit in memoriam suæ incomparabilis dilectionis ad nos, et suæ acerbissimæ passionis pro nobis. *Et divinorum cantuum melodia* * *ad divina et nosmetipsos et inter nos invicem consensum* : id est, concors illa psalmorum cantatio dispositive ac meritorie facit « consensum » in nobis « ad divina » officia alacriter ac unanimiter persolvenda ; sic item facit consensum ad « nos », ut libenter intersimus divinis, non retrahente nos carnalitate aut acedia nostra, « et inter nos invicem », ut juxta Apostolum, id ipsum *I Cor.* I, 10.
dicamus omnes, et non sint in nobis schismata. Quum enim generaliter omnis communicatio in eodem officio, actu seu opere, amicitiam soleat quamdam causare, quanto magis communicatio ista in decantatione psalmorum ? Unde in Daniele habetur, quod Azarias et socii ejus quasi ex uno *Dan.* III, 51.
ore cantabant et benedicebant Deum in fornace. Nullus ergo psallentium in tam divino actu sit singularis, dissonus, suive capitis, ne juxta Augustinum in Regula, humiliter psallenti fraternitati faciat offendiculum.

* *igitur*

* *consonantia*

*Ut una et confessa sacrorum regione promulgaverit coordinata et coadumbrata magis in intellectuali psalmorum me-*

* psalmodia *lodia* * : id est, prout « melodia coordinata et coadumbrata », id est simul disposita et obscure contenta, « magis in intellectuali », spirituali et mystico sensu « psalmorum », qui frequenter obscurior difficiliorque consistit, « promulgaverit », id est innotuerit, « regione », id est ex parte, « sacrorum una et confessa », id est, publice insinuata, dum unus psallentium chorus alteri consonat et concinit. *Per plures et apertiores imagines et prædicationes inveniuntur sacratissimis professarum constructionum lectionibus :* hoc est, dum « et prædicationes », id est salubres doctrinæ et sermones, « constructionum professarum », id est articulorum ad fidei professionem pertinentium, « inveniuntur per imagines », id est figuras et similitudines, « plures et apertiores lectionibus sacratissimis », id est in sacris lectionibus et doctrinis aliorum librorum sacræ Scripturæ, quæ simul cum psalmodia in divinis officiis proferuntur, quatenus veritates catholicæ ex mutua comparatione et permixta commemoratione clarius pateant.

*In his adspiciens sacre,* id est ista religiose considerans, *videbit uniformiter unam inspirationem ut ab uno divino Spiritu conclusam,* id est, intelliget in utriusque Testamenti Scripturis unam et eamdem fuisse inspirationem et illuminationem contentam, utputa ab eodem Spiritu Sancto concessam, juxta illud Archiapostoli : Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines. (II *Petr.* I, 21.) Paulus quoque apostolus : Nos, inquit, eumdem spiritum fidei habentes. (II *Cor.* IV, 13.) *Unde pulchre in* * *mundo post antiquiorem traditionem novum Testamentum prædicatur,* (* illi) id est, evangelica lex convenienter prædicata est per totum mundum « post traditionem antiquiorem », id est post Mosaicæ legis donationem. Figura namque præcedere debet figuratum, umbra lucem, imperfectum quoque perfectum, et dispositio formam, via et ordine generationis. Similiter in Ecclesia per orbem terrarum diffusa, frequenter præmittitur lectio veteris Testamenti, lectioni Epistolæ et Evangelii. Idcirco ad Galatas dicitur : Lex pædagogus noster fuit in Christo. (*Galat.* III, 24.)

*Divina et hierarchica ordinatione illud (æstimo) declarante,* id est, ordinatione sanctorum patrum ex divino instinctu sic instituente ac ostendente, *quomodo ipsa quidem,* utputa vetus lex, *dixit futuras Jesu divinas operationes,* id est, prophetice prænuntiavit sancta opera Christi ac divina miracula. Unde Isaias : Pusillanimes (inquit), confortamini et nolite timere ; ecce Deus vester veniet, et salvabit vos. Tunc aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum patebunt ; tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum. (*Is.* XXXV, 4-6.) Et per Michæam dictum est : Magnificabitur in medio universæ terræ, et pax erit in terra nostra. (*Mich.* V, 4, 5.) *Hoc vero perfecit,* id est, novum Testamentum narrat illas opere esse completas. *Et quomodo quidem illa,* scilicet vetus lex, *in imaginibus veritatem scripsit,* id est, veritatem credendorum et agendorum in figuris expressit. Omnia enim, secundum Apostolum, in figura contingebant eis. (I *Cor.* X, 11.) Et Prophetæ frequenter metaphorice sunt locuti : ut quum loquitur Isaias, Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet. (*Is.* XI, 1.) Ad hujus verbi declarationem allegat Albertus illud Apostoli ad Hebræos : Umbram habens lex futurorum bonorum. (*Hebr.* X, 1.) Cui allegationi obviare videtur quod protinus in illa auctoritate subjungitur, Non ipsam imaginem rerum. (*Ibidem.*) Quod etiam his verbis Theologi videtur contrarium, asserentis quod illa in imaginibus veritatem descripsit. Et respondendum quod hoc loco imago extensius sumitur, utputa tam pro figura obscura, quæ dicitur umbra, quam pro figura evidenti, quæ proprie nominatur imago. *Hoc vero præsentem demonstravit,* id est, novum Testamentum Christum venisse et in medio suorum fidelium esse edocuit, secundum quod ipse in Matthæo protestatur : Ecce ego vobiscum sum cunctis diebus. (*Matth.* XXVIII, 20.)

Est quoque præsens in Sacramento. Hinc A felicissimus Joannes Baptista vocatur pro-
*Matth.* XI, 3. pheta, et plus quam propheta, quoniam
*Joann.* I, 29. Christum monstravit præsentem : Ecce (dicens) Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.

*Illius enim prædicationibus,* id est ex sermonibus et vaticiniis veteris legis, *hoc per se ipsam perfecta operatione veritatem cognovit :* id est, novum Testamentum, hoc est populus novi Testamenti, « cognovit veritatem », id est Christum, qui ait,
*Ibid.* XIV, 6. Ego sum via, et veritas, et vita; veramque B ejus notitiam est sortitus. Ideo Christus in
*Ibid.* V, 39. Evangelio ait Judæis : Scrutamini Scripturas, quia illæ sunt quæ testimonium perhibent de me. Et in Actibus gloriosissimus
*Act.* X, 43. Petrus deprompsit : Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent. Cognovit autem hanc veritatem non solum illius sermonibus, sed etiam « operatione » Christi « per se ipsam perfecta » id novit.
*Joann.* X, 25. Hinc in Joanne disseruit Dominus : Opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me. Et C
*Ibid.* 38. rursus : Si mihi, inquit, non vultis credere, operibus credite. Etenim supernaturalia prorsus et præclarissima Christi miracula, sufficienter demonstrant veritatis suæ doctrinam, quum Deus omnipotens essentialiter verus et veritas, nec confirmator nec testis esse valeat falsitatis. Idcirco apud Joannem Christus locutus est :
Si opera non fecissem in eis quæ nemo *Joann.* XV, 24.
alius fecit, peccatum non haberent.

*Et est Theologiæ divina operatio consummatio,* id est, supernaturalis miraculosaque actio « est consummatio », id est perfectio, confirmatio et probatio, « Theologiæ », id est evangelicæ prædicationis, seu totius Scripturæ canonicæ, juxta id
Marci : Illi autem profecti prædicaverunt *Marc.* XVI, 20.
ubique, Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis. Et ad He-
bræos dicitur : Salus (id est evangelicæ *Hebr.* II, 3, 4.
legis prædicatio) in nos confirmata est, contestante Deo signis, et portentis, et variis virtutibus, et Spiritus Sancti distributionibus. Porro Commentator, per Theologiam, intelligit Scripturam veteris Testamenti ; per operationem divinam, novum accipit Testamentum, quod gratiam confert ad operandum. Sed expositio præinducta litteralior fecundiorque videtur.

# ARTICULUS XXIII

## DE DIFFERENTIIS ILLORUM QUI A DIVINIS OFFICIIS EXCLUDEBANTUR.

CONSEQUENTER tractat de differentiis D eorum qui a divinis officiis excluduntur.

*Harum alii quidem non circumtubicinantes,* id est plebium prædictarum quædam spiritualiter mutæ, « non circumtubicinantes », id est, non undique sonore loquentes aut prædicantes ea quæ fidei sunt et salutis, sicut per Isaiam Dominus
*Is.* LVIII, 1. exhortatur : Quasi tuba exalta vocem tuam; *universaliter sacrarum teletarum neque imagines vident,* id est, propter suam incredulitatem non permittuntur videre « imagines », id est sensibilia signa, « teletarum sacrarum », id est sanctarum consecrationum ecclesiasticorum sacramentorum. *Impudenter negantes salutarem divinæ generationis doctrinam,* id est, sine verecundia renuentes « salutarem doctrinam generationis divinæ », id est Baptismi : de qua Salvator in Matthæo,
Euntes, inquit, docete omnes gentes, ba- *Matth.* XXVIII, 19.
ptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ; apud Joannem quoque,

[*Joann.* III, 5.] Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, etc. De qua doctrina in Actibus narratur, [*Act.* II, 37.] quod Judæis ad prædicationem sacratissimi Petri compunctis, atque dicentibus ad sanctos Apostolos, Quid faciemus, viri fratres? Archiapostolus ipse respondit : [*Ibid.* 38.] Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi. *Et Eloquiis perdite respondentes* illud, *Vias tuas scire nolumus :* id est, infideles isti ipso suo facto « respondentes perdite », id est damnabiliter et perverse, « Eloquiis », id est prædicationibus Scripturarum exhortantium ad Baptismum et alia ad salutem spectantia, illud in libro Job scriptum : [*Job* XXI, 14.] Dixerunt Deo, Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. Tales sunt indurati, rebelles, habituati in vitiis, qui quasi de industria recedunt a fonte salutis. [*Is.* XXX, 10.] De quibus in Isaia legitur : Dicunt videntibus, Nolite videre ; et adspicientibus, Nolite adspicere nobis ea quæ recta sunt, loquimini nobis placentia, videte nobis errores.

*Catechumenos, energumenosque, et eos qui sunt in pœnitentia* publica, prout istud [art. XVIII.] in hoc ipso capitulo est expositum, *sanctæ hierarchiæ lex,* id est institutio seu præceptum ecclesiasticæ hierarchiæ, *permittit quidem audire psalmificam* [* psalmicam] *sacram orationem,* id est psalmodiam devotissimis orationibus plenam, *et divinam sanctissimarum Scripturarum lectionem,* puta Epistolam seu lectionem propheticam, et Evangelium. *Iterumque deinde ad sacrificationes et contemplationes non vocat tales,* id est, non invitat, imo nec admittit illos ut intersint consecrationi et elevationi, *sed perfectos perfectorum oculos,* id est in Baptismo purgatos et sanctificatos.

*Est enim deiformis hierarchia justitiæ sacræ plena,* id est, sancta Ecclesia militans omni virtute repleta est. Justitia quippe uno modo est omnis virtus. *Et juxta dignitatem unicuique salutariter distribuit* [* describit] *compactam uniuscujusque divinorum participationem :* id est, per modum justitiæ distributivæ confert et influit cuilibet credenti « participationem compactam », id est communicationem convenientem, « divinorum » donorum, « juxta dignitatem », id est capacitatem ac meritum cujuslibet talium ; *in commensuratione et analogia,* id est, proportione et habitudine, juxta evangelicum illud : Dedit unicuique secundum propriam virtutem; [*Matth.* XXV, 15.] *secundum tempus sacre donans,* id est, secundum exigentiam temporis discrete tribuens, utputa loco et tempore opportuno : siquidem locus et tempus sunt circumstantiæ actus virtutum.

*Ultimus ergo* [* igitur] *catechumenis distribuitur ordo,* id est infima ordinatio et collocatio inter credentes. Imo proprie et complete inter fideles non computantur, quum necdum sint regenerati : imo sunt in via et dispositione ad esse christianitatis. Hinc subditur :

*Sunt enim expertes et indocti omnis hierarchicæ perfectionis,* quia solum fidei rudimenta sunt docti. Quod verum est, loquendo de eis secundum quod tales sunt, et secundum cursum communem. Aliquando tamen quidam eorum speciali gratia, illuminatione et compunctione præventi sunt, imo et sancti fuerunt : quemadmodum de B. Emerentiana scribit S. Ambrosius, quod fuit virgo sanctissima quamvis adhuc catechumena; quemadmodum etiam in sacra religione quidam adhuc novitii, sunt valde fervidi et quasi perfecti. *Neque juxta divinam comprobationem, divinam habentes subsistentiam :* id est, nondum sortiti sunt esse spirituale, supernaturale, deiforme, ad promerendum idoneum : quod juxta communem legem infunditur in Baptismo, quo gratia gratum faciens datur. Nihilo minus, quandocumque quis veram habet de suis peccatis contritionem atque propositum baptizandi aut confitendi, gratiam et caritatem mox suscipit, vel potius in eodem instanti, quum sine caritate non sit vera contritio. Nondum ergo « divinam subsistentiam » sunt adepti, « juxta comprobationem divinam »,

id est, secundum quod Deus instituit, approbat, et aperte oportere decrevit. A

*Sed adhuc paternis eloquiis obstetricati*, id est spiritualibus alimoniis ad incipientes spectantibus foti, juxta illud Apostoli : Tanquam parvulis in Christo, lac dedi, non solidum cibum. (I Cor. III, 2.) Unde et princeps ait Apostolorum : Quasi modo geniti infantes lac concupiscite. (I Petr. II, 2.) *Et adhuc talibus formis*, id est doctrinis rudibus ac grossioribus, *informati ad eam ex divina generatione primo vitalem et primo illuminantem et beatam accessionem :* B *tanquam imperfecti et informes projecti secundum carnem infantes propria obstetricatione, veluti obcæcati et abortivi, non genitalem et non vitalem et non illuminatum in terra casum habebunt.* Id est : Ad divinam subsistentiam seu spirituale esse, per caritatem habebunt primo accessum « ex generatione divina », id est per regenerationem Baptismatis : accessum, inquam, « primo vitalem », id est primo spiritualiter vivificativum; « et primo illuminantem », quia in Baptismo gra- C tia vivificans et illustrans primo infunditur, ut patuit capitulo præcedenti. Sicque accessus iste vocatur vitalis, atque illuminans, et beatus, ratione termini ad quem : quia ad gratiam gratum facientem et ad salutem perducit. « Tanquam imperfecti et informes » ante Baptismum, qui scilicet tales erant ante baptizationem : sicque erant similes infantibus abortivis in terram cadentibus, obvolutis et cæcis, non habituris « casum in terra » perfecte « genitalem, vitalem », visivum : quoniam per D exitum suum de ventre, non pertingunt ad subsistentiam et vitam naturalem completam, neque ad visum corporalem, propter organi dispositionem, quia ut ait Philosophus, oculi ultimo complentur in animali.

*Et nonne quidam bene sapientium dicit*, videlicet, David, secundum quosdam expositores, salubriter sapiens dicit in Psalmo, *ad manifestum respiciens lumen, eos prægravari tenebris a vulva alienatos?* Ubi enim Hieronymus transtulit, Alienati sunt peccatores a vulva, erraverunt ab utero ; (Ps. LVII, 4.) antiqua habet translatio, Ad apparens inspiciens, ad lumen a tenebris ventris, etc. Veruntamen istud non est ad litteram scriptum de abortivis, sed de reprobis et iniquis. Ideo allegatio ista non est nisi per quamdam adaptationem. Hinc magis apparet quod per sapientem istum intelligendus sit sanctus Job, qui ait : Sicut abortivum absconditum non subsisterem, vel qui concepti non viderunt lucem. (Job III, 16.) In Numerorum quoque libro, Aaron de sorore sua lepra percussa : Ne fiat (inquit) hæc quasi mortua, et ut abortivum quod projicitur de vulva matris suæ. (Num. XII, 12.)

*Dicet** *enim fortassis corporum disciplina ad hos, quæ est medicina*, id est, peritia medendi corporibus, « quæ est medicina » ægris corporibus, « dicet » forsan ad ægros, id est, movebit medicum ad dicendum. Unde alia translatio habet, Disciplinæ patronus. *Lumen operari in capacibus lucis*, id est, præsumet se sanare cæcos. Quod quandoque naturaliter fieri potest, dum non sunt nati cæci, sed lumen visuale habent in oculis : ut legitur in Tobia de felle piscis, quod linitum super oculos Tobiæ, visum recuperavit eidem. (Tob. XI, 13-15.)

* Dicit

*Sic et sacrorum sapientissima disciplina*, id est sagacissima sanctorum patrum doctrina, *primo quidem eos formativorum et vivificantium** *eloquiorum introductivo alimento obstetricat*, id est, spiritualiter circumligat atque enutrit eos documentis pertinentibus ad statum incipientium, per quæ introducuntur ad meliora et viciniora saluti, pertinentia ad statum proficientium. (Hebr. VI, 9.) Primo tamen docentur de rudimentis fidei, per quæ introducuntur et aptantur ad Baptismum et ad virtutes morales. De talibus ad Hebræos asseritur : Rursum indigetis ut doceamini quæ sint elementa exordii sermonum Dei, et facti estis quibus lacte opus sit, non solido cibo. (Ibid. V, 12.) In horum informatione se habet Ecclesia instar piæ ac discretæ nutricis, quemad-

* vivificativorum

modum ad Thessalonicenses scribit Apostolus : Facti sumus parvuli in medio vestrum, tanquam si nutrix foveat filios suos. Istud introductivum alimentum, est eloquium « formativorum et vivificantium », id est sumptum ex sacris Scripturis, quæ afficiunt, aptant et informant ad sapientiæ ac virtutum profectum ac gratiæ vitam.

I Thess. II, 7.

*Perficiens autem ante divina generatione eorum substantiam,* id est, Scriptura * seu hierarchia in primis « perficiens » catechumenorum naturam sive personam, « generatione divina », id est Baptismatis sacramento, per quod gratiam gratum facientem et spirituale esse acquirunt; *dat salutariter eis in ordine ad lumen deiformem et perfectivam communionem :* id est, porrigit ipsis jam baptizatis « salutariter », id est salubriter, « communionem deiformem et perfectivam », id est divinissimam Eucharistiam, quæ digne sumentem valde perficit atque deificat, et in Christum convertit, transformat : datque eis communionem istam « in ordine », id est ordinato processu, videlicet post Baptismum, quia renati spirituali indigent alimento ad lumen gloriæ impetrandum ; vel in ordine « ad lumen », id est per ordinationem et relationem ad increati luminis beatificam fruitionem adipiscendam. Propter quod sacra communio appellatur viaticum : quia de via hujus exsilii, perducit ea refectum et confortatum ad æternæ patriam claritatis.

* Ecclesia

*Nunc autem tanquam ab imperfectis separat perfecta,* id est, Ecclesia separat catechumenos a baptizatis, expellendo illos ab ecclesia ante consecrationem et elevationem. *Et bono ornatui sacrorum providens,* id est, prospiciens decenti decori fidelium, exigenti ut unumquodque in debito sibi loco ac ordine collocetur, et immundi a mundis disgregentur, dicente Apostolo, Quæ societas luci ad tenebras? et Jeremia, Quid tritico ad paleas? Vel, « ornatui sacrorum », id est sacramentorum, quorum dignitas exigit ut ab eorum

II Cor. VI, 14.
Jer. XXIII, 28.

A adspectu et communione arceantur non baptizati. *Et catechumenorum in deiformi hierarchicorum ordine obstetricationi et vitæ :* id est, providens etiam Ecclesia « obstetricationi », id est proportionatæ educationi per rudia documenta, « et vitæ », id est spirituali vivificationi, « catechumenorum » : per quas constituantur « in ordine deiformi hierarchicorum », id est ecclesiasticorum officiorum aut actuum, vel fidelium hominum.

*Energumenum autem multitudo, im-*
B *munda quidem et ipsa,* id est, ipsi energumeni sunt adhuc immundi, quoniam nondum baptizati, sicut et catechumeni. Sunt tamen catechumenis aliquantulum altiores, uno videlicet gradu. Propter quod subditur : *secunda vero sursum versus,* id est, ascendendo est multitudo energumenum secunda, *catechumenum est extremitate,* id est ab extremo catechumenorum populo, qui sub energumenis ordinantur. In energumenis namque potestas dæmonum magis debilitata est et depressa per
C exorcismos, quam in catechumenis.

*Neque enim æquale est, ut æstimo, universaliter indocto et divinarum teletarum summe non communicanti, quod participationem quamdam sacratissimarum habet consummationum :* id est, is qui « habet » aliquam « participationem sacratissimarum consummationum », utputa divinarum perfectionum, seu perficientium sacramentorum, non est æqualis, id est per omnia similis, « universaliter indocto » in his quæ fidei sunt et salutis,
D « et summe non communicanti », id est maxime alieno, a teletis divinis, id est imaginibus seu consecrationibus sanctisve signis et formis sacramentorum. Nam ille est saluti propinquior, et melior isto prorsus indocto. *Est autem contrariis aut potestatibus aut perturbationibus informatum.* Constat quod genus infidelium prædictorum, omnino « informatum » et subditum sit « potestatibus » dæmonum, et « perturbationibus » passionum ac vitiorum. Energumeni quoque, quoniam

nondum baptizati, aliqualiter tales sunt, quamvis minus. Propter quod præfato modo a divinis et sacramentis arcentur, sicut subjungitur : *Sed et ab eis sacratissimorum divina communicatio corripitur,* id est, tollitur quousque sint baptizati, quia ex tunc ceterorum saluberrimorum communicatio et participatio sacramentorum eis conceditur; *et valde merito,* id est omnino rationabiliter et juste.

*Si enim est vere ut universaliter divinus vir divinis dignus,* hoc est, si sit aliquis vir vere heroicus tanquam « universaliter divinus », id est in omni virtute perfectus, hic utique dignus est sacramentis et ceteris donis, secundum mensuram et gradum suæ conditionis, non omnino simpliciter, quum beatissimus Joannes Baptista fassus sit se esse indignum solvere corrigiam calceamenti Domini Jesu Christi; *ad suæ deiformitatis summum in perfectissimis et consummativis deificationibus ascendens,* id est, proficiendo assidue tendens « ad summum suæ deiformitatis », id est ad apicem suæ divinæ perfectionis, consistentis formaliter et realiter « in deificationibus perfectissimis et consummativis », id est excellentissimis virtutum seu donorum, præsertim caritatis et sapientiæ mysticæ actibus, per quos mens humana Creatori potissime conformatur.

*Matth.* III, 11.

*Nec quæ carnis sunt operabitur,* id est, non ultra exercebit carnalia, *præter naturæ valde necessaria,* quæ scilicet ad conservationem naturæ requiruntur, *et hoc, utpote annullatum* *, id est tanquam quid vile, ad rem non pertinens, et occasionaliter, potius ad destruendum, quantum fas est, quam ad fovendum. Hinc alia translatio continet : Idque velut ex latere ac per transitum faciet. Hinc discimus quantum debeamus sobrietati et abstinentiæ sanctæ studere. Unde Apostolus : Carnis (inquit) curam ne feceritis in desideriis. Ideo quidam sanctorum Patrum, sicut in Vitis Patrum narratur, consuevit comedere transeundo, dicens : Hoc opus facimus, non quasi intentum aut aliquid principale, etc.

* *et hæc, utpote annullatim.*

*Rom.* XIII, 14.

*Templum autem simul et consequens in sua sublimissima deificatione, divini Spiritus erit.* Id est : Talis vir « erit templum Spiritus divini », id est Spiritus Sancti, juxta illud : Templum Domini sanctum est, quod estis vos; « consequens », id est, imitans Spiritum Sanctum, secundum illud : Imitatores Dei estote. Qui per Moysen jussit : Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum Dominus Deus vester. « In sua sublimissima deificatione », id est assimilatione sua cum Deo perfectissima. Hæc enim deificatio, est ipsa imitatio et assimilatio, quoniam unumquodque quasi transformatur in illud cujus operationes assidue et affectuose exercet. *Simili simile* * *collocans,* id est, Spiritui Sancto puro et simplici collocans, id est construens et exhibens templum, se ipsum jam purificatum, simplificatum, et assimilatum Spiritui Sancto, qui Patri ac Filio similis est, imo æqualis.

I *Cor.* III, 17. *Ephes.* V, 1. *Lev.* XIX, 2.

* *Simile in simili*

*Non fortassis talis aliquando a contrariis patietur phantasiis,* id est, phantasticis apprehensionibus et vanis imaginationibus non affligetur, sed luce sapientiæ et vigore virtutum suarum talia exsufflabit, stans stabilis coram Deo in lumine, quemadmodum scriptum est : Homo sanctus in sapientia manet ut sol; *aut erroribus :* omni namque errori periculoso, fidei aut determinationi Ecclesiæ repugnanti, toto corde renuntiat.

*Eccli.* XXVII, 12.

*Deridebit autem hæc,* id est, cuncta quæ Deo et saluti, virtutique et sapientiæ contrariantur, cordialiter justa indignatione aspernabitur ut inania et maligna : quemadmodum qui in itinere videt turpe fœtidumque cadaver, mox se inde avertit, obstruens nares, et dicens, Fy, fy. Et sic unam syllabam proferendo ex corde, possumus universas tentationes ac vitia superare, dicendo videlicet, Fy : et quanto quis amplius crescit in splendore sapientiæ ac puritate virtutum, tanto facilius ei fit implere. Idcirco de homine justo fertur

Ps. xiv, 4. in Psalmo : Ad nihilum deductus est in A conspectu ejus malignus; itemque, Super Ps. liii, 9. inimicos meos despexit oculus meus. Sic quoque, juxta Philosophum, magnanimus est aspernativus. Impius quippe, secundum quod talis, vilis est et spernendus. *Et cum advenientibus luctabitur,* id est, contra invisibiles atque visibiles hostes divini honoris ac suæ salutis, victoriose certabit. Unde in libro Sapientiæ dictum Sap. x, 12. est : Certamen forte dedit illi Dominus ut II Tim. ii, 5. vinceret. Nec enim teste Apostolo coronabitur, nisi qui legitime certaverit. *Et* B *persequetur* illos, tanto fortius dando se ad omnem profectum virtutum, quanto plus importune ac improbe illi conantur eum avertere, exemplo strenuissimi pugnatoris qui sperando in Domino, non propriis viribus innitendo, deprompsit : Ps. xvii, 38. Persequar inimicos meos, et comprehendam eos, et non convertar donec deficiant. Jacob. iv, 7. Propterea alibi scriptum est : Resistite diabolo, et fugiet a vobis. *Et operabitur magis quam patietur,* id est, absque sui læsione triumphabit, tamque faciliter aut C certe tam viriliter prævalebit, quod magis habebit se active quam passive. Nec propter tentationes cessabit ab actibus vir-Is. l, 8, 9. tuosis, dicens cum Isaia : Juxta est qui justificat me; quis contradicit mihi? stemus simul. Quis est adversarius meus? accedat ad me. Ecce Dominus Deus auxiliator meus.

*Et adhuc proprio habitu impatiente,* id est, non patiente detrimentum habitu suæ virtutis, sed incrementum et robur majus sumente, *et non indigente* humanis au- D xiliis, jugiter tamen innitente gratioso Dei auxilio, *et aliis medicus videbitur talium operationum,* id est, proximis suis salubriter consulet qualiter in tentationibus se habebunt, ac bonis insistent operibus. Sicque læsionibus animarum medebitur, Ibid. 4. juxta illud Isaiæ : Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut sciam sustentare eum qui lassus est, verbo. Nempe quo quis in præliis spiritualibus magis fuerit exercitatus, eo magis idoneus est consulere aliis. Ideo scriptum est in Ecclesiastico : Qui non est tentatus, quid scit? Vir Eccli. xxxiv, 9. in multis expertus cogitabit multa. Denique, sicut in naturalibus cernimus quod unumquodque resistit suo contrario, et fortius agit quum ab illo impetitur, ita virtutes justorum fortius agunt et reluctantur quando a tentationibus ac vitiis impugnantur.

Sequitur de exclusione apostatarum.

*Æstimo autem ego, magis vero* aperte* * autem *scio,* id est, naturali lumine aliqualiter capio, sed divina illuminatione certe nosco, *hierarchicorum purissima discretio pro talibus novit energumenum, per pollutissimam operationem quicumque a deiformi discedunt vita :* id est, quod « discretio » ecclesiasticorum « purissima novit », et noscendo facit quod novit agendum; vel, « novit », id est approbat; « pro talibus energumenum », id est præ ipsis energumenis seu ante eos, esse ab ecclesia excludendos; « quicumque », id est illos omnes qui « discedunt a vita deiformi », id est, a conversatione devotissima ac divina recedunt, « per operationem pollutissimam », id est per actiones valde iniquas : quia vulnera repetita, sunt graviora. *Et consentientes* inquinationibus ipsis, *et similiter,* id est inquinate, *conversantes, fiunt,* id est deputantur, *dæmonibus perditis,* id est damnatis, quorum sunt servi.

*Vere quidem exsistentia, et immortaliter creata, et æternaliter delectata, per extremam et sibimet perniciosam insipientiam avertentes :* id est, a cordibus suis excludentes bona spiritualia, cœlestia et divina, « vere » et salubriter « exsistentia, et creata immortaliter », id est, ad hoc quod perpetue maneant, « et delectata æternaliter », id est, ad delectationem perennem ducentia : quod faciunt « per insipientiam extremam », id est maximam, et sibi ipsis summe « perniciosam », id est nocivam et ignominiosam. De quibus in Baruch legitur : Et quia non Baruch iii, 28. habuerunt sapientiam, interierunt propter suam insipientiam. Atque ut in libro Sa-

Sap. XVI, 14. pientiæ scriptum est : Impius per malitiam occidit animam suam. Uniuscujusque ergo iniquitas et insipientia in primis et maxime nocet ipsi peccanti, et in proprium redundat auctorem, prout in Ec-
Eccle. X, 8. clesiaste scriptum est : Qui fodit foveam, incidet in eam ; et qui dissipat sepem, mordebit eum coluber. Præterea, quum donum sapientiæ sit habitus supernaturalis infusus quo de Deo et spiritualibus bene judicamus, per connaturalitatem et conformitatem affectus ad ea et per internum saporem ; hinc sapientiæ huic directe contrariatur bona caduca, carnales delicias, perituras divitias et mundanos honores præeligere et præferre bono increato et infinito : quod spectat ad vitium puerilitatis.

*Materialem vero et multum passibilem alienationem, et perditas et corrumpentes delicias, et infirmam, in alienis, non exsistentem sed opinabilem delectationem, concupiscentes et operantes :* hoc est, perversi « concupiscentes » et operando quærentes « delicias corrumpentes et perditas », id est carnales, damnabiles, rectæ rationis judicium subvertentes, et « alienationem », id est excæcantia peccata, multum materialia ac passibilia, et circa sensibilia objecta versantia et circa passiones, ut sunt gula, avaritia, fornicatio ; « et delectationem opinabilem, non » vere « exsistentem, infirmam » et ægram, id est oblectationem vitiosam, quam reputant veram et firmam, quum tam facile amittatur, et ad æternæ damnationis acerbitatem perducat.

*Primi ergo ipsi,* id est apostatæ isti, qui etsi non recedant a fide, recedunt tamen a gratia et vita virtutum incepta (sicque apostasia sumitur hic extense, secundum quod in Ecclesiastico legitur :
Eccli. X, 14. Principium peccati hominis, apostatare a Deo), *et potius illis,* id est magis quam energumeni, *a ministro,* puta diacono, *discretiva voce segregantur,* id est, speciali nomine exire jubentur. *Non enim justum est eis alterius cujusdam sacri participare,* id est, rectum non est illis sic recidivantibus impertire aliquid divini charismatis, quamdiu manent in suis abusionibus, *quam Eloquiorum conversoriæ ad meliora doctrinæ,* id est quam donum salubris prædicationis sacræ Scripturæ, qua convertantur ad Deum, juxta quod in Evangelio loquitur Christus : Nisi con- Matth. XVIII, 3 ; Luc. XIII, 3, 5.
versi fueritis et pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis.

Quod autem sic recidivantes sint excludendi, probat per locum a minori, quia videlicet minus rei excluduntur.

*Ea enim divinorum supermundane sacrificatio,* id est consecratio et immolatio sacramenti Eucharistiæ, quæ fit « supermundane », id est supernaturaliter penitus ac divine, *ab his qui sunt in pœnitentia et ad eam jam venientibus absconditur,* id est, occultatur a constitutis in pœnitentia publica, et a venientibus ad eamdem, *non omnino ad sacratissimum admittens,* id est, sacrificatio illa nequaquam admittens aliquid prædictorum « ad sacratissimum », id est ad inspectionem divinissimi Sacramenti altaris. *Appellat vero et hoc* castissime,* id est, minister, puta diaconus, vel ipsa sacra communio ipso facto, id est sua absconsione, acclamat et prædicat « hoc castissime », id est mundissima intentione, *quia In aliquo ad deiformitatis summum imperfecte infirmantibus invisibilis vado et incommunicatus* :* hoc est, Ego jam transeo « ad summum deiformitatis », id est ad apicem divinæ assimilationis, vel ad Deum altissimum, cui offeror « invisibilis et incommunicatus infirmantibus imperfecte », id est præ sua imperfectione adhuc ægris et pusillis, a quibus exclusis modo non adspiciar, nec communicabo cum eis in isto mysterio. *Abigit enim per omnia clarissima vox,* id est, evidens valde pronuntiatio diaconi expellit ab ecclesia omnes præfatos immundos, *non valentes conjungi divinissimorum digne communicatoribus*,* id est, qui nequeunt decenter associari « communicatoribus », id est susceptoribus, « divinissimorum », id est corporis et sanguinis Sancti Sanctorum.

* hæc

* non communicabilis

* divinorum digne communicationibus

*Multo magis passibiliter energumenum multitudo,* id est pluralitas illa tam imperfecta quod adhuc « passibiliter » et visibiliter subjacet passionibus appetitus A sensitivi, *immunda erit, et omnino** *alienata sacrorum inspectione et communicatione,* id est totaliter repulsa a visione et susceptione sacramenti istius.

* omni

# ARTICULUS XXIV

## QUOMODO EXCLUSIS QUI EXCLUDENDI SUNT, MINISTRI ET FIDELES VENERABILE SACRAMENTUM LAUDENT.

D*EINDE divino fiunt foris templo et superexcellenti ejus sacrificio,* id est a templo materiali Deo altissimo consecrato, et ab intuitu ac communione superexcellentis sacrificii ejus, sensibilibus signis et formis velati : *teletarum indocti et imperfecti,* id est, qui nondum spiritualium sensuum sunt capaces ; vel, « indocti teletarum », id est nondum instructi de sacramentis ; *et cum ipsis, a sacra apostatæ vita,* id est, qui recesserunt a vita virtuosa quam ad tempus habuerunt, potissime suscepto Baptismo.

*Consequenterque his, adversus contrariorum et vincula et phantasias propter infirmitatem bene patientes,* id est, correspondenter et convenienter cum prædictis expelluntur a templo « bene patientes », id est, hi qui faciliter patiuntur læsionem interiorem propter infirmitatem, id est ob suam pronitatem ad mala, quia nondum armati sunt sanctis virtutibus, « adversus vincula », id est voluptates et consuetudines pravas, « et » contra « phantasias », id est imaginationes et apprehensiones phantasticas, « contrariorum », id est hostium humanæ salutis. Unde dixit Apostolus : Resipiscant a laqueis diaboli, a quo captivi tenentur. De quibus in Proverbiis Salomon : Iniquitates (ait) impii capiunt eum, et funibus peccatorum suorum constringitur. Rursus quoque de juvene lubrico loquens : Occurrit illi (inquit) mulier ornatu meretricio ; statim B sequitur eam quasi bos ductus ad victimam. *Quippe non pervenientes ad divina per corroboratum et non indigentem contuitum,* id est, accedere non valentes sacramenta ac divina mysteria per contemplationem firmam ac stabilem, et sufficienter idoneam, perducentem *in deiformis habitus incommutabile et activum,* id est ad immobilitatem mentis et indesinentem agilitatem et actualitatem « habitus deiformis », id est puræ et ferventissimæ caritatis, quæ otiosa esse non valens, in- C cessanter stimulat cor amantis, et excitat illud in Deum.

II Tim. II, 26. — Prov. V, 22. — Ibid. VII, 10, 22.

*Deinde cum ipsis, contraria quidem recedentes vita,* id est, consequenter cum prætactis expelluntur templo, « recedentes vita contraria », id est vitiosa, utputa pœnitentes; *nondum autem et phantasiis ejus, habitu et amore divino et claro, purgati :* id est, necdum emundati ab importunis memoriis ac reliquiis pristinarum culparum : quæ reliquiæ sunt pronitas ad peccandum, et debilitas resistendi : a qui- D bus nondum purgati sunt « habitu », id est habituata et firma exercitatione in bonis, quæ contrariam dispositionem excludit, et stabilit cor in bonitatis affectu : quod potissime efficit amor divinus in exercitium assiduum ductus, tanquam ancora firmans et immobilitans animam in dilecto ; qui amor est clarus a commixtione inordinati affectus. *Et post hos, qui non omni modo uniformes, et legaliter*

*dicendum, immaculati et incontaminati* A *sunt perfectissime,* id est, ultimo post præmemoratos egrediuntur ecclesiam qui non sunt adhuc sufficienter perfecti, « uniformes » ac stabiliti in bonis « perfectissime », id est multum perfecte : qui forsan ex humilitate egrediebantur cum aliis.

Ex his copiose instruimur quam ineffabiliter præcordialem reverentiam, devotionem, fervorem habuerunt sanctissimi illi primitivæ Ecclesiæ filii, circa supervenerandissimum Eucharistiæ sacramentum ; et heu, heu ! quod nos miserrimi B tam negligentes et desides circa id sumus. Præterea dico, quia si omnes jam tacti, modo ab ecclesia expellerentur, vereor quod admodum pauci manerent in ea.

*Sanctissimi tunc sanctissimorum sacrificatores* *, id est, illis expulsis, manent in templo devotissimi sacerdotes, quorum est consecrare et offerre hoc sacrificium laudis : quod interdum singulariter appellatur Sacramentum et Sacrificium, quia est una completa oblatio, et ad unum C completum effectum est ordinata ; aliquando vero pluraliter dicitur Sacramenta et Sacrificia, propter diversitatem sacramentalium specierum atque materiarum ex quibus fit consecratio. Unde in collecta oramus : Purificent nos, quæsumus, Domine, Sacramenta quæ sumpsimus, etc. *Et contemplationis amatores,* id est homines contemplativi : in quorum persona dixit Apostolus, Nos autem revelata facie gloriam Domini speculantes ; et iterum, Sapientiam loquimur inter perfectos. *San-* D *ctissimam teletam,* id est ipsum Sacramentum dignissimum seu symbolicam speciem sub qua continetur. Hinc alia habet translatio, Sanctissimam consecrationem ; tertia vero, Sacrosancta mysteria. *Sancte et decenter inspicientes,* præsertim in elevatione, cum ingenti devotione et adoratione, cum interna compunctione aut aliquantula pectoris tunsione, memores suarum culparum, et quanta pertulerit Filius Dei. *Laudant hymnologia catholica,*

* sanctificatores

II Cor. III, 18.

I Cor. II, 6.

id est proferendo seu decantando symbolum fidei ab Apostolis editum : quod dicitur « hymnologia », id est sermo laudatorius, et « catholica », id est universaliter continens quasi summatim quæ spectant ad fidem, ita quod alia credenda ibi non expressa, includuntur in eis aut reducuntur ad illa. Laudant, inquam, *beneficum et bonorum largiens principium,* id est Deum Patrem omnipotentem, qui est principium tam Filii et Spiritus Sancti, quam omnis boni creati ; estque « principium beneficum », id est liberale et benefactivum respectu creaturarum, quarum etiam est causa et causale principium. Filii vero secundum divinam naturam, et Spiritus Sancti, est quidem productivum et fontale principium, non proprie causale, nec causa, quoniam causa est ad cujus esse sequitur aliud ; nec proprie beneficum, quoniam Pater non est factor Filii vel Spiritus Sancti. Porro tres supersanctæ Personæ sunt unum principium omnis entis creati, cujus tamen Deus Pater specialiter pater asseritur, quia ex se creativam habet potentiam. Filius autem et Spiritus Sanctus, quidquid habent et sunt, a Patre se accepisse cognoscunt : quem et ob hoc et ob alias rationes, superæstuantissimo ac simpliciter infinito amant amore.

*Subintroducentes salutares nobis, quæ revelatæ sunt teletæ, sanctam perfectorum deificationem sacrificantes :* id est, recitantes in symbolo fidei et aliis verbis Scripturæ, « salutares nobis », id est sermones et gratias, donationes et visiones nobis salubres, « quæ sunt teletæ revelatæ », id est mysteria desuper patefacta ; et « sacrificantes », id est, pro tota Ecclesia militanti Deo offerentes, « deificationem sanctam », id est virtuosissimam conversationem, « perfectorum », per quam ipsi perfecti fuerunt deificati, id est Deo sublimiter assimilati. Fit enim in canone Sanctorum memoria, dum dicitur, Communicantes et memoriam venerantes, etc. ; ut Sanctorum fide ædificemur, et eorum meritis adjuvemur, qui hac fide ad sancti-

tatem meritorumque copiam ac salutem A
pervenerunt æternam.

*Hymnum autem hunc,* videlicet symbolum fidei, *alii* hymnologiam vocant,* id est sermonem loquentem de Deo ipsum laudando ; *alii autem* vocant ipsum *Religionis symbolum,* id est canticum summarie continens principia et fundamenta atque articulos fidei et legis christianæ ; *alii vero (ut æstimo) divinius, hierarchicam eucharistiam,* id est, alii nominant eum magis divine et alte « eucharistiam hierarchicam », id est bonam et ecclesi- B
asticam gratiam, *tanquam comprehensivam in nos divinitus pervenientium sacrorum donorum,* id est recitantem divina charismata nobis a Deo influxa. Nam tangit dona naturalia, dona quoque gratuita desuper nobis collata, donaque gloriæ divinitus nobis promissa, mysteria quoque salvifica quæ Unigenitus Dei pro nostra assumpsit salute.

* alii quidem

*Videtur enim mihi laudandorum omnium divinorum operum actionem circa nos fieri,* id est, mihi apparet quod in C
symbolo isto sit « actio », id est regratiativa commemoratio, « omnium operum divinorum circa nos » exhibitorum, quæ maxime sunt laudanda, tanquam piissime, sapientissime et potentissime facta aut fienda. Est quippe in symbolo hoc mentio de operibus creationis et recreationis ac glorificationis, de beneficiis et promissis, de mysteriis nostræ redemptionis, de omnipotentia Dei, de futuro judicio et præmiis ac tormentis æternis, de beatissima Trinitate, de emanatione ad D
intra et ad extra. *Essentiam quidem nostram et vitam deiformiter substituens :* id est, inter alia substitutam affirmans nostram naturam « deiformiter », id est ad participandum esse divinum, per dona gratiæ in præsenti, et per dona gloriæ in futuro, dum ait : Sanctam Ecclesiam catholicam, sanctorum communionem, remissionem peccatorum ; similiter « vitam », id est animam quæ est corporis vita, vel vitam spiritualem, aut vitam beatam, dum addit : Carnis resurrectionem, vitam æternam.

*Et principalibus exemplis,* id est exemplarissimis ac sanctissimis Christi actionibus, tolerantiis, passionibus : cujus omnis actio et passio est nostra instructio. Propter quod dixit : Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidie, et sequatur me ; princeps item Apostolorum : Christus passus est pro nobis, nobis relinquens exemplum, ut sequamur vestigia ejus. *Et pulchris deiforme nostrum formans,* id est, supremam animæ nostræ portionem, in qua supersanctissimæ Trinitatis imago relucet, præclare reformans, ornans, perficiens virtutibus et saluberrimis suæ passionis effectibus : quia ut ait Joannes, De plenitudine ejus omnes accepimus gratiam pro gratia. Unde ad Ephesios scribit Apostolus : Jam estis cives Sanctorum et domestici Dei. Et summus Apostolus in secunda sua Canonica : Pretiosa (inquit) nobis dona donavit, ut per hæc efficiamur divinæ consortes naturæ. *Et diviniori habitu et renovatione* in participatione constituens,* id est, collocans intellectualem partem animæ nostræ « in participatione » supernorum charismatum, « habitu diviniori », id est recentis ac fervidæ caritatis, aut gratiæ gratum facientis, quæ est virtutum et donorum, fructuum quoque ac beatitudinum fundamentum, et « renovatione », id est per spiritualem et internam nostræ animæ renovationem : de qua ait Apostolus : Renovamini spiritu mentis vestræ. Et denuo : Exuite, ait, veterem hominem cum actibus suis, et induite novum, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis.

Luc. IX, 23. — I Petr. II, 21. — Joann. I, 16. — Ephes. II, 19. — II Petr. I, 4. — Ephes. IV, 23. — Coloss. III, 9, 10 ; Ephes. IV, 24.

* Et divinioris habitus et renovationis

*Segregans autem ex negligentia ingenitam nobis solitudinem*,* id est, per gratiam suam tollens ab anima nostra derelictionem qua a Deo relicta fuit et deserta virtutibus : quam contraximus per negligentiam pessimam qua Dei præcepta implere negleximus (juxta id Psalmi : Maledicti qui declinant a mandatis tuis); aut

* sollicitudinem

Ps. CXVIII, 21.

intimorate, quantum ad substantiam facti, servavimus (secundum id Jeremiæ : Jer. XLVIII, 10. Maledictus homo qui facit opus Dei negligenter), aut non integre, ut S. Jacobus Jacob. II, 10. loquitur : Si quis totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium Jer. XXII, 6; Osee II, 3. reus. Unde per Prophetam minatur : Ponam te ut solitudinem. *Divinorum reficiens nos bonis,* id est, alens nos ecclesiasticis sacramentis, gratiarum muneribus, sanctis operibus, consolationibus contemplationibusque supernis, prout Christus effatur : Matth. XI, 28. Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Atque in Cant. V, 1. Canticis : Comedite, amici, et bibite ; et inebriamini, carissimi. In Ecclesiastico quoque : Eccli. XV, 3. Cibabit illum pane vitæ et intellectus, et aqua sapientiæ salutaris potabit illum. *In antiquum revocat,* id est in pristinum innocentiæ statum, saltem per imitationem et appropinquationem quotidianam, juxta illud in Psalmo : Ps. XXXVI, 37. Custodi innocentiam, et vide æquitatem ; rursusque, Ps. C, 2. Perambulabam in innocentia cordis mei.

*Et perfectissima nostrorum assumptione,* id est sua vera et benedictissima incarnatione, in qua integre nostram assumpsit naturam, etiam cum indetrahibilibus suis defectibus, juxta illud Apostoli : Debuit per omnia fratribus assimilari. Hebr. II, 17. Aut « perfectissima assumptione nostrorum », qua quotidie nos assumit, et sibi gratiose ac plene conjungit : Domini est enim assumptio nostra. Ps. LXXXVIII, 19. « Assumptione » quoque nostri ad gloriam et patriam Beatorum. Unde apud Joannem ait : Iterum venio, et assumam vos ad me ipsum. Joann. XIV, 3. *Consummatissimam propriorum largitionem* optime operatur,* id est, dona gratiæ ac gloriæ suæ copiose, sapienter ac ordinatissime nobis largitur. * traditionem Etenim incarnatio ejus, est deificatio nostra, et ejus ad ima inclinatio, est nostra ad summa provectio, ut asserit Leo Papa. Hinc tempus evangelicæ legis, tempus gratiæ appellatur. Propter quod ait Evangelista : Spiritus nondum erat datus, quia Jesus nondum erat glorificatus. Joann. VII, 39. *Et hanc communicationem* nobis Dei et divinorum donat,* id est, istam assimilationem, imo et familiaritatem quamdam cum Deo et Sanctis, et Dei quoad aliqua ad nos, Salvator nobis concessit per incarnationem suam, et per charismata beneficentiæ suæ : * societatem quoniam Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Joann. I, 14. Qui per Osee protestatur : In manibus Prophetarum assimilatus sum. Osee XII, 10. Et in prima Joannis Canonica habetur : Societas vestra sit cum Patre et Filio ejus. I Joann. I, 3.

# ARTICULUS XXV

## DE SIGNIFICATIONE OSCULI PACIS ET SANCTORUM COMMEMORATIONIS.

SEQUITUR de his quæ post Symboli decantationem a ministris aguntur. *Sic autem divina humanitate sacre laudata,* id est, Christo homine et ejus mysteriis, seu humanitate ejus deificatissima a Verbo assumpta, taliter confessis et collaudatis in Symbolo. Vel, « humanitate divina », id est benignitate Dei, qua nos tam superpiissime liberare dignatus est. Unde ad Titum ait Apostolus : Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei. Tit. III, 4. Quod dicitur ibi ad litteram, non de Filio, sed de Patre, siquidem paulo post ibi subjungitur : Per Jesum Christum Dominum nostrum. Ibid. 6. *Occultus quidem divinus panis apponitur,* id est, « panis » in corpus Christi transsubstantiandus « apponitur » super altare « occultus », id est opertus

seu nondum palam ostensus ; *et benedictionis calix,* id est vinum benedicendum in calice : juxta quod ad Corinthios scripsit Apostolus, Calix benedictionis cui benedicimus. (I Cor. x, 16.) *Divinissima autem salutatio sancte agitur,* id est, sacerdos populo devotissime imprecatur salutem, dicendo : Dominus vobiscum ; *et hagiographorum voluminum,* id est librorum sacræ Scripturæ, *mystica et supermundana recitatio,* id est lectio aliqua ex eisdem ad propositum pertinens : quæ dicitur « supermundana », quia super hominem est illa scriptura, ex Spiritu Sancto et revelatione divina descendens.

*Non enim unum est ad unum congregari, et unius participare pacifica unitate, ad* se ipsos pacificatos.* (* non ad) Alia translatio habet : Ad se ipsos divisos. Tertia quoque adhuc planior est, habens sic : Qui adversus se ipsos dissident atque divisi sunt. Et forsitan textus iste haberet : Ad se ipsos non pacificatos. Itaque sensus est : « Non » contingit « unum » uni « congregari », id est, impossibile est unum hominem alteri spiritualiter per caritatem uniri, « et participare unitate pacifica unius », id est proximi sui, habendo cum illo veram concordiam, « ad se ipsos divisos », id est, qui intra se divisi sunt per passiones et culpas rationi prædominantes. Sicque dissident a se ipsis ; nec veram habent pacem cum aliis, juxta illud Isaiæ : Non est pax impiis, dicit Dominus. (Is. xlviii, 22 ; lvii, 21.) Pax namque est tranquillitas mentis in Deo, et gaudium imperturbatum. Estque fructus Spiritus Sancti, juxta illud ad Galatas : Fructus Spiritus est caritas, pax, bonitas, etc. (Galat. v, 22.)

*Si enim ab unius contemplatione et scientia illuminati, ad uniformem et divinam congregationem unificamur,* id est, si contemplatione atque notitia summæ et primæ unitatis quæ Deus est, illustrati, unum efficimur cum congregatione spiritualium hominum, qui uniformes et simplificati sunt mente : sicut in Actibus fertur quod multitudinis credentium erat cor unum et anima una. (Act. iv, 32.) De qualibus Dominus per Jeremiam prædixit : Dabo eis cor unum et animam unam. (Jer. xxxii, 39.) Tali congregationi per caritatem incorporamur. *Non fortassis in partitas rescindimur decidere concupiscentias,* id est, a tali congregatione abrumpimur, cadendo in desideria prava et carnalia, de quibus in Ecclesiastico legitur : Post concupiscentias tuas non eas, et a voluptate tua avertere ; si præstes animæ tuæ concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis. (Eccli. xviii, 30, 31.) Quæ concupiscentiæ merito nuncupantur partitæ, quia rationi contrariæ (dicente Apostolo : Caro concupiscit adversus spiritum), (Galat. v, 17.) nec per virtutes ad unum reductæ, et dividunt ab electis. Addit quoque « fortassis », ad insinuandum libertatem arbitrii.

*Ex quibus materiales creantur et passibiles adversus secundum naturam æquiforme infestationes.* Hoc est : « Ex quibus », videlicet concupiscentiis, « creantur », id est causantur, « infestationes », id est impugnationes et tentationes, « adversus æquiforme secundum naturam », id est ad ea quæ sunt contra rationem, quæ semper deprecatur ad optima, vel contra synderesim, quæ jugiter remurmurat malo, secundum Hieronymum, nec in damnatis in toto exstinguitur, ac interdum vermis conscientiæ nuncupatur. Unde per Isaiam dicitur : Vermis eorum non morietur. (Is. lxvi, 24.) Quod tamen Haymo super Isaiam de materiali verme exposuit, juxta quod in libro Judith legitur : Dabit ignem et vermes in carnes eorum. (Judith xvi, 21.) Quam expositionem Petrus de Tarentasia super Isaiam secutus est, quamvis super quartum Sententiarum reprobet eam, juxta opinionem dicentium quod post diem judicii nullum irrationale animal mixtum manebit : quod et communior tenet opinio. Quæ infestationes sunt « materiales » atque « passibiles », quia cum corporali fiunt transmutatione, et gravant devotos. Porro Commentator per « æquiforme secundum naturam », intelligit proximum, qui ejusdem naturæ nobiscum est. Unde in libro beati Job legitur : Visitans speciem tuam, (Job v, 24.)

non peccabis. Cui expositioni concordat translatio alia, habens sic : Ex concupiscentia nempe carnales ac passivæ adversus ejusdem naturæ consortes gignuntur inimicitiæ. Cui translationi consonat illud Jacobi : Unde bella et contentiones in vobis? nonne ex concupiscentiis vestris? *Jacob.* IV, 1.

*Hanc ergo**, *ut æstimo, uniformem et inseparabilem vitam promulgat,* id est, conversationem communicantium « uniformem et inseparabilem », id est virtuosam ac stabilem, atque a Deo difficulter separabilem, præsertim quantum est ex parte virtutis, quamvis subjectum sit fragile, designat et pandit, *pacis sacra actio,* id est deosculatio quæ fit in Missa, *simili simile collocans,* id est, pacem habentibus inesse figurans ac roborans, *et** *partitis separans divina et unita spectacula,* id est, sacra mysteria seu sacramenta ac spiritualia oscula « separans », denegans et occultans, « partitis », id est partialibus ab invicem mente divisis, sicut quibusdam scribit Apostolus : Quum sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis? I *Cor.* III, 3.

* *igitur* — * *et a*

Deinde tangit quid recitatio mortuorum post Missam significet. *Sacrarum autem tabularum post Missam** *recitatio,* id est expressio nominum eorum qui pie quieverunt in Domino, descriptorum in tabulis aut membranis, *prædicat sancte firmatos,* id est, notificat et collaudat eos qui perseveraverunt in sanctitate usque in finem, *et ad strenuæ vitæ consummationem immutabiliter advenientes,* id est, qui pertingunt ad finem beatificum conversationis virtuosæ : quæ consummatio immutabilis est, quia et vita beata termino caret, et in ipso exitu suo a corpore anima immobilitatur sive in bono, sive in malo, sic quod in illa conversione seu affectione æternaliter manet in qua recessit a corpore, juxta illud Ecclesiastæ : Si ceciderit lignum ad austrum, sive ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit. *Eccle.* XI, 3. Unde et Damascenus libro secundo, capitulo quarto, ait : Oportet scire quoniam quidem quod hominibus mors, hoc est angelis casus ; post casum enim non est eis pœnitentia, quemadmodum nec hominibus post mortem.

* *pacem*

*Nos quidem per similitudinem eorum, in beatissimum habitum et deiformem quietem hortans et manuducens :* id est, recitatio seu commemoratio illa feliciter defunctorum hortatur nos illorum exemplo, et viam salutis præbet, qua illorum sequendo vestigia perveniamus quo illi jam feliciter pervenerunt. Hinc apud Jacobum scriptum est : Exemplum accipite laboris et patientiæ Prophetas. *Jacob.* V, 10. Sic igitur manuducit « in beatissimum habitum », id est caritatem perfectam, omniumque virtutum gradum supremum, ut quæ retro sunt obliviscentes, semper ad perfectiora tendamus, *Philipp.* III, 13. nullum finem imponentes profectui, ut pertingamus in « deiformem quietem », id est ad plenam et contentantem ac prorsus quietantem felicitatem : qua adepta, cessat omnis indigentiæ motus. Oramus quoque non pro ipsis martyribus, quos vere mortuos esse cognoscimus, sicut nec pro infantulis baptizatis jam mortuis, quia qui orat pro illis, injuriam infert ipsis ; sed pro bonis fidelibus de quorum actuali beatificatione sumus incerti. Hinc et festa Sanctorum percolimus, ut eorum accendamur exemplis, protegamur subsidiis, fide atque constantia ædificemur. Hinc de Tobia asseritur : Hanc tentationem permisit Deus evenire illi, ut posteris daretur exemplum patientiæ ejus, sicut et sancti Job. *Tob.* II, 12.

*Quibus tanquam viventibus prædicat,* id est, de ipsis tanquam de vere feliciterque viventibus sermocinatur Ecclesia seu Scriptura : idcirco illorum mortem seu transitum natalitia vocat. *Et ut Theologia ait,* id est sermo divinus, *non mortuis, sed in divinissimam vitam ex morte transeuntibus :* id est, Ecclesia prædicat de eis non quasi de omnino, sed quasi de mortuis corpore, qui ex morte naturali et corporali perducti sunt ad divinissimam vitam penitus immortalem, de qua apud

*Joann.* XVII, 3. Joannem Christus loquitur Deo Patri : Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum. Hinc in Matthæo ait Salvator de *Matth.* XXII, 32. Abraham, Isaac et Jacob : Non est Deus mortuorum, sed vivorum.

Denique subditur alia causa recordationis istius Sanctorum. *Vide autem,* id est considera, *quia et recordationibus sacris restituuntur divina memoria,* id est, per has eorum commemorationes ostenduntur *Ps.* IV, 4. esse in memoria Dei, qui Sanctos suos ita mirificat et sublimat. Hinc habetur in *Ps.* CXI, 7. Psalmo : In memoria æterna erit justus. *Eccli.* XLIV, 14. In Ecclesiastico quoque : Nomina eorum vivent in generationem et generationem; *Ibid.* 15. et rursus, Sapientiam Sanctorum narrant populi, et laudem eorum nuntiat Ecclesia. *Non humanitus memorativa a phantasia declarante :* id est, memoria Dei non est sicut humana memoria, ita quod phantasia, id est imaginaria aut sensitiva cognitio interior, declaret aut renovet in ea notitiam rei prius cognitæ sive præteritæ; *sed veluti quis dixerit,* id est, memoria altiori modo consistit in Deo, puta *divinitus,* hoc est, secundum quod competit excellentiæ Dei, videlicet *secundum divinorum perfectam deiformium pretiosam et immutabilem cognitionem,* id est, « secundum cognitionem perfectam », dignissimam « et immutabilem divinorum » et « deiformium », qua scilicet Deus cognoscit divina et deiformia, puta intellectualia, Creatori similia, quæ invariabiliter noscit. Verumtamen memoria ista et oblivio Deo interdum adscribuntur metaphorice, quemadmodum ira, furor, dolor : quia per modum recordantis et obliviscentis se habet. Certum est quod memoria prout ponitur in parte sensitiva, non convenit Deo, imo nec creatis intellectibus. Sed prout in intellectiva ponitur parte, secundum quod tertio de Anima, intellectus asseritur locus intelligibilium specierum, et ipsa memoria fecunda dicitur intellectus : sic competit Deo, omni imperfectione seclusa, quemadmodum ei convenit infallibilis invariabilisque cognitio electorum. Quam ei competere probat auctoritatibus Apostoli et Psalmistæ.

*Novit enim, ut aiunt Eloquia,* id est Scripturæ, *qui sunt ejus,* id est, Deus æternaliter scit « qui sunt ejus », id est, qui ad ipsum pertineant per prædestinationem æternam. Sic etenim scriptum est in secunda ad Timotheum epistola : Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc : Novit Dominus qui sunt ejus. (II *Tim.* II, 19.) Quod et ipse Dominus apud Joannem protestatur : Ego, inquiens, scio quos elegerim. (*Joann.* XIII, 18.) De quibus in Actibus legitur : Crediderunt quotquot præordinati erant ad vitam æternam. (*Act.* XIII, 48.) Sequitur auctoritas alia. *Et, Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus,* (*Ps.* CXV, 15.) id est patientia in adversis inferentibus mortem : quibus mors temporalis, est quasi janua et ingressus ad vitam æternam. Porro mors per se formaliter sumpta, ut pura privatio est, non est quid positivum : idcirco expositorie subditur, *morte Sanctorum, pro in sanctitate consummatione, dicta,* hoc est, auctoritas illa est vera, ipsa « morte Sanctorum » sumpta « pro consummatione », id est finali perseverantia, « in sanctitate » seu terminatione actuali felici in vita sancta. Sic enim mors Sanctorum magni est meriti apud Deum, et porta præmii gloriosi. Meritum autem proprie consistit in actu, et motus specificatur a termino ad quem; utque communiter dicitur, a fine fit denominatio.

*Et hoc* sacre intellige,* id est devote adverte, *quomodo superpositis divino altari piis symbolis,* id est sensibilibus signis atque materiis, utputa pane et vino consecrandis, *per quæ Christus significatur et participatur.* Nam ante consecrationem significatur per ea mox præsens futurus ; facta autem consecratione, ut vere sub formis illis remanentibus præsens, personaliterque contentus. Sub quibus etiam participatur et sumitur, sicut ad Corinthios dixit Apostolus : Panis quem frangimus, nonne participatio corporis Do- (I *Cor.* X, 16.)

* *Et hæc autem*

mini est? Et ipsemet Christus apertissime loquens : Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. (Joann. VI, 56.) *Adest indubitanter Sanctorum professio*, id est recitatio, ut est dictum, *conjunctionem eorum inseparabiliter manifestans ad eum*, id est, designans inseparabilem eorum unionem et societatem cum Christo atque ad

A invicem, *supermundana et sacra unitate*, id est supernaturali ac spirituali unione per caritatem, seu etiam per sacramentalem conjunctionem, et per veram humanitatis communionem, dicente Apostolo : Quia pueri communicarunt carni et sanguini, et ipse participavit similiter eisdem. (Hebr. II, 14.)

# ARTICULUS XXVI

## DE MANIBUS IN MISSÆ OFFICIO LAVANDIS.

H*IS autem ea quæ dicta est lege sacrificatis*, id est, pane et vino ante consecrationem eorum in altari oblatis, secundum ritum Ecclesiæ præinductum ; *stans in conspectu sanctissimorum symbolorum*, id est altare, ante se posita habens panem et vinum : quæ pro tunc sanctissima nominantur, per respectum eorum in quæ protinus convertentur et quæ designant, magis quam propter id quod adhuc in se sunt ; *aqua manus summus sacerdos lavat cum pudico sacerdotum ordine*, id est, stans ibi cum sacerdotibus castis ei coadsistentibus.

*Quia quidem, ut Eloquia aiunt, qui lotus est, non indiget alicujus* alterius, nisi extremorum, id est novissimorum suorum, lavationis*. (* alias om. *alicujus*) Hoc, ut in Joanne legitur, Christus dixit in Cœna S. Petro recusanti pedes suos lavari a Christo. Qui inter cetera dixit ad illum : Qui lotus est (id est baptizatus), non indiget nisi ut pedes lavet, id est affectus quos post Baptismum forsitan aliqualiter inquinavit. (Joann. XIII, 10.) Verum Theologus hic verba illa allegat non penitus in forma et sensu quibus ibi inducta sunt, sed dilatando sensum a simili, secundum quod subditur : « non indiget nisi extremorum suorum lavationis », id est purgationis a minimis culpis, quas interim incidit, dato quod ex tunc

B a mortalibus caverit : ad quod insinuandum, extremitates abluit digitorum. *Propter* sublimissimam purgationem*, (* propter quam) id est ob significationem altissimæ purgationis ad quam tenetur, *in castissimo deiformitatis habitu*, id est in habituali munditiæ possessione qua Deo indesinenter assimiletur : quatenus si non quiverit incessanter Deo actualiter purissime esse intentus, saltem habitualiter agat hoc; et frequentissime atque assidue, quantum humana permittit fragilitas, actualiter Deo vacet,

C nec maculam mentis incurrat notabilem.

*Et ad secunda proveniens*, id est, ad inferiores se convertens seu pergens, aut pro se orari deposcens : « proveniens », inquam, *deiformiter*, id est ad illorum profectum, gratiam et salutem, non ob commodum suum ; *non retentus erit*, id est, non impedietur nec retrahetur per illa a sua puritate eminentiori, *et absolutus*, id est ab obstaculis liber, *tanquam perfectissime uniformis*, id est valde perfecte præ inferioribus stabilis et simplificatus, ut

D quanto major est auctoritate et dignitate officii, tanto sit major sanctitate, sapientia, et omni perfectione virtutum. *Et ad unum iterum adunatum convertens*, id est, ad simplicissimum et implurificabilem Deum denuo vertens se per actualem contemplationem et invocationem ipsius, se

ipsum adunando et recolligendo in ipso; A *incontaminatam et immaculatam faciet conversionem, quasi deiformitatis salvantem* * *plenitudinem et integritatem* : hoc est, præsul convertens se ad Deum tanquam ad eum qui vere salvat, conservat et consummat « plenitudinem », id est perfectionem, « et integritatem deiformitatis », id est participatæ deificationis, seu divinæ assimilationis nobis ab eo collatæ.

* salvans

Consequenter tangit unum cærimoniale in quo Ecclesia Christianorum cum Synagoga communicat, quamvis non teneat illud Ecclesia in quantum fuit cærimoniale præceptum in lege, sed alia ratione, ut dictum est de thurificatione.

*Sacer ergo* * *luter, ut diximus, in ea secundum legem erat hierarchia,* id est, in hierarchia legali veteris Testamenti, puta in Synagoga, fuit, id est, in templo exstitit, « luter », id est vas contentivum aquæ, in quo sacerdotes templum ingredientes et ministraturi, manus suas lavabant. De quo lutere fit sermo in Exodo et tertio libro Regum, ubi vocatur mare æneum, dicitur quoque labrum. *Nunc autem summi sacerdotis et sacerdotum manuum purgatio ipsum insinuat* : id est, in Ecclesia « purgatio », id est lotio, « manuum summi sacerdotis », puta episcopi « et » aliorum « sacerdotum » inferiorum, « insinuat nunc », id est, in Ecclesia modo designat, luterem « ipsum », seu lotionem quæ fiebat in illo, ita quod lotio ista est signum memorativum præteriti, non figurativum prognosticumve futuri. De quo signo memorativo præteriti, Dominus dixit ad Moysen in Exodo : Hoc habebis signum quod miserim te : Quum eduxeris populum meum de Ægypto, immolabis Domino in monte isto. De signo autem prognostico futuri, in Isaia scriptum est : Dominus dabit vobis signum : Ecce virgo concipiet et pariet filium.

* igitur

*Exod.* XXX, XXXI, XXXV, XXXVIII-XL ; III *Reg.* VII.

*Exod.* III, 12.

*Is.* VII, 14.

Cujus lotionis ratio moralis in novo Testamento subjungitur. *Eos enim ad sanctissimam venientes immolationem,* id est sacerdotes Ecclesiæ accedentes ad celebrationem, consecrationem et oblationem Sacramenti, *purgare oportet et extremas animæ phantasias,* id est etiam minimas culpas cogitationum et phantasticarum apprehensionum, quum et per Michæam Dominus dicat, Væ qui cogitatis inutile; et per Isaiam, Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis. Multo plus a malis affectionibus oportet purgari, a levitatibus quoque, quum in Luca Judex summus minetur : Væ vobis qui ridetis B nunc, quia plorabitis et flebitis. *Et similitudine ipsi, tantum quantum possibile est, advenire in manifestiores sic theophanias* : hoc est, culpis ita purgatis, oportet per assimilationem cum Deo, « quantum possibile est, advenire », id est ascendere, « in theophanias », id est contemplationes seu apparitiones, « manifestiores » ; *circa* * *quas ponentur supermundialium fulgorum,* hoc est, in theophanias « fulgorum supermundialium », id est cœlestium et supernaturalium illuminationum ac spiC ritualium luminum, circa quæ theophanistæ versantur et extenduntur. Illuminationum dico, *conformium* * *speculorum,* id est rationalium animarum, quæ sunt conformes, saltem in genere, angelis sanctis illuminantibus eas, *claritatem universaliorem et lucidiorem appetentium* * *pervenire proprium splendorem* : id est, animarum « appetentium splendorem proprium », id est intellectuale lumen eis influxum : de quo in Psalmo, Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine; D « pervenire » in « claritatem universaliorem et lucidiorem », id est ad limpiditatem angelicam, saltem post vitam præsentem, in qua erunt sicut angeli Dei, ut in Matthæo habetur, atque in hac vita quotidie appropinquare ad illam per profectum et imitationem.

*Mich.* II, 1.

*Is.* I, 16.

*Luc.* VI, 25.

* super

* in conformium

* apparentium

*Ps.* IV, 7.

*Matth.* XXII, 30.

*Summi autem sacerdotis et sacerdotum usque ad summa, id est novissima, lavatio,* id est purgatio præsulis aliorumque sacerdotum usque ad minimarum culparum detersionem. Alia translatio habet, Re-

lavatio : quia magis quam semel se lavant in officio Missæ. *In conspectu fit sanctissimorum symbolorum*, id est in præsentia sacramentalium materiarum consecrandarum atque signorum jam positorum super altare, *tanquam in Christi omnes inspicientis* * *nostras occultissimas notiones*, id est quasi « in conspectu Christi » intuentis universos actus nostros interiores, quantumcumque occultos et ignotos hominibus. Quæ consideratio multum confert ad sancte vivendum. Propter quod sanctus David morti proximus dixit filio suo Salomoni : Fili mi, servi Deo corde perfecto et animo voluntario ; omnia enim corda scrutatur Dominus, et universas mentium cogitationes cognoscit. Et rursus in Psalmo : Servavi mandata tua et testimonia tua, quia omnes viæ meæ in conspectu tuo. Beatissimi quoque Elias et Eliseus locuti sunt : Vivit Dominus in cujus conspectu sto hodie.

* adspicientis

I Par. xxviii, 9.

Ps. cxviii, 168.

III Reg. xvii, 1 ; IV Reg. iii, 14.

*Et sublimissimæ* * *purgationis in ejus intentissimis subtilitatibus et justissimis et æquissimis judiciis terminatæ*, id est, etiam in conspectu altissimæ nostræ purificationis, hoc est in examinatione et inspectione seu consideratione propriæ puritatis, « terminatæ », id est exhibitæ et peractæ, « in subtilitatibus et judiciis », id est in præsentia et consideratione subtilissimorum et diligentissimorum ac justissimorum judiciorum Omnipotentis : quæ qui sapienter considerat, in omnibus valde veretur, sciens quod multa videntur bona et justa judicio hominum, quæ Dei judicio reprobantur ; et nostræ justitiæ, subtilitate et profunditate sapientiæ et æquitatis divinæ discussæ, valde sunt imperfectæ, imo multoties injustitiæ inveniuntur ab eo qui protestatur : Quum accepero tempus, ego justitias judicabo. Propterea oravit vir sanctus : Non intres in judicium cum servo tuo, Domine. Et Isaias ait : Quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ.

* subtilissimæ

Ps. lxxiv, 3.

Ps. cxlii, 2.

Is. lxiv, 6.

A Hinc sanctus Job ait : Non justificatur homo compositus Deo, et si voluerit judicio cum eo contendere, non poterit ei respondere unum pro mille ; etiamsi habuero quidpiam justum, non respondebo, sed meum judicem deprecabor. Hinc denuo ait : Si justificare me voluero, os meum condemnabit me ; etiamsi simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea. Insuper de hac intentissima subtilitate divinæ inspectionis et æquissimis ejus judiciis, rursus testatur : Nonne Deus considerat vias B meas, et omnes gressus meos dinumerat ? Idcirco a facie ejus turbatus sum, et considerans eum, timore sollicitor. Hinc et hic magnus pater Dionysius legitur judicia Dei plurimum expavisse : similiter alii magni sancti, sicut Hieronymus, abbas Arsenius, abbasque Agathon. Et væ nobis, quod tam intimorati ac incustoditi consistimus. Certe Deus quo sapientior, eo attentius cuncta considerat ; quo sanctior, eo iniquitates et fœditates nostras vehementius detestatur et odit ; quo justior, C eo easdem rigorosius punit.

Job ix, 2, 3, 15.

Ibid. 20, 21.

Ibid. xxxi, 4.

Ibid. xxiii, 15.

*Sic divinis summus sacerdos unitur*, id est, tam sancte et contemplative ac timorate conjungitur sacramentis, imo et attributis divinis (de quibus ait Apostolus : Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta, conspiciuntur), « divinis » quoque, id est charismatibus Spiritus Sancti et gratiosis hujus sacramenti effectibus ; et contemplatur divina ac sacra Christi mysteria. *Et sacras divinas actiones laudans*, id est, recitans ea quæ Christus in D Cœna novissima circa institutionem, consecrationem et usum hujus sacramenti peregit : sicut quum dicitur, Qui pridie quam pateretur, accepit panem, etc. ; *sacrificat* * *divinissima*, id est, consecrat et immolat corpus et sanguinem Salvatoris, *et sub conspectum ducit laudata :* quod fit in elevatione mysteriorum tantorum.

Rom. i, 20.

* sanctificat

# ARTICULUS XXVII

### DE ACTIONE DIVINA IN HOC SANCTISSIMO SACRAMENTO COMMEMORATA, SCILICET DE REPARATIONE HUMANÆ NATURÆ.

* in

ERGO *esse inter* * *nos divinas actiones dicimus,* id est beneficia Dei multa ac maxima, et actiones interiores sacramenti istius in cordibus nostris. Etenim quidquid corporum cibus et potus exterior operatur in corporibus nostris, hoc cibus iste et potus sacramentalis in nostris suo modo efficit animabus.

* Deinceps

*Deinde* * *narrandum, quanta virtus,* id est, describendum est juxta virtutem nobis concessam, aut certe recitandum pro posse, quanta sit virtus et efficacia sacramenti istius. *Non enim omnes laudare* B *sufficiens ego,* id est, insufficientem me reor ac fateor universas gratias, operationes, vires et secretissimos hujus sacramenti effectus laudare, describere ac scire. Ideo subditur : *neque aperte scire,* id est evidenter cognoscere : imo hoc ipsum quod scimus de eis, imperfecte cognoscimus et obscure; *et alios in mysteria ducere,* id est, non valemus alios ad mysteriorum istorum claram ac plenam cognitionem inducere, quoniam valde supernaturalia, altissima, abdita et incom- C prehensibilia sunt.

*Quæcumque autem a divinis summis sacerdotibus,* id est, omnia illa, seu quædam de omnibus illis, seu omnia summatim et in communi, quæ « a sacerdotibus divinis » et « summis », id est gloriosis Apostolis et apostolicis viris, *consequenter Eloquiis laudantur et sacrificantur,* id est, per modum laudis divinæ de his prædicantur, et Deo attribuuntur, « consequenter Eloquiis », id est consonanter Scriptis. Quod non servantes hæretici, cir- D ca hoc sacramentum errasse noscuntur. Ps. XLIX, 23. Hinc enim Deus loquitur : Sacrificium laudis honorificabit me. *Hæc* * *(ut nobis possibile est) dicemus* in isto capitulo aut aliis locis, *hierarchicam inspirationem ducem invocantes,* id est, illuminationem cœlestem principativam efflagitantes nobis adesse pro ductore et doctore, ut unctio ejus nos doceat. I Joann. II, 27. Nempe, ut in libro Job asseritur, Spiritus est in homine, et inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam. Job XXXII, 8.

* hic

Consequenter tangit occasionem incarnationis divinæ.

*Humanam naturam in principio ex divinis bonis insipienter perditam, multum passibilis vita suscepit, et corrumpentis mortis finis :* id est, « humanam naturam » in primis parentibus, deinde in posteris eorumdem per originale peccatum infectam, invasit « vita multum passibilis », hoc est variis passionibus subdita et addicta, malisque pœnæ et culpæ subjecta atque repleta, et tandem mors ipsa corrumpens, qua anima separatur a corpore.

*Consequenter enim, quæ vere est bonitate perdita,* id est amissa summa et increata bonitate quæ sola est bonitas vere, perfecte, pure, et independenter, *apostasia,* id est per apostasiam, seu mentalem aversionem primorum parentum a summa et incommutabili bonitate per conversionem ad bonum creatum caducum, *sacræ in paradiso legislationis transgressione,* id est in paradiso terrestri per prævaricationem legis a Deo latæ seu datæ. Quod qualiter factum sit, scriptum est in Genesi. Gen. III. *Recalcitrantem vivifico jugo, propriis motibus, et fomentis adversarii et inimicis seductionibus contrariis divinorum bonorum* *, *tradidit.* Id est : Deus creator, justus judex et legislator altissi-

* donorum

Job xxxvi, 22. mus, de quo scriptum est : Ecce Deus excelsus in fortitudine sua, et nullus ei similis in legislatoribus ; « tradidit » primum parentem « recalcitrantem », id est inobedientem, remurmurante synderesi et conscientia stimulante, « vivifico jugo », id est legi divinæ et præcepto salubri, [tradidit, inquam], « propriis motibus », id est affectionibus sensualitatis et passionibus animæ, « et fomentis adversarii et inimicis seductionibus », id est adulationibus tentatoris et fraudibus ejus hostilibus, « contrariis divinorum bonorum », id est donis gratiæ ac salutis, ac Dei præceptis. Mox quippe ut divinum præceptum transgressus est, privatus est originali justitia : qua subtracta, mox carnalis concupiscentia est suborta, cognoveruntque (Gen. iii, 10, 11.) se esse nudos per infelicem experientiam : quod et sciverunt per concreatam eis scientiam. Verumtamen, sicut ad Timotheum scribit Apostolus, (I Tim. ii, 14.) Adam non est seductus in prævaricationem, quemadmodum Eva. Non enim credidit sponsionem serpentis esse veram ; sed veniam promereri putavit. Attamen fuit seductus cooperante diabolo, concitante uxore, concupiscentia edulii, curiositate sciendi, prout ista super secundum Sententiarum habent elucidari.

*Inde miserabiliter pro æterno quidem mortale mutavit :* id est, « inde », scilicet statim post transgressionem, « mutavit », id est, ipse homo transgressor per infelicem commutationem recepit, « miserabiliter quidem », id est certe, « pro » bono « æterno », id est post amissionem summi boni et vitæ quæ esse poterat immortalis, « mortale », id est statum et vitam mortalem et bonum caducum, videlicet terram et incolatum præsentis exsilii. *Proprium autem principium,* id est exordium vitæ et subsistentiæ suæ, *habens in corruptibilibus principiis* * (* generationibus), id est corpus mixtum ex quatuor elementis naturaliter contrariis, et in se invicem corruptive agentibus per qualitates suas contrarias. Anima quoque rationalis, quamvis ex sua natura sit immortalis, attamen ex sua natura est valde defectuosa et fragilis, mortibus culpæ et pœnæ multiplicisque miseriæ patens. *Ad principii consequentem merito ducta est finem,* id est, ad mortalitatem ac mortem « consequentem principii », id est correspondentem et consonantem suo principio ex se corruptibili, sicut expositum est, juste ac merito est perducta. Nam dictum est ei : Pulvis es, (Gen. iii, 19.) et in pulverem reverteris. Ponuntur autem hic multi effectus originalis peccati, videlicet pœnæ illud secutæ.

*Sed ex divina et ex sursumducente vita voluntarie decidens,* id est, protoplastus homo, seu humana natura in illo, propriæ voluntatis libertate et rationis consensu peccans, sicque corruens a vita spirituali virtuosa quam habuit, perducente ad vitam beatam, si perseveret usque in finem, *ad* * (* in) *terram, contrariam extremitatem,* id est ad expulsionem a paradiso usque in terram spinas et tribulos germinantem, (Gen. iii, 18.) quæ exsilium est generis humani, et extremitas contraria, id est extremum maxime distans a patria Beatorum ; *gravata est multum passibili mutabilitate,* id est mira ac misera instabilitate, id est afflicta vehementer qualitate passibili, corruptibilitate et mortalitate, innumerisque miseriis pœnæ et culpæ. Unde in Ecclesiastico scriptum est : (Eccli. xl, 1.) Occupatio magna creata est omnibus hominibus, et jugum grave super omnes filios Adam, a die exitus de ventre matris eorum, usque in diem sepulturæ in matrem omnium.

In cujus rei signum leguntur viri sancti maledixisse diei suæ nativitatis, ut sanctus Job : (Job iii, 3, 10-12.) Pereat (inquiens) dies in qua natus sum, et nox in qua dictum est, Conceptus est homo ; quia non conclusit ostia ventris qui portavit me, nec abstulit mala ab oculis meis. Quare non in vulva mortuus sum? Egressus ex utero, cur non statim perii? Cur exceptus genibus? cur lactatus uberibus? Jeremias quoque : (Jer. xv, 10.) Væ (inquit) mihi, mater mea ; quare me genuisti? etc. Denique humanæ mentis in-

stabilitatem etiam in orationibus ac divinis officiis sancti et devotissimi homines deplangunt assidue. Et breviter, talis ac tanta est humanæ naturæ miseria, ut satis mirari non queam quod homo viator tot et tantis laqueis, tentationibus, periculis et peccatis circumdatus, possit extolli aut inaniter gloriari, potissime quum nihil boni habeat a se ipso, sitque de omnibus judicandus a Deo, nec diem sciat nec horam : nisi quod hoc ad infinitatem et plenitudinem miseriæ et insipientiæ suæ spectat, quod non obstantibus illis, audet inflari ac stulte lætari. *Matth.* xxv, 13.

*Errans autem a recta** *via, quæ est ad vere exsistentem Deum,* id est, natura humana in Adam recedens ab obedientia sancta et æquitatis itinere perducente ad Deum, in quo solo est quidquid ad ipsius esse perfectionem et eminentiam pertinet, *vulnerata est,* specialiter quatuor vulneribus ex originali peccato in quatuor viribus animæ mox secutis, utputa ignorantia in ratione, malitia in voluntate, infirmitate in irascibili, et concupiscentia in vi sensitiva concupiscibili. Unde fatetur Psalmista : Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea. Originale quippe peccatum formaliter unum est, puta privatio primordialis justitiæ debitæ inesse, quæ ei fuerat concreata, per quam caro animæ, sensualitas rationi, ratio et voluntas Deo, erant subjectæ ; materialiter vero est plura, scilicet quatuor hæc ex amissione justitiæ originalis mox consecuta. * *directa* — *Ps.* L, 7.

*Et perditis et maleficis subjecta multitudinibus,* id est aciebus vitiorum ac dæmonum demerito suæ transgressionis, juxta illud secundæ Petri : Iniqui sunt servi corruptionis, a quo enim quis superatus est, hujus et servus est ; *oblita est,* id est a Deo oblivioni tradita ad tempus, et quantum ad hoc quod tot calamitatibus pressa est. Vel « oblita est » ipsa, id est, debite non attendit Dei sui præcepta. Hinc alia littera habet : Non advertit. Sic etenim omnis peccans dicitur ignorans et *II Petr.* II, 19.

A errans, imo et immemor suæ salutis. Ideo in Proverbiorum libro asseritur : Omnis via viri recta sibi videtur. Cujus causa alio loco Proverbiorum tangitur : Stultis illudit peccatum. *Non diis, neque** *amicis, sed inimicis famulans,* id est dæmonibus et peccatis. Verumtamen multi gentilium luminaribus cœli, seu quibusdam intellectualibus creaturis etiam bonis, ut calodæmonibus et catodæmonibus, serviebant ; sed non erat in illis deitas vera. Propter quod Galatis scripsit Apostolus : His qui non sunt natura dii, serviebatis. *Prov.* XXI, 2. — *Ibid.* XIV, 9. — * *sed neque* — *Galat.* IV, 8.

B *Ipsis autem immisericorditer ea secundum propriam immanitatem abutentibus,* quia quotidie traxerunt naturam humanam in suis suppositis, ad scelera graviora et intolerabiliora inferni tormenta : quia ut loquitur Paulus, Permisit Deus unumquemque ingredi vias suas. Isaias quoque ait : Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit. Sunt ergo dæmones immanissimi nostri hostes, qui non aliud quærunt, nec aliud eis sufficit de nobis, nisi ut nos secum æternæ damnationi involvant. Cur ergo eis insipientissime consentimus, relicto superfidelissimo Deo, et angelis sanctis amatoribus atque custodibus nostris? Propterea in Jeremia conqueritur Deus : Quid invenerunt patres vestri in me iniquitatis, quia elongaverunt a me, et ambulaverunt post vanitatem, et vani facti sunt? *In non subsistentias incidit,* id est errores et vitia, quæ quantum ad suum formale, nihil sunt positive, sed recessus et deficientiæ a veritate ac bonitate. Imo, secundum Apostolum, Idolum nihil est : non quod ipsa forma artificialis impressa materiæ nihil sit, aut ipsa materia ; sed quoniam quod putatur esse, non est. In hæc *serviliter* incidit, quoniam talibus, vera perdita libertate gratiæ ac virtutum, servivit. Per quod etiam corruit *et in** *perditionis periculum,* id est in æternæ damnationis demeritum. *Act.* XIV, 15. — *Is.* LIII, 6. — C — *Jer.* II, 5. — D — *I Cor.* VIII, 4. — * *alias om. in*

*Divinæ autem bonitatis maxima humanitas,* id est summa et infinita boni-

gnitas Dei, *per se ipsam operatricem nobis* A *divinitus non induravit providentiam,* id est, non retraxit ab hominibus provisionem suam, ita quod non exhiberet nobis liberationis remedium per propriam suam personam. Hinc subditur : *sed in veritate in participatione quæ secundum nos sunt facta est omnium sine peccato :* id est, ipsa persona Verbi æterna « facta est in veritate », id est vere, non phantastice, « in participatione omnium quæ secundum nos sunt », id est in susceptione integræ nostræ naturæ et omnium defectuum B ejus pure naturalium, non detrahibilium : quod totum factum est « sine peccato », quia nec in peccato conceptus est in Virginis utero, nec unquam contraxit cul-
*Is.* LIII, 9. pam, sicut Isaias prædixit : Iniquitatem non fecit, nec inventus est dolus in ore
*Galat.* IV, 4. ejus. Hinc ad Galatas ait Apostolus : Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum sub lege, factum ex muliere, id est natum ex supermundissima Virgine, quæ nec ipsa unquam sub-
*Hebr.* II, 17. jacuit culpæ. Et ad Hebræos : Debuit, in- C quit, per omnia fratribus similari.

*Et ad humile nostrum unificata,* id est, nostræ humili defectuosæ personæ unita est Verbi persona, et unum effecta cum ipsa, id est una hypostasis, juxta il-
*Philipp.* II, 6, 7. lud ad Philippenses : Qui quum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo ; sed exinanivit semetipsum, formam servi accipiens. *Cum propriorum inconfuso et immaculato perfectissime habitu,* id est, cum invariabili retentione et inviolabili possessione suæ D codeitatis et attributorum assumens nostra, non mutans nec deserens sua. Etenim naturam quam assumpsit, in suo esse divino hypostatico suppositavit : non quod illa per se sit facta persona, sed assumpta a Verbo æterno in tempore ; vel potius a temporis instanti, cum ipso assumente una persona est constituta.

*Ad se nobis communicationem tanquam congenitis de cetero donavit,* id est, divinorum charismatum exuberantiam gloriosam nobis concessit, et suæ divinitatis nos quodammodo fecit consortes atque participes, per gratiosam divinæ perfectionis imitationem, non per veræ deitatis divisionem aut multiplicationem : et sic sumus ei congeniti, imo et fratres ejus effecti, secundum naturam suam humanam,
qui et voluntarie genuit nos verbo veri- *Jacob.* I, 18.
tatis, ut simus initium aliquod creaturæ ejus. Propter quod ad Hebræos habetur :
Non confunditur fratres eos vocare. *Et* *Hebr.* II, 11.
*propriorum recepit participes bonorum,* id est, ad suam communionem, societatem et incorporationem, nos admisit et introduxit. Hinc aliæ duæ translationes habent : Propriorum ostendit participes bonorum. Nam et suos nos statuit coheredes.

*Apostaticæ quidem multitudinis ( sicut secreta habet traditio) quæ contra nos est, destruxit potentiam,* id est, ipse Unigenitus Dei per naturam assumptam vicit, debilitavit, exclusit potentiam dæmonum, qui apostataverunt a Creatore, « sicut traditio secreta », id est sapientia christiana seu sacra Scriptura, testatur, quæ infidelibus est ignota. Hinc in prima Joannis
Canonica scriptum est : In hoc apparuit *I Joann.* III, 8.
Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli. Ipse-
que Filius loquitur : Ego si exaltatus fu- *Joann.* XII, 32.
ero a terra, omnia traham ad me ipsum.
Ipse quippe vicit fortem armatum. Ideo *Luc.* XI, 21, 22.
ad Hebræos inducitur : Quia pueri com- *Hebr.* II, 14.
municaverunt carni et sanguini, et ipse similiter participavit eisdem, ut per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium, id est diabolum. Unde ad Co-
lossenses asseritur : Christus exspolians *Coloss.* II, 15.
potestates et principatus, palam triumphavit illos in semetipso.

*Non per virtutem superans,* id est, non sola potestate dæmones vincens aut violentia, *juxta vero mystice nobis traditum Eloquium,* id est, sed juxta Scripturas nobis supernaturaliter revelatas, aut juxta apostolica documenta nobis spiritualiter patefacta, *in judicio et justitia,* id est sapienter et juste. Hoc est judicium dis-

cretionis de quo, passione imminente, dixit : Nunc judicium est mundi, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras. Hinc etenim Verbum caro factum est, ut per assumptam humanitatem satisfaceret pro hominum peccatis, pro culpis sustinens pœnam, et humilitate prosternens superbum, atque in sacrificium Deo Patri acceptissimum offerens Patri se ipsum ; ex ardentissima caritate, inæstimabili pietate, obedientia summa sustinens crucem, ut sic qui in ligno vicit, vinceretur in ligno, et natura quæ offenderat, meritis suis placaret, et supererogaret, faciens opus Deo Patri plus gratum, quam primi parentis peccatum fuerat offensivum. Unde apud Isaiam Christus testatus est : Ego qui loquor justitiam, et propugnator sum ad salvandum. De quo in Jeremia est prædictum : Faciet judicium et justitiam in terra. De hoc in epistolis suis profundissime hinc inde ac sapientissime locutus est Paulus, et ad Ephesios multum diffuse.

*Joann.* XII, 31. — *Ibid.* I, 14. — *Is.* LXIII, 1. — *Jer.* XXIII, 5.

*Quæ autem secundum nos sunt,* id est, quæ in nobis erant deformata, defectuosa, et infeliciter qualificata, *ad contrarium omnino benigne reparavit,* id est, donis et gratiis oppositis illis malis recuperavit et decoravit. *Quod enim juxta animum nostrum obscurum est,* id est intellectum nostrum ignorantiis et erroribus obscuratum, *implevit diviti et divinissimo lumine,* id est illuminatione piissima, imo luminibus multis et copiosis, fide et donis Spiritus Sancti, sapientia, scientia, intellectu, consilio, notitia Scripturarum ; sapientia quoque et scientia quæ sunt dona gratiæ gratis datæ, de quibus Apostolus : Alii, inquit, per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ. *Et deiformibus ornavit informe pulchritudinibus :* id est, supergloriosissimæ Trinitatis imaginem et similitudinem exsistentem in nobis, quæ in naturalibus solis considerata, est non formata, fulcivit supernaturalibus habitibus et actibus, donis, beatitudinibus et fructibus, meritis atque profectibus, quibus pulcherrime formatur, venustatur, perficitur, in tantum quod Dei sui sponsa et filia, amica et heres, anima tali imagine et similitudine insignita censetur et appellatur, dicente ad eam ipso superpulcherrimo, amabilissimo et delectabilissimo Sponso : Quam pulchra es, amica mea ! Et rursus : Aperi mihi, soror mea, amica mea, columba mea.

*I Cor.* XII, 8. — *Cant.* IV, 1. — *Ibid.* V, 2.

*Animæ vero habitaculum,* id est animam rationalem, quæ præfato modo ornata, est habitaculum Spiritus Sancti et sedes sapientiæ, juxta illud : Anima justi sedes est sapientiæ ; *in perfectissima salute tantum decidentis nostræ essentiæ, pollutissimis passionibus et corrumpentibus maculis liberavit :* hoc est, Christus ipse eam redemit et expurgavit a « passionibus » et concupiscentiis turpissimis, de quibus ad Romanos Vas scribit electionis, nominans eas passiones ignominiæ, « et maculis », id est deformitatibus vitiorum, « corrumpentibus » vires innatas, non eas totaliter destruendo, sed ad virtutes inhabilitando, quemadmodum in Evangelio fertur de Samaritano qui incidit in latrones, qui despoliaverunt eum, gratuita auferendo, et vulneraverunt, naturalia inficiendo ; « in salute perfectissima », id est ipsi animæ promerendo, promittendo, et jam inchoative partim præstando salutem, animæ seu « essentiæ nostræ tantum decidentis », quia ex se ipsa non habet nisi decidere, deficere et peccare, et ipsa est nostra essentia vel potius principalior pars nostræ essentiæ seu naturæ. De qua fertur in Psalmo : Quoniam spiritus pertransibit in illo, et non subsistet. Propter quod S. Jacobus : Quæ est, ait, vita vestra ? vapor est ad modicum parens. Et Isaias : Cecidimus quasi folium universi. Psalmographus quoque : In imagine pertransit homo.

*Cf. Prov.* XIV, 33 ; *Sap.* VII, 27. — *Rom.* I, 26. — *Luc.* X, 30. — *Ps.* CII, 16. — *Jacob.* IV, 15. — *Is.* LXIV, 5. — *Ps.* XXXVIII, 7.

*Renovationem nostram supermundanam ostendens,* id est, spiritualem nostram innovationem supernaturalem declarans per multos effectus et signa, per quam peccati vetustas aufertur : et primo per Baptismum confertur, deinde per Pœniten-

tiam, quæ est secunda post naufragium A tabula, de qua fatur Apostolus : Renovamini spiritu mentis vestræ. *Et multam perfectionem divinam in ipsis ad eam nostris sacris (secundum quod possibile est) similitudinibus :* hoc est, ostendens etiam « perfectionem divinam multam », id est copiosam perfectionem virtutum divinitus datam, quam ostendit « in similitudinibus », id est in assimilationibus, « ipsis sacris ad eam », id est ad salutem perfectam vel renovationem completam, ad quas quotidie efficaciter proficiendo approximamus, juxta illud Jacobi : Appropinquate Deo, et appropinquabit vobis. De hac re scribit Paulus in epistolis suis, recitans vitia gentilium ante eorum conversionem, et abundantiam gratiæ post conversionem, juxta illud ad Corinthios : In omnibus divites facti estis in illo, in omni verbo et in omni scientia, ita ut nihil vobis desit in ulla gratia.

Ephes. IV, 23. Jacob. IV, 8. I Cor. I, 5, 7.

*Divina vero imitatio,* id est operatio Christi et conversatio in qua ipsum imitari debemus, *quomodo aliter nobis ingenita sit,* id est, qualiter potest aliter esse impressa nobis firmissime tanquam innata, *nisi sacratissimarum divinarum actionum memoria renovata,* id est per assiduam et quotidianam renovatamque recordationem sanctissimorum operum Christi, *semper hierarchicis et sacris orationibus et sacrificationibus,* id est in ecclesiasticis precibus et celebrationibus? *Hoc vero facimus,* id est, Christi mysterium quod ipse in Cœna instituit, continuamus, *ut Eloquia aiunt,* id est, sicut Scripturæ nos docent, *in ejus recordationem,* id est, ad hoc quod jugiter memores simus Christi et beneficiorum ipsius, potissime suæ dilectionis ad nos, et passionis suæ pro nobis. Unde præcepit, Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis : quatenus toties accendamur ejus amore, quoties tantæ suæ dilectionis, liberalitatis et miserationis ad nos reminiscimur, et horum memoriale, id est dignissimum accipimus sacramentum.

Luc. XXII, 19 ; I Cor. XI, 24, 25.

*Inde,* id est ob hoc, *divinus summus sacerdos ad divinum altare stans, laudat* B *dictas sacras actiones divinas Jesu divinissimæ nostræ providentiæ,* id est actiones Christi pro nostra salute exhibitas ex divinissima providentia sua circa nos, quorum saluti ita providit. Unde subjungitur : *quas in salutem generis nostri, beneplacito sanctissimi Patris, in Spiritu Sancto (secundum Eloquium) consummavit,* id est, perfecte implevit pro generis humani salute, ex voluntate Dei Patris, « in Spiritu Sancto », id est, secundum Spiritus Sancti directionem ac placitum. C Christus namque secundum naturam assumptam movebatur in omnibus a Spiritu Sancto, imo a superdignissima Trinitate, cujus indivisa sunt opera. Idcirco per Isaiam prædixit : Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me. Hinc et repletissimus fuit donis Spiritus Sancti. Præterea Christi secundum quod Deus est, et Patris ac Spiritus Sancti, una est providentia ac præordinatio de nostra salvatione : quod et dicitur profundissimum consilium supersapientissimæ Trinitatis de modo hu- D manæ redemptionis per incarnationem et passionem Verbi æterni.

Is. LXI, 1. Ibid. XI, 2, 3; Luc. IV, 1.

# ARTICULUS XXVIII

### DE CONSECRATIONE, ELEVATIONE, DIVISIONE AC DISTRIBUTIONE SANCTISSIMI SACRAMENTI, ET EARUM MYSTICA RATIONE.

LAUDANS *autem et cultum earum,* id A est, episcopus cum laude Dei commemorans ac frequentans Christi actiones, et venerationes ac exercitationes earum commendans, *et invisibilem contemplationem intellectualibus oculis inspiciens,* id est, mysticam rationem ac significationem ipsarum perpendens oculis mentis, *in symbolicam earum sacrificationem venit,* id est ad consecrationem et oblationem corporis et sanguinis Christi, sub sensibilibus speciebus panis et vini, *Deo* tradente,* id est, secundum quod Christus B verus Deus instituit, tradidit ac præcepit. *Unde et reverenter simul et hierarchice, post mirabiles divinarum actionum laudes,* id est post laudatorias recitationes actionum Salvatoris reverentialiter et devote cum adoratione secundum ritum ecclesiasticæ hierarchiæ peractas; vel, « hierarchice », id est potestate sacerdotali hierarchica qua fit consecratio; *pro ipsa supra se actione mirabili apologiam facit,* id est, excusationem facit suæ indignitatis « pro actione mirabili », id est sacrifi- C catione tanti sacramenti, quam sacerdos recognoscit suas vires ac merita prorsus transcendere, *prius* sacre ad ipsum reboans,* id est, ad Christum ante consecrationem humiliter et fervide loquens : *Tu dixisti, Hæc* facite in meam commemorationem* :* id est, præcepisti nobis sacerdotibus ista peragere, aliter non auderem hæc attentare ; nunc autem ex obedientia ago hæc, in misericordia tua immensa et in meritis tuis confidens.

* et hoc, Deo

* primum

* Hoc

* recordationem

*Deinde Deo simili hac actione mirabili* D *dignus petens fieri,* id est, sacerdos post sui ipsius humilem excusationem petens a Deo fieri dignus ad peragendum quod instat, quantum possibile ; *et ad ipsum Christum similitudine divina perficere,* id est, exsequi et implere « divina » mysteria ista « similitudine ad Christum », id est eo modo quo Christus consecravit in Cœna hoc sacramentum ; vel, « similitudine ad Christum », id est per assimilationem ad Christi virtutes, et per imitationem suæ sanctissimæ conversationis, prout fieri potest; *et* dare castissime,* id est, ut etiam dignus sit Sacramentum aliis ministrare purissime; *et sancta participantes divinitus participare,* id est, quatenus et ipsi communicantes digne ac divine participent et suscipiant sacramentum hoc ipsum. Unde et nunc sacerdos communicanti dicit, orando pro ipso : Corpus Domini nostri Jesu Christi proficiat tibi in vitam æternam. *Sacrificat divinissima,* sicut expositum est, *et sub adspectum* ducit laudata,* id est, divinissima illa benedicta ostendit adstantibus in elevatione, *per sacre procumbentia symbola,* id est sub sacramentalibus visibilibus speciebus, ut dictum est, quæ sensibus proponuntur et procumbunt dum Sacramentum deponitur.

* ac

* conspectum

*Velatum enim et non divisum panem revelans,* id est, panem jam consecratum ac integrum, juxta morem (ni fallor) Græcorum, « revelans », id est discooperiens, *et in multa dividens,* sicut et Christus in Cœna dans unicuique Apostolorum partem quasi ex integro consecrato; *et unionem calicis omnibus dispertiens,* id est, unum Christi sanguinem contentum in calice præbens communicantibus cunctis potandum, *symbolice unitatem multipli-*

Matth. XXVI, 26, 27.

*cat*, id est, unicum corpus et sanguinem Salvatoris sub visibilibus signis quasi in multas dividit partes, quum tamen sub qualibet divisionis particula, integer Christus sit cum integro corpore suo ac sanguine, *et distribuit* communicantibus, *sanctissimam in his actionem sacram consummans*, id est, celebrationem sic finiens.

Deinde inserit horum theoriam seu mysticam rationem.

*Unum enim et simplum et occultum Jesu divinissimi Verbi*, id est deitas Verbi incarnati summe una, simplex et abdita, imo et incomprehensibilis, *secundum nos in humanatione**, *ad compositum et visibile provenit*, id est, incarnatione descendit ad corpus humanum ex Virgine sumptum, et ex ejus purissimis sanguinibus formatum, *immutabili bonitate et humanitate*. Bonum enim est sui diffusivum, et pietatis est succurrere indigenti : sicque in Christi incarnatione excellentissime apparent atque relucent infinita bonitas, caritas, benignitas, dignatio, imo et sapientiæ ac omnipotentiæ ejus supremitas et æquitas summa. Unde tertio libro loquitur Damascenus : Et monstratur simul bonitas et sapientia et justitia et potentia Dei : bonitas quidem, quoniam non despexit proprii plasmatis infirmitatem, sed viscera ejus commota sunt illo cadente, et manum porrexit; justitia, quoniam homine victo, non alio facit vinci tyrannum, neque vi eripit ex morte hominem; sapientia, quia invenit difficillimi decentissimam solutionem.

* inhumanatione

*Et ad se nostram unificam societatem benigne peregit*, id est, piissimam societatem secum nobis concessit, nostram naturam suæ divinæ naturæ immediate conjungens, et ad suam personalitatem assumens, *nostra humilia divinissimis suis summe adunans*, id est, corpus humanum ex se corruptibile ac declive, et animam vere rationalem ejusdem speciei cum nostris animabus, sicque infimi gradus in ordine intellectualium substantiarum, suæ

A altissimæ deitati, majestati ac excellentiæ, tam proxime ac unifice jungens, quod una est persona in duabus naturis subsistens : quæ naturæ duæ ex instanti quo unitæ simul sunt, nunquam ab invicem separantur, quamvis in passione corpus et anima ab invicem fuerint separata. Denique uno et eodem instanti corpus Christi omnipotenti Dei virtute formatum est, et anima ejus creata, corporique conjuncta, omni quoque plenitudine gratiæ ac virtutum summe impleta, imo et beatifi-
B ca visione excellentissime perornata ; et utrumque sic counitum, a Verbo æterno fuit assumptum.

*Siquidem et nos tanquam membra corpori compaginamur ipsi*, id est, nos Christifideles conjungimur Christo capiti nostro, et mystico corpori ejus, sicut membra in corpore naturali, *secundum id ipsum immaculata et divina vita** *:* id est, Christo capiti nostro conjungimur per conversationem immaculatam et divinam, quæ ad minus careat macula culpæ mortalis,
C « secundum id ipsum », id est vivendo secundum Christi doctrinam et opera, qui est omnium nostrum exemplar, et ait, Qui sequitur me, non ambulat in tenebris ; et rursus, Ego sum via, nemo venit ad Patrem nisi per me. Ideo ait Joannes : Qui se dicit in Christo manere, debet sicut ille ambulavit, et ipse ambulare.

* *secundum id ipsum ad secundum idem immaculatæ et divinæ vitæ*

*Joann.* XIII, 15
*Ibid.* VIII, 12.
*Ibid.* XIV, 6.
I *Joann.* II, 6.

*Et non corrumpentibus passionibus mortificati*, id est non mortui spiritualiter per immoderantias passionum. De qua morte ait Apostolus : Vidua quæ in deliciis vi-
D vit, vivens mortua est; et Salvator, Dimitte mortuos sepelire mortuos suos. *Incompacti*, id est distorti et inordinati, *et non deiformes**, id est Deo non assimilati per gratiam et virtutes. De qua assimilatione Christus locutus est : Estote perfecti sicut et Pater vester cœlestis perfectus est. Itaque deiformes sunt qui a passionum excessu et vitiis sunt immunes, ac bonis contrariis decorati. *Et non convenientes efficimur ad divina membra et suavissima**, id est inepti ad hoc quod

I *Tim.* V, 6.
*Matth.* VIII, 22.
* *et deformes*
*Matth.* V, 48.
* *sanctissima*

simus membra Christi atque Ecclesiæ, ab A omni læsione peccati prorsus sanati. Ideo Christus testatur : Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, et arescet; Apostolus quoque prima ad Corinthios, Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Quemadmodum enim corpus nostrum a nostra anima vivificatur, ita et nos, si mysticum Christi exsistimus corpus et membra illius, oportet a Spiritu Christi, haud dubium quin a Spiritu Sancto, vegetari, vivificari, motumque gratiæ ac vitam virtutum ab illo sortiri. Propter quod beatissimus asserit Paulus : Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est ejus; et denuo, Membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, et non estis vestri.

*Joann.* XV, 6. — I *Cor.* VI, 15. — *Rom.* VIII, 9. — I *Cor.* VI, 19.

*Oportet enim nos, si ad eum desideramus communionem,* id est, si vere optamus membra et servi fideles adoptivique filii esse Domini Dei nostri, *in divinissimam sui secundum carnem vitam respicere,* id est considerare ad imitandum et assequi virtuosissimam vitam Christi, qui C ait : Qui mihi ministrat, me sequatur; itemque, Quid dicitis mihi, Domine, Domine, et non facitis quæ dico? *Et ad eam similitudine, mirabili impeccabilitate per deiformem et immaculatum habitum, recurrere,* id est, ad Christi conversationem accelerare « similitudine », id est per conformationem vitæ nostræ « ad eam, impeccabilitate mirabili », id est mira difficultate ad peccandum mortaliter, ita ut potius velimus occidi et mori, quam mortaliter transgredi (quod et utique necesD sarium est ad salutem), aut certe venialiter ex proposito : quod decet, et supererogationis est. Peccatum namque infinitæ est fugibilitatis et odibilitatis, quemadmodum supersanctissimus et superdignissimus Deus infinitæ honorabilitatis est et sanctitatis.

*Joann.* XII, 26. — *Luc.* VI, 46; *Matth.* VII, 21.

Itaque impeccabilitas ista, non simpliciter impossibilitas est peccandi, ut dixerunt quidam hæretici, contra quos super Jeremiam sanctus scribit Hieronymus; sed A difficultas ad peccandum, non solum modo prætacto, sed etiam tanta firmatione et assuefactione ad bonum, quod homo tam vehementer afficitur ad virtutes et ad Deum, quod valde difficulter possit ad malum affici culpæ et ad illud induci. Et de hac impeccabilitate scripserunt, non solum quidam sancti theologi, sed etiam quidam solenniores morales philosophi, ut Socrates libro de Immortalitate et in Phædone Platonis, et Seneca. Acquiritur autem impeccabilitas ista « per habitum B deiformem et immaculatum », id est per virtutes heroicas, præsertim per caritatem perfectam, quæ nos potissime Deo assimilat, voluntatemque mentis creatæ, voluntati Creatoris potissime reddit conformem, ut non velit nisi quæ Deus. Nihilo minus homo talis posset paulatim evacuari, prout in Περὶ ἀρχῶν loquitur Origenes, nisi quis esset confirmatus in gratia, sicut Apostoli et sacratissimus Joannes Baptista. Attamen talis venialiter posset peccare, quemadmodum princeps Apostolorum C quando ei in faciem restitit Paulus, quia reprehensibilis erat.

*Galat.* II, 11.

*Sic enim compacte nobis ad simile societatem donabit,* id est, per istam assimilationem virtutum Christus dabit nobis « compacte », id est convenienter et ordinate, « societatem ad simile », id est ad se ipsum cui assimilamur. Unde et in Deuteronomio inducitur : Perfectus et absque macula eris cum Domino Deo tuo. De qua societate jam dictum est paulo ante quid sit. Nam et formaliter relatio quæD dam realis est in creatura, rationis vero in Creatore. De qua in prima S. Joannis Canonica dicitur : Societas vestra sit cum Deo Patre et Filio ejus Jesu Christo.

*Deut.* XVIII, 13. — I *Joann.* I, 3.

Deinde hæc ad propositum applicat et coaptat.

*Hoc* sacris actionibus summus sacerdos manifestat,* id est, episcopus ea quæ dicta sunt « manifestat » et declarat per sacros actus quos facit in Missa. *Velata quidem dona,* id est sacramenta corporis et sanguinis Christi prius operta, non os-

* *Hæc*

tensa, *ad manifestum ducens,* id est, in elevatione et aliorum communicatione ostendens; *uniformeque eorum in multa dividens,* id est integrum panem consecratum in plurimas portiones, quantum ad specierum sub quibus est divisionem. *Et distributorum ad ea in quibus fiunt secundum tempus unitati socios eorum perficiens participes :* hoc est, « et perficiens participes eorum », utpute sacramentalium symbolorum, hoc est ipsos communicantes, « socios » in religione et communicatione mensæ cœlestis (vel, ut aliqui legunt, « sacros », id est sanctos et devote communicantes), « unitati distributorum », id est sacramentalium symbolorum, « ad » eos « in quibus fiunt », id est ad ipsos recipientes, qui consociantur in sacramentalibus istis secundum tempus, qui sunt in caritate et per fidem ambulant. Vel sic, et melius : « perficiens participes distributorum », id est corporis et sanguinis Christi, quæ communicantibus distribuuntur « ad ea in quibus fiunt », id est ad eos qui dona illa recipiunt, ita quod reddit eos unanimes : ideo dicitur hic, « socios unitati », id est ad fovendum et conservandum in eis cordium unitatem.

*Describit enim, in his sensibilibus sub conspectum ducens Jesum Christum,* id est, episcopus seu sacerdos in his sacramentalibus et corporalibus signis « sub conspectum ducens », id est, in elevatione ostendens, « Christum, describit », id est designat, *invisibilem nostram (quantum in imaginibus) vitam, secundum divinum* ex occulto perfectissima et inconfusa juxta nos in humanatione* misericorditer in naturam nostram specificatum :* hoc est, ipsum Christum, qui est causaliter invisibilis vita nostra, juxta illud Joannis : Quod factum est, in ipso vita erat, et vita erat lux hominum. Etenim teste Apostolo, in Christo est salus, vita et resurrectio nostra. « Quantum in imaginibus », id est, secundum quod symbolis illis sacramentalibus significari potest, « in naturam

* Deum

* inhumanatione

Joann. I, 3, 4.

Cf. Ibid. XI, 25.

A nostram specificatum », id est natura nostra specifica indutum, « misericorditer », quia ex misericordia sua immensa nostram assumpsit naturam, « in humanatione », id est ipsa sua incarnatione, « perfectissima », quia humanitatem summe perfectam et omni supernaturali dono gratiæ et gloriæ decoratissimam induit : in qua assumptione, tam divina quam humana natura mansit inconfusa, imperturbata, nec una alteri admixta ad alicujus tertiæ naturæ constitutionem : ideo additur, « et inconfusa juxta nos », id est in ipsa humanatione secundum veritatem nostræ naturæ; « ex occulto secundum divinum », id est ex secreta et incomprehensibili sua majestate secundum naturam suam divinam : ex qua altitudine descendit in nostræ naturæ assumptione, non illam altitudinem amittendo, juxta illud Psalmi, A summo cœlo egressio ejus; ad Ephesios quoque, Quod ascendit, quid est nisi quia et primum descendit in inferiores partes terræ?

Ps. XVIII, 7.

Ephes. IV, 9.

*Et ad partibile nostrum immutabiliter ex uno secundum naturam provenientem :* hoc est, elevatio seu ostensio Sacramenti designat Filium Dei pervenientem « ad nostrum » corpus « partibile », quod assumpsit ex præelectissima Virgine « immutabiliter », id est absque suæ deitatis mutatione, « ex uno secundum naturam », id est ex sua simplicissima et indivisibili unitate secundum naturam deitatis : quam unitatem non amisit nec minuit, nostram naturam compositam ac divisibilem hypostatice induendo. *Et per benignam hanc humanitatis dilectionem,* id est per piissimam dilectionem divinam qua dilexit humanam naturam quam induit, imo et totam naturam secundum se, seu ipsum genus humanum, *in participationem sui et propriorum bonorum vocantem humanam gentem :* hoc est, invitantem, trahentem et perducentem « gentem humanam », id est piam, seu genus humanum naturaliter sociale et mansuetum ac compassivum, « in participationem sui », id

est ad participandum suam divinitatem, A per imitationem virtutum et similitudinem gratiarum : de quibus subjungitur, « et propriorum bonorum », id est divinorum
Joann. I, 12. charismatum. Quotquot enim receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.

*Siquidem unimur ipsi divinissimæ vitæ,* id est, Christo et ejus sanctissimæ conversationi gratiose conjungimur, *ad eam nostra juxta virtutem similitudine,* id est, assimilatione nostra ad eam in naturalibus atque gratuitis, « juxta virtutem », id est, quantum possibile nobis est. *Et* B *per hoc etiam ad veritatem communicato-*
* divinissimarum *res Dei et divinarum* consummationum erimus :* id est, per hanc unitionem cum Christo et imitationem suæ purissimæ conversationis, efficimur communicatores totius superfelicissimæ Trinitatis, ipsius perfectionem ac mutuam intuitionem atque dilectionem pro posse sectando, « ad veritatem », id est vere realiter, « et » ita « divinarum consummationum », id est perfectionum communicatores, præsertim in patria, juxta illud in prima Joannis epistola : Scimus quoniam quum appa- I Joann. III, 2.
ruerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est. Tanta est equidem excellentia similitudinis gloriæ, ut similitudo naturæ respectu illius sit quasi nulla. Similitudo autem gratiæ, inter illas se habet medio modo.

# ARTICULUS XXIX

### CUR SACERDOS SE IPSUM COMMUNICET ANTE ALIOS ; ET DE FINALI GRATIARUM ACTIONE.

*ACCIPIENS autem et tradens divi-* C *nam communionem,* id est, præsul primo personaliter Eucharistiam sumens, deinde eam aliis porrigens, *in Eucharistiam sacram desinit,* id est, officium celebrationis finit in hac Eucharistiæ susceptione, seu statim post eam, *cum omni ecclesiæ sacra plenitudine,* id est cum toto ecclesiastico populo præsente, qui egrediente episcopo, protinus exit et sequitur eum.

*Participatio enim traditionem ducit,* id est, « participatio » præcedit et causat D « traditionem ». Oportet enim prius habere atque accipere dona Dei, quam possumus ea aliis communicare ac dare. Ad quod insinuandum, episcopus primo sumit communionem, deinde aliis eam tradit. *Et mysticam distributionem, mysteriorum assumptio,* id est, acceptio « mysteriorum » corporis et sanguinis Salvatoris præcedit et causat « distributionem mysticam », id est administrationem mirabilem qua præsul aliis porrigit hæc ipsa mysteria sensibilibus formis velata. *Ipse enim est catholicus divinorum ornatus et ordo,* id est, iste « est ordo » pulcher et « catholicus », id est fidelis et universalis, « divinorum » officiorum et sacramentorum, hierarchicorumque actuum ; *primum in participatione fieri et consummatione sacrum ducem per se divinitus aliis donandorum :* hoc est, « ducem » ipsum, puta prælatum et hierarcham, « fieri primum in participatione et consummatione per se donandorum aliis », id est, ut ipse personaliter primo participet, sumat, perficiatque sacramenta ac munera bonave opera, quæ per ipsum impertienda, prædicanda, seu injungenda sunt subditis ; *sicque et aliis tradere.* Hinc ad Romanos ait Apostolus : Qui alium doces, te ipsum Rom. II, 21, 23.
non doces ? qui prædicas non furandum, furaris ? qui gloriaris in lege, per prævaricationem legis Deum inhonoras ? Hinc Jesus cœpit facere et docere. Cujus op- Act. I, 1.

positum faciunt multi, de quibus subjungitur :

*Propter quod et divinis doctrinis quidam audacter abutentes ante secundum eas conversationem et habitum, immundi et alieni omnino a sacra sunt legislatione :* id est, ob id nonnulli male utentes Scripturis, docendo videlicet quod non faciunt nec fecerunt, videlicet « ante conversationem » et habitualem exercitationem « secundum eas, sunt immundi », præsumptuosi, « et » penitus « alieni a sacra legislatione », id est donatione legis divinæ, quia infructuose ad graviorem suam damnationem acceperunt, didicerunt, docueruntque eam. Doctrina namque ista est practica, idcirco ordinatur ad opus, quod est proximus ejus finis. Qui igitur docet et prædicat eam, et tamen opere contradicit male vivendo, quantum in se est ostendit doctrinam hanc non esse ponderandam : sicque intentionem Legislatoris altissimi et Scripturæ evacuat quantum in se est, quoniam plus est opere quam sermone aliquid affirmare, juxta illud S. Leonis Papæ : Validiora sunt exempla quam verba. Tales ergo sunt sacrilegi, et peccant mortaliter prædicando, quia abutuntur re sacra, id est divina Scriptura, et inordinate ac injuste se habent, non advertentes
*Ps.* XLIX. 16. nec formidantes quod ait Propheta : Peccatori autem dixit Deus, Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum ? Denique, si ut Salo-
*Prov.* XXVIII, 9. mon loquitur, Qui declinat aurem suam ne audiat legem, oratio ejus erit exsecrabilis : quanto magis prædicatio ejus ? Tales etiam populum graviter scandalizant : quod non est sine culpa mortali. Et
*Luc.* IV, 23. dici potest unicuique tali : Medice, cura
*Matth.* VII, 3, 5. te ipsum. Hinc loquitur Christus : Quid vides festucam in oculo fratris tui, et trabem in oculo tuo non vides ? hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo.

*Ut enim solarium splendorum subtiliores et clariores essentiarum primæ inflexu repletæ,* id est, sicut lucidiores essentiæ « splendorum solarium », id est radiorum

A solis, « repletæ » claritate « primæ », id est ante alia eminenter, « inflexu », id est influxu quasi confracto et reflexo luminis fluentis ex sole, *omnino eas supereminens lumen,* id est, lucem eis splendidiorem, videlicet lucem solis, *in ea quæ post eas soliformiter invehunt,* id est, instar solis influunt ; *sic in divino omni,* id est « in omni divino » gradu, officio, potestate, prælatione, seu ordine, *non audendum aliis dux esse,* id est præsidere aut præfici aliis, *nisi secundum omnem habitum*
B *suum factus deiformissimus,* id est, nisi sic promovendus ac præficiendus factus sit valde deiformis, id est Deo assimilatus, in omni habitu virtutum, et prudentiæ atque scientiæ, pertinentium ad dignam exsecutionem officii, seu ordinis aut prælaturæ ad quam promovetur. Et quo officium altius est, tanto major debet esse in eo perfectio prudentiæ ac virtutum. Hinc additur : *et ad divinæ intelligentiæ et judicii compaginationem approbatus,* id est, idoneus inventus « ad compagina-
C tionem », id est spiritualem structuram et coordinationem sapientiæ salutaris, « et judicii », id est veræ discretionis, ut sit in Scripturis eruditus, et ad judicandum acutus, in factis et verbis exemplaris et ædificativus. Unde ad Timotheum dicitur : Esto exemplum fidelium in verbo, in con- I *Tim.* IV, 12, 13, 15.
versatione, in caritate ; attende lectioni, exhortationi, doctrinæ ; profectus tuus manifestus sit omnibus. Alia translatio clarior est, habens sic : Non sine periculo divinis in rebus quibusque aliis dictare
D aut præsidere præsumit, qui non per omnia simillimus evaserit seu fuerit Deo, et ab inspiratione judicioque divino fuerit gubernator aut declarator.

Heu, heu, heu ! quid hic dicam ? Certe, ut in simili quadam materia sanctus testatur Gregorius, flere hic potius libet, quam aliquid fari vel scribere. Cujus enim etiam ferreum pectus, hæc hujus sanctissimi Dionysii documenta non emolliant ad plorandum, si rite præsentem miserabilissimum et desolatissimum, imo et de-

formatissimum Ecclesiæ statum rite perpendat? Nempe, quo juxta hæc verba, tam ordinatorum quam ordinandorum, et maxime prælatorum, maxime vero episcoporum, conversatio sanctior et exemplarior esset et sapientia major, eo jam, proh dolor! omnia magis contrario modo se habent. Jam ingerunt se indignissimi et vitiosi, carnales, ambitiosi, indocti, ad ordines sacros, ad gradus sublimes, ad ecclesiasticas dignitates, ad regimen animarum, non vocati a Deo ut Aaron. (*Hebr.* v, 4.) Hinc Ecclesia vehementissime jam decrescit. Quid igitur restat, nisi lugere et viscera misericordiæ Dei pro reformatione in omnibus devotissime invocare? O quanta fuit in primitiva Ecclesia sanctitas ministrorum et prælatorum ecclesiasticæ hierarchiæ! Nunc autem carnalitas, cupido ambitionisque flamma, cuncta devastant, demoliuntur et corrumpunt.

Præterea præinducta non sunt intelligenda quasi indigni et vitiosi non vere consecrent, aut sacramenta aliis non vere ministrent; sed quod gravissime peccent, indigne ista agendo: quæ etsi agant de facto, non tamen de jure.

*In his omnis sacrorum dispositio hierarchice condescendens, et divinissimis communicans:* id est, in præfatis sacris et sacramentalibus tota « dispositio », id est universa congregatio fidelis, sibi invicem « condescendens », et se mutuo caritative ferens ac adjuvans, atque « communicans » sacramentis et actibus sanctis; *cum gratiarum actione sacra desinit,* id est, officium terminat, nequaquam valens plene regratiari, attamen agens quod potest, et quantum valet, ut subditur, *divinorum actuum proportionaliter cognoscens et laudans gratias,* id est, juxta suæ possibilitatis mensuram recognoscens et intuens, extollens et laudans gratiosissima beneficia, virtutes et dona actuum divinorum quos Christus pro nostra fecit salute.

*Itaque divina non participantes et ignorantes,* id est, sacramenta cœlestia non suscipientes, nec ea scientes, *non etiam*

A *in eucharistiam venient,* id est, gratiam bonam et optimam hujus sacramenti non sortientur, nec regratiabuntur Deo pro ea. *Et quidem juxta propriam naturam dignis exsistentibus, gratiæ aguntur divinissimis donationibus:* id est, saluberrimis donis Dei gratiarum actiones persolvuntur, secundum quod dona illa ex sua natura sunt pretiosa et omni gratiarum actione prædigna. Et dicuntur gratiarum actiones rependi his, quoniam propter ea exhibentur omnium datori bonorum Deo

B omnipotenti. *Sed, quod quidem dixeram, adspicere aliquando divina dona, ex eo qui in mala* est contuitu, nolentes:* (* *malo*) id est, quod dixi superius, quosdam non velle « aliquando adspicere » in « dona divina », id est considerare beneficia Dei, hoc est et evenit « ex eo contuitu qui est in mala », id est ex consensivo intuitu ad peccata: nam et alia translatio habet, Ex consensu, etc. *Ingrati ad magnas divinorum actuum permanserunt donationes,* id est, ingrati Deo manserunt de beneficiis

C ejus incarnationis, passionis, sacramentique hujus. Contra quod hortatur Scriptura, ut sequitur.

*Gustate autem, aiunt Eloquia, et videte.* (*Ps.* XXXIII, 9.) Sic quippe ait Psalmista. *Nam mirabili divinorum doctrina magnificas eorum qui discunt gratias,* id est, qui addiscunt ex admirabili « doctrina divinorum », id est ex supernaturali instructione Scripturæ traditæ sanctis hominibus: in qua Scriptura descripta sunt sacratissima Christi mysteria, opera quoque divina et benefi-

D cia maxima, quæ sunt magnificæ gratiæ, id est donationes gratuitæ; *cognoscent etiam divinorum* ipsorum altitudinem et magnitudinem in participatione:* (* *divinissimorum*) id est, in ipsa sacra et devotissima communione agnoscent etiam per gustum et experientiam, aut per fidem illuminatam, ac multiplicem effectum et fructum sacramenti hujus ac ejus fidelissimæ susceptionis: cognoscent, inquam, juxta mensuram suæ capacitatis et illuminationis. Non enim plene comprehendere valet homo viator hæc

ipsa Christi mysteria, beneficia et opera supersublimia. Nihilo minus altitudinem et magnitudinem eorum aliqualiter ex Scripturis ac aliis modis prætactis agnoscimus, nempe ex illis quæ ostendunt quod Christus sit verus Deus. Unde concludimus, quod quo sublimior et infinitior est suæ divinitatis majestas, eo pretiosiora, laudabiliora, venerandiora, omnique gratiarum actione digniora et inæstimabiliora sunt beneficia ejus, opera atque mysteria. Ideoque *sacratissime inspicientes,* id est, devotissime considerantes et contemplantes, *supercœlestes gratiose laudabunt divinæ actionis benignitates :* hoc est, extollent et magnificabunt « gratiose », id est cum plena gratiarum actione eis possibili, « benignitates supercœlestes », id est misericordias Dei circa genus humanum, cum Isaia dicentes : Miserationum Domini recordabor, laudem Domini dicam super omnibus quæ reddidit nobis Dominus, et quæ largitus est nobis secundum indulgentiam suam. (Is. LXIII, 7.) Et cum Psalmista : Misericordias Domini in æternum cantabo ; (Ps. LXXXVIII, 1.) et, Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi ? (Ps. CXV, 12.) Itemque : Benedic, anima mea, Domino, et noli oblivisci omnes retributiones ejus, etc. (Ps. CII, 2.)

Postremo ex isto discamus capitulo efficaciter et condigne, quam recollecte et pure, quam contemplative et fervide, quam reverenter et timorate, quam grate et custodite, debeamus nos habere in celebratione, imo et ante et postea, omnique tempore.

# PARAPHRASIS ABBATIS VERCELLENSIS

QUOD Eucharistia est perfectio perfectionum, neque ante illam aliquod aliud sacramentum est laudandum. Item, quod ipsa singulariter dicitur communio vel congregatio, quum hoc aliis sacramentis sit commune. Communio quidem vel congregatio recte dicitur, quia varias vitas et personas divinitus adunat. Quod autem aliis est commune, merito ei attribuitur, quia aliorum sacramentorum perfectio ex ea dependet. Nam alia sacramenta quum celebrantur, consummatio fit in illa. Similiter, quamvis omnia sacramenta illuminationem habeant, tamen specialiter Baptismus illuminatio dicitur, quia initium et quasi fundamentum est aliorum sacramentorum.

### MYSTERIUM.

Item, quod episcopus inchoans Eucharistiæ celebrationem, secundum consuetudinem Apostolorum incipit a thurificatione, veniens de altari ad chorum ; et iterum revertitur ad altare, incipiens decantare psalmos simul cum choro. Post ministri legunt lectiones de sacris Scripturis. Post ejiciuntur catechumeni et energumeni, et qui sunt in pœnitentia ; qui autem digni habentur communione divinorum, manent. Et quidam ministrorum stant juxta portas templi clausas ; alii ministeria propria alibi implent ; et diaconi primi ad hoc ordinati, cum presbyteris apponunt super altare panem sanctum et calicem, decantato prius symbolo catholico a cuncta ecclesia. Episcopus vero cum aliis orationem faciens, pacem eis annuntiat : quibus invicem osculatis, perficitur prædicatio tabularum *. Lotis manibus, circumstant episcopum sacerdotes et quidem * diaconi electi, quando episcopus conficit Sacramentum altaris. Quod consecratum episcopus revelat, communicat, et alios ad sacram communionem admittit. Tandem episcopus gratias agit, et sic officium implet. Et aliis quibusdam venerantibus symbolica sacramenta, episcopus ad eorum intellectualia mysteria sursumagitur.

* voluminum

* quidam

### CONTEMPLATIO.

Præmissis sensibilibus symbolis, invitat ad mysticæ veritatis intellectum, commemorans ipsorum etiam signorum plurimam utilita-

tem, scilicet : malitiæ purgationem ; instructionem et exhortationem eorum quæ leguntur vel cantantur ; sacramentorum communionem, pacis traditionem ; dominicæ Cœnæ com-
*Luc.* XXII, 19. memorationem juxta divinum mandatum : in
qua Dominus Apostolis dedit sacram commu-
*Matth.* XXVI, 26-28. nionem digne accipientes sanctificantem ; Ju-
*Joann.* XIII, 26, 27. dam vero qui non digne sumpsit, condemnantem : ostendens quod his qui non solum corporaliter, sed spiritualiter accedunt, similem gratiam largiatur.

Hæc ergo quasi introductoria imperfectis relinquentes, qui perfecti sunt, ad horum profundiora mysteria contemplanda proficiant. Pro quo profectu invocat Divinitatis illuminationem.

Quod episcopi thurificatio ab altari ad chorum descendentis et ad ipsum altare redeuntis, ut supra, signat quod divina bonitas ita se procedendo communicat et varie distribuit, ut nihilo minus in sua simplici identitate immobiliter consistat, et eos quibus se quasi multiplicando communicat, in se unit et simplificat. Ita etiam episcopus doctrinam multitudini congruentem impertiens, ipse nihilo minus ad se simplicem dictorum intellectum recolligit, ex quo doctrina publica emanavit.

Item psalmorum decantatio quæ aliis etiam adest sacramentis, huic principalissimo deesse non debet. Ostendit quomodo libri utriusque Testamenti divinas laudes contineant, operationes et doctrinas, ut merito de singulis recitentur lectiones vel cantica in celebratione divinorum sacramentorum. Quod quum decantatio Scripturarum sensus animi nostri dispersos coadunaverit ad præparationem sacræ communionis, et ipsa melodiæ consonantia nos harmonice divinis et nobis et invicem consentientes fecerit, et chorus decantaverit psalmos, qui copiosam intelligentiam spiritualem compendiose et obscure continent, postea recitantur lectiones hagiographorum tractatuum, quorum planior est intelligentia. Et qui utraque subtiliter inspicit, intelligit ab eodem Spiritu eadem processisse. Unde post vetus Testamentum legitur novum in Ecclesia frequenter, ad ostendendum quod ea quæ vetus prædixit futura, novum annuntiat impleta, specialiter dominicæ incarnationis mysteria, et quod etiam incredulitas Judæorum sub Testamento veteri, typus fuit Judaicæ perfidiæ sub tempore gratiæ.

Quod catechumeni, et energumeni, et pœ-
A nitentes, ad præmissa audienda admittuntur, scilicet psalmos et lectiones, sed non ad consequentia : quia ecclesiastica institutio ordinat unicuique quod sibi congruit. — Item, quod ordo catechumenorum ultimus est, quia nondum eruditus, neque in Deo exsistens per Baptismum, sed adhuc doctrinis quasi obstetricatur. Unde, sicut parvuli ante congruum nascendi tempus excisi, abortivum patiuntur et moriuntur, ita si isti catechumeni ante tempus congruum regenerationis baptismalis ad perfectiora admitterentur, eo ipso periclitarentur. Unde primo providetur diligens eru-
B ditio, et post Baptismus. Distinguit autem ecclesiastica institutio sic perfecta ab imperfectis, tam sacramentis reverentiam providens, quam catechumenis ordinatam eductionem in lumen et vitam. — Energumeni autem immundi sunt, et secundi catechumenis, tanquam particulariter jam instructis. Et quia energumeni vexantur et superantur seductionibus et perturbationibus contrariis, et ipsis energumenis visio et communio omnino subtrahitur. Vir autem perfectus divinis digne communicans, longe ab his contrariis recedens, et sursumactus virtutibus ipsum deifi-
C cantibus, voluptates carnis vitat, solis naturæ necessitatibus stricte utens ex intentione, et factus quasi Dei templum, et obediens imitator divini Spiritus summe secundum suam possibilitatem, collocans Deum in se : Deo assimilatur iste talis Deo unitus ; non vexatur a phantasiis et morsibus maligni spiritus, sed cum his attentabit, deridebit et despiciet, et viriliter expugnabit et persequetur ea, et potius aget in ea, quam ab ipsis patiatur ; et per impassibilitatem et irremissibilitatem propriæ virtutis, erit aliis congruus medicus talium vexationum. — Et plane novi quod eccle-
D siastica institutio, ante energumenos removet a communione et visione sacramentorum eos qui immundissima vexantur operatione actualium peccatorum, qui post veritatis agnitionem a sancta vita recedentes, consensu et conversatione conjunguntur dæmonibus, vera et æterna bona postponentes, et corruptivis delectationibus concupiscentia et operatione inhærentes. Unde et ante ceteros immundos a ministris excluduntur tales, et ad nihil sanctum admittuntur, nisi ad doctrinam exhortantem eos ad emendationem. Si enim pœnitentes abiguntur, neque perfecte ad sacra admittuntur, et ipsa sacra communio abscon-

sione sua clamat se esse imperfectis invisi- A bilem et incommunicabilem, et omnes non valentes perfectis communicatoribus divinissimorum digne conjungi, expellantur; multo magis excludendi sunt prædicti, qui immundam habent conversationem.

Postquam autem exclusi sunt indocti et imperfecti, et apostatæ prædicti; et post qui facile læduntur a pravis tentationibus; deinde qui pravam conversationem dimiserunt et quasi longe ab ea recesserunt, adhuc tamen non purgantur a phantasiis vitiorum; deinde qui ab his quidem purgantur, sed nondum virtute perficiuntur : his omnibus exclusis, B perfecti fide et virtute laudant Deum hymno catholico, scilicet, Credo in Deum Patrem omnipotentem. Qui variis nominibus a diversis vocatur. Et hoc symbolum videtur omnia pene mysteria incarnationis dominicæ continere; et nostram conversationem format et ordinat, commemorans nobis divina beneficia nobis impensa.

Completo autem Symbolo, apponitur in altari divinus panis coopertus, et calix benedictionis, et datur osculum pacis. Postea recitantur quædam sacræ scripturæ, commemorantes sacram conversationem et beatum C finem sanctorum patrum. Datur autem pacis osculum ante sacram communionem, quia divisis unitio sancta non congruit. Et divinitus uniformes facti, ad varias concupiscentias non decidamus, ex quibus proveniunt inter homines inimicitiæ, qui natura sunt conformes. Scripturæ vero quæ nobis commemorant sanctam vitam et beatum finem sanctorum patrum, nos ad eamdem invitant, qui eosdem non ut mortuos, sed ut secundum animam viventes attendimus, juxta illud : (*Luc.* xx, 38.) Deus autem non est mortuorum, sed vivorum; omnes enim vivunt ei. Divina siquidem D memoria, in qua Sancti reponuntur, sic non est phantastica vel obliviosa, sicut memoria humana sive cognitio transmutabilis, juxta (II *Tim.* II, 19.) illud : Novit Dominus qui sunt ejus. Et mors (*Ps.* CXV, 15.) Sanctorum, id est perfectio in sanctitate, est pretiosa in conspectu ejus. Superpositis autem altari sacramentis quibus Christus signatur et participatur, adsunt sancti ab aliis discreti, ad se coadunati : in quo signatur eorum ad invicem conjunctio per fidem et caritatem; et per communionem sacramentorum, unitio eorumdem sanctorum ad Christum.

His rite expletis, hierarcha et sacerdotes manus lavant, juxta illud : Qui lotus est, non (*Joann.* XIII, 10.) indiget nisi ut pedes lavet, id est, non indiget nisi purgatione quorumdam venialium, quæ ex necessitate curæ exterioris contrahuntur. Et sic purgatur hierarcha; et uniformis et unitive ad vere unum conversus, conversionem suam facit immaculatam, salvans dicta purgatione plenam integritatem suæ deiformitatis. Idem autem signat lavacrum in sacerdotibus, quod in hierarcha. Accedentes enim ad sanctum sacrificium, purgandi sunt etiam a levioribus phantasiis, et ipsi quem sumunt assimilandi secundum singulorum possibilitatem, per hoc ipsum divinitus illuminandi splendoribus cœlestibus, mentes eorum tanquam conformia specula copiosius, formosius et interius superfulgentibus. Abluuntur autem episcopus et sacerdotes accessuri ad sacrificium sanctum, quasi præsentandi Christo qui (*Ps.* XLIII, 22.) respicit ipsorum occulta cordis. Unde summa purgatio est ipsis necessaria, Deo judice, qui tam diligenter et familiariter divina inspiciunt. Sic ergo episcopus communicat, et divina sacramenta conficit et manifestat.

Deinde narrabimus operationes divinas circa genus humanum in his sacramentis commemoratas, secundum quod docuerunt nos Apostoli juxta attestationes sacræ Scripturæ. Postquam humana natura in primis parentibus lapsa est per peccatum, pœnalem vitam incurrit et moriendi necessitatem; et recedente homine a vera bonitate, apostasia et inobedientia ipsius tradiderunt ipsum consensu spontaneo diabolicis seductionibus. Unde prima immortalitas qua potuit in æternum vivere, commutata est in moriendi inevitabilem necessitatem, et naturalis incorruptibilitas, in corruptionem. Et a divina et sursumagente vita sponte decidens, inducta est ad contrariam extremitatem, id est ad vitam deorsum labentem; et multipliciter afflicta et errans per aversionem a vero Deo, ab idolorum malefica multitudine seducta est, qua inolita ei * (* sibi) crudelitate abusa, consumptionis et destructionis periculum miserabiliter incidit. Infinita vero benignitas non recusavit per se ipsam nobis providere : sed assumptis natura et infirmitatibus nostris, exceptis peccato et (*Hebr.* IV, 15.) ignorantia, sine suæ divinitatis confusione nostræ humili humanitati unita, nobis donavit suorum divinorum communionem; et quasi quodam pio dolo dissolvens potestatem idolorum, non sola potentia, sed in judicio et

justitia; et nos a vitiis et ignorantiis ad virtutes transferens et lumina, et animas nostras ab immundis passionibus et corruptivis inquinationibus liberans, dirigens nos ad supermundanam sursumactionem, et divinæ conversationis (secundum quod nobis est possibile) assimilationem, quæ nobis potissime ingignitur per memoriam recentem et sæpe renovatam operationum Christi, per decantationes et sanctificationes hierarchicas, juxta
*Luc.* XXII, 19. illud in Luca : Hoc facite in meam commemorationem. Deinde episcopus adsistens altari, laudat dictas sanctas operationes Jesu, quas ipse pro nostra salute, ex beneplacito Patris, in Spiritu Sancto perfecit.

Quas quum ipse episcopus laudaverit, et ipsarum mysticam intelligentiam contemplatus fuerit, procedit ad significativam ipsarum sanctificationem, prout Salvator discipulis tradidit, ut se post dictarum operationum sanctarum laudes merito excuset a sanctificatione, quæ ipsius meritum et possibilitatem excedit, prius ad Christum clamans : Tu di-
*Ibidem.* xisti, Hoc facite in meam commemorationem. Deinde postulans hierarcha se dignum fieri sacrificio, et ad Dei imitationem divina perficere, et caste aliis distribuere, et alios digne participare sacramentis, ipsa sacramenta manifestat et discooperit; et dividens ea, fidelibus multis distribuit. In quo signatur, quod Christus secundum divinitatem simplex et secretus, pro nobis salvandis factus compositus per humanitatem et visibilis, operatus est nostram communionem ad ipsum, uniens nostra humana suis divinis. Et si coaptemur ipsi sicut membra ejus, divina imitatione et vita mortificantes in nobis carnales passiones, ne nos corrumpant, adunabimur per ipsum divinis sanctissimis ejus membris, quamvis prius fuerimus non coaptati, et non cohærentes, et non convenientes Christo vel membris ejus. Si autem volumus ipsum vere communicare, oportet nos attendere ad sanctissimam ipsius conversationem in carne quam assumpsit, ipsam imitando cum peccati immunitate Deo conformiter et immaculate conversatam. Sic enim congrue ipsi communicabimus per sancta sacramenta. Hæc manifestatio et divisio et multiplicatio sacramentorum prius coopertorum et unitorum, et communicantium unitio, signant Dominum Jesum, qui est vita nostra invisibilis, secundum divinitatem occultum et simplicem, per humanitatem compositum et visibilem, nos ad sui munerumque suorum participationem benigne vocare unitos divinæ ipsius vitæ, et sic Dei et divinorum vere participes effectos.

Requirit autem ordo ecclesiasticus ut hierarcha prius communicet, quam aliis communionem sacram distribuat : quia primum est divina lumina participare, quam aliis tradere. His vero præmissis, hierarcha terminat officium in gratiarum actione. Quoniam autem oportet divina prius participare quam distribuere, qui præsumunt abusive docere divina antequam recte conversentur, adhuc immundi, omnino a docendi officio sunt extranei. Sicut enim solares radii primas et propinquiores materias capaciores clarius illustrant et adimplent, et per illas ad inferiores materias lumina deferuntur; sic officium docendi divina et alios ducendi non præsumat suscipere, nisi qui habitum divinæ scientiæ et virtutis obtinuerit, tanquam ex Dei inspiratione et judicio ad hoc officium assumptus, ut de sua abundantia aliis valeat divina distribuere. In his tota fidelium communicatio sacramentis communicans, in gratiarum actione terminat, secundum singulorum proportionem sancta cognoscens et laudans. Divinorum vero non participes et ignari, gratias Deo non referunt : quamvis dona Dei quæ in naturalibus bonis percipiunt, digna sint pro quibus gratiæ referantur. Sed tamen perversi, amore mali neque respicere volentes ad dona divina, ingrati permanent ad operationes divinæ gratiæ infinitæ. Ideo persuadet Scriptura gustare et videre. Qui enim sancta *Ps.* XXXIII, 9.
doctrina didicerunt magnitudinem divinorum munerum, ipsi cognoscentes Dei gratiam, et donorum Dei altitudinem et magnitudinem et participationem inspicientes, laudabunt supercœlestia Dei beneficia, gratias agendo.

# CAPITULUM IV

## DE PERFICIENDIS IN MYRO ET IN IPSO OFFERENDIS.

TANTA sanctissimæ synaxeos sunt, et sic bona invisibilia ad unum nobis, sicut sæpe diximus, hierarchice sacrificantia societatem et coordinationem. Sed est hujus æquipotens altera perfectiva operatio, chrismatis hostiam duces nostri quam nominant. Partes itaque ejus in ordine secundum sacras imagines intendentes, sic ad unum ipsius per partes hierarchicis contemplationibus ascendemus.

### MYSTERIUM TELETÆ MYRI.

Juxta eumdem synaxeos modum, imperfectorum absolvuntur ordines, accedentibus scilicet et hierarchico in omne templum bene olenti ambitu, et psalmica sacra cantione, et divinissimorum Eloquiorum lectione. Deinde chrisma summus sacerdos accipiens, superponit divino altari circumvelatum a duodecim pennis sacris, reboantibus simul omnibus sanctissima voce sanctum Deo acceptabilium Prophetarum inspirationis melodema. Et in ipso perficientem orationem complens, in sanctissimis consecrandorum hostiis eo utitur ad omnem fere hierarchicam perfectivam operationem.

### THEORIA.

Ipsa igitur introductiva consummativæ hujus sanctificationis anagoge, per ea quæ secundum divinum chrisma sacre aguntur, illud (æstimo) declarat, quod circumvelatur sanctis viris in animo sacrum et bene redolens : quæ divinitus jubet sanctis viris non manifestas habere in gloria vana, secundum virtutem occulti Dei bonas et suaveolentes similitudines. Mundæ enim sunt Dei secretæ et super animum suaveolentes pulchritudines, et invisibiliter ostenduntur solummodo intellectualibus, conformes habere volentes per virtutem in animabus incorruptibiles imagines. Quæ enim Deum imitatur imago, ad illam invisibilem et beneolentem adspiciens formam, sic se ipsam figurat et effingit ad formosissimam imitationem. Et sicut in sensibilibus imaginibus semper ad primam exemplarem speciem scriptor inflexibiliter intendit, ad nullum aliud visibilium retractus aut secundum quid par-

titus, sed ipsum illum qui est describendus (si justum dicere) effingit, et ostendit alterutrum in alterutro, præter essentiæ differentiam; sic mundis in animo describit ipsa ad beneolentem et occultam formam intenta et inflexibilis contemplatio non errans, deiformissimorum phantasma. Juste igitur ad superessentialiter suaveolentem et invisibilem pulchritudinem, ad Deum conversi, intellectuale suum inconverti-

*Matth.* VI, 1. biliter specificantes, nullam agunt in se Deum imitantium virtutum in adspiciendis (juxta Eloquium) hominibus; sed sancte inspiciunt tanquam in imagine, divino chrismati ab Ecclesia sacratissima circumvelata. Propter quod et ipsi, secundum virtutem, sanctum et deiformissimum intus Deum imitantis Deumque describentis animi sacre circumvelantes, ad solam respiciunt archiformem intelligentiam. Neque enim contemplatores tantum non sunt dissimilium, sed neque ipsi ad illorum trahuntur visionem, sibimet consequenter. Neque visibilium decores bonorum et justorum, sed eorum quæ sunt vere, vere amant. Nec gloriam vident a multitudine irrationabiliter beatificatam, sed bonum vel malum in se ipso divina imitatione judicantes, agalmata divina sunt divinissimæ beneolentiæ, quæ ex se ipsa verum bene olax habens, ad multis dissimiliter opinabile non convertitur, veris suis pulchritudinibus unum formans, quod est sine simulatione.

Fer eia reliquum, quoniam exterius pulchritudinem contemplati sumus totius bonæ et sacræ actionis, in diviniorem ejus respiciemus formam, ipsam in se ipsa revelatam velamina contemplantes beatam, splendentem manifeste claram et incircumvelate intellectibus, replentem nos suaveolentiæ. Neque enim manifesta myri perfecta operatio, his qui circa summum sacerdotem sunt, incommunicabilis est aut invisibilis; sed econtrario usque ad eos perveniens, et statuens supra multos contemplationem, ab ipsis sacre circumvelatur, et ex multitudine hierarchice distinguitur. Divinis autem viris sacratissimorum radius, tanquam congenerationi ab invisibili luce, pure et immediate elucens, et intellectuales eorum receptiones incircumvelate suavificans, ad subjectum non prompte pervenit; sed ab ipsis, ut secretorum invisibile contemplantibus, sine pompa, dissimilibus incontaminabile sub pennatis ænigmatibus cooperitur : per quæ sacra ænigmata, subjectorum bene ornati ordines reducuntur ad suam sacram analogiam.

Est ergo, quod quidem dixeram, nunc laudanda nobis sacra teletæ operatio, consummativæ hierarchicorum ordinationis et virtutis. Propter quod et hanc divini duces nostri, tanquam æquipotentem et eadem peragentem, synaxeos sacræ perfectioni, eisdem characteribus per multa, et mysticis dispositionibus et sacris orationibus, ordinaverunt. Et quidem summum sacerdotem, tanquam ipsis adspectibus, ex diviniori loco bonam suaveolentiam in ea quæ deinde sunt sancta proferentem, et ad se resolutione docentem divinorum participationem simul omnibus quidem fieri juxta dignitatem sanctis, indiminutam vero esse et incommutabilem omnino, et æqualitate secundum divinam collocationem proprietatis incommutabiliter stantem. Desiderio autem iterum, Eloquiorum cantus et lectiones imperfectos quidem erudiunt ad viviferam filiolitatem; conversionemque sanctam faciunt pollute energu-

menum; auferuntque contrariam vel qualemcumque tractam ex insane energumenis, deiformis habitus et virtutis sublimissimum proportionaliter eis ostendentes : juxta quam terrebunt maxime ipsi contrarias virtutes, et aliorum medicinam præstabunt divina imitatione, immobile quidem ex propriis bonis, ad vero contrarios tumultus, activum non habentes tantum, sed et donantes. His autem in intellectum divinum ex pessimis transeuntibus, habitum sacrum imponunt ad non iterum sub malitia errandum. Quosdam ut sint castissimi, indigentes, consummate absolvunt; quosdam sacros ducunt in divinas imagines, et inspectiones earum et communicationes. Reficiunt autem quosdam sacratissime in beatis invisibiliter contemplationibus, complendo* uniforme eorum uno, et unificantes. * complentes

Quid autem? Nonne et non omnino puros (quorum jam memoriam fecimus) ordines clare absolvit, secundum eumdem synaxeos modum, præsens nunc sancta teletæ operatio, solis in imaginibus videns obtutibus divinis, et a solis immediate sacratissimis hierarchicis anagogis inspecta et sacrificata? Hæc ergo jam sæpe a nobis dicta, superfluum nobis est, ut æstimo, eisdem revolvere verbis, et non ad ea quæ deinde sunt transcendere, summum sacerdotem divinitus videntes, a duodecim pennis circumvelatum habentem divinum myron, et sanctissimam in eo consummationem sanctificantem. Dicamus igitur quomodo est myri compositio. Congregatio quædam est bene spirantium materiarum, in se copiose habens qualitates odoriferas, quantum accipientes olfaciunt secundum analogiam tanto ingenitæ eis bono odore participationis. Credimus autem esse divinissimum Jesum superessentialiter suaveolentem, invisibilibus distributionibus intellectuale nostrum replentem divina delectatione. Ipsa enim sensibilium suavitatum assumptio, saturitatem facit, et nutrit cum delectatione multa olfacientium discretivum, siquidem illæsum sit, et ad bene olax in commensuratione compactum. Et proportionaliter, si quis dixerit intellectuales nostras virtutes adversus in malum minorationem incorruptibiliter dispositas, in ipsa in nobis discretivi naturali valetudine, secundum deificas mensuras et coadunatam animi ad Deum conversionem, in receptione divinæ suaveolentiæ fieri, et benefacientia sacra impleri et divinissimo alimento. Non ergo myri symbolica compositio, tanquam informatione informium, ipsum nobis subscribit Jesum, fontem exsistentem divinarum suavium receptionum divitem proportionibus divinis ad deiformiora intellectualium reddentem, divinissimos declarantem vapores, in quibus animi pacifice delectati, et divinis assumptionibus repleti esca invisibili utuntur, ad intellectuale eorum introitu, juxta divinam participationem suaveolentium distributionum.

Est autem (ut æstimo) clarum, quia super nos essentiis, ut divinioribus, fontalis suaveolentiæ retributio propinquior quodammodo. Adhuc enim et magis se ipsam manifestat et distribuit in lucidissimum earum et bene habile, juxta intellectum receptivæ virtutis copiose supermanans, et multipliciter occultata. Ad vero intellectualium subjecta, et non eodem modo acceptiva, super virtutem incontaminate occultans visionem et participationem, proportionalibus participantium vapori-

bus, in commensuratione divina distribuitur. Super nos igitur sanctarum essentiarum tantum superpositus Seraphim ordo, in alarum duodenario significatur, circa Jesum stans et collocatus, beatissimis ipsius contemplationibus (quantum justum) inhians, et invisibilis distributionis sacre in castissimis susceptionibus repletus, et multum laudabilem, sensibiliter dicendo, non silentibus oribus reclamans theologiam. Ipsa enim sancta supermundialium animorum scientia simul erecta est, et incessabilem habet divinum amorem, malitiamque simul omnem superat et oblivionem. Inde, ut æstimo, hoc non silenti clamore insinuat æternam eorum et incommutabilem in virtute omni et gratiarum actione divinorum scientiam et intelligentiam.

*Apoc.* IV, 8.

Incorporales ergo Seraphim proprietates, in Eloquiis, sensibilibus imaginibus et invisibilium manifestatoriis mirabiliter descriptas, in exornamentis supercœlestium hierarchiarum, ut arbitror, bene contemplati sumus, et tuis intellectualibus oculis ostendimus. Tamen, quoniam quidem et nunc summum sacerdotem sacre circumstantes, ipsam nobis illam reformant excellentissimam dispositionem, in brevi et nunc sanctissimis adspectibus deiformissimam eorum claritatem videamus. Multiforme igitur eorum et multipes, manifestativum est, ut æstimo, multividæ eorum in divinissimas illuminationes proprietatis, et semper motus, et multivii divinorum bonorum intelligibilium. Alarum autem, ut Eloquia aiunt, expansam positionem, non numerum sanctum indicare arbitror, secundum quod visum est aliis; sed quia circa Deum ipsius excellentissimæ essentiæ et ordinis, anagogica et absoluta perfectissime sunt, et supermundana prima et media et extrema intellectualium sui et deiformium virtutum. Inde Eloquiorum sacratissima sapientia alarum duplicationem sancte describens, circa facies et media et pedes eorum imponit alas, universaliter volabile eorum insinuans, largissimum in id quod vere est anagogicæ virtutis. Si autem facies et pedes tegunt, et solis volant mediis alis, intellige sacre quia tantum exaltatus excellentissimarum essentiarum ordo, timidus est circa intelligentiarum ejus altiora et profundiora; et mediis alis in commensuratione ad divinam visionem exaltatur, divinis jugis supponens propriam vitam, et ab ipsis sancte directus ad suimet cognitionem. Quod autem Eloquiis dictum est, veluti, Clamabat alter ad alterum : istud æstimo declarare, quod deividis suis intelligentiis sibi invicem copiose tradunt.

*Ezech.* I, 5-10. *Is.* VI, 2. *Ibidem.* *Ibid.* 3.

Et hoc sacra dignum judicamus memoria, quomodo Eloquiorum Hebræa vox, juxta intelligibilem nominationem, vocat sanctissimas Seraphim essentias, ad hoc quod sunt igneæ et superferventes secundum divinam et immobilem vitam, ex ipsa secundum divinam et immutabilem vitam perflagrantia. Dixi ergo, ut quæ Hebræorum sunt interpretantes aïunt, divinissimi Seraphim ardentes et calefacientes a Theologia nominati sunt, manifestativo substantialis eorum habitus nomine, divinique unguenti, juxta symbolicam imaginum descriptionem, motivas habentes virtutes in manifestationem ipsius, et efficaciorum vaporum distributionem evocantes. Ipsa enim super intellectum suaveolens essentia, ab ignitis et purgatissimis mentibus in notitiam moveri amat, et divinissimas suas inspirationes in ditissimis distribu-

tionibus donat sic se supermundane evocantibus. Non ergo divinissimus supercœlestium essentiarum ordo ignoravit divinissimum intellectum in sanctificandum descendentem. Intelligit autem eum sacre in his quæ secundum nos sunt, se ipsum subjicientem per divinam et ineffabilem bonitatem, et a Patre suo, et a se ipso, et Spiritu humanitus sacrificatum. Adspiciens vero, proprium novit principium, in quibuscumque divinitus agit, secundum essentiam immutabile habens. Inde sacrorum symbolorum traditio sanctificato divino chrismati Seraphim circumdat, incommutabilem videns et describens Christum in ea quæ secundum nos est, universali ad veritatem inhumanatione.

Et adhuc divinius, quia unguento utitur ad omnis divini perfectionem, aperte ostendens, juxta Eloquium, sanctificantem sanctificatum tanquam semper ipsum *Hebr.* II, 11.
exsistentem in se ipso secundum omnem divinam beneficentiam. Propter quod et sacræ divinæ generationis perfectiva donatio et gratia, in unguenti perficitur divinissimis consummationibus. Inde, ut æstimo, et purgativo baptisterio unguentum in cruciformibus symbolis infundens summus sacerdos, super conspectum ducit contemplativis oculis, usque etiam suam mortem per crucem Jesum pro nostra divina generatione demersum, hoc divino et potentissimo descensu, in mortem suam (juxta occultum Eloquium) baptizatos, ex corrumpentis mortis veteri *Rom.* VI, 3.
absorptione divinitus emergentem, et renovantem ad divinam et æternam subsistentiam. Sed et ipsi perfecto sacratissima divinæ generationis teleta, divini Spiritus superadventum unguenti donat consummativa unctio, characterizante (ut æstimo) sacra symbolorum imaginaria descriptione, ab ipso propter nos humanitus divino Spiritu sanctificato immutabili substantialis divinitatis habitu, divinissimum Spiritum donatum. Et hoc hierarchice intellige, quia et divini altaris sacram consummationem sanctissimarum hostiarum, legislatio sacratissimi unguenti perficit sanctissimis effusionibus. Est autem supercœlestis et superessentialis theoria, omnis deificationis nostræ et sanctificationis principium, et essentia, et perfectiva virtus. Si enim est divinissimum nostrum altare Jesus, principale divinum divinorum oblatio, in quo, juxta Eloquia, oblati et mystice holocaustomati accessum habe- *Ephes.* II, 18.
mus, supermundanis oculis videbimus ipsum divinissimum altare, in quo perfecta perficiuntur et sanctificantur, ab ipso divinissimo unguento perfectum. Sanctificat enim pro nobis semetipsum sanctissimus Jesus, et omni nos sanctificatione replet in se perfectionum dispensatorie in nos tanquam Deo genitos, de cetero benigne descendentium.

Inde, æstimo, secundum intellectum hierarchicum Deo traditum, divini nostræ hierarchiæ duces pudicissimum hoc sacrificium unguenti, teletam, ex perfecto actuose, nominant, tanquam si quis dixerit, Dei teletam, utroque intellectu divinam ipsius perfectam operationem laudantes. Est enim ipsius hostia, et propter nos humanitus sanctificari, et deifice omnia perficere, et sanctificare perfecta. Divinum vero Deo acceptabilium Prophetarum inspirationis melodema, aiunt qui Hebræorum sunt scientes, Laus Dei declarare, aut, Laudate Deum. Totius igitur sanctæ theo-

phaniæ et creationis in varia compositione hierarchicorum symbolorum sacre descriptæ, non inconveniens est recordari Deo motam Prophetarum hymnologiam. Docet enim et caste simul et divinitus, laudibus sacris dignas esse divinas actiones.

Hic aliqui libri auspicantur capitulum v.

Hæc quidem divinissimi unguenti perfecta operatio est. Tempus autem fortassis sit, post divinas sacras actiones, ipsas exponere sacerdotales ordinationes et partes, virtutesque earum, et operationes et consummationes, et super has trinitatem superfirmantium ordinum : ut demonstretur secundum nos hierarchiæ dispositio, inordinatum quidem et inornatum et commixtum clare distinguens, replens vero ornatum et ordinatum et inconfusum, in ipsis se ipsam manifestans sanctorum ordinum analogiis. Et omnis quidem hierarchiæ ternariam divisionem, in ipsis jam a nobis laudatis hierarchiis, ut æstimo, bene exposuimus, dicentes quomodo secundum nos sacra traditio habet omnem hierarchicam actionem in sanctissimas teletas divisam, et divinas earum scientias et doctrinas, et ab ipsis sacre perfectos. Ergo sanctissima quidem supercœlestium essentiarum hierarchia, teletam quidem habet, secundum virtutem propriam, Dei et divinorum immaterialissimam intelligentiam, et deiformitatis integritatem, et ut possibile, Deo similem habitum. In lucem ducentes, et ad sanctam ipsam consummationem duces, circa Deum primitivas essentias, sacrosque ordines deiformiter et proportionaliter transvehunt ad donatas eis semper deificas scientias ab ipsa per se ipsam perfecta et sapientifica divinorum animorum Divinitate. Ipsæ autem primarum essentiarum subjectæ dispositiones, tanquam per illas divinitus exaltatæ ad deificam Divinitatis illuminationem, perfecti ordines et sunt, et vere nominantur. Post illam vero cœlestem et supermundanam hierarchiam, in ea quæ secundum nos sunt, benefice Divinitas sacratissimas suas donationes affert. Crassis quidem exsistentibus, secundum Eloquium, donavit juxta legem hierarchiam obscuris verorum characteribus, et longissimis principalium exemplorum imaginibus, et difficilibus ad intelligendum ænigmatibus et figuris, non facile discretam habentibus occultam eis contemplationem quæ in ipsis lucet, infirmis adspectibus innocue declarans. Huic autem secundum legem hierarchiæ teleta quidem, ad spiritualem Dei cultum anagoge ; manuductores autem ad eam, ipsi sanctum illud tabernaculum a Moyse sacre eruditi, primo secundum legem pontificum doctore et duce. Ad quod sanctum tabernaculum introductive sacro scribens secundum legem hierarchicam, imaginemque formæ ostensæ ei super Sina montem, vocat omnia secundum legem sacrificanda. Ante vero perfecta a legalibus symbolis, proportionaliter ad perfectiorem doctrinam reducimus. Perfectiorem autem doctrinam Theologia secundum nos hierarchiam dicit, plenitudinem hanc illius vocans et sanctum finem. Est autem et cœlestis et legalis communicativæ medietati extremarum recepta : ei quidem communicans intellectualibus contemplationibus ; huic vero, quia symbolis sensibilibus variatur, et per ea sacre in Deum reducitur. Trinum autem similiter habet hierarchicæ divisionis, in sanctissimas teletarum sanctificationes divisa, et deiformes sacrorum ministros, et ab ipsis proportionaliter in sacra adducendos.

*Exod.* xxv, 40.

*Matth.* v, 17; *Rom.* x, 4.

Unaquæque vero trium nostræ hierarchiæ divisionum, consequenter et legali et diviniori eorum quæ secundum nos hierarchiæ, prima et media et ultima ordinatur virtute : et divina analogia prævisa, et omnium bono ornatu, et secundum ordinem compacta et conjunctiva societate. Sanctissima ergo teletarum sacrificatio, primam quidem habet deiformem virtutem sanctam, imperfectorum purgationem ; mediam autem, purgatorum illuminatricem doctrinam ; novissimam vero et priorum consummativam, eruditorum in scientia pulchrarum doctrinarum consummationem. Ipsa autem sacrificantium dispositio, in potenti virtute prima, per teletas purgat imperfectos ; in media autem, luce ducit purgatos ; in ultima vero et sublimissima sacrificantium virtutum, perficit divino lumini communicantes, in contemplabilium illuminationum scibilibus contemplationibus. Perficientium autem virtus prima quidem est purgans ; media vero post purgationem illuminans, et quorumdam sanctorum contemplativa ; ultima autem et divinior aliarum, ipsa sanctorum photismatum quorum efficitur contemplatrix, declarans consummativam scientiam. Sanctæ ergo teletarum actionis trina virtus laudatur, sanctæ quidem theogenesiæ ex Eloquiis comprobatæ, purgatione et purgativa illuminatione ; synaxeos autem et myri teletæ consummativæ divinorum actuum, cognitione et scientia, per quam sacerdotium * ad Divinitatem tanquam unifica anagoge et beatissima communicatio perficitur. Nunc autem sacerdotalis dispositio consequenter narranda, in purgativam et illuminativam et consummativam ordinationem divisa.

* sacerdotum

# ARTICULUS XXX

### ELUCIDATIO PARTIS PRIMÆ HUJUS CAPITULI QUARTI : QUOD UNGUENTI MYSTERIUM SIT AFFINE VENERABILI EUCHARISTIÆ.

POSTQUAM præhabito immediate capi- A tulo actum est de Eucharistiæ sacramento, celebratione rituque seu actibus hierarchicis circa illud, hic idem jam agitur de sacramento Confirmationis.

*Tanta sanctissimæ synaxeos sunt,* id est, tam magna sunt mysteria « synaxeos sanctissimæ », id est sacratissimæ communionis, quæ et synaxis vocatur, ut patuit, *et sic bona invisibilia ad unum nobis, sicut sæpe diximus, hierarchice sacrificantia societatem et coordinationem :* id est, invisibiles effectus sacramenti istius, B ut sacramentalis gratia et efficacia ejus, sunt sacrificantes, id est, sacram facientes, « societatem et coordinationem » nostram « hierarchice », id est ecclesiastice, puta secundum doctrinam observantiamque Ecclesiæ sanctæ, « ad unum », id est reducendo nos ad Deum, qui per hoc sacramentum spiritualiter nos confortat ad præliandum contra divini honoris et nostræ salutis hostes in campo cursus et luctæ præsentis, « sicut sæpe » jam « diximus », quod scilicet per sensibilia symbola sacramentorum, ad invisibiles gratias pervenimus, et ad omnium fontem reducimur.

*Sed est hujus æquipotens altera perfectiva operatio,* id est, aliud quoque opus et donum Dei est, perficiens ipsos fideles

in peregrinatione hac laboriosa, « æquipotens », id est æqualiter potens auxiliari. Æquipotens dico, in genere : absolute namque loquendo, sacramentum Eucharistiæ est isto potentius. Juxta quem modum dictum est libro præcedenti, quod angeli diversorum chororum seu ordinum, sunt æquipotentes. *Chrismatis hostiam duces nostri quam nominant,* id est, « quam » operationem seu Dei effectum, « duces nostri », id est Apostoli et apostolici viri, « nominant hostiam chrismatis », id est sacramentum Confirmationis, quo consecramur ac deputamur Domino Deo nostro in milites ac pugiles spirituales.

*Partes itaque ejus in ordine secundum* A *sacras imagines intendentes,* id est, nos considerantes, « partes ejus », id est varias operationes sacramenti istius, « in ordine », id est per ordinem seu ordinate, « secundum sacras imagines », id est penes sensibilia signa et facta quæ adhibentur in Confirmatione ; *sic ad unum ipsius per partes hierarchicis contemplationibus ascendemus,* id est, consurgemus « contemplationibus hierarchicis », id est considerationibus consonis doctrinæ ipsius Ecclesiæ, « per partes », id est per spe- B culationem actuum Confirmationis, « ad unum ipsius », id est ad principalem ejus effectum ; vel, « ad unum ipsius », id est ad contemplationem institutoris ipsius.

# ARTICULUS XXXI

### MYSTERIUM TELETÆ MYRI, SEU FORMA RITUSVE CONSECRANDI CHRISMATIS.

DEINDE tangitur ritus seu forma consecrationis chrismatis.

*Juxta eumdem synaxeos modum, imperfectorum absolvuntur ordines :* hoc est, « ordines imperfectorum », id est congregationes imperfectorum, qui nondum aptati sunt personaliter adesse consecrationibus sacramentorum, « absolvuntur », id est excluduntur a chrismatis consecratione, « juxta modum eumdem » quo excluduntur a templo in consecratione « synaxeos », id est sacramenti Eucharistiæ, Evangelio scilicet lecto, ut in capitulo dictum est præcedenti. *Accedentibus scilicet et hierarchico in omne templum bene olenti ambitu, et psalmica sacra cantione, et divinissimorum Eloquiorum lectione :* id est, ipso hierarcha seu præsule procedente « in omne templum », id est per totam ecclesiam, « ambitu bene olenti », id est circuitione fragranti, videlicet cum thurificatione, « et cantione sacra psalmica », id est cum devota cantione C psalmorum, quos cecinit clerus, « et lectione divinissimorum Eloquiorum », id est lectione aliqua sumpta ex sacra Scriptura. His itaque accedentibus, excludebantur præfati.

*Deinde chrisma summus sacerdos accipiens, superponit divino altari circumvelatum a duodecim pennis sacris,* id est, illis peractis, præsul sumpsit chrisma mox consecrandum, superponens illud altari, obtectum et circumopertum duodecim pennis, in signum quod in Isaia fit mentio de D totidem pennis, ubi de Seraphim legitur : Sex pennæ uni, et sex pennæ alteri. *Is.* VI, 2. *Reboantibus simul omnibus sanctissima voce sanctum Deo acceptabilium Prophetarum inspirationis melodema :* id est, cunctis illis ministris devotissime concinentibus « melodema sanctum », id est canticum sacrum aliquod, « inspirationis », id est divinitus inspiratum : canticum, inquam, « Prophetarum acceptabilium Deo », id est alicujus illorum qui Deo accepti fu-

*Is.* VI, 3. erunt, ut est canticum illud Isaiæ : Sanctus, Sanctus, Sanctus, etc. *Et in ipso perficientem orationem complens*, id est, episcopus « complens orationem perficientem », id est, concurrentem et cooperantem ad perfectionem seu consecrationem tam plebis quam chrismatis, *in sanctissimis consecrandorum hostiis*, id est in materiis consecrandis divino cultui A dedicatis, quæ per orationes et benedictiones consecrantur, *eo utitur ad omnem fere hierarchicam perfectivam operationem*, id est, utitur chrismate consecrato in cunctis quasi actionibus quibus perficit alios per sacramenta : utputa circa baptizatos et confirmatos ; verumtamen non in Matrimonio et aliquibus aliis. Propterea dicit, « fere ».

# ARTICULUS XXXII

### THEORIA SIVE MYSTICA SIGNIFICATIO JAMJAM DICTORUM : ET PRIMO DE SIGNIFICATIONE OBVELATIONIS UNGUENTI.

CONSEQUENTER ponit horum theoriam, id est sapientialem et mysticam rationem vel significationem.

* igitur *Ipsa ergo* introductivæ consummativæ hujus sanctificationis anagoge*, id est, sursumductio et sapientialis significatio « sanctificationis hujus consummativæ », id est sacramenti hujus sanctificantis et perficientis, quia gratiam continet ac largitur, « introductiva » ad meliora et ad spiritualem victoriam ac bravium patriæ, quoniam in tentationibus roborat : hæc quippe significat, *per ea quæ secundum divinum chrisma sacre aguntur*, id est, per ea quæ fiunt chrismate sanctificato, in confirmato per illud a præsule ; *illud (æstimo) declarat*, id est designat, *quod circumvelatur in animo sanctis viris in omne sacrum* et bene redolens :* id est, gratia sacramentalis seu divinum chrisma suaviter redolens coram Deo, occulte collocatum est in cordibus eorumdem. *Quæ sanctificatio, imo Deus auctor sanctificationis, divinitus jubet*, id est, desuper præcipit, *sanctis viris*, imo cunctis bonis hominibus, *non manifestas habere in gloria vana, secundum virtutem occulti Dei bonas et suaveolentes similitudines*, id est actiones virtuosas Deo assimilativas non B manifestare ad gloriandum inaniter, aut propria laude : quæ designantur per balsamum chrismati mixtum, suaviter odorans. Unde Apostolus : Christi, inquit, bonus odor sumus in omni loco. Istud præcipit Christus in Matthæo : Attendite, dicens, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis. Actiones, inquam, « bonas secundum virtutem occulti Dei », id est secundum potentem gratiam incomprehensibilis Dei intus secrete agentis : cui loquitur Isaias, Vere C tu es Deus absconditus, Deus Israel.

* circumvelatur sanctis viris in animo sacrum

II *Cor.* II, 15, 14. — *Matth.* VI, 1. — *Is.* XLV, 15.

Sed objici potest quod in Matthæo loquitur Christus : Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem. Et respondendum, quod quædam sunt opera jussionis, ad quæ tenemur : quæ publice sunt agenda, quoniam ex eorum omissione possunt proximi scandalizari. Alia sunt opera supererogationis, quæ (prout bono modo fieri potest) sunt occultanda. Porro opera bona jussa, sic publice sunt agenda, ut D nec in eis propria commoda aut gloriam quæramus humanam, sed ut proximi ad Dei ædificentur honorem, quemadmodum Corinthiis scripsit Apostolus : Gratias Deo qui odorem notitiæ suæ per nos ostendit

*Matth.* V, 16. — II *Cor.* II, 14.

in omni loco. Hinc ait Gregorius : Sic sit opus in publico, ut intentio maneat in occulto : ut et de bono opere proximis præbeamus exemplum, et per intentionem, qua soli Deo placere optamus, semper optemus secretum.

*Mundæ enim sunt Dei secretæ et super animum suaveolentes pulchritudines :* id est, virtutes et actiones earum, decor et ornamentum supernorum charismatum, contemplationes et sanctæ affectiones, sunt puræ ac splendidæ super omnem naturalem ornatum, imo sublimius quam capere aut eloqui anima queat : quibus Dei *Ps.* xliv, 5. sponsa venustatur, cui et dicitur : Specie tua et pulchritudine tua intende prospere, procede, et regna. *Et invisibiliter ostenduntur solummodo intellectualibus :* id est, spiritualibus mentibus declarantur per gustum et participationem internam ; omnibus quoque suo modo panduntur per exteriorem exempli exhibitionem, et per sacramentalia signa. Pulchritudines dico, *conformes habere volentes per virtutem in animabus incorruptibiles imagines,* id est, exigentes « habere in animabus » fidelibus « incorruptibiles imagines », id est spirituales assimilationes perpetuas de per se, quamvis in peccantibus per accidens corrumpantur, « conformes » pulchritudini et decori Sanctorum, « per virtutem », id est per gratiæ firmitatem, seu per Dei potentiam, vel virtutum exercita- II *Cor.* iii, 18. tionem. Unde ait Apostolus : Nos revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur a claritate *Ps.* xliv, 14, 15. in claritatem ; et Psalmista : Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus, in fimbriis aureis, circumamicta varietatibus.

*Quæ enim Deum imitatur imago,* id est mens rationalis, imago Dei imitativa, Dei bonitatem, pietatem, caritatem, liberalitatem, justitiam ordinate sequens, et se illis pro posse conformans, sicut docet Salva- *Luc.* vi, 36. tor : Estote misericordes sicut et Pater vester cœlestis misericors est. Itemque : *Ibid.* 27, 28, 35. Diligite inimicos vestros, et benefacite illis ; benedicite maledicentibus vobis, et A eritis filii Altissimi, quia ipse benignus est super ingratos et malos. *Ad illam invisibilem et beneolentem adspiciens formam,* id est, divinæ et increatæ mentis dulcissimam formositatem contemplans jugiterque attendens, atque cœlesti Sponso dicens illud Canticorum, Ecce tu pulcher es, dilecte mi, et decorus ; *Cant.* i, 15. *sic se ipsam figurat et effingit ad formosissimam imitationem,* id est, componit et aptat se ad assimilationem cum Deo eximiam ; vel, « ad imitationem formosissimam », id est ad super- B pulcherrimum Deum quem imitatur, ut in creatura sua Creator per lineas imitationis speciose resplendeat, et anima ipsa per contemplationem splendifluam ferventissimumque amorem, in Creatorem et sponsum suum transformetur, et conquiescat in illo, obdormiens in dilecto, a quo gratiose præventa est. Qui in Jeremia ait ad eam : In caritate perpetua dilexi te, *Jer.* xxxi, 3. ideo attraxi te miserans.

*Et sicut in sensibilibus imaginibus,* id est exemplaribus, *semper ad primam* C *exemplarem speciem scriptor inflexibiliter intendit,* id est, assidue (hoc est diligenter) considerat dispositionem et decorem illius ad cujus assimilationem aliquid pingit, *ad nullum aliud visibilium retractus,* quamdiu sic occupatur, *aut secundum quid partitus,* id est, non pro parte divisus est, respiciendo ad alia ; *sed ipsum illum qui est describendus,* id est pingendus, *si justum dicere,* id est, si verum est sic loqui, imo quoniam verum est, ad bonum sensum, *effingit,* id est figurat, *et* D *ostendit alterutrum in alterutro,* id est unum in alio, ad hunc sensum, quoniam idem est motus in figuram et rem figuratam, et unum pro alio sumitur. Ideo ostendendo imaginem unius effigiatam ad imitationem alterius, dicitur unum in alio demonstrare. Sicque de duobus multum similibus dicimus : Vidistis istum ? illum vidistis. Sic et in Joanne asserit Unigenitus Dei, plena et naturalis imago Patris : Qui videt me, videt et Patrem. *Joann.* xiv, 9. Quod verum est de interiori visione, quum Pater

et Filius correlative dicantur, et unus per alium describatur. *Præter essentiæ differentiam.* Hoc additur, quia in creaturis tales, quantumcumque sint similes, substantialiter sunt diversi. Propter quod similitudo dicitur rerum differentium eadem qualitas : quanquam similitudo non sit realiter qualitas ipsa, sed relatio in qualitate fundata.

*Sic mundis in animo describit ipsa ad beneolentem et occultam formam intenta et inflexibilis contemplatio non errans, deiformissimorum phantasma :* hoc est, « contemplatio intenta » ac diligens, non reflexa (saltem ad tempus) ad alia, utputa non distracta, nec devians ad impertinentia, « describit mundis » corde, qui apti sunt contemplari, « phantasma deiformissimorum », id est conformitatem quamdam cum divinissimis rebus seu mentibus, « ad formam occultam et beneolentem », id est ad pulchritudinem Dei incomprehensibilem et supersuavissimam : quatenus simul cum mentibus sanctis assimiletur assidue magis ac magis Deo, cui in puritate et sanctitate semper plus conformari appetit et conatur, ab omni se satagens culpæ macula præservare, et contractas abstergere. Capitur autem « phantasma » hic metaphorice et extense : nam in spiritualibus proprie locum non habet. Sed sicut phantastici carnalesque amatores jugiter sunt intenti et occupati phantasmatibus et imaginationibus rerum quibus afficiuntur et involvuntur ; sic mundi corde et contemplativi, spiritualibus speciebus et pulchritudinibus interioribus, potissime superspeciosissimo Deo, stabiliter sunt infixi. Etenim ubi thesaurus ipsorum, ibi et cor eorum. *Matth.* VI, 21.

*Juste ergo* * *ad superessentialiter suaveolentem et invisibilem pulchritudinem,* puta *ad Deum conversi,* qui est essentialiter pulcher, idcirco est sua pulchritudo : et sicut ipse est intensive ac perfectionaliter infinitus, sic sua pulchritudo est perfective ac intensive immensa. Rursus, quemadmodum sua essentia est super om- A ne genus et speciem, super omnem essentiam et naturam, super omnem ambitum, legem ac ordinem rerum, sic et pulchritudo ipsius recte superessentialis vocatur. Hinc demum ipsum in se ipso clare et fruitive conspicere, est ineffabiliter et incomparabiliter delectabile, suave, jucundum. Sic igitur ad Deum conversi sapienter ac amorose, *intellectuale suum inconvertibiliter specificantes,* id est, partem suam intellectivam afficientes et formantes in Deo « inconvertibiliter », id B est firmissime et cum ingenti proposito nusquam discedendi ab illo, *nullam agunt in se Deum imitantium virtutum,* id est, nullum actum virtutum per quas imitamur Deum, exercent in se, *in adspiciendis (juxta Eloquium) hominibus,* id est, ad hoc ut ab hominibus adspiciantur ad propriam laudem, « juxta Eloquium », id est, prout hoc Scriptura docet et jubet observari, *tanquam* * *in imagine divino chrismati ab Ecclesia sacratissima circumvelata,* id est, sicut hoc designatur « in C imagine circumvelata », id est circumligata, « divino chrismati », id est, per hoc quod chrisma consecratum, est sensibilibus operimentis absconditum, « a sacratissima Ecclesia » et ex ordinatione ejusdem. *Matth.* VI, 1.

* igitur

* sed sancte inspiciunt tanquam

*Propter quod et ipsi, secundum virtutem, sanctum et deiformissimum intus Deum imitantis Deumque describentis animi sacre circumvelantes :* id est, idcirco et isti Christifideles « circumvelantes sacre », id est, humiliter occultantes, « sanctum et deiformissimum », id est D omne præcipuum culmen gratiæ eis collatum : culmen, inquam, « animi », id est mentis eorum, « Deum » interius « imitantis » et « describentis », id est, suo obtutui objicientis, ita quod jugiter pensant Deum sibi esse præsentem, cum Psalmista dicentes : Oculi mei semper ad Dominum. *Ps.* XXIV, 15. Et hoc agunt « secundum virtutem », id est, juxta quod possunt, vel secundum discretionem et humilitatem. *Ad solam respiciunt archiformem intelligentiam,* id est, principalem et increatam sapientiam

Dei finaliter dumtaxat attendunt, in cujus A præsentia atque intuitu verentur ac verecundantur se indecenter habere, ut cum Propheta unusquisque ipsorum psallere valeat : Servavi mandata tua et testimonia tua, quia omnes viæ meæ in conspectu tuo. De hac intelligentia reprobi in Sapientiæ libro fatentur : Sol intelligentiæ non est ortus nobis.

Ps. CXVIII, 168.

Sap. V, 6.

*Neque enim contemplatores tantum non sunt dissimilium,* id est, non solum non intuentur carnalia et terrena cum complacentia et affectu, *sed neque ipsi ad illo-* B *rum trahuntur visionem,* id est, in tantum fastidiunt ea, quod nec dignantur ea respicere ex affectu, et quantum possibile est illorum adspectum et usum vitari : quemadmodum in Vitis Patrum narratur de sanctissimo patre Silvano, abbate montis Sinai, quod si aliquando oportebat eum exire de cella, operuit faciem suam, dicens : Quid necesse est sensibilem istam lucem videre, in qua nihil est utile? Sic ergo non trahuntur ad illorum adspectum *sibimet consequenter,* id est, secundum C quod convenit eis, ne scilicet illa adspiciendo, distractionem mentis incurrant. *Neque visibilium decores bonorum et justorum, sed eorum quæ sunt vere, vere amant.* Hoc est : Non amant pulchritudines « visibilium bonorum » visibiliumve « justorum », id est eorum quæ videntur bona vel justa, et non sunt. Unde alia translatio habet, Putatorum bonorum; alia, Apparentium. Has non amant, in quantum a Deo impediunt. « Sed amant vere » pulchritudinem spiritualem et sanctam « eo- D rum quæ vere » et immortaliter « sunt », præsertim eorum quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, juxta quod scriptum est : Domine, dilexi decorem domus tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ.

I Cor. II, 9.

Ps. XXV, 8.

*Neque** *gloriam vident a multitudine irrationabiliter beatificatam,* id est, gloriam sæculi hujus non intuentur per complacentiam : quam gloriam multitudo vanorum et insipientium hominum amat et appretiatur, in quibus complebitur quod in Osee Dominus comminatur : Gloriam eorum in ignominiam commutabo. Denique de beatificantibus gloriam istam, et de beatificatis in ea, Deus apud Isaiam loquitur : Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt. De qua ipsa sancta Esther confessa est Deo : Tu scis quod oderim gloriam iniquorum. De qua primo Machabæorum libro monetur : A verbis peccatoris ne timueritis, quoniam gloria ejus, stercus et vermis ; hodie extollitur, et cras non invenietur. Potest autem in his gloria accipi variis modis, utputa pro fama grandi, pro gloriatione inani, pro excellentia, pro objecto gloriandi.

* Nec

Osee IV, 7.

Is. III, 12.

Esther XIV, 15.

I Mach. II, 62, 63.

*Sed bonum aut** *malum in se ipso divina imitatione judicantes :* id est, non superficie tenus judicant aliquid esse bonum aut malum moraliter, sed cum debita perscrutatione aut inquisitione, secundum naturam seu rationem rei in se ipsa, secundum quod Deus judicat de rebus, prout primo libro Regum ait : Non secundum intuitum hominis ego judico; homo enim videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor. Hincque in Joanne ait Salvator : Nolite secundum faciem judicare, sed justum judicium judicate. *Agalmata divina sunt,* id est imagines Dei quem taliter imitantur : unde alia translatio continet, Divina simulacra ; *divinissimæ beneolentiæ,* id est suavitatis divinæ, quam et participant, ita quod intra se dulces sunt, et cum aliis pie ac dulciter conversantur, sicut ait Scriptura : Vir doctus et sapiens suavis est animæ suæ.

* vel

I Reg. XVI, 7.

Joann. VII, 24.

Eccli. XXXVII, 22.

*Quæ,* scilicet suavitas increata, *ex se ipsa verum bene olax habens,* id est naturam substantialiter dulcem, imo superdulcissimam ac infinite bene fragrantem, cujus exigui rivuli sunt universæ suavitates creatæ. Cui in libro Sapientiæ dicitur : O quam bonus et suavis est, Domine, spiritus tuus in omnibus! In Canticis quoque : Oleum effusum nomen tuum. *Ad multis dissimiliter opinabile non convertitur,* id est, non se vertit nec movet « ad

Sap. XII, 1.

Cant. I, 2.

opinabile multis dissimiliter », hoc est ad A dulce creatum apparens, de cujus dulcedine diversi diversimode opinantur : cujus nec eget. *Veris suis pulchritudinibus unum formans, quod est sine simulatione.* Pulchritudo Dei increata, in se ipsa est una : ideo, si pluraliter designetur, hoc erit per respectum ad creata. Sicque pulchritudines Dei intelligi possent ideales rationes mentis divinæ, quibus pulchre format creata, non tamen ficta aut simulata, secundum quod talia. Planius autem loquendo, veræ pulchritudines Dei in Ecclesia appellantur gratiæ ac virtutes, quibus Deus format et venustat unum in genere, quod est vere non ficte pulchrum, videlicet omne quod taliter pulchrum est, omnem scilicet mentem creatam gratiis decoratam, cui in Canticis dicit : Ecce tu pulchra es, amica mea, ecce tu pulchra. *Cant.* I, 14.

De hac re, hoc est de pulchro et pulchritudine, qualiter competant Deo, infra in libro de Divinis nominibus est pertractandum.

# ARTICULUS XXXIII

### DE ALIA RATIONE MYSTICA OBVELATIONIS UNGUENTI.

* Fer eia

FER * *reliquum.* Alia littera habet, Age. B Sicque quod ait, Fer, potest esse verbum, et item adverbium, ut sit sensus : Da quod restat; vel, Eia aggrediamur quod superest. *Quoniam exterius pulchritudinem contemplati sumus totius bonæ et sacræ actionis,* id est, quia jam consideravimus exteriorem decorem operationum mysterii hujus, *in diviniorem ejus respiciemus formam,* id est, interiorem et altiorem decorem ejus pensabimus et significantiam præclariorem, *ipsam in se ipsa revelato velamine* contemplantes,* hoc est, C considerantes hanc formam in se, quia velamen illud quo tegebatur et celabatur, expositum est. Formam, inquam, ipsius *beatam,* id est ad beatitudinem obtinendam cooperantem ac disponentem, *splendentem* oculo illustrato, *manifeste claram* spiritualibus sacerdotibus, in sacramentalibus rite instructis, *et incircumvelate intellectibus,* id est mentibus quæ sine velamine sensibilium tegumentorum capere queunt divina, *replentem nos suaveolentiæ,* id est spirituali dulcedine, in horum D sincera contemplatione ac sacra participatione.

*revelatam velamina

*Neque enim manifesta myri perfecta operatio.* Alia littera planior est, et istam quasi exponit : quæ est, Neque enim visibilis illa unguenti confectio, invisibilis est. *His qui circa antistitem* sunt,* id est sacerdotibus adstantibus præsuli conficienti benedicentique chrisma, *incommunicabilis est aut invisibilis; sed econtrario usque ad eos perveniens,* id est, ipsis ad oculum apparens, *et statuens super multos contemplationem,* id est, inspectionem sui firmans et imprimens ipsis (sicut objectum visibile imprimit adspectum sui in adspicientes in ipsum, per hoc quod radii visuales ab objecto derivantur in intuentium visum), « super multos », id est præ multis vulgaribus qui ab ista inspectione excluduntur : de quibus subjungitur, *ab ipsis sacre circumvelatur,* id est, juste absconditur illis vulgaribus, *et ex multitudine hierarchice distinguitur,* id est, visio confectionis istius religiose separatur et tollitur a prædictis. Cujus ratio subditur spiritualis.

* summum sacerdotem

*Divinis enim* viris sacratissimorum radius, tanquam congenerationi ab invisibili luce, pure et immediate elucens,*

* autem

*et intellectuales eorum receptiones incircumvelate suavificans, ad subjectum non prompte provenit**. Hoc est : « Radius sacratissimorum », id est immateriale lumen seu spiritualis intelligentia sanctissimorum sacramentorum mysteriorumque Christi, « elucens », id est, ad illustrandum procedens et emicans, « pure et immediate », id est sine involutione phantasmatum, « viris divinis », id est contemplativis et sanctis, « tanquam congenerationi ab invisibili luce », id est tanquam nationi puræ, et aptæ ac conformi ad illuminationem tam puram ac eminentem. Hinc alia translatio habet, Tanquam cognatis ; alia, Ut propinquis. Etenim actus et influentiæ agentium et illustrantium, fiunt et sunt in patiente ac recipiente disposito. Qui radius « suavificans », id est, suavia faciens corda suscipientium ipsum, « incircumvelate », id est spiritualiter ac pure in Deo, « ad subjectum non prompte provenit », id est, tam pure et celeriter non descendit in inferiores qui non solum gradu, sed merito quoque sunt inferiores. Frequenter tamen subditi sunt præsidentibus sublimiores caritate et meritis : tuncque radius illuminationis supernæ, purius, copiosius atque celerius pertingit ad eos, præsertim illuminatio illa quæ ad dona pertinet gratiæ gratificantis.

*pervenit

*Sed ab ipsis,* utputa viris divinis, *ut secretorum invisibile contemplantibus,* id est tanquam a contemplatoribus invisibilis Dei, revelatoris occultorum ac mysticorum, *sine pompa, dissimilibus incontaminabile sub pennatis ænigmatibus cooperitur :* hoc est, « incontaminabile », id est sacramentum chrismatis in se purum et sanctum, quod in se ipso non inquinatur vitiis ministrorum aut suscipientium illud, « cooperitur », id est tegitur, « dissimilibus », id est vulgaribus, « sine pompa », id est aspernatione eorum, « sub ænigmatibus », id est operimentis, « pennatis », id est pennarum, seu factis de pennis aut alis. Boni quippe superiores non se præferunt superbe subditis suis : quia etsi sciant se illis majores in prælatione vel quibusdam donis gratiæ gratis datæ, nesciunt tamen an illis majores sint in donis gratiæ gratum facientis. Et dato quod in utrisque scirent se eminentiores, nihilo minus spectaret ad eos implere quod scriptum est : Quanto major es, humilia te in omnibus. Et rursus, quo plura ac majora desuper dona sumpsissent, tanto plus grati ac subditi tenerentur esse Deo in vera humilitate atque timore : quoniam cui plus datum est, plus requiretur ab eo. *Per quæ sacra ænigmata, subjectorum bene ornati ordines,* id est congregationes subditorum bene dispositæ, *reducuntur ad suam sacram analogiam,* id est ad cognitionem et participationem sanctam sacramenti istius eis proportionatam : quia, ut dictum est primo præcedentis libri capitulo, impossibile est aliter nobis splendere divinum radium, nisi circumtectum variis velaminibus sensibilium formarum.

Eccli. III, 20. — Luc. XII, 48.

Quocirca quæritur quomodo illa auctoritas et verba hujus capituli simul stent, quum jam dictum sit hic : In diviniorem ejus respiciemus formam, ipsam in se ipsa revelato velamine contemplantes, beatam, splendentem, manifeste claram, incircumvelate intellectibus. Item : Divinus, inquit, radius spiritualium contemplationum, viris lucet divinis sine velamine ; aliis vero occultatur velaminibus symbolorum, id est sensibilium similitudinum et signorum. Atque ut patet ex dictis et dicendis, frequenter hinc inde scribit et docet hoc, prout clarissime patet in libro de Mystica theologia.

Verum ad istud responsum est in expositione primi capituli Angelicæ hierarchiæ. Nempe auctoritas ibi conscripta, intelligitur de nostra cognitione quoad primam adeptionem seu acquisitionem notitiæ divinorum et incorporalium rerum. Aliæ auctoritates intelliguntur de perfectiva notitia veritatis eorum qui in scientiis sunt instructi. Cui responsioni

concordans Albertus : Quantum ad principium, ait, acceptionis scientiæ, oportet quod per sensibilia accipiant, per quæ viri divini ad divinorum veritatem sine velatione pertingunt, sicut hoc loco B. Dionysius asserit.

# ARTICULUS XXXIV

## DE MYSTICA SIGNIFICATIONE THURIFICATIONIS, ET CANTUUM LECTIONUMQUE SPIRITUALIUM MIRA EFFICACITATE.

*EST ergo, quod quidem dixeram, nunc laudanda nobis sacra teletæ operatio,* id est, a nobis nunc commendanda est, sicut prædixi, « operatio sacra teletæ », id est mysterii hujus, *consummativæ hierarchicorum ordinationis et virtutis,* id est, dispositionis hierarchialis seu ecclesiasticæ, « et virtutis » seu potestatis, « consummativæ », id est perfectivæ, « hierarchicorum » actuum : quia per hoc sacramentum baptizati et communicantes p. 475 A'. perficiuntur, et ut habitum est, usus sacramenti istius pene in omnibus aliis adhibetur.

*Propter quod et hanc divini duces nostri, tanquam æquipotentem et eadem peragentem, synaxeos sacræ perfectioni, eisdem characteribus per multa, et mysticis dispositionibus et sacris orationibus, ordinaverunt.* Id est : Ob causam præhabitam et expressam, « duces nostri divini », puta Apostoli, « ordinaverunt hanc » consecrationem, « sacræ perfectioni synaxeos », id est Eucharistiæ sacramento nos perficienti, « tanquam æquipotentem » in genere, et quantum ad aliquid, sicut modo expositum est, « et eadem peragentem », id est consimilia quædam cum his quæ efficit Eucharistia. Ordinaverunt ergo et consecraverunt hoc chrismatis sacramentum « characteribus », id est signaculis crucis, « eisdem, et dispositionibus mysticis », id est variis actibus qui fiunt circa consecrationem et usum et ritum sacramenti istius : qui actus spiritualia quædam designant, ut partim jam patuit, pleniusque patebit ; « et orationibus sacris », per quas consecratur chrisma et benedicitur.

*Et quidem summum sacerdotem, tanquam ipsis adspectibus, ex diviniori loco bonam suaveolentiam in ea quæ deinde sunt, sancte* proferentem, et ad se resolutione docentem :* id est, quod pontifex residens in loco altiori et sacratiori, in quo repræsentat suo adspectu et apparatu personam Dei, venit thurificando, odorem suavem efficiens, primo superius, deinde in stantes inferius seu in vulgares, sicque superius rediens, per iter suum in id unde descendit, resolvens : hoc designat et docet *divinorum participationem similiter* omnibus quidem fieri sanctis,* non tamen æqualiter : ideo additur, *juxta dignitatem,* id est secundum singulorum capacitatem, præparationem, merita, et conatum. Non enim est personarum acceptor Deus ; sed bonitatem suam communicat et gratiarum præstat charismata, juxta recipientium diligentiam et affectum. *Indiminutam vero esse et immutabilem* omnino,* id est bonitatem Dei immensam, in se ipsa manere prorsus invariatam, inexhaustam et imminoratam, quum nec sol iste corporeus luminis sui patiatur ullam minutionem, illud undique copiose ac largiflue diffundendo, neque vir bonus et eruditus suæ virtuositatis ac sapientiæ dispendium sustinet, proximos ædificando ac instruendo ; *et æqualitate secundum divi-*

* sancta

* simul

Act. x, 34.

* incommutabilem

*nam collocationem proprietatis incommutabiliter stantem :* id est, invariabiliter subsistentem « secundum collocationem divinam », id est secundum permanentiam quæ æternaliter manet et quasi sita est in propria infinitate, atque in regione lucis immensæ : quæ regio est ipsemet supergloriosissimus Deus, qui inaccessibilem, teste Apostolo, habitat lucem ; « æqualitate proprietatis », id est uniformi natura suæ propriæ immobilitatis. (I Tim. VI, 16.)

*Desiderio autem iterum, Eloquiorum cantus et lectiones imperfectos quidem erudiunt :* hoc est, « cantus et lectiones » Scripturarum in consecratione sacramenti istius, « erudiunt imperfectos desiderio », et causando et provocando in eis inclinationem et aliquantam affectionem ad Deum et sacramenta ; *ad vivificam* filiolitatem,* id est ad regenerationem salubrem per quam filii Dei adoptivi constituuntur. *Conversionemque sanctam faciunt pollute,* id est maculatæ conversationis, *energumenum ; auferuntque contrariam vel qualemcumque tractam ex insania* energumenis,* id est, tollunt dispositive qualitatem virtuti oppositam, vel aliam qualemcumque infectionem aut pronitatem ad malum, contractam « ex insania energumenis », id est ex insaniente seu furente libidine, excæcante eum qui adhuc intus laborat ex hujusmodi quavis infectione ; *deiformis habitus et virtutis sublimissimum proportionaliter eis ostendentes,* id est, cantus isti et lectiones, seu ipsi cantantes, « ostendentes eis », videlicet imperfectis, « proportionaliter », id est secundum mensuram capacitatis eorum, « sublimissimum », id est valde sublimem perfectionem, « deiformis habitus », id est sapientiæ salutaris, seu habituationis ipsius intellectus in omni habitu et actu ad ejus perfectionem spectante, « et virtutis », potissime caritatis, omnisque virtuositatis vim affectivam perficientis.

* viviferam

* insane

*Juxta quam terrebunt maxime ipsi contrarias virtutes,* id est, imperfecti isti sic conversi, idonee proficiendo terrebunt, Deo auxiliante, malignos spiritus, qui timebunt vinci ab eis, juxta illud Apostoli : Deus conteret Satanam sub pedibus vestris velociter. (Rom. XVI, 20.) Affliguntur equidem invidissimi dæmones humilitate et condigno conversorum pœnitentiumque profectu. Vel, cantus isti et lectiones, virtute sanctorum verborum ac devotione cantantium, terrebunt adversarias potestates : quæ et sonitu campanarum et organorum suo modo terreri dicuntur. *Et aliorum medicinam præstabunt,* id est remedia contra tentationes et vitia, juxta illud Apocalypsis : Collyrio inunge oculos tuos. (Apoc. III, 18.) Idcirco in libro Sapientiæ legitur : Sermo tuus, Domine, curat omnia. (Sap. XVI, 12.) *Divina imitatione,* id est sicut et Deus qui principaliter facit hoc, ac miram efficaciam concessit Scripturis. Vel, « imitatione divina », id est per hoc quod inducent homines ad Dei imitationem. *Immobile quidem,* id est, firmam et inconcussam dabunt constantiam et mentis immobilitatem in Deo, *ex propriis bonis,* id est saluberrimis et confortativis doctrinis et hortamentis, quæ in Scripturis abundant ; *ad vero contrarios tumultus,* id est adversus insultationes ac strepitus adversantium humanæ saluti, *activum non habentes tantum,* id est, non solum continent vim bene agendi ac resistendi, et hoc, per significationem, *sed et donantes* aliis, quos instrumentaliter ac dispositive confortant. Denique in verbis formarum sacramentorum maxima vis est.

Hinc Damascenus quarto libro disseruit : Optimum et utilissimum est divinas investigare Scripturas. Sicut enim lignum secus decursus aquarum plantatum, ita et anima sacris irrigata Scripturis saginatur, et fructum temporaneum tribuit, fructuosisque actibus decoratur. (Ps. I, 3.) Ad actionem etenim virtuosam et contemplationem immaculatam, ex sacris Scripturis dirigimur. Pulsemus ergo ad paradisum optimum Scripturarum, qui odoriferus, qui dulcissimus, qui speciosissimus, qui omnimode intellectualium deiferarum volucrum cantilenis circumsonat auribus nostris, qui

tangit cor nostrum, et contristatum quidem consolatur, iratum substernit, afflictum æterna implet lætitia, præsumptuosum efficit timoratum, et superbientem humiliat.

*His autem in intellectum divinum ex pessimis transeuntibus, habitum sacrum imponunt.* Id est : Scripturæ « imponunt habitum sacrum », id est pœnitentiæ virtutem et lugubrem ac humilem apparatum, « his », id est quibusdam, « transeuntibus » per mentis conversionem, « in intellectum divinum », id est ad divinæ B mentis notitiam et amorem. Vel, « in intellectum divinum », id est ad proprii intellectus reformationem, ut fiat divinus et contemplativus, qui fuit bestialis : unde subjungit, « ex pessimis », scilicet moribus ; vel, « ex pessimis », id est consortio pessimorum inter quos fuerunt. De quibus in prima sua epistola ait Archiapostolus : (*I Petr.* IV, 4.) Mirantur modo, non concurrentibus vobis in eamdem luxuriæ confusionem. *Ad non iterum sub malitia errandum,* id est, ut non rursus errent a via salutis « sub ma- C litia », id est sub jugo impietatis. (*Joann.* VIII, 34.) Qui enim facit peccatum, servus est peccati.

*Quosdam vero*, ut sint castissimi, indigentes, consummate absolvunt,* id est, aliquos « indigentes » gratia ampliori, « absolvunt », id est, a nexu imperfectionum suarum eripiunt, « consummate », id est perfecte : quos ad reformationem ducunt plenariam, juxta illud ad Colossenses : (*Coloss.* I, 22.) Exhibete vos sanctos, et immaculatos, et irreprehensibiles coram Deo. *Quosdam sacros ducunt in divinas imagines,* id est D ad angelicarum mentium puritates, ita quod conversationem habent proximam angelis, *et inspectiones,* id est contemplationes, *earum,* id est ad contemplationem cœlestem et angelorum intuitionem : in quorum persona asseruit Paulus, (*Philipp.* III, 20.) Nostra conversatio in cœlis est ; *et communicationes,* id est ad actiones actibus illorum conformes, ita quod proximis dona sibi collata amorose communicant (juxta illud : (*I Petr.* IV, 10.) Unusquisque sicut accepit gratiam, in al- A terutrum illam administrantes), et pro posse purgant, illuminant, perficiuntque confratres.

* alias om. *vero*

*Reficiunt autem quosdam sacratissime in beatis invisibiliter contemplationibus,* id est, Scripturæ mundos corde saluberrime alunt, recreant, refrigerant, roborant « invisibiliter », id est spiritualiter, « contemplationibus beatis ». Hi sunt qui in præsenti inchoant vitam cœlestem, quibus per Christum crucifixus est mundus, et ipsi mundo (*Galat.* VI, 14.) : qui per donum sapientiæ et mysticam theologiam, intenti sunt contemplationibus supergloriosissimæ Trinitatis ac simplicissimæ Deitatis ; et qualiter Unigenitus Dei æternaliter superincommutabiliter generetur a Patre, et Spiritus Sanctus profluat ab utroque ; qualiter hæ supersublimissimæ Personæ se invicem æternaliter intueantur, diligant, perfruantur ; quam reverenter atque attonite tota illa curia triumphantis Ecclesiæ, contemplationi, admirationi, dilectioni, venerationi ac laudibus illius summæ Trinitatis inavertibiliter, indefesse ac gaudiose stet infixa. De hac refectione viæ ac patriæ loquuntur Scripturæ, sicut in Canticis : Comedite, amici, et bibite. (*Cant.* V, 1.) Per Isaiam quoque Dominus ait : Ecce servi mei comedent, et laudabunt præ exsultatione cordis. (*Is.* LXV, 13, 14.) Atque in Psalmo : Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos (*Ps.* XXXV, 9.) ; itemque : Quam dulcia faucibus meis eloquia tua ! super mel ori meo. (*Ps.* CXVIII, 103.)

*Complendo uniforme eorum,* id est partem intellectivam in Deo jam tranquillatam, *uno et unificante*,* utputa illo uno de quo Unitas summa in Evangelio deprompsit : Unum est necessarium. (*Luc.* X, 42.) Quod repletos a se unificat in se, id est, reducit, simplificat ; et per caritatem omnes tales facit unum in se et inter se, sicut apud Joannem protestatur : Omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me, et ego in te, ut sint consummati in unum. (*Joann.* XVII, 21.) Juxta hunc modum, multitudinis credentium erat cor unum et anima una. (*Act.* IV, 32.) Denique hoc uno

* *unificantes*

Deus omnipotens replet quosdam tam copiose, ut ferre non queant exuberantiam tantam, viribus deficientes, atque dicentes : Domine Deus, contine undas gratiæ tuæ. In quorum persona locutus est Jeremias : Factus est sermo Domini in corde meo quasi ignis exæstuans, claususque in ossibus meis; et defeci, ferre non sustinens. Et Psalmista : Inflammatum est cor meum, et renes mei commutati sunt; et ego ad nihilum redactus sum, et nescivi. De hoc gloriosus hic auctor infra, tractatu de Mystica theologia, profundius scribit, ut ibi Deo præstante patebit.

*Jer.* xx, 9. *Ps.* lxxii, 21, 22.

# ARTICULUS XXXV

## DE EXCLUDENDIS AB INTUITU CONSECRATIONIS SACRI CHRISMATIS, ET DE IPSIUS CHRISMATIS COMPOSITIONE ET MYSTICA SIGNIFICATIONE.

SEQUITUR de exclusione quorumdam ab intuitu sacramenti istius.

*Quid autem?* id est, quid dicturus sum hic, nisi quod subditur? *Nonne et non omnino puros,* id est imperfectos et catechumenos ac energumenos, *quorum jam memoriam fecimus, ordines clare absolvit, secundum eumdem synaxeos modum, præsens nunc sancta teletæ operatio?* id est, utique « sancta operatio », id est consecratio, « præsens », id est, de qua nunc tracto, utpote « teletæ » sacramenti chrismatis, « absolvit », id est a perfectis egredi jubet, « ordines non puros omnino », id est ordinatos et constitutos in congregationibus imperfectorum dictorum, « secundum eumdem modum synaxeos », id est juxta prætactum modum quo in celebratione Eucharistiæ exire præcipiuntur. *Solis in imaginibus videns obtutibus divinis,* id est, operatio ista, seu Ecclesia operans ista, « videns » nunc ecclesiastica sacramenta « divinis obtutibus », id est devotis inspectionibus, « in imaginibus solis », id est tantum sub sensibilibus signis et sacramentalibus symbolis, a quorum intuitu corporali etiam præfatos excludit; *et a solis immediate divinis* sacratissimis hierarchicis anagogis inspecta et sacrificata,* id est, mysteria ista immediate inspiciuntur et consecrantur « a solis » viris « divinis », valde sacratis « anagogis hierarchicis », id est sursumductionibus contemplativis ecclesiasticis : qui viri exteriora sacramentalia signa corporaliter intuendo, spiritualiter elevantur, et contemplantur contenta sub exterioribus formis ac signis. Verum, sicut interdum præhabitum est, hoc oportet sane intelligi : quia non solum a justis, sed etiam ab impiis sacramenta Ecclesiæ vere consecrantur et administrantur de facto, non de jure, imo indecenter et vitiose.

* alias om. *divinis*

*Hæc ergo jam sæpe a nobis dicta, superfluum nobis est, ut æstimo, eisdem revolvere verbis :* unde apparet quod sub aliis verbis cum additione seu subtractione aut interpositione moderatis, possint utiliter repeti; *et non ad ea quæ deinde sunt transcendere,* id est non procedere ad ea quæ restant dicenda, istis transcensis, *summum sacerdotem divinitus videntes, a duodecim pennis circumvelatum habentem divinum myron,* id est, nos « videntes sacerdotem summum divinitus », id est episcopum ex divina ordinatione supremum, « habentem myron », id est chrisma divinum, circumligatum « a duodecim pennis » materialiter, id est totidem alis, *et sanctissimam in eo consummationem sacrificantem*,* id est, sacre efficientem « in eo », id est per ipsum

* *sanctificantem*

chrisma, « consummationem », id est perfectionem in confirmatis, sicut expositum est.

* Dicamus igitur

*Videamus ergo* quomodo est myri compositio,* id est, confectio chrismatis ex quibus fiat materiis. *Congregatio quædam est bene spirantium materiarum, in se copiose habens qualitates odoriferas,* id est, fit quædam collectio specierum suaviter fragrantium, *quantum accipientes olfaciunt secundum analogiam tanto ingenitæ eis bono odore participationis :* id est, quanto plus aliqui sumunt de illis odoriferis materiis secundum congruam proportionem commixtionis ipsarum, « tanto » efficiuntur « odore bono participationis ingenitæ », id est, communicationis quam faciunt illæ materiæ ex sua natura.

*Credimus autem esse divinissimum Jesum superessentialiter suaveolentem,* id est, credimus quod Jesus unigenitus Dei, secundum naturam suam divinam sit substantialiter dulcis in se, penitusque infinitæ dulcedinis : qui secundum suam humanitatem participavit dona divina tam gratiæ quam gloriæ, et perfectiones ac proprietates divinas ineffabiliter præ cunctis creatis. Propter quod, secundum assumptam naturam, divinissimus nuncupatur. *Invisibilibus distributionibus intellectuale nostrum replentem divina delectatione,* id est, implentem partem nostram intellectivam consolatione interna per invisibilia munera gratiæ ac virtutum atque donorum : in quorum actibus consistunt delectationes spirituales valde, præsertim in actibus sapientiæ et caritatis, quum et, teste Philosopho, philosophia habeat delectationes admirabiles sibi admixtas. Propterea in Ecclesiastico dicitur : Benedic Deum inebriantem te ab omnibus bonis suis. Præterea advertendum, quod delectatio vocatur divina dupliciter : primo, quoniam est de divino et increato objecto ; secundo, quoniam est de creatis objectis in Deo, secundum Deum, seu per respectum ad eum.

Eccli. xxxii, 17.

*Ipsa enim sensibilium suavitatum assumptio,* id est experientia seu odoratio, *saturitatem facit,* id est repletionem in olfactu, *et nutrit cum delectatione multa olfacientium discretivum,* id est sensum olfactus, quo percipiunt et discernunt odores. Et plane, sicut mirabiliter afflictivus est fœtor, sic vehementer delectat odor prædulcis : quo quidam interdum tam valde fuerunt recreati, repleti ac refecti, quod multis diebus nec cibum sumpserunt, nec potum, imo nec appetierunt. *Siquidem ille sumpsit*, et ad bene olax in commensuratione compactum,* id est, discretivus odorum hausit « bene compactum », id est odorem sibi convenientem, « in commensuratione », id est in habitudine et proportione ad dispositionem sui olfactus.

* Siquidem illæsum sit

*Et proportionaliter, si quis dixerit intellectuales nostras virtutes adversus in malum minorationem incorruptibiliter dispositas,* id est, « si quis » juxta modum hujus proportionis quæ est inter olfactum corporalem et spiritualem, « dixerit » vires « nostras intellectuales dispositas incorruptibiliter adversus minorationem », id est inclinationem et defluxionem, « in malum » culpæ, ita quod quamvis naturalis inclinatio, aptitudo, capacitas intellectus nostri ac voluntatis ad scientiam ac virtutes, possint per errores et vitia debilitari, infici, inhabilitari, non tamen totaliter destrui et auferri : quod verum est ; *in ipsa in nobis discretivi naturali valetudine,* id est in vigore naturali nostræ rationis, qua discernimus inter bonum et malum, inter verum et falsum, inter bonum et melius ac optimum, et inter malum et pejus ac pessimum ; *secundum deificas mensuras,* id est secundum gradus dispositionum in naturalibus, prout unus est acutioris ingenii meliorisque indolis quam alter : quod est secundum mensuram divinæ donationis, juxta illud Sapientiæ, Puer eram ingeniosus, et sortitus sum animam bonam. Et in libro de Civitate Dei asserit Augustinus : Ingeniosum nasci, est felicitatis. Vel, « secundum

Sap. viii, 19.

mensuras deificas », id est connaturales et innatos habitus primorum principiorum, tam in speculabilibus quam in agibilibus : ex quibus habitibus naturaliter et (quantum ad fundamentum) incorruptibiliter inclinationem, aptitudinem seu capacitatem habemus ad verum et bonum. Hinc subditur : *et coadunatam animi ad Deum conversionem,* id est secundum ordinationem naturalem mentis creatæ ad Creatorem. Effectus quippe naturaliter ad suam convertitur causam. *In receptione divinæ suaveolentiæ fieri,* id est ad recipiendum et experiendum dulcedinem Dei, juxta illud Psalmi : Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine ! (Ps. xxx, 20.) *Et beneficentia* sacra impleri,* (* benefacientia) id est affluentia beneficiorum Altissimi, qui dat omnibus affluenter, (Jacob. I. 5.) *et divinissimo alimento :* de quo dicitur in Oratione dominica, Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie. (Matth. VI, 11.) Qui panis est Christus, qui ait in Joanne : Ego sum panis vitæ. (Joann. VI, 35, 48.) Divinissimum quoque alimentum, est Eucharistiæ sacramentum, contemplatio Dei, confortatioque Spiritus Sancti.

*Non ergo myri symbolica compositio, tanquam informatione informium, ipsum nobis describit* Jesum,* (* subscribit) id est, confectio ista Christum « non describit », id est, non designat nobis Jesum inconvenienter, velut si informia significentur per formata, intelligendo per informia, ea quæ non habent figuram aut formam eis congruentem. Dicitur quoque compositio myri seu chrismatis « symbolica », quia sensibilibus rebus et signis ac verbis consecratur et operitur. Compositio ergo myri significat Jesum, quia per res odoriferas ex quibus conficitur, congruenter et evidenter Christus insinuatur.

Significat igitur Jesum *fontem exsistentem divinarum suavium receptionum divitem,* id est spiritualium dulcedinum desuper influxarum et in mentibus creatis receptarum, quum ipse sit causa prima ac principalis omnium actionum bonarum et convenientium objectorum. Est enim

A exuberantissimus fons omnis boni. De quo in libro de Causis asseritur : Primum est dives in se, et dives in aliis. Qui juxta Apostolum ad Romanos, est dives in omnes qui invocant eum. (Rom. X, 12.) *Proportionibus divinis ad deiformiora intellectualium reddentem,* id est, qui reddit mentem creatam aptiorem quam fuit vel ex se est, « ad deiformiora », id est diviniora objecta seu opera, « intellectualium » naturarum aut contemplationum, juxta illud Apostoli : Deus aptet vos in omni bono. (Hebr. XIII, 21.) Et in Joanne

B dicitur : Non potest homo accipere quidquam, nisi fuerit ei datum de cœlo. (Joann. III, 27.) Hoc vero facit Christus « divinis proportionibus », id est sanctis coaptationibus, per quas efficit convenientem habitudinem et præparationem ad altiora suscipienda et exercenda, juxta illud : Omnem qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat. (Ibid. XV, 2.)

*Divinissimos declarantem vapores,* id est, ostendentem ac impertientem mentibus depuratis spiritualissimos odores super-

C percœlestium suavitatum, ita quod spiramentum illarum venit ad eas in isto exsilio : quo recreati singuli talium clamant ad Sponsum, Trahe me post te, curremus simul in odorem unguentorum tuorum. (Cant. I, 3.) De talibus Sanctis veteris legis dicitur ad Hebræos : Juxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, (Hebr. XI, 13.) sed a longe eas adspicientes et salutantes. Hinc rursus in Canticis sponsa loquitur Sponso, cœlesti odore tantisper attracta : Odor unguentorum tuorum super

D omnia aromata. (Cant. IV, 10.)

*In quibus animi benefice* delectati,* (* pacifice) id est, quibus odoribus et fragrantiis spiritus rationales ex beneficentia Creatoris gratiose et deliciose refecti, juxta illud Psalmi : Parasti in dulcedine tua pauperi, Deus ; (Ps. LXVII, 11.) *et divinis assumptionibus repleti,* id est Spiritus Sancti visitationibus refecti, quibus elevantur et assumuntur ad Deum, secundum illud in Psalmo : Domini est assumptio nostra ; (Ps. LXXXVIII, 19.) et rursus, Beatus quem elegisti et assumpsisti. (Ps. LXIV, 5.) *Esca invisi-*

*bili utuntur*, id est internis et secretis alimoniis, quæ sunt actus virtuosi, affectus flammigeri, consolationes supernæ, quibus mens alitur, roboratur, gaudet, crescit, et ad staturam perducitur elegantem. Unde apud Joannem Salvator fatetur : Meus cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei. (*Joann.* IV, 34.) His alimoniis vescuntur comprehensores in patria satietate sobriissima et perfecta. Porro nos catelli pauperculi, utcumque et interdum reficimur de micis cadentibus et descendentibus de mensa dominorum nostrorum. (*Matth.* XV, 27.) Quorum unus in libro Tobiæ fassus est : Ego cibo et potu invisibili utor. (*Tob.* XII, 19.) Unde et mystice fertur in Psalmo : Parasti cibum illorum, quoniam ita est præparatio ejus. (*Ps.* LXIV, 10.)

*Ad intellectuale eorum introitu*, id est ingressu divinæ visitationis seu Spiritus summi visitantis in intellectivam partem ipsorum, qui ingrediendo spargit suavi- A tatis suæ participationes in illos. Hinc subditur : *juxta divinam participationem suaveolentium distributionum*, id est secundum mensuram communicationis divinarum suavitatum in mentes hujusmodi, quibus quo copiosius dona hæc infunduntur, eo exuberantius oblectantur, imo et alios consolantur, dicente Apostolo : Benedictus Deus qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, ut possimus et ipsi consolari eos qui in omni pressura sunt. (II *Cor.* I, 3, 4.) Sic frequenter refecit et exhilaravit Deus B primitivam Ecclesiam, juxta illud in Actibus : Quum orassent discipuli, motus est locus in quo erant, et repleti sunt Spiritu Sancto. (*Act.* IV, 31.) Et in eodem dicitur libro : Sumebant cibum cum exsultatione et simplicitate cordis. (*Ibid.* II, 46.) Hinc dixit Psalmista : Cor meum et caro mea exsultaverunt in Deum vivum (*Ps.* LXXXIII, 3.); itemque : Gustate et videte quoniam suavis est Dominus. (*Ps.* XXXIII, 9.)

# ARTICULUS XXXVI

## DE SIGNIFICATIONE VELATIONIS CHRISMATIS DUODECIM ALIS.

CONSEQUENTER declarat qualiter ordo C seraphicus significetur per chrismatis consecrationem, per quod signatur et Christus.

*Est autem (ut æstimo) clarum, quia*, id est quod, *super nos essentiis, ut diviniorihus, fontalis suaveolentiæ retributio propinquior* : hoc est, « retributio », id est remuneratio et frequens vel potius continuata communicatio et infusio ac odoratio, dulcedinis radii « fontalis », id est luminis increati, seu unigeniti Filii, qui est splendor et radius lucis ac mentis (*Hebr.* I, 3.) D paternæ, « propinquior » est « essentiis super nos », id est supernis spiritibus, qui multo præclariores sunt nobis in donis naturæ, gratiæ ac gloriæ : quibus communicatio charismatum divinorum prius et abundantius communicatur, quam nobis luteis et fragilibus vasis. (*Is.* LXIV, 8.) Imo oculus viatoris non vidit, nec mens concepit, (*Ibid.* 4; I *Cor.* II, 9.) quæ, quanta et qualia supergaudiosissimus Deus illis ab æterno paravit, et in exordio mundi dedit.

*Quomodo adhuc* et magis se ipsam manifestat et distribuit in lucidissimum earum*, id est, qualiter æterna et increata Dei dulcedo, clarius et copiosius pandit et ostendit se, et munera sua influit in splendidissimas mentes earum, quæ eum facie ad faciem felicissime intuentur : quod « lucidissimum » est, *et bene habile*, id est valde capax et receptibile divinorum, sicut speculum purum, tersum, politum, lucis solaris; *juxta intellectum receptivæ virtutis*, id est secundum na-

* *propinquior quodammodo. Adhuc enim*

turam et dispositionem intellectualis substantiæ, quæ est eminenter « receptivæ virtutis », id est valde apta et potens recipere dona et illuminationes et influentias Dei, qui est bonitas et dulcedo, *supermanans**, *et multipliciter occultata,* id est, * copiose supermanans supereffluens, ita quod nulla mens creata valet eam participare et capere secundum totam plenitudinem et communicabilitatem ipsius, nec eam comprehendere potest secundum immensitatem et plenitudinem actualitatis et cognoscibilitatis ac sapientiæ suæ, imo deficit inde multipliciter et penitus infinite : ideo manet etiam beatis mentibus « occultata ». Idcirco quidam Sancti dixerunt, quod Seraphim et Cherubim non audent Deum respicere, quia videlicet oculos suos mentales non audent aperire nec in Deum porrigere, ad intuendum illum plenarie. Attamen vident divinam essentiam clare et immediate. Eamdem etenim veritatem ac rem unus conspicit limpidius alio. Dicitur quoque «occultata», quoad nos, quia ignota est nobis, et a nostra notitia plurimum elongata.

*Ad vero intellectualium subjecta,* id est inferioribus personis intellectualium essentiarum, *et non eodem modo acceptiva,* id est, quæ non sunt tam clare et immediate capacia visionis seu illuminationis divinæ, *super virtutem,* id est, quæ ultra suam possibilitatem eam capere nequeunt, *incontaminate occultans visionem et participationem,* id est, eminentem illam cognitionem et participationem qua a superioribus mentibus capitur et videtur ac participatur, recte abscondens, id est, non conferens, *proportionalibus participantium vaporibus, in commensuratione divina distribuit**, id est, largitur odoramenta * distribuitur seu perceptiones odorum æternæ suavitatis, « in commensuratione », id est congrua proportione capacitatis ac dignitatis earum. Porro quod dictum est, quod inferioribus angelis Deus occultat sublimem suam visionem et cognitionem, quam superioribus angelis manifestat, nequaquam intelligendum est ita, quasi inferiores an-

A geli non videant divinam essentiam in se ipsa, sed quod non in tanta sublimitate et puritate ut superiores.

*Super nos igitur sanctarum essentiarum tantus** *superpositus Seraphim ordo,* * tantum id est chorus angelorum sanctorum primi et summi ordinis, talis ac « tantus », ut dictum est libro præcedenti : qui ordo est ordo « sanctarum essentiarum », id est beatorum spirituum, exsistentium « super nos » : *in alarum duodenario significatur,* id est per duodecim pennas quibus
B circumligatum fuerat chrisma.

*Circa Jesum stans et collocatus,* id est, proximior Verbo æterno, tamen inferior eo, etiam ejus humanitate ut assumpta a Verbo, « et collocatus » circa Jesum. Nam et Deus fecit angelum prope se, materiam prope nihil. *Beatissimis ipsius contemplationibus (quantum fas***) inhians,* quia ut * justum S. Petrus deprompsit, in Christum angeli I Petr. I, 12. desiderant prospicere : sicut hoc frequenter expositum est. *Et invisibilis distributionis sacræ** *in castissimis susceptionibus* * sacre
C *repletus :* hoc est, ordo ille supremus adimpletus est « susceptionibus castissimis », id est purissimis influxionibus, « distributionis », id est communicationis divinæ, « sacræ », et « invisibilis » oculo corporali.

*Et multum laudabilem, sensibiliter dicendo, non silentibus oribus reclamans theologiam :* id est, ordo ille seraphicus « reclamans theologiam multum laudabilem », id est sermonem illum valde commendabilem, de Deo loquentem, videli-
D cet, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus, etc., quem Isaias audivit in spiritu, Is. VI, 3. et quem chorus ille cecinit, clamans, « non silentibus oribus », sed « sensibiliter » dicens, Sanctus, Sanctus, Sanctus, etc., juxta illud Isaiæ : Clamabant alter ad alterum. Ibidem. Non quod angeli sancti habeant materiata ora, aut corporales voces emittant, nisi in assumptis corporibus ; sed quia in imaginaria visione ita apparuit Isaiæ : quemadmodum Ezechiel scribit se translatum a Judæa in Chaldæam, post- Ezech. XI, I, 24.

Ezech. XL, 2. modum vero in montem valde excelsum; similiter Joannes in Apocalypsi. Apoc. XXI, 10.

*Ipsa enim sancta supermundialium animorum scientia,* id est intellectuum supernorum notitia, *simul erecta est,* quoniam circa summum et increatum objectum versatur, *et incessabilem habet divinum amorem,* id est, actualis et ferventissima ac sincerissima dilectio Dei est illi notitiæ inseparabiliter juncta, nec bonitas illa purissima prorsus immensa, pulchritudoque infinita, sine actuali dilectione, complacentia, gaudio prædominanti, potest in se immediate videri, ut probatior habet positio, et Sancti testantur; *malitiamque simul omnem superat et oblivionem :* quo constat, quod nec culpa neque oblivio A possit cadere in Beatis, nec simul consistere queunt visio Deitatis per speciem et peccatum. *Inde, ut æstimo, hoc non silenti clamore insinuat æternam eorum et incommutabilem, in virtute omni et gratiarum actione, divinorum scientiam et intelligentiam :* id est, ob hoc, canticum illud, Sanctus, Sanctus, Sanctus, denotat « scientiam et intelligentiam » angelorum perpetuam et invariabilem, quia in eis non est oblivio, idcirco quod semel sciunt, non obliviscuntur; nec ipsorum B scientia est informis, quia omni virtute ad ipsorum naturam ac statum pertinente est decorata, et totis præcordiis regratiantur Altissimo super omni notitia ac virtute, ceterisque donis præstitis eis.

# ARTICULUS XXXVII

## QUID SIGNIFICET MULTITUDO PEDUM ET VULTUUM SERAPHIM, NUMERUS ALARUM, VELATIO FACIEI ET PEDUM, CLAMOR UNIUS AD ALTERUM.

*INCORPORALES ergo Seraphim proprietates, in Eloquiis, sensibilibus imaginibus et invisibilium manifestatoriis mirabiliter descriptas, in exornamentis supercœlestium hierarchiarum, ut arbitror, bene contemplati sumus :* id est, reor quod vere consideravimus « proprietates incorporales Seraphim », id est angelorum supremi ordinis, præsertim septimo capitulo Angelicæ hierarchiæ, « descriptas mirabiliter » ex supernaturali doctrina Scripturæ, « imaginibus sensibilibus et manifestatoriis invisibilium », id est per D corporales imagines quæ manifestant et designant proprietates invisibilium spirituum, ut sunt, ignis, calor, lumen et splendor, de quibus quintodecimo capitulo est tractatum; « in exornamentis », id est in descriptione ornatuum et pulchritudinum, « supercœlestium », id est angelicarum, « hierarchiarum »; *et tuis intellectuali-* C *bus oculis ostendimus* per scripta, aut etiam per sacra eloquia inde inter nos habita.

*Tamen, quoniam quidem et nunc summum sacerdotem sacre circumstantes, ipsam nobis illam reformant excelsissimam* dispositionem :* id est, ex quo inferiores sacerdotes et ministri « circumstantes » episcopum in consecratione chrismatis, « reformant », id est, repræsentant nobis, « dispositionem illam » sublimissimam, id est ordinationem hierarchicam; *in brevi et nunc sanctissimis adspectibus deiformissimam eorum claritatem videamus :* id est, consideremus « et nunc in brevi », id est compendiose, « adspectibus sanctissimis », id est devotissimis speculationibus, « claritatem eorum deiformissimam », id est puritati ac luci increatæ valde conformem comparatione inferiorum. Nam et eorum essentiæ sunt claræ et mundæ a

* excellentissimam

contagione materiæ, et habent actus et habitus, ac supernaturalia dona, sanctitatem et felicitatem, ineffabiliter nobiles, sublimes ac præfulgidas.

*Multiforme ergo eorum et multipes,* id est diversitas ac pluritas vultuum ac pedum Seraphim seu quatuor animalium (*Ezech.* I, 5-10.) quæ vidit imaginaria visione Ezechiel, *manifestativum est, ut æstimo, multividæ eorum in divinissimas illuminationes proprietatis,* hoc est, designat quod variis modis sunt inspectivi et cognitivi divinorum, et hoc eis quasi proprietas est; *et semper motus, et multivii divinorum bonorum intelligibilium :* id est, varietas pedum in ipsis significat quod indesinenter atque celerrime moventur in divina et ad omnia quæ Deo sunt placita, atque quod plurimis viis ad bona divina et immaterialia ac intellectualia gradiuntur, et expeditissime mox pertingunt, secundum quod multiplex cognitio convenit eis, utputa : matutina, vespertina, et juxta quosdam etiam meridiana; item cognitio rerum in Verbo æterno, et indita per species eis innatas et concreatas, atque cognitio per illuminationes hierarchicas.

Sequitur de alarum significatione.

*Alarum autem, ut Eloquia aiunt, expansam positionem,* id est determinatam situationem pennarum Seraphim, ut dicunt scripturæ præallegatæ Isaiæ et Ezechielis (*Is.* VI, 2; *Ezech.* I, 11.), *non numerum sanctum indicare arbitror,* id est, non sentio designare mysticum numerum rerum scitarum aut non scitarum, *secundum quod visum est aliis,* id est, prout alii quidam dixerunt. *Sed quia circa Deum ipsius excellentissimæ essentiæ et ordinis, anagogica et absoluta perfectissime sunt :* hoc est, arbitror pennas seu alas earumque tria paria significare, « quia », id est quod, « essentiæ excellentissimæ ipsius », id est supremæ illæ mentes ipsius chori seu « ordinis » Seraphim exsistentis « circa Deum, sunt perfectissime anagogica », id est supposita sursumductiva, hoc est per contemplationem elevata et semetipsa elevantia, « et absoluta », id est libera, tanquam ab indigna subjectione immunia; *et supermundana prima et media et ultima**, id est, quod (* *extrema*) per virtualem inclusionem ipsa sunt agmina tam prima tamque media, quam extrema, *intellectualium sui et deiformium virtutum,* id est tam ordinis sui proprii, quam aliarum angelicarum virtutum : hoc est, quod primus et summus ille chorus includit virtualiter in se perfectiones, illuminationes et cognitiones primæ ac propriæ hierarchiæ, et etiam duarum aliarum hierarchiarum. Sicque habere dicitur illuminationes primas et medias ac ultimas, id est illuminativas cognitiones tam supremæ hierarchiæ, quam aliarum duarum sequentium. Superiora namque includunt perfectiones inferiorum, et aliquid superaddunt, non econverso, prout istud super Angelicam hierarchiam plenius est expressum.

*Inde Eloquiorum sacratissima sapientia,* id est ob hoc doctrina sanctissima Scripturarum, *alarum duplicationem sancte describens,* id est, spiritualiter recitans quod Seraphim duabus alis volabant, duabus vero velabant faciem residentis in (*Is.* VI, 2.) throno, atque duabus aliis pedes illius velabant seu operiebant, vel propriam faciem pedesque proprios : tamen in Isaia habetur, Faciem ejus, puta sedentis super thronum; similiter, Pedes ejus. Propter quod subditur : *circa facies et media et pedes eorum imponit alas :* id est, narrat quod duæ alæ erant circa caput ipsorum Seraphim, utputa extentæ desuper a parte corporis ex qua egredi videbantur et porrigi ab utraque capitis parte in altum; et quod duæ alæ a media parte corporis erant quasi in altum extentæ, per quas volabant; aliæ vero duæ, versus pedes dimittebantur seu deprimebantur. *Universaliter volabile eorum insinuans,* id est, designans vim volativam, hoc est contemplativam, ipsorum Seraphim, generaliter et perfecte, *largissimum in id quod vere est anagogicæ virtutis,* id est copiosissimam efficaciam ascendendi in id quod

vere pertinet ad contemplativam potentiam, ita quod sua vi intellectiva possunt eminenter pertingere ad omnia contemplabilia a virtute creata de lege communi, quoniam ad excellentiam contemplationis animæ Christi ac gloriosissimæ Virginis pertingere nequeunt.

*Si autem facies et pedes tegunt,* id est, si (pro quia) Seraphim asseruntur tegere facies duabus alis, pedesque totidem, *et solis volant mediis alis* duabus. Sed ut tactum est, in Isaia habetur, Faciem ejus. Idcirco, quum dicitur hic « facies », pluraliter, poni videtur plurale pro singulari. *Intellige sacre,* id est, fideliter considera, *quia tantum exaltatus excellentissimarum essentiarum ordo,* id est quod ordo Seraphim tam sublimis et præ ceteris choris tam elevatus, *timidus est,* non timore servili aut pœnali, sed reverentiali : hinc aliæ translationes habent, Reveretur; *circa intelligentiarum ejus altiora et profundiora :* id est, scrutari et intueri non præsumit nec audet secretiora et incomprehensibiliora sapientiæ atque scientiæ
Rom. xi, 33. Creatoris, de quibus ait Apostolus : O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus! Ea quoque quæ contemplantur et noscunt, non conantur plenius et clarius intueri quam eorum capacitati et meritis convenit. Denique quidam famosi doctores, Henricus, Ægidius, ac alii, super primum Sententiarum, aut libris correspondentibus primo, scripserunt quod in superexcellentissimo et superincomprehensibili Deo sunt ideæ numero infinitæ, infinita etiam attributa : quæ omnia cognoscere, excedit in infinitum capacitatem omnis mentis creatæ. Sicque tam intensive quam extensive incomprehensibilis est Deus.

At vero altum et profundum, præsertim in spiritualibus, pro eodem sumuntur : imo et in corporalibus sæpe, ut in Joanne,
Joann. iv, 11. Puteus altus est; et in Psalmo, Veni
Ps. lxviii, 3. in altitudinem maris; atque in Sapientiæ
Sap. x, 19. libro, Ab altitudine inferorum eduxit eos.

A Tamen, quod dicitur hic « altiora », posset referri ad absoluta, « profundiora » vero, ad relativa in divinis, in quorum notitia magis deficimus.

*Et mediis alis in commensuratione ad divinam visionem exaltatur :* id est, ordo Seraphim ascendit ad contemplationem majestatis divinæ « in commensuratione », id est secundum proportionem et mensuram suæ possibilitatis, « alis mediis », id est lumine naturali et gratuito, vel lumine gratiæ et gloriæ, vel sapientia et dis-
B cretione, aut intellectu et affectu; *divinis jugis,* id est præceptis seu legibus Dei, *supponens propriam vitam,* id est, subjiciens semetipsum et omnem suam actionem vitalem. Omnes quippe angelicæ mentes se ipsas perfectissime offerunt Deo in holocaustum. Quemadmodum enim quidquid sunt, possunt, agunt et habent, desuper acceperunt; sic totum hoc ad datoris cultum, amorem et honorem convertunt jugiter, secundum extremum posse. *Et ab ipsis sancte directus ad suimet cognitio-*
C *nem,* id est, ordo ille seraphicus est sancto divino instinctu directus ad propriam sui notitiam, ne scilicet immemor propriæ conditionis, negligat Creatori in omnibus subjici ac parere. Imo omnes Beati infallibiliter in universis ac singulis diriguntur a Spiritu Sancto. Ideo septem dona Spiritus Sancti in ipsis, imo et in anima Christi, permanere censentur. Quocontra de quocumque rebelli Dominus loquitur apud Jeremiam : A sæculo confregisti ju- Jer. ii, 20.
gum, rupisti vincula, et dixisti, Non ser-
D viam.

Sequitur de significatione clamoris Seraphim.

*Quod autem Eloquiis dictum est,* id est in scriptura Isaiæ, *veluti, Clamabat alter* Is. vi, 3.
*ad alterum,* id est unus Seraphim ad alium. Recteque additur hic « veluti », quod in scriptura illa non continetur, ad innuendum quod non erat verus clamor exterior, sed tantum interior, per imaginarias similitudines intus factus. *Istud æstimo declarare quia* deividis suis intelligen-* * quod

*tiis,* id est intellectivis contemplationibus A quibus Deum vident, *sibi invicem copiose tradunt,* id est, superiores angeli inferioribus caritative et liberaliter communicant revelationes, notitias, illuminationes sibi divinitus factas modo et tempore desuper præstitutis, prout super Angelicam hierarchiam ubertim expositum recolo.

# ARTICULUS XXXVIII

## ALIA SIGNIFICATIO VELATIONIS CHRISMATIS DUODECIM ALIS.

*judicamus ET *hoc sacra dignum judicavimus* * B *memoria,* id est, documentum istud reputavimus dignum recordatione frequenti ac diligenti, quoniam valet ad probandum quod sæpe protulimus de mutua angelorum purgatione, illuminatione, perfectione : idcirco nunc repetivimus istud. Vel istud refertur ad immediate sequentia. *Quomodo Eloquiorum Hebræa vox,* id est idioma Scripturæ Hebraicum, *juxta intelligibilem nominationem,* id est veram interpretationem et appellationem, cui ipsa res correspondet, *vocat sanctissi-* C *mas Seraphim essentias,* id est mentes seraphicas hoc nomine, Seraphim, *ex** *hoc quod sunt igneæ et superferventes secundum divinam et immobilem vitam, ex ipsa secundum divinam et immutabilem vitam perflagrantia,* id est ex spirituali caritatis ardore quem habent in tota sua felicissima vita, ex qua nunquam mutari valent de bono in malum, utputa confirmati in bono et gloria, de qua inamissibili et nunquam perdenda securi sunt.

* ad

*Dixi ergo, ut quæ Hebræorum sunt* D *interpretantes aiunt,* id est, sicut affirmant hi qui Hebraica nomina interpretantur, id est, in aliam linguam transferunt et exponunt, *divinissimi Seraphim,* id est spiritus de ordine Seraphim valde divini, *ardentes et calefacientes a Theologia nominati sunt,* id est a Scripturis atque theologis. Nam suavissimo divini amoris ardent incendio, quo inferiores quoque incendunt : non illo incendio quod ad essentialem pertinet beatitudinem ac mercedem, et ex divinæ essentiæ visione immediate progreditur (in quo incendio post punctum terminationis viæ et primum instans glorificationis suæ, amplius nunquam crescunt neque proficiunt); sed incendio quod ex divinorum cognitione effectuum oritur, et ad accidentale pertinet præmium. *Manifestativo substantialis eorum habitus nomine,* id est appellatione significante habitum qui eis quasi loco « substantialis » differentiæ convenit, quia ab illo, quantum ad esse gloriæ, specificantur, et specialem ordinem sortiuntur. Qui habitus est præfervida caritas, de qua Christus : Ignem, inquit, veni mittere in Luc. XII, 49. terram. *Divinique unguenti, juxta symbolicam imaginum descriptionem,* id est secundum symbolicum seu tropologicum intellectum figuralium nominationum, ipsi Seraphim *motivas habentes virtutes in manifestationem ipsius, et efficaciorum vaporum distributionem evocantes :* id est, sicut ignis materialis adhibitus chrismati aut simili materiæ odoriferæ, causat evaporationem suavem ; sic seraphici spiritus igne sui vehementis amoris, excitant et incendunt mentes angelorum inferiorum ad spiritualem flagrantiam atque fragrantiam, ex quibus sic evocant efficaciores vapores, id est internas suavitates profluentes ex distributione Spiritus Sancti.

*Ipsa enim super intellectum suaveolens essentia,* id est Deitatis essentia in infi-

nitum suavis, et omnem mentem transcendens creatam, juxta illud Apostoli : Pax Christi quæ exsuperat omnem sensum ; *ab ignitis et purgatissimis mentibus in notitiam moveri amat :* id est, appetit « moveri in notitiam », id est ad aliorum cognitionem deduci, a ferventibus depuratisque mentibus, quæ alios verbis suis præfervidis ad Deitatis accendunt amorem. « Amat » quoque « in notitiam moveri » a talibus, id est, quod illi ex Dei amore se moveant ad contemplationem ipsius ac laudem, juxta illud in Canticis : Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis. *Et divinissimas suas inspirationes in ditissimis distributionibus donat sic se supermundane evocantibus,* id est, Deus largitur « inspirationes », id est allocutiones, informationes, excitationes piissimas, per ditissimas, id est gratiosissimas, dationes et communicationes charismatum supernorum, sicut ait Apostolus : Deus potens est omnem gratiam facere abundare in nobis, supra quam petimus aut intelligimus ; « evocantibus » eum « supermundane », id est, mente purissima, oratione sincerissima, et toto cordis affectu, sine distractione, cum omni compunctione et conatu interioris custodiæ exorantibus eum. Qui enim sic quærit, invenit. Unde et in Deuteronomio promittitur : Quum quæsieris Dominum Deum tuum, invenies eum, si tamen toto corde quæsieris eum, et tota tribulatione animæ tuæ. Debemus quoque eum sic evocare, ut de throno gloriæ suæ dignetur descendere ad nos, venire in nos, et manere nobiscum. Etenim oratio humiliantis se penetrat nubes, et oratio justi penetrat cœlos.

*Philipp.* IV, 7. — *Cant.* II, 14. — II *Cor.* IX, 8 ; *Ephes.* III, 20. — *Luc.* XI, 10. — *Deut.* IV, 29. — *Eccli.* XXXV, 21.

*Non ergo divinissimus supercœlestium essentiarum ordo ignoravit,* id est, ordo supremus seraphicus ab exordio suæ beatificationis agnovit, *divinissimum intellectum in sanctificandum descendentem,* id est Verbum æternum advenire in mundum ad sanctificandum credentes in se : pro quibus orans, Pater (inquit) sanctifica eos in veritate. Mysterium quippe Incar- A nationis, quantum ad substantiam suam, cognitum fuit ab initio sæculi angelis, quamvis non quoad universas circumstantias suas.

*Joann.* XVII, 17.

*Intelligit autem eum sacre in his quæ secundum nos sunt, se* * *subjicientem,* id est, ordo ille cognoscit Unigenitum Dei « subjicientem », id est humiliantem, « se in his quæ secundum nos sunt », id est assumptione nostræ naturæ et indetrahibilium defectuum ejus, et in humanis obsequiis, persecutionibus et tormentis. B Exinanivit enim semetipsum, factus obediens usque ad mortem. Quod fecit, non propter dignitatem et merita nostra, sed *per divinam et ineffabilem bonitatem,* juxta illud ad Titum : Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei, non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit. Alia translatio habet hic : Non ignoravit supercœlestium substantiarum ordo, Jesum Deum summum descendisse. *Et a Patre suo et Spiritu humanitus sanctificatum* *, id est, secundum naturam huma- C nam « sanctificatum a Patre et Spiritu », imo et a se ipso secundum quod Deus est, quoniam indivisa sunt opera superperfectissimæ Trinitatis : sanctificatum, inquam, eodem instanti quo producta est anima ejus et caro ejus formata, non a culpa ulla mundatum, sed omni gratia, sapientia, virtute impletum. Propter quod angelus dixit ad Virginem : Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei. *Adspiciens vero, proprium novit auctorem* *, D id est, ordo ille seraphicus intuens Unigenitum, conspicit eum esse suum Creatorem, *in quibuscumque divinitus agit, secundum essentiam immutabile habens,* id est in cunctis suis operibus divina potestate expletis, prorsus invariabilem : imo et in his quæ operabatur humanitus, immutabilis manet secundum divinitatem.

* *se ipsum* — *Philipp.* II, 7, 8. — *Tit.* III, 4, 5. — * *Et a Patre suo, et a se ipso, et Spiritu humanitus sanctificatum* — *Luc.* I, 35. — * *principium*

*Inde sacrorum symbolorum traditio,* id est doctrina data de sensibilibus signis et materiis circumponendis huic sacramento et aliis, *sanctificato divino chrismati*

*Seraphim circumdat,* id est, imagine ipsius Seraphim tegit et operit chrisma consecratum, *incommutabilem videns,* id est, Christum significatum per chrisma agnoscens esse invariabilem secundum quod Deus, *et describens Christum in ea quæ secundum nos est, universali ad veritatem humanatione* * : id est, etiam notificans nobis Christum in vera humanitate, in qua visibilis est : « humanatione », inquam, « universali », id est totali et integra, quoniam totam et integram assumpsit humanitatem, « ad veritatem », id est vere, non apparenter dumtaxat.

* inhumanatione

# ARTICULUS XXXIX

## DE MIRO ET EFFICACI CHRISMATIS SEU UNGUENTI IN VARIIS SACRIS AUT SACRAMENTIS USU.

ET *adhuc divinius,* supple, est quod dicam de chrismate, *quia unguento utitur ad omnis divini perfectionem,* id est, sacra traditio, seu Ecclesia, vel summus sacerdos, « utitur unguento », id est chrismate, in consummatione variorum sacramentorum, sicut expositum est; *aperte ostendens, juxta Eloquium,* id est, secundum doctrinam Scripturæ per hoc evidenter significans, *sanctificantem sanctificatum,* id est Christum qui secundum divinitatem sanctificat alios, secundum assumptam humanitatem esse sanctificatum, ut paulo ante expositum est, *tanquam semper ipsum exsistentem in se ipso,* id est divina virtute manentem eumdem, *secundum omnem divinam beneficentiam,* id est in omni benefica et gratiosa actione circa genus humanum. *Propter quod et sacræ divinæ generationis perfectiva collatio* *, id est exhibitio sacra Baptismi, qua fideles regenerantur in Christo, et perficiuntur ab ipso gratiis quæ in Baptismate conferuntur, *in unguenti perficitur divinissimis consummationibus,* id est, completur et terminatur in actibus sacris qui per chrismatis linitionem et unctionem circa baptizatum fiunt.

* perfectiva donatio et gratia

*Inde, ut æstimo, et perfectivo* * *baptisterio,* id est fonte Baptismatis, quo fideles in sua regeneratione perficiuntur, *unguentum in cruciformibus symbolis infundens summus sacerdos,* id est, episcopus aliquid chrismatis infundens sensibilibus signaculis crucis, *super conspectum ducit,* id est, ad intellectualem memoriam revocat, *intellectualibus* *, id est interioribus atque mentalibus, *oculis, usque etiam suam mortem per crucem Jesum pro nostra divina generatione demersum :* id est, Filium Dei per suam crucifixionem absorptum et exstinctum usque in mortem inclusive (juxta illud Isaiæ, Tradidit in mortem animam suam) : et hoc, « pro nostra divina generatione », id est pro nostra spirituali regeneratione in Baptismo, in quo virtute et merito passionis Christi regeneramur, dicente Apostolo : Consepulti sumus cum Christo in mortem. Nam et demersio baptizati in aquam, designat demersionem Christi in mortem. Hinc subditur : *hoc divino et potentissimo descensu, in mortem suam (juxta occultum Eloquium) baptizatos, ex corrumpentis mortis veteri absorptione divinitus emergentem, et renovantem ad divinam et æternam subsistentiam :* id est, Jesum « emergentem », id est, ex mortis demersione « resurgentem, divinitus », id est virtute divina, « et renovantem » credentes ac « baptizatos ad subsistentiam divinam et æternam », id est ad vitam spiritualem, per gratiam in præsenti et gloriam in futuro, « ex absorptione veteri mortis

* purgativo

* contemplativis

*Is.* LIII, 12.

*Rom.* VI, 4.

*Ibid.* 3.

corrumpentis », id est ex antiqua deglutitione peccati originalis, et mortis corporalis illud secutæ et propter illud inflictæ. Hoc est quod ad Corinthios scripsit Apostolus : Quoniam quidem per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum ; et sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur. Ideo subditur : « juxta Eloquium occultum », id est mysticum Eloquium, id est secundum divinam Scripturam desuper revelatam, mysteriis plenam, naturali lumine non patentem.

I Cor. xv, 21, 22.

*Sed et ipsi perfecto,* id est baptizato, *sacratissima divinæ generationis teleta, divini Spiritus superadventum unguenti donat consummativa unctio :* hoc est, unctio chrismatis perfectiva ipsius baptizati, dat ipsi baptizato « superadventum Spiritus divini », id est gratiam Spiritus Sancti ad robur, quam dat dispositive et instrumentaliter, et aliquo modo cooperative, ut tactum est, non principaliter effective ; dat autem « sacratissima teleta generationis divinæ », id est præcedente et disponente mysterio sancti Baptismi, quod est quasi janua ceterorum sacramentorum, nec Confirmatio datur nisi baptizatis. *Characterizante (ut æstimo) sacra symbolorum imaginaria descriptione,* id est, figurante et designante « descriptione sacra » et « imaginaria », id est, edocente nos recitatione Scripturæ per imaginarias species traditæ, *ab ipso propter nos humanitus divino Spiritu sanctificato mutabili* * *substantialis divinitatis habitu, divinissimum Spiritum datum* * *:* id est, « Spiritum divinissimum », scilicet Spiritum Sanctum, datum esse hominibus « ab ipso » Christo « sanctificato humanitus », id est secundum naturam assumptam humanam repleto divino Spiritu (sicut ait per Isaiam, Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me ; et rursus, Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus), « habitu mutabili divinitatis substantialis », id est in humanitate quam induit, seu corpore quo se

* *immutabili*
* *donatum*

*Is.* LXI, 1.
*Ibid.* XI, 2.

A texit : quæ humanitas fuit Verbo incarnato ut habitus, in quantum sine illa ante fuit subsistens, et adhuc sine ea subsistere posset, saltem de potentia absoluta. Propter quod ait Apostolus : Exinanivit se, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo.

*Philipp.* II, 7.

*Et hoc hierarchice intellige,* id est catholice, sicut tenet et docet Ecclesia Dei, omnem circa hoc hæreticorum adinventionem vesanam vitando, *quia et divini* B *altaris sacram consummationem sanctissimarum hostiarum, legislatio sacratissimi unguenti perficit sanctissimis effusionibus :* hoc est, « legislatio », id est jussio legis ecclesiasticæ, « unguenti sacratissimi », id est data de ritu et modo utendi unguento seu chrismate, « perficit consummationem sacram altaris divini », id est consecrationem seu dedicationem sancti altaris, « hostiarum » divinarum, id est oblationum spiritualium seu sacramentalium quæ offeruntur in eo, juxta illud C Isaiæ : Offerentur super placabili altari meo, et domum majestatis meæ glorificabo. Et per Malachiam ait : In omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda. Fit demum consecratio ista altaris « sanctissimis effusionibus » chrismatis super illud in certis partibus ejus, prout habet ritus Ecclesiæ.

*Is.* LX, 7.
*Malach.* I, 11.

*Est autem supercœlestis et superessentialis theoria, omnis deificationis nostræ et sanctificationis principium, et essentia, et perfectiva virtus :* id est, sapientia D Dei increata, omni cœlestium mentium sapientia major in infinitum, est fontale « principium et essentia », id est causa essentiæ, « et virtus » per se subsistens, non accidentalis, « perfectiva omnis nostræ deificationis », id est assimilationis cum Deo, « et sanctificationis », tam interioris, qua purgamur a culpa, et gratia atque virtutibus decoramur, quam exterioris, per consecrationes et benedictiones. Hinc sanctus Job : Quis, inquit, potest facere mundum de immundo ?

*Job* XIV, 4.

*Si enim est divinissimum nostrum altare Jesus, principalis divina divinorum animorum oblatio* : [*principale divinum divinorum oblatio] id est, quum Dominus « Jesus » secundum naturam assumptam, secundum quam etiam « est divina » ac « principalis oblatio animorum divinorum », id est cordium devotorum, sit « altare nostrum divinissimum », utputa altare intellectuale, acceptissimum Patri totique supervoluptuosissimæ Trinitati : cujus merita ineffabiliter magna sunt, propter quod per ea petimus exaudiri, nostraque merita adjuvari ac perfici, [Ephes. IV, 15, 16.] quum ipse sit caput nostrum, cui nos ut membra unimur. *In quo, juxta Eloquium* [* Eloquia] *, oblati,* id est, secundum Scripturas Deo Patri sumus oblati in Christo et per [II Cor. V, 18, 19.] Christum, qui reconciliavit nos Patri, et exhibuit nos ei placentes. Unde Petrus [I Petr. III, 18.] ait : Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut offerret nos Deo. [Apoc. I, 5, 6.] Et in Apocalypsi dicitur : Qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo, et fecit nos regnum et sacerdotes Deo et Patri suo. *Et mystice holocaustomati,* id est spiritualiter facti holocaustum Altissimi, videlicet ejus amore succensi, ac ejus obsequiis totaliter mancipati, nil nostri nobis ipsis proprium [Matth. XVI, 24.] relinquentes, sicut ait Salvator : Qui vult venire post me, abneget semetipsum. Hinc alia littera habet : Mystici holocausti instar incensi. *Accessum habemus* ad Creatorem. Unde Christus ait apud Joannem : [Joann. XIV, 6.] Nemo venit ad Patrem nisi per me. Et ad [Rom. V, 2.] Romanos Apostolus : Per quem accessum habemus in gratiam istam in qua stamus; [Hebr. IV, 16.] ad Hebræos quoque, Accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ ejus. *Supermundanis,* id est intellectualibus ac desuper illustratis, *oculis videbimus ipsum divinissimum altare :* de quo dicitur ad Hebræos, [Ibid. XIII, 15.] Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper; *in quo perfecta perficiuntur,* id est, virtute ac gratia et meritis

A Salvatoris complentur, et perfectiora redduntur, juxta illud in Apocalypsi : [Apoc. XXII, 11.] Qui justus est, justificetur adhuc, et sanctus sanctificetur adhuc; *et sanctificantur ab ipso divinissimo unguento perfecto,* id est, sacro chrismate inunguntur, seu Christo designato per chrisma, cujus gratiosis donis perficimur. Aliqui libri habent, Perfectum : et sic referri potest ad id quod præhabitum est, « divinissimum altare ».

*Sanctificat enim pro nobis semetipsum sanctissimus Jesus :* id est, « Jesus » [Dan. IX, 24.] Sanctus Sanctorum, B essentialiter sanctus secundum quod Deus, « sanctificat », id est, sanctum ostendit ac sanctum fatetur, « semetipsum pro nobis », id est pro nostra salute et ædificatione, dicens : [Joann. VIII, 46.] Quis ex vobis arguet me de peccato? Et rursus : [Ibid. XVII, 19.] Ego pro eis sanctifico me ipsum. *Et omni nos sanctificatione replet,* per sacramenta, et donorum ac virtutum infusionem, profectum et consummationem, juxta illud Jacobi : [Jacob. I, 4.] Sitis perfecti et integri, in nullo deficientes. Et Petrus ait : [I Petr. I, 15.] Secundum C eum qui vocavit vos Sanctum, et ipsi sancti in omni conversatione sitis. *In se perfectionum dispensatorie in nos tanquam Deo genitos, de cetero benigne descendentium,* hoc est, replet nos omni sanctificatione « perfectionum », id est perfectarum actionum ipsarum virtutum, « descendentium in nos dispensatorie », id est ex divinæ largitatis moderata erogatione, tanquam spiritualiter generatos ac natos ex Deo. [Jacob. I, 17.] Omne enim datum optimum et omne donum perfectum desursum est, D descendens a Patre luminum : a quo habemus non solum habitus ipsos virtutum, sed et actus et profectus earum, dicente Apostolo, [Philipp. II, 13.] Deus est qui operatur in vobis velle et perficere; et Isaia, [Is. XXVI, 12.] Omnia opera nostra operatus es nobis. De quibus fertur in Joanne : [Joann. I, 13.] Qui non ex sanguinibus, sed ex Deo nati sunt. Et Jacobus ait : [Jacob. I, 18.] Voluntarie genuit nos verbo veritatis.

# ARTICULUS XL

QUARE SANCTUM HOC UNGUENTI MYSTERIUM SIMPLICITER DICATUR « TELETA », ET CUR IN CONSECRATIONE CHRISMATIS « ALLELUIA » CANTETUR.

INDE, *æstimo, secundum intellectum* A *hierarchicum,* id est secundum veram et spiritualem intelligentiam, *Deo traditum,* id est a Deo concessum et inspiratum, *divini nostræ hierarchiæ duces,* id est gloriosi Apostoli, doctores et principes ecclesiasticæ hierarchiæ, ex tribubus Israel
Ps. LXVII, 28. nati, juxta illud Psalmi : Principes Juda duces eorum, principes Zabulon, principes Nephthali ; *pudicissimum hoc sacrificium unguenti,* id est mundissimum istud sacramentum, seu consecrationem unguenti istius, *teletam, ex perfecto actuose, nominant,* B id est, quasi antonomastice appellant illud, « teletam », id est perfectionem, ex hoc quod unguentum hoc cum quadam excellentia perfecte istud operatur, et communius aliis, quia in pluribus adhibetur : quum tamen hoc nomen aliis quoque sacramentis et sacramentalibus perfectionibus actibusque hierarchicis valeat convenire. *Tanquam si quis dixerit, Dei teletam,* id est, sacramentum istud nuncupet per appropriationem, « Dei teletam », *utroque intellectu divinam ipsi-* C *us perfectam operationem laudantes,* id est, significatione utriusque appellationis istius significantes duces nostri eamdem operationem completam hujus unguenti, ita ut sive dicatur teleta Dei, sive unguentum, seu myron, aut confirmatio, eadem res signetur. *Est enim ipsius hostia,* id est operatio sacramenti istius ad Dei honorem peracta ac Deo oblata, *et propter nos humanitus sanctificari,* id est ad hominum salutem consecrari, *et deifice omnia perficere, et sanctificare perfecta,* D id est omnes qui suscipiunt sacramentum hoc sanctificare, quemadmodum Christus secundum quod homo sanctificatus est, et secundum quod Deus cuncta sanctificat.

Sequitur de mysterio et decantatione hujus nominis, Alleluia.

*Divinum vero Deo acceptabilium Prophetarum inspirationis melodema, aiunt qui Hebræorum sunt scientes,* id est, hi qui sciunt idioma Hebræorum, dicunt quod « melodema », id est canticum istud sanctis vatibus inspiratum, Alleluia, *Laus Dei declarare, aut, Laudate Deum,* id est significare tantum sicut complexum hoc, Laus Dei, seu, Laudate Deum. Unde aliqui psalmi specialiter continentes opera divinæ misericordiæ circa populum Israel, habent pro titulo, Alleluia. Et in Apocalypsi frequenter habetur : Dixerunt, Alleluia. Atque in Tobia : Per vicos ejus Alleluia cantabitur. Hinc in primitiva Ecclesia nomen hoc cantabatur in chrismatis consecratione et aliis multis hierarchicis actibus.

Ps. CIV-CVI, CX-CXVIII, CXXXIV, CXXXV, CXLV-CL. Apoc. XIX, 1-4, 6. Tob. XIII, 22.

*Totius ergo* * *sanctæ theophaniæ et creationis in varia compositione hierarchicorum symbolorum sacre descriptæ, non inconveniens est recordari Deo mota Prophetarum hymnologia* * *:* id est, « in compositione » et formatione multiplici « totius theophaniæ et creationis », id est cujuslibet apparitionis seu illuminationis et recreationis, vel internæ reformationis, « descriptæ sacre », id est in Scripturis expressæ per symbola sacra, ut sæpe expositum est, « non est inconveniens », imo congruum est, « recordari hymnologia », id est decantatione laudis Dei per hoc nomen, Alleluia : quæ hymnologia a Prophetis reserata est nobis, « mota Deo », id est inspirata a Deo, qui movit corda

* igitur

* Deo motam Prophetarum hymnologiam

illorum ad hymnum hunc. *Docet enim et* A caste simul et divinitus, laudibus sacris dignas esse divinas actiones : id est, hymnologia hæc admonet nos, quod operationes Dei descriptæ in Psalmis aliisque Scripturis quibus præponitur vel apponitur Alleluia, sunt dignæ sacris præconiis, tanquam sapienter, potenter salubriterque exhibitæ, juxta illud in Ecclesiastico : Benedicite Dominum in operibus suis. *Eccli.* xxxix, 19.

# ARTICULUS XLI

## DE TRIBUS QUÆ IN OMNI SUNT HIERARCHIA, ET QUALITER IN ANGELICA, LEGALI, ET EVANGELICA SEU ECCLESIASTICA INVENIANTUR.

DEINCEPS tractat de actibus hierarchialibus per quos quis in gradu eminentiæ aut statu inferioritatis locatur. *Hæc* Hic aliqui libri auspicantur capitulum v. *quidem divinissimi unguenti perfecta operatio est,* id est, jam prætacta congeries operationum, est pertinens ad chrismatis sacramentum.

*Tempus autem fortassis sit,* id est, jam hora consistat : quod exprimit optative, quasi se cupiens expedire de isto tractatu ; *post divinas sacras actiones,* id est post determinationem de actibus sacramentalibus atque hierarchicis qui sunt in sacramentis Baptismi et Eucharistiæ ac chrismatis, de quibus tribus sacramentis solum hic tractat, ita quod non de aliis sacramentis, *ipsas exponere sacerdotales ordinationes et partes,* id est distinctos gradus, *virtutesque earum,* id est potestates, *et operationes et consummationes, et super has trinitatem superfirmantium ordinum,* id est, ultra et præter hæc, etiam tangere tres ordines qui firmant et ponunt nos super alios, quorum est purgari, illuminari, ac perfici.

*Ut demonstretur secundum nos hierarchiæ dispositio,* id est, quatenus innotescat quod dispositio ecclesiasticæ hierarchiæ, *inordinatum quidem et inornatum et commixtum clare distinguens,* id est, omnem inordinationem, deformationem et confusionem devitans, et ab ordinatione sapientiali ac decore spirituali discernens ac B separans, prout per Jeremiam Dominus cum præmii pollicitatione hortatur : Si *Jer.* xv, 19. separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris. Nempe, ut idem loquitur Jeremias, Quid tritico cum paleis? Et juxta *Ibid.* xxiii, 28. Apostolum, Quæ conventio luci ad tenebras? *II Cor.* vi, 14. *Replens vero ornatum et ordinatum et inconfusum,* id est, dispositio hierarchialis « replens », id est, efficiens et perficiens, « ornatum », id est decorem virtutum, « ordinatum », id est ordinationem sapientialem, « et inconfusum », id C est imperturbationem, ut non sit admixtio, confusio, neque immunditiæ macula. *In ipsis se ipsam manifestans,* id est, perfectionem suam declarans in his suis præclaris effectibus, secundum quod causa cognoscitur ac resplendet in suo effectu. Propter quod effectus vocatur participata similitudo suæ causæ. Agens etenim producit simile sibi. Hoc itaque facit dispositio ista, *sanctorum ordinum analogiis,* id est congruis proportionibus et mensuris, secundum quod competit dispositioni D ecclesiasticorum.

*Et omnis quidem hierarchiæ ternariam divisionem, in ipsis jam a nobis laudatis hierarchiis, ut æstimo, bene exposuimus :* hoc est, nos « exposuimus », id est declaravimus, « bene divisionem ternariam », id est trimembrem vel tripartitam, « in ipsis hierarchiis laudatis a nobis », id est in certis capitulis libri de

Hierarchia angelica, libri quoque de Ecclesiastica hierarchia : in quibus libris laudavimus, id est, per modum laudum descripsimus, ipsas hierarchias ac præclaros actus earum. Hæc autem divisio ternaria intelligitur hic non de divisione in varias species, sed in tres actus hierarchicos, vel in tres choros seu ordines. *Dicentes quomodo secundum nos sacra traditio habet,* id est, sancta doctrina « secundum nos » catholicos continet, *omnem hierarchicam actionem in sanctissimas teletas divisam.* Pro « teletas », alia translatio habet, Consecrationes ; alia, Perfectiones. Nec est intelligendum quod simplex actio hierarchialis in tria dividatur, sed quod tria concurrant et exigantur ad ipsam, sicut subjungitur : *et divinas earum scientias et doctrinas, et ab ipsis sacre perfectos.* Primum horum trium, est teleta, seu ipsum mysterium ; secundum, doctrina et illuminatio instruentis ; tertium, perfectus, hoc est subditus seu instructus per illam scientiam.

*Ergo sanctissima quidem supercœlestium essentiarum hierarchia,* id est hierarchia supernorum et invisibilium spirituum, *teletam quidem habet, secundum virtutem propriam, Dei et divinorum immaterialissimam intelligentiam,* id est deiformem intelligentiam, juxta imitationem et assimilationem ad increatam sapientiam Dei, « et divinorum immaterialissimam intelligentiam », id est increatorum attributorum notitiam intuitivam, quæ immaterialissima est, et ab inferioribus rebus corporeis nequaquam accepta ; *et deiformitatis integritatem,* id est integram assimilationem cum Deo respectu inferiorum : quia substantiæ illæ sunt omnino incorporales ; non sic homo, qui tamen Dei imago vocatur ; *et ut possibile, Deo similem habitum :* quia in caritate et sapientia Deo pro viribus conformantur. Non tamen caritas et sapientia habitus sunt in Deo, sed ejus essentia. Potest tamen per habitum Dei, intelligi firma et inauferibilis dispositio seu consistentia ejus in omni

A perfectione, felicitate et gloria, ac invariabili optimo suo statu. Habet itaque hierarchia illa superna « habitum » *ducentem in lucem**, quæ ducit *et ad sanctam ipsam consummationem.* Habitus namque ille ducit ad « lucem », id est in splendidissimam actualem Dei intuitionem : quæ intuitio ducit ad consummatam ac plene fruitivam quietationem in Deo. [* *In lucem ducentes*]

*Duces circa Deum primitivas essentias sacrosque ordines, deiformiter et proportionaliter transvehit* ad donatas eis semper* B *deificas scientias :* id est, lux illa consummativa « transvehit », id est, spiritualiter transfert, sicut in se quietus transfertur de inspectione unius objecti in aliud, « essentias primitivas », id est mentes supremas, quæ et inferiorum intellectuum « duces » sunt dirigendo eos ac reducendo in Deum, « sacros » quoque « ordines » angelorum inferiorum, « deiformiter », id est per puram et simplicem illuminationem, « et proportionaliter » secundum illorum dispositionem et capaci- C tatem : transvehit, inquam, eos « ad donatas semper eis deificas scientias ». Quæ sunt donatæ *ab ipsa per se ipsam perfecta et sapientifica divinorum animorum Divinitate,* id est a vera Deitate, quæ in se et per se infinite « perfecta » ac « sapientifica », est datrix et causatrix sapientiæ angelorum. [* *transvehunt*]

*Ipsi* autem primarum essentiarum subjecti ordines**, id est inferiores chori mentium supernarum, *tanquam per illas divinitus exaltati**, id est ad Deum altis- D simum per superiores reducti, quantum ad illuminationes hierarchicas et cognitiones divinorum effectuum, non quoad beatificam visionem, *ad deificam Divinitatis illuminationem,* id est ad instructionem a Deo, qua deificantur, id est, Deo similiores constituuntur, et instruuntur ad cognoscendum divina mysteria, prout a Deo præfixum est et eorum ordini dignitatique convenit, *perfecti ordines et sunt, et vere nominantur.* Unusquisque enim ordo angelicus in suo gradu et genere est per- [* *Ipsæ* * *subjectæ dispositiones* * *exaltatæ*]

fectus in naturalibus et supernaturalibus donis, quamvis unus sit altero perfectior. Diversi enim sunt gradus et species perfectionis, multisque modis dicitur aliquid esse perfectum, ut etiam quinto Primæ philosophiæ asseritur.

*Post illam vero cœlestem et supermundanam hierarchiam,* id est post hierarchiam angelicam, *in ea quæ secundum nos sunt,* id est in corda seu supposita ecclesiasticæ hierarchiæ, *benefice Deitas sacratissima**, id est sanctissima esse recognita, ac sacratissime culta, *suas donationes affert,* id est, beneficia sua largitur « benefice », id est liberaliter.

* Divinitas sacratissimas

*Crassis quidem exsistentibus, secundum Eloquium,* id est Judæis, qui teste Scriptura, erant carnales et rudes, *dedit** *juxta legem hierarchiam,* id est ordinationem hierarchialem secundum qualitatem legis eis collatæ. Siquidem ille populus fuit grossus, et legem eorum duritiæ ac ruditati proportionatam contulit eis, in qua jussit carnalia sacrificia immolari, et cærimonialia plurima observari. Judicialia quoque præcepta non pauca illis mandavit, in tantum quod beatissimus Petrus in Actibus fassus est, quod neque nos neque patres nostri servare illa potuimus. De hac re in epistolis suis plura loquitur S. Paulus : qui ad Corinthios legem Moysis vocat mortis administrationem, quia nec gratiam continebat, nec justificabat. Unde ad Galatas : Lex, inquit, pædagogus noster erat in Christo. Porro populo illi legis veteris Moyses in Deuteronomio ait : Durissimæ cervicis es populus, et non dedit vobis Deus cor intelligens usque in diem præsentem.

* donavit

Act. xv, 10. — II Cor. III, 7. — Galat. III, 24. — Deut. IX, 6; XXIX, 4.

*Obscuris verorum characteribus, et longissimis principalium exemplorum imaginibus, et difficilibus ad intelligendum ænigmatibus et figuris, non facile discretam habentibus multam** *eis contemplationem, in ipsis lucem** *infirmis adspectibus innocue declarans.* Hoc est : Deus dedit eis legem sub « characteribus », id est proprietatibus et descriptionibus, « verorum », id est rerum significatarum, « obscuris », id est ad intelligendum difficilibus, nec aperte insinuantibus quid signabant ; et sub exemplis « et imaginibus exemplorum principalium longissimis », id est valde præcedentibus atque præteritis (ut quod mare Rubrum significabat Baptismum ; liberatio Israelis ex Ægypto, redemptionem generis humani ex tenebris mundi per Filium Dei), « non facile habentibus », id est, in promptu non declarantibus, nec palam significantibus, « contemplationem », id est spiritualem intelligentiam, « discretam », id est discretive ac proprie intentam ac significatam per illas ; « declarans innocue », id est sine infirmi intellectus læsione, « adspectibus infirmis », id est mentibus nondum illuminatis nec confortatis, « lucem », id est spiritualem quemdam sensum et veritatem, « in ipsis ». Quemadmodum enim oculus corporis lippiens læditur intensam lucem cernendo, sic debilis intellectus, subtilem atque difficilem veritatem conspiciendo.

* occultam — * quæ in ipsis lucet — I Cor. x, 2.

*Hinc** *autem secundum legem hierarchiæ teleta quidem, ad spiritualem Dei cultum anagoge :* id est, ob hoc « teleta », id est mysterium, « hierarchiæ secundum legem », id est hierarchiæ legalis, fuit « anagoge », id est introductio, « ad cultum Dei spiritualem », scilicet evangelicæ legis (juxta illud ad Hebræos, Nihil ad perfectum adduxit lex) : introductio vero melioris spei, per quam approximamus ad Deum. *Manuductores autem ad eam, ipsi sanctum illud tabernaculum a Moyse sacre eruditi, primo secundum legem pontificum doctore et duce :* hoc est, « ipsi manuductores ad eam », id est evangelicæ legis culturam, puta magistri « eruditi sacre », id est spiritualiter instructi, « tabernaculum illud sanctum », id est de mystica significatione illius et contentorum in ipso, pertinentiumque ad illud factum « a Moyse primo doctore et duce pontificum secundum legem », id est legalium episcoporum veteris Testamenti.

* Huic — Hebr. VII, 19.

* Ad quod sanctum

*Ad sanctum quidem* tabernaculum introductive sacro scribens*, id est, de tabernaculo illo « scribens introductive », id est sapienter et mystice, prout competebat templo præfigurativo : ideo additur, « sacro », id est felici mysterio ; *secundum legem,* id est secundum congruentiam legis illius, *hierarchicam, imaginemque formæ ostensæ ei supra Sina montem,* id est ad imitationem exemplaris ostensi ipsi Moysi super verticem montis Sinai, juxta illud Exodi : Inspice, et fac secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est ; *vocat omnia secundum legem sacrificanda,* id est, omnia legalia dicit sacre et spiritualiter esse intelligenda, ac Deo mystice offerenda.

*Exod.* xxv, 40.

*Ante vero perfecta a legalibus symbolis,* id est, ea quæ olim fiebant sub « symbolis legalibus », utputa sub figuris et signis typicis legis, *proportionaliter ad perfectiorem doctrinam reducimus,* id est ad spiritualem intellectum prout proportionatum et coaptatum est evangelicæ legi. Qui tamen spiritualis sensus in talibus frequenter est litteralis : ut quum dicitur in Isaia, Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet : litteralis sensus non est de radice et flore, sed de Christo et ejus virginea præstantissima Genitrice. Similiter quum subditur : Erit justitia cingulum lumborum ejus, et fides cinctorium renum ejus. Itemque dum ibidem subjungitur, Habitabit lupus cum agno, et pardus cum hœdo accubabit, vitulus et leo et ovis simul morabuntur : sensus litteralis non est de bestiis illis, sed de hominibus significatis per illas.

*Is.* xi, 1. — *Ibid.* 5. — *Ibid.* 6.

*Perfectiorem autem doctrinam Theologia secundum nos hierarchiam dicit,* id est, sermo divinus affirmat quod hierarchia secundum nos, id est hierarchia ecclesiastica, sit doctrina perfectior, id est, id ad quod pertinet doctrina illa spiritualis perfectior, *plenitudinem hanc illius vocans et sacrum* finem,* id est, spiritualem istam intelligentiam Scriptura dicit esse « plenitudinem », id est plenarium spiritualemque sensum, ac « finem » litteralis intellectus. Ideo dixit Salvator : Non veni solvere, sed implere ; atque Apostolus, Finis legis est Christus.

* sanctum

*Matth.* v, 17. — *Rom.* x, 4.

*Est autem et cœlestis et legalis communicativæ medietati extremarum recepta,* id est, hierarchia ecclesiastica evangelicæ legis « est recepta », id est judicata, supple, congruere, « medietati communicativæ extremarum », scilicet hierarchiæ cœlesti et hierarchiæ synagogicæ, sic quod communicat cum utraque, et ita est medium per participationem, non per abnegationem. *Ei quidem communicans intellectualibus contemplationibus,* id est, cœlesti hierarchiæ comparticipans per spiritualem contemplationem, et item evidentiorem supernorum imitationem in hac vita ; *huic vero, quia signis* sensibilibus variatur,* id est, ecclesiastica hierarchia cum synagogica communicat sensibilibus signis et figuris ac sacramentis utendo. Ideo dicitur ad Hebræos : Umbram habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum. Lex quippe Mosaica umbram, id est obscuram repræsentationem, habuit futurorum cœlestium bonorum, non ipsam imaginem, id est non claram significationem, rerum illarum, quarum imaginem habet ecclesiastica hierarchia. *Et per ea sacre in Deum reducitur,* id est, per sensibilia et sacramentalia signa mox ad Deum convertitur, prout in sacramentis, quæ et gratiam continent, cernimus.

* symbolis

*Hebr.* x, 1.

*Trinum autem similiter habet hierarchicæ divisionis,* id est, ecclesiastica hierarchia dividitur in tria, sicut de aliis dictum est ; *in sanctissimas teletarum sacrificationes* divisa, et deiformes sacrorum ministros, et ab ipsis proportionaliter in sacra adducendos :* id est, ipsa hierarchia ecclesiastica « divisa in sacrificationes sanctissimas teletarum », id est mysteria sacramentorum et oblationum, seu in consecrationes illorum, circa quæ versatur et occupatur Ecclesia ; « et » in « deiformes sacrorum ministros », id est, in

* sanctificationes

eos qui ecclesiastica sacramenta tractant, A conficiunt, administrant, et sunt vicarii Dei ; « et ab ipsis proportionaliter in sacra adducendos », id est in subditos, quorum est purgari et sacramenta a superioribus sumere.

# ARTICULUS XLII

### DE TRIBUS IN QUIBUS ORDINATUR UNAQUÆQUE TRIUM NOSTRÆ HIERARCHIÆ DIVISIONUM.

U*NAQUÆQUE vero trium nostræ hierarchiæ divisionum, consequenter et legali et diviniori eorum quæ secundum nos hierarchiæ, prima et media et ultima ordinatur virtute :* id est, quælibet partium harum requisitarum ad complementum hierarchiæ ecclesiasticæ, aut etiam olim ad complementum hierarchiæ legalis, vel divinioris, puta angelicæ, ultra dividitur ac subdividitur in virtutem primam, et mediam, ac ultimam, hoc est in virtutem purgativam, et illuminativam, ac perfectam. *Et divina analogia prævisa,* hoc est præsupposita et præmissa moderatione Dei omnipotentis, qui has virtutes et actiones hierarchicas invicem comproportionatas facit et contemperatas, ut sit in omnibus connexio ordinata et colligatio pulchra. Ideo subditur : *et omni* bono ornatu,* id est, decore omni hierarchico ad unumquodque horum spectante præmisso. Non enim quod decet et ornat unum, ornat et aliud : quia non omnibus omnia conveniunt. In aliquo tamen communi conveniunt omnes et singulæ hierarchiæ. Unde subjungitur : *et secundum ordinem compacta et conjunctiva societate,* id est, conservata etiam in omnibus istis « societate », id est quadam consodalitate communicationis alicujus, in qua fundatur societas, « compacta », id est convenienti et solida, « et conjunctiva », id est unitiva diversorum in ordine uno, prout ad eumdem aliquem finem ordinantur, et simul conferunt ad decorem ac ordinem universi.

* omnium

B *Sanctissima ergo teletarum sacrificatio,* id est actio hierarchica quæ appellatur « sacrificatio », quia sacrificat hominem Deo, id est, sacrum facit formaliter, *primam quidem habet deiformem virtutem sanctam,* videlicet *imperfectorum purgationem,* hoc est vim et actum purgandi inferiores adhuc imperfectos; *mediam autem, purgatorum illuminatricem doctrinam,* id est, virtutem mediam et secundam scientiam habet illuminativam : quæ vocatur illuminatrix doctrina, quia per eam C persona hierarchica fit apta et potens alios illustrare ; *novissimam vero et priorum consummativam,* id est, tertiam et supremam actionem et vim habet, *eruditorum in scientia pulchrarum doctrinarum consummationem,* id est activam perfectionem eorum qui jam purgati sunt et eruditi seu illuminati.

*Ipsa autem sacrificantium dispositio,* id est potestas et gratia hierarcharum, quorum est alios sacros efficere, *in potenti virtute prima,* id est per primam suam D virtutem, quæ est vis purgativa, *per teletas,* id est eloquia Scripturarum, *purgat imperfectos,* ut dictum est ; *in media autem, luce,* id est per illuminationem, *ducit purgatos,* id est, dirigit eos ad salutem ; *in ultima vero et sublimissima sacrificantium virtutum,* id est virtute perfectiva, *perficit divino lumini communicantes,* id est, ad illuminationem pertingentes, *in contemplabilium illuminationum scibilibus contemplationibus,* id est scientificis rationibus et doctrinis informationum quæ

a superioribus descendunt et fluunt in mentes inferiorum.

*Perficientium autem virtus prima quidem est purgans* a culpa aut ignorantia, aut a dissimilitudine quadam et minoratione puritatis et nescientiæ; *media vero post purgationem illuminans,* id est, secunda virtus illorum est illuminativa, *et quorumdam sacrorum* * *contemplativa,* id est, tribuens illuminatis lucem sapientiæ ad contemplandum aliqua sacra; *ultima autem et divinior aliarum, ipsa sanctorum photismatum quorum efficitur contemplatrix, declarans consummativam scientiam :* id est, tertia et suprema virtus istorum, est vis perfectiva, et est contemplativa « sanctorum photismatum », id est sanctarum illuminationum : sic enim alia habet translatio. Efficitur ergo mens contemplatrix sanctorum photismatum, « declarans consummativam scientiam », id est, ostendens in se esse scientiam perfectivam, non informem, sed unitivam et reductivam ad ultimum finem.

* sanctorum

Istæ sunt tres potestates seu vires hierarchicæ : quæ ut communiter, non sunt realiter ab invicem distinctæ, sed potius ratione, per relationem ad actus distinctos. Imo et actus isti, purgatio, illuminatio, perfectio, non distinguuntur realiter, saltem in omnibus, præsertim in Sanctis, in quibus non est purgatio a peccato aut errore, ut patuit supra, etiam ex verbis auctoris. Eadem ergo actio, in quantum expulsiva dicitur ignorantiæ aut erroris, vocatur purgatio; et ut declarativa seu ostensiva veritatis, dicitur illuminatio; atque ut directiva seu reductiva in finem, nuncupatur perfectio et consummatio.

*Sanctæ ergo teletarum actionis trina virtus laudatur :* hoc est, « virtus », id est vis operativa, « actionis sanctæ », id est hierarchicæ effectionis seu efficientiæ, « teletarum », id est sacramentalium consecrationum, « laudatur », id est, cum laude asseritur esse, « trina », id est triplex, vel potius terna in operatione. *Sacræ* * *quidem theogenesiæ ex Eloquiis comprobatæ, purgatione :* id est, actio illa ostenditur esse purgativa « purgatione theogenesiæ sacræ », id est sacri Baptismatis, in quo regenerando eum qui baptizatur, habet actum purgativum, ab originali, ac aliis culpis si insunt, illum mundando : estque theogenesia, id est divina regeneratio illa, comprobata, id est roborata et approbata, « ex Eloquiis », id est Scripturis. Unde apud Matthæum dicitur : Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, etc.; et in Marco, Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit. De hoc etiam habetur apud Joannem. In Actibus quoque Petrus : Baptizetur, ait, unusquisque vestrum, etc. *Et purgativa illuminatione :* id est, actio hierarchica non solum ostenditur esse purgativa in Baptismo, imo etiam in Baptismo est illuminativa, in quantum per Baptismum infunditur gratia gratum faciens, et charismata ei annexa; character quoque imprimitur, ut supra in expositione patuit secundi capituli, ubi Baptismus nominatus est generatio et sigillum, illuminatio atque custodia.

* sanctæ

Matth. XXVIII, 19. Marc. XVI, 16. Joann. III, 5. Act. II, 38.

*Synaxeos autem et myri teletæ consummativæ divinorum actuum, cognitione et scientia :* id est, operatio præfata hierarchica, symbolica ac sacramentalis, probatur etiam esse illuminativa et perfectiva in sacra communione, quæ illustrat, perficit et conjungit communicantem fonti gratiarum, et in sacramento myri, id est Confirmationis, consummat, quum Sacramentum illud sit aliorum consummativum, id est perfectivum, sicut expositum est in isto capitulo. Itaque actio hierarchialis « cognitione et scientia », quas largitur instrumentaliter ac dispositive, est illuminativa ac perfectiva « teletæ », id est per teletam seu consecrationem (Græci quippe utuntur genitivo pro ablativo) : per teletam, inquam, « synaxeos », id est sanctæ communionis, « et myri », id est Confirmationis : quæ teleta seu consecratio est consummativa, id est perfectiva,

divinorum actuum, sicut ostensum est. *Per quam,* videlicet cognitionem et scientiam, seu per quam teletam et consecrationem in sacramentis prædictis, *sacerdotium ad Divinitatem tanquam unifica anagoge et beatissima communicatio perficitur :* hoc est, « sacerdotium », id est sacerdotalis potestas ad sacramentum Ordinis pertinens; vel, « sacerdotium », id est virtus qua quisque se ipsum immolat Deo hostiam vivam, sanctam, Deo placentem ; (Rom. xii, 1.) « perficitur ad Divinitatem » in donis gratiæ participandam, colendam, seu venerandam, « tanquam anagoge », id est sursumductione et elevativa devotione, « unifica », id est, unum faciente cum Deo per reductionem et recollectionem stabilem et internam, « et beatissima communicatio », id est, communio saluberrima, seu aliorum divinorum charismatum participatio seu receptio, perficitur et completur.

Consequenter in fine hujus capituli, auctor applicat atque continuat se ad dicenda in sequenti capitulo et deinde. *Nunc autem,* id est protinus in sequenti capitulo, *sacerdotalis dispositio,* id est hierarchialis seu ecclesiastica ordinatio, ac ordinata processio et exsecutio in actibus ad se pertinentibus, est *consequenter narranda,* id est describenda, *in purgativam et illuminativam et consummativam ordinationem divisa,* id est, quæ sacerdotalis dispositio « divisa » est « in ordinationem », id est ordinatam actionem, « purgativam, et illuminativam, et consummativam », id est perfectivam.

A Postremo, pro introductorum intelligentia clariori, congruit scire quod ad Confirmationem quinque necessario exiguntur ac pertinent. Duo ex parte sacramenti : quæ sunt materia, utputa chrisma, et forma verborum, quæ est, Consigno te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis. Hæc duo sunt de sacramenti hujus essentia. Duo quoque exiguntur ex parte ministri, puta intentio, et dignitas pontificalis, saltem de lege communi : siquidem aliqui opinantur quod dominus Papa possit in- B feriori committere, qui tamen sit ad minus sacerdos. Quintum quod exigitur, est ex parte suscipientis, determinata videlicet pars corporis, puta frons. Addi potest et sextum, quod sit ex parte suscipientis, secundum quod scilicet qui confirmandus est, sit baptizatus. Materia sacramenti istius est chrisma, in quo balsamum oleumque commixta sunt. Oleo namque, gratia Spiritus Sancti signatur et affluentia ejus. Balsamum vero elegantis est odoris, et a corruptione conservat. Quumque in Con- C firmatione Spiritus Sanctus ad robur ac copiam detur, ut de cetero sit idoneus miles Christi, et omnibus exemplaris, integerque virtutibus, recte chrisma censetur Confirmationis materia. Et quia in Confirmatione character imprimitur, non iteratur : quemadmodum nec Ordo, neque Baptismus. Contrahitur item per Confirmationem spiritualis cognatio matrimonii impeditiva : idcirco proximiori cognatione conjuncti, non tenent se in Confirmatione. De his alibi undique copiose habetur.

## PARAPHRASIS ABBATIS VERCELLENSIS

SACRAMENTUM chrismatis coordinatur sacramento Eucharistiæ; et in consecratione chrismatis eodem modo excluduntur imperfecti, sicut in consecratione Eucharistiæ, præmissis thurificatione episcopi, et psalmorum decantatione, et Scripturarum lectione. Deinde D episcopus superponit unguentum altari consecrandum, circumvelatum duodecim alis, concinentibus fidelibus : Sanctus, Sanctus, Sanctus, etc. ; alleluia. Et post orationis completionem confecto chrismate, episcopus utitur eo pene ad omnem hierarchicam operationem.

CONTEMPLATIO.

Circumvelatio chrismatis signat quod viri sancti spirituales suas operationes et gratias opportune celant propter fugam vanæ gloriæ : quod est Deo beneplacitum, juxta quod occulti et super mentem beneolentes decores divini, solis sanctis manifestantur, qui se eisdem secundum suam possibilitatem conformare desiderant. Qui enim bene imitatur incircumscriptum et beneolens insigne virtutis Deo conformantis vel conformis, adspiciens ad illam intelligibilem pulchritudinem, per hoc sibi illam, vel potius illi se conformat, juxta illud : (II *Cor.* III, 18.) Nos autem omnes revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tanquam a Domini Spiritu. Sicut enim in sensibilibus, si quis ad aliquod exemplar rescribendum, solum illud exemplar inspiciat indeclinabiliter, ad nihil aliud tractus, secundum nihil aliud divisus, ipsum exemplar secundum artificis possibilitatem quasi duplicabit, et utrumque in altero monstrabit, excepta substantiæ differentia ; ita intenta et indeclinabiliter attenta contemplatio amantium divinam pulchritudinem, et eam mentibus imprimentium, ingignet eis similitudinem deiformissimam, et non erroneam vitam. Unde viri spirituales sensum suum intellectualem, quasi quadam firma scriptura conformantes divino decori supersubstantialiter beneolenti, (*Matth.* VI, 1.) nullum opus virtutis faciunt ad hoc ut videantur ab hominibus ; sed attendunt exemplum circumvelationis sancti chrismatis, et ipsi juxta hoc exemplum virtutes interiores quibus Deo conformantur, a Deo sibi impressas, celantes, ad solum boni fontem respiciunt, a quo hæc percipiunt : quia non tantum a carnalibus celantur, sed neque ad eos in his attendunt. Unde non ea quæ vane apparent pulchra et justa, sed quæ vere sunt talia, amant. Neque respiciunt ad opinionem a multitudine irrationabiliter beatificatam ; sed bonum aut malum ad Dei imitationem in se ipsis judicantes, per hoc sunt insignes imagines divini boni odoris, qui in se habens veram suavitatem, non attendit ad opinionem multitudinis, informans unitatem non fictam sua vera imitatione, quæ bonum quod foris exhibet, intus per virtutem habet.

Deinde consideremus quid signet revelatio sive discoopertio chrismatis. Signat autem di- A vinam pulchritudinem facientem a se ipsa resplendere puram claritatem adimplentem nos puro bono odore : quia sensibilis operatio chrismatis non absconditur his qui sunt circa hierarcham, sed ab eis videtur, et tractatur, et velatur, et a multitudine separatur. Divinis enim et spiritualibus viris radius intelligibilis rerum spiritualium immediate elucens, et eorum mentes spirituali suavitate perfundens, ad alios minus vel non spirituales, non similiter procedit ; sed ab ipsis spiritualibus, sicut occulti intelligibilis contemplatoribus, sub ænigmatibus cooperitur, ne ab immundis con- B taminetur et imperfectis : per quæ ænigmata infirmiores et inferiores sursumaguntur secundum singulorum facultatem.

Chrismatis ergo confectio, ad perfectionem pertinet hierarchici ordinis et virtutis. Unde sancti Apostoli hoc sacramentum, tanquam Eucharistiæ coordinatum et idem efficiens, eisdem imaginibus in multis, et mysticis ornatibus et decantationibus ordinaverunt. Similiter et hierarcha cum thure aromatico ad chorum procedit, et ad altare revertitur, ostendens divinam participationem omnibus sanctis ingigni secundum singulorum digni- C tatem, et nihilo minus divinam plenitudinem in se ipsa immobilem incommutabiliter collocari. Similiter etiam cantica et lectiones sacræ Scripturæ educunt imperfectos ad filiorum adoptionem, et conversionem faciunt immunde vexatorum ; et auferunt contrarium timorem et attractionem ad peccatum a timide vexatis, monstrantes illis quid est deiformis habitus et virtus, secundum ipsorum proportionem : secundum quam virtutem et a se efficacius expellunt virtutes contrarias, et ad Dei imitationem obtinebunt magisterium medendi aliis, et immobiles erunt in bonis pro- D priis, et non solum in se habentes, sed aliis dantes virtutem activam contra tumultus contrarios. His autem qui a peccatis ad bonam mentem conversi sunt, sacræ Scripturæ odæ et lectiones imponunt habitum sanctum, ut in bono perseverent. Omnino vero castos, perfecte mundant ; sanctos autem inducunt ad inspectionem divinarum imaginum et communionem, cibantes ipsos beatis et intelligibilibus visionibus, et implentes uniformes eorum mentes unitate divina et nomine.

Chrismatis celebratio ordines non omnino mundos, de quibus supra diximus, ab ecclesia ejicit eodem modo quo celebratio Euchari-

stiæ, quum ista a solis sanctis in imaginibus visa sit, et a solis sanctis immediate inspecta et sanctificata sursumactionibus catholicis. Quæ ergo diximus, superflue repetere nolumus, attendentes quod hierarcha sanctum chrisma cooperit duodecim alis, et sic consecrat. Cujus hæc est theoria : Chrisma continet plures materias aromaticas, quæ se olfacientes grata odoris suavitate afficiunt, secundum quod magis aut minus eis participant. Unde sanctum chrisma Dominum Jesum signat, mentes nostras spiritualis delectationis influxionibus adimplentem. Si enim sensibilium aromatum susceptio moderata vim olfactivam nostram sanam delectabiliter refovet, pariter et intellectualem nostrum sensum spiritualis suavitatis discretivum, ab appetitu inordinato purgatum, secundum facultatem nobis divinitus indultam, susceptio divini boni odoris sancta delectatione et divinissimo alimento replebit. Chrismatis ergo aromatica compositio nobis signat Dominum Jesum, exsistentem fontanam copiam susceptionum divinarum suavitatum, refundentem de sua plenitudine divinissimas fragrantias ad deiformissimas primas intelligentias : in quibus mentes suaviter delectatæ, et sanctis susceptionibus adimpletæ, utuntur intelligibili alimento penetrante ad intimos suos intellectuales sinus, secundum divinam participationem beneolentium distributionum.

Manifestum est autem, quod fragratio divinæ fontalis suavitatis propinquior est primis animis cœlestibus quam nobis, et eisdem se magis manifestat et distribuit, supermanans copiose, et penetrans multipliciter in summam et intimam ipsorum virtutem talium susceptivam. Inferioribus vero angelis, tanquam minus capacibus, supremam visionem quæ ipsorum excedit capacitatem, celans, distribuit eisdem fragrantias, propriæ capacitati proportionales et commensuratas. Ordo ergo Seraphim, qui omnes alios cœlestes ordines tam sublimiter excedens, circa Deum stans et collocatus, et beatissimis visionibus ipsius intuitum infigens, et invisibili distributione in castissimis susceptionibus adimpletus, jugiter Deo acclamare dicitur, Sanctus, Sanctus, Sanctus, etc., signatur in duodenario alarum. (*Apoc.* IV, 8.) Dicuntur autem supernæ mentes divinas laudes clamare jugiter, propter infatigabilem et continuam ipsarum contemplationem, et inexstinguibilem et purum amorem. Unde quod

A eis attribuitur non tacens clamor, signat ipsarum æternam et intransmutabilem et invincibilem gratiarum actionem, et divinorum cognitionem sive contemplationem.

Quales autem sint invisibiles proprietates Seraphim in sacris Scripturis designatæ, nos per sensibilium collationem declaravimus in libro Hierarchiæ angelicæ. Quia tamen circumstantes episcopum in chrismatis celebratione, signant ordinem Seraphim, hic aliqua de ipso ordine et de ejus deiformissima claritate commemorabimus. Quod ergo dicuntur Seraphim habere multos vultus et multos pe- (*Ezech.* I, 5-10.)

B des, signat quod ipsi multum sunt perspicaces ad divinas principales illuminationes, et semper et multum mobiles in desiderio et amore divinorum bonorum. Quod autem Seraphim dicuntur habere senas alas, (*Is.* VI, 2.) non puto vim constitui in numero, sed signari quod prima, media, et ultima intellectualium et deiformium virtutum ipsius Seraph, qui est principalis et hierarcha in summo ordine, perfecte sunt sursumactiva et absoluta et supermundana. Unde Scriptura attribuens ei alas, circumponit eas circa vultus, et media, et pedes, (*Ibidem.*) signans per hoc universalem et largissimam

C sursumactionem ad vere exsistens. Quod autem dicuntur Seraphim velare pedes et vultus, (*Ibidem.*) et mediis alis volare, signat quod etiam summa et prima intelligentia reverenter cavet a præsumptuoso scrutinio altiorum et profundiorum theoriarum. In illis vero quæ sibi divina gratia cognoscenda exponit, juxta concessam sibi divinitus possibilitatem sursumagitur, supponens se divinis legibus, et ab ipsis ad sui cognitionem intellectualiter disposita. Quod autem alter Seraph ad alterum clamare dicitur, (*Ibid.* 3.) signat quod alter alteri, scilicet superior inferiori, influit de perceptis

D divinitus theoriis.

Quod autem summæ intelligentiæ Hebraice vocantur Seraphim, signat quod ipsæ quasi igneæ sunt et superferventes per divinam et immobilem flagrantem * vitam. (* immobiliter flagrantivam) Si ergo secundum Hebraicam interpretationem dicuntur Seraphim, incendentes et calefacientes, et hoc nomen declarat substantialem eorum habitum, et ipsi, juxta imagines mysticas eorum quæ fiunt in confectione chrismatis, habent virtutes sursummoventes ad manifestationem chrismatis, et † potius * (* prius) evocantes flagrativam * (* fragrativam) distributionem operationum. Etenim divina substantia super mentem beneolens,

diligit ab ignitis et mundissimis mentibus moveri, et procedere ad cognitionem, et donat divinissimas suas inspirationes in copiosissimis distributionibus, eis summis mentibus ipsam supermundane evocantibus. Divinissimus ergo ordo substantiarum cœlestium non ignoravit Jesum descendisse per incarnationem ad hoc ut sanctificaretur, et idem ordo intelligit Dominum Jesum propter divinam suam bonitatem se ipsum humiliasse ad nostræ naturæ assumptionem, et ipsum a Patre, et se ipso Deo, et Spiritu Sancto sanctificatum tanquam verum hominem ; et ex ipsius miraculis divina virtute patratis, novit ipsum esse proprium suum principium, secundum incommutabilitatem suæ divinæ substantiæ, vel secundum indistantiam a nostra natura. Unde symbolice apponit Ecclesia Seraphim sanctificato chrismati, sciens et describens Christum invariabilem secundum divinitatem, factum esse nihilo minus nobis totaliter connaturalem in vera humanitate, et ante operationem omnis sanctæ perfectionis, manifeste innuens, secundum Scripturam, Christum sanctificantem esse sanctificatum, sicut semper eumdem sibi ipsi secundum omnem suæ divinitatis operationem.

Propter quod et donum Baptismi perfectivum et gratia perficitur in perfectionibus chrismatis. Unde episcopus in fonte Baptismi superfundens chrisma in forma crucis, commemorat spiritualibus oculis, Dominum Jesum usque ad mortem per crucem se demersisse pro nostra regeneratione, et per incomprehensibilem suam divinam humiliationem avulsisse a veteri mortis corruptione, et renovasse secundum divinam et æternam
*Rom.* VI, 3. essentiam, eos qui secundum Apostolum, in mortem ipsius baptizantur. Sed et ipsi baptizato unctio sancti chrismatis donat superadventum Spiritus Sancti. In quo nobis insinuatur, quod ipse Jesus a thearchico Spiritu sanctificatus, virtute sua divina Spiritum Sanctum donavit Apostolis in Pentecoste. Unde ecclesiastica institutio habet quod altare consecratur chrismatis infusionibus. Altaris autem consecratio typum Christi gerit, qui est principium totius nostræ perfectionis deificæ, et substantia et virtus perfectiva. Ipse siquidem est divinissimum altare nostrum, et thearchica * sanctificatio cœlestium animorum, in quo et nos sanctificati et mystice oblati, accessum habemus ad Deum. Unde in altaris nostri consecratione per sanctum chrisma, quasi contemplamur intellectualiter Dominum Jesum verum altare, in quo perficiuntur quæ perficiuntur, et sanctificantur quæcumque sanctificantur, ab ipso divinissimo unguento perfectum. Ipse enim Dominus Jesus sanctificat se ipsum propter nos, et omni sanctificatione nos replet, perfectionibus ab ejus plenitudine ad nos sicut a Deo genitos, divina dispensatione dante, transeuntibus.

* hierarchica

*Ephes.* II, 18.

Unde Apostoli, secundum divinam inspirationem, hoc sacramentum, ex re perfecta realiter, vocant unguenti perfectionem, tanquam hac vocatione laudantes eam Dei perfectionem alterutro intellectu, scilicet active et passive. Est enim Christi perfectio, et secundum quod homo est, sanctificari, et secundum quod Deus, sanctificare et perficere ea quæ perficiuntur. Alleluia autem, secundum Hebræos, interpretatur, Laus Dei, vel, Laudate Deum. Omnia ergo quæ scripta sunt de Christi Dei apparitione et divina operatione, in variis signis ecclesiasticis symbolice expressa, scilicet notabiliora incarnationis dominicæ sacramenta, merito commemorantur in hymno prophetico, qui intelligitur aliquis psalmorum David intitulatus per Alleluia. Docet enim ille hymnus, deifica beneficia digna esse sanctis laudibus.

*Explicit capitulum IV, secundum Vercellensem. Cetera require post Commentarium capituli V.*

# CAPITULUM V

## DE SACERDOTALIBUS CONSUMMATIONIBUS.

LEX quidem hæc est Divinitatis sacratissima, per prima secunda ad divinissimam suam reducere lucem. Annon sensibiles elementorum essentias videmus in magis eis cognatiora primum venientes, et per illa in alia propriam dividentes operationem? Pulchre igitur omnis invisibilis et visibilis ornatus principium et fundamentum, in deiformes primos infert deificos radios venire, et per illos tanquam lucidiores animos, et ad participationem luminis et traditionem opportunum habentes, in subjectos proportionaliter eis illucet et superapparet. Horum igitur est primorum, deividum secundis copiose in commensuratione quæ juxta eos est, ostendere, et ab ipsis sacre contemplata divina spectacula, et docere quæ hierarchica sunt, cum scientia consummativa; divina quoque eos qui post se sunt hierarchiæ simul omnia bene docentium, et perfectam docendi virtutem accipientium, et tradere secundum dignitatem sacre, erudite et integre, participantium sacerdotali consummatione. Ergo divinus pontificum ordo, primus quidem est deividum ordinationum, sublimissimus autem et novissimus iterum idem. Etenim in ipsum perficitur et impletur omnis nostræ hierarchiæ dispositio. Ut enim omnem hierarchiam videmus in Jesum consummatam, sic unamquamque in proprium divinum summum sacerdotem. Ipsa autem hierarchici ordinis virtus in omnibus locatur sacris universitatibus, et per omnes divinos ordines operatur propriæ hierarchiæ mysteria. Discrete autem huic, ultra ceteros ordines, in suam operationem divina lex distribuit diviniores sacrificationes. Hæ autem sunt perfectrices divinæ virtutis imagines, consummantes omnia divinissima symbola, et omnes sacras dispositiones. Etsi enim a sacerdotibus perficiuntur quædam honorabilium symbolorum, sed nunquam aliquando sacram theogenesiam sacerdos operabitur sine divinissimo unguento. Neque divinæ communionis perficiet mysteria, nisi divinissimo altari communicativis superpositis symbolis. Sed neque ipse sacerdos erit, nisi ab hierarchicis consummationibus in hoc sortitus. Inde divina legislatio hierarchicorum ordinum sanctificationem, et divini unguenti consummationem, et sacram altaris purgationem, divinorum pontificum perfectivis virtutibus singulariter divisit. Est igitur sanctificus ordo consummativæ virtutis repletus, perfecta hierarchiæ discrete perficiens, in scientias sacrorum manifestativorum eruditus, et edocet proportionales eorum et sacros habitus et virtutes.

Sacerdotum autem luciducus ordo, in sanctas hostiarum inspectiones manuducit perfectos, sub divinorum pontificum ordine et post eum sacrificans proprias sacras

actiones. In quibus hoc quidem ipse agit : deificas ostendens per sacratissima symbola; et contemplatores advenientes perficiens, et sacrarum teletarum communicatores; in summum autem sacerdotem remittens scientiam contemplatarum sacrificationum desiderantes. — Ministrantium vero ordo purgativus et dissimilium discretivus, ante in sacerdotum sanctificationes accessionem purgat advenientes, puros eos perficiens contrariis, et ad sacrificam inspectionem et communicationem coaptatos. Inde in sancta theogenesia, ministri advenientem vetus denudant vestimentum, adhuc et absolvunt; et ad occasum in abrenuntiationem statuunt, et iterum ad ortum transducunt. Purgativæ enim sunt ordinationis et virtutis, repellere universaliter jubentes advenientibus prioris vitæ amictus, et prioris conversationis tenebrosum ostendentes, et edocentes eos reordinandos, ex non splendentibus in lucentia transcendere. Purgativa igitur est ministrativa dispositio, in manifestissimas sacerdotum sanctificationes reducens purgatos, et imperfectos dijudicans et inflammans mundativis Eloquiorum illuminationibus et doctrinis, et adhuc immundos sacerdotibus inconfuse separans. Propter quod et sanctis eam statuit portis hierarchica legislatio, ad sacra provenientium introitum in perfectissimis purgationibus insinuans, et ad sanctas eorum inspectiones et communicationes accessum purgativis virtutibus tradens, et per eas eos impollutos accipiens.

Ostensus est igitur a nobis pontificum quidem ordo, consummativus et perfectivus; sacerdotum autem, illuminativus et luciducus; ministrantium vero, purgativus et discretivus : scilicet hierarchico ordine, non perficere tantum, sed et illuminare simul et mundare cognoscente ; et sacerdotum virtute habente in se ipsa cum illuminativa et purgativam scientiam. Ipsæ quidem enim minores, in ea quæ meliora sunt, transmovere non possunt, eo quod injustum sit eis ad hujusmodi conari majestatem. Ipsæ autem diviniores virtutes, cum propriis et subjectas suæ perfectionis sacra scientia cognoscunt. Similiter, quoniam divinarum sunt actionum imagines ipsæ sanctificativæ dispositiones, bene ornati et inconfusi divinarum operationum ordinis, in semetipsis ostendentes ordinatas illuminationes in primas, et medias, et ultimas sacras actiones et ordinationes, in discretionibus hierarchicis ordinatæ sunt, manifestantes (ut diximus) in se ipsis divinarum operationum ordinatum et inconfusum. Quoniam enim Divinitas in quibuscumque inest animos purgat primum, deinde illuminat, et illuminatos consummat ad deiformem perfectionem; merito pontificalis divinarum imaginum, in discretas se ipsam alternat ordinationes et virtutes, aperte ostendens divinas operationes in sanctissimis et inconfusis ordinibus ponderate et inconfuse statutas. Sed quoniam sanctificas ordinationes et partitiones, virtutesque earum et operationes diximus, quantum nobis possibile est; et sacratissimas earum, quantum potentes sumus, inspiciamus consummationes.

## MYSTERIUM SACERDOTALIUM CONSUMMATIONUM.

Summus quidem sacerdos ad hierarchicam consummationem accedens, utroque pede inclinans ante conspectum divini altaris, super caput habet a Deo tradita Eloquia et hierarchicam manum; et hoc modo a perficiente eum summo sacerdote sanctissimis invocationibus consummatur. Sacerdos autem utroque pede inclinans in conspectu divini altaris, super caput habet hierarchicam dexteram; et hoc modo a perficiente eum summo sacerdote sacris invocationibus sanctificatur. Minister vero unum de pedibus inclinans in conspectu altaris, super caput habet perficientis eum summi sacerdotis dexteram, perficiendus ab ipso ministrantium consummativis invocationibus. Unicuique autem eorum cruciforme signatur a perficiente summo sacerdote signaculum; et per unumquemque prædicatio sacra fit, et consummativa salutatio, salutante omni divino præsente viro, et consummante summo sacerdote ad aliquid dictarum divinarum ordinationum consummatum.

## THEORIA.

Communia quidem sunt summis sacerdotibus, et sacerdotibus, et ministris, in sanctificativis eorum consummationibus : ad divinum altare accessus et inclinatio, hierarchicæ manus impositio, cruciforme signaculum, præconium, consummativa salutatio. Separata autem et discreta : summis quidem sacerdotibus, Eloquiorum super caput impositio, non habentibus hoc minoribus ordinibus; sacerdotibus vero, ambobus pedibus inclinatio, non habente hoc ministrantium consummatione : ministri enim, ut dictum est, unum inclinant de pedibus tantum.

Igitur ad divinum altare accessus et sufflexio, insinuat omnibus sanctificate perficiendis, supponere universaliter consummationis principi Deo propriam vitam, et suam intellectualem universitatem castissimam ipsi oblatam accedere et conformem, et ut est possibile, dignam exsistentem divino et sanctissimo et sacerdotali altari, offerente sanctifice deiformes intellectus. — Hierarchicæ autem manus impositio, similiter quidem manifestat perfectivam principalem protectionem, sub qua tanquam disciplinis sancti custodiuntur paterne, ipsis quidem habitum et virtutem sanctificativam donantem, contrarias vero eis virtutes segregantem. Docet autem simul et omnes perficere sanctificativas operationes, tanquam sub Deo agentes perfectos, et propriarum operationum eum habentes in omnibus ducem. — Cruciforme autem signaculum, omnium simul carnalium concupiscentiarum interdictionem, et Dei imitatricem vitam, respicientem recte in virilem Jesum, et in divinissimam vitam usque ad crucem et mortem cum divina impeccabilitate venientis : et sic viventes, tanquam conformes signantis in cruciformi propriæ impeccabilitatis imagine.

Sacram vero consummationum et consummandorum prædicationem summus sacerdos reboat, mysterio declarante quomodo amicus Dei sanctificator, manifestator est divinæ electionis, non ipse propria gratia perficiendos in sanctificativam ducens consummationem, sed a Deo motus in omnes hierarchicas sanctificationes. Sic Moyses legalis sanctificator, neque fratrem qui est Aaron, in sacerdotalem consummationem ducit, et amicum Dei se esse et sanctificum æstimans, donec divinitus in hoc motus a perfectionis principe Deo, sacerdotalem hierarchice perfectionem perficit. Sed et divinus noster et primus sanctificus (factus est enim et hoc propter nos), humanissimus Jesus, non se ipsum glorificavit, ut Eloquia aiunt; sed qui locutus est ad eum : Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Propter quod et ipse in sacerdotalem consummationem ducens discipulos, et quidem subsistens, ut Deus, perfectionis princeps, tamen in sanctissimum suum Patrem et divinum Spiritum, perfectionis principalem retulit hierarchicæ perfectionem, annuntians discipulis, ut Eloquia aiunt, ab Jerosolymis non recedere, sed exspectare promissionem Patris quam audistis mei, quia vos baptizabimini Spiritu Sancto. Et quidem et ipse discipulorum vertex, cum coordinata sibi hierarchica decade, in duodenarii discipulorum veniens sanctificam consummationem, in Divinitate electionem timidus reliquit : Ostende, dicens, quem eligam. Et a divina sorte divinitus ostensum, in sancti duodenarii hierarchicum numerum recepit. De divina autem sorte huic Matthiæ data, alii quidem alia dixerunt, nec recte, ut æstimo. Meum vero et ipse sensum dicam. Videntur enim mihi Eloquia sortem nominasse divinum quoddam donum, declarans illi hierarchico choro a divina electione ostensum. Præter* enim aliquid divinum, summus sacerdos non per se ipsum motus debet sacerdotales facere perfectiones, sed Deo submovente, eas hierarchice et cœlitus perficere.

*Hebr.* v, 5, 6; *Ps.* cix, 4.

*Act.* I, 4, 5.

*Ibid.* 15-26.

* Propter

Ipsa autem ad finem sanctificæ consummationis salutatio, sacram intelligentiam habet. Omnes enim quicumque adsunt, sanctificis exsistentes ordinibus, sed et ipse perficiens summus sacerdos salutat perfectum. Quum enim sanctificativis habitudinibus et virtutibus, et divina vocatione, et sanctificatione, ad sanctificam perfectionem advenit animus sacer, amabilis est coordinatis et sacratissimis ordinibus, in deiformissimam ductus pulchritudinem, amantibus æquiformibus animis, et ab eis sacre adjutus. Inde ad se invicem sanctifica salutatio sanctificatur æquiformium animorum, sacram societatem declarans, et inter se invicem amabilem lætitiam, tanquam integre salvantem sanctificativa formatione deiformissimam pulchritudinem.

Hæc igitur, ut diximus, sunt communia totius sanctificæ consummationis. Summus autem sacerdos discrete habet Eloquiorum super caput sanctissimam superpositionem. Quoniam enim consummativa totius sacerdotii virtus et disciplina, divinis summis sacerdotibus a divina donatur et perfectionis principe bonitate, pulchre in hierarchicis capitibus superponuntur Deo tradita Eloquia continuatim et disciplinate manifestatoria totius theologiæ, et theoptiæ*, et theophaniæ, unaque ratione, omnium divinorum et sacrorum operum et verborum quæ a benefica et

* theurgiæ

divina operatione nostræ hierarchiæ donata sunt : tanquam deiformi summo sacerdote totius hierarchicæ virtutis integre participante ; omnium autem hierarchicarum sanctarum laudationum et sanctarum actionum veram et Deo traditam scientiam, non illuminato tantum, sed et aliis proportionibus hierarchicis tradente, et perficiente in divinissimis scientiis et sublimissimis anagogis, hierarchiceque simul omnia totius hierarchiæ perfectissima. Sacerdotibus autem pedum inclinatio conveniens est ultra ministrativam dispositionem, tanquam unum inclinante illa, et hoc hierarchico schemate consummante. Ipsa igitur inclinatio significat subjectum accessum accedentis, referentis Deo quod divinitus accedens. Quoniam vero, ut sæpe diximus, tres sacræ consummantium dispositiones, propter tres sanctissimas teletas et virtutes supersedent tribus consummandorum ordinibus, et sub divina juga salutarem eorum sacrificant accessum ; apte ministrativa dispositio, tanquam purgativa, unam sacrificat purgandorum accessionem, sub divinum eam supponens altare, tanquam in ipso purgatis animis supermundane oblatis. Sacerdotes autem utroque pede inclinant, veluti suis sacris accessibus non solum mundantibus, sed et manifestissimis suis sacrificationibus anagogice purificatam vitam in contemplativum habitum et virtutem sacrifice consummantibus. Summus autem sacerdos utroque pede inclinans, super caput habet Deo tradita Eloquia, Dei ministrativa virtute purgatos et sacrifica illuminatos, ad inspectorum ab ipsis sacrorum proportionaliter eis scientiam hierarchice ducens, et per eam consummans accedentes in integram secundum eos oblationem.

## ARTICULUS XLIII

### ELUCIDATIO PARTIS PRIMÆ HUJUS CAPITULI QUINTI : DE SACERDOTALIBUS PERFECTIONIBUS, AC PRIMUM DE IIS QUÆ PECULIARIA SUNT EPISCOPIS.

TRACTATUM jam est de sacramentis A quibusdam, et specialiter tribus, Baptismo, Eucharistia, et Confirmatione. Nunc de eorumdem ministris tractatur, episcopo scilicet, sacerdote, et diacono.

*Lex quidem hæc est Divinitatis sacratissima,* id est, Deus creator ita instituit et præcepit, hancque rebus creatis ordinationem seu legem impressit, *per prima secunda,* id est inferiora et sequentia, inanimata et irrationalia, corporalia et corruptibilia, per superiora ac præcedentia, per viva et rationalia seu intellectualia B ac spiritualia, *ad divinissimam suam reducere lucem,* id est ad se ipsum ac ultimum finem divinæque bonitatis participationem dirigere, secundum singulorum capacitatem, naturam aut merita. Attingit Sap. VIII, 1. enim a fine usque ad finem fortiter, disponens universa suaviter. Unicuique quoque naturæ præfixit proprium finem, et indidit ei naturalem inclinationem ad illum, et de necessariis mediis congruenter providit. Hinc ipse verissime perhibetur omnium rector, princeps et rex. De quo in libro de Causis asseritur : Causa prima regit res creatas præter quod commisceatur cum eis ; itemque, Primum regit res

omnes per finem decoris pulcherrime. Istud consequenter probat Theologus per ea quæ in inferioribus cernimus.

*Annon sensibiles elementorum essentias videmus in magis eis cognatiora primum venientes, et per illa in alia propriam dividentes operationem?* id est, utique istud videmus. Nam activa primo agunt et influunt in propinquiora, et per illa in remotiora : quemadmodum ignis prius illuminat et calefacit quod sibi propinquius applicatur. Etenim a distanti in distans itur per medium.

* igitur *Pulchre ergo* omnis invisibilis et visibilis ornatus principium et fundamen-*
*deiformes *tum, in deiformiores* primos infert deificos radios venire.* Id est : Ex sensibili et naturali illo probatur exemplo a posteriori, quod Deus omnipotens, qui est « principium » exemplare ac effectivum, « et fundamentum » causale, non materiale,
Hebr. I, 3. nec subjacens, sed omnia portans suo imperio et sua sustentans virtute. De quo
Job XXVI, 7. scriptum est in Job : Qui extendit aquilonem super vacuum, et appendit terram
Ps. LXXIV, 4. super nihilum. Et in Psalmo testatur : Ego confirmavi columnas ejus. Qui est principium exemplare totius pulchritudinis et « ornatus visibilis et invisibilis », materialis et immaterialis, naturalis et supernaturalis. De quo ex verbis Platonis in
Boetius, lib. III, metr. 9. Timæo, deprompsit Boetius :

Tu cuncta superno
Ducis ab exemplo, pulchrum pulcherrimus ipse
Mundum mente gerens, similique in imagine [formans.

Ipse primo et principaliter influit « radios » suos « deificos », id est lumina gratiæ et gloriæ, quibus mentes recipientium deificantur, id est, Deo sublimiter assimilantur, « in primos deiformiores », id est angelos altiores, Creatori in naturalibus atque gratuitis conformiores : quorum
Ezech. XXVIII, 14, 12. uni locutus est, Tu Cherub signaculum similitudinis.

*Et per illos tanquam lucidiores animos,* id est tanquam per clariores et sapientiores intellectus, *et ad participatio-* A *nem luminis et traditionem opportunum habentes,* id est per illos tanquam per eos qui habent « opportunum », id est convenientius medium, eminentiorem capacitatem, et dispositionem nobiliorem, tam ad participandum illuminationem a superiore, quam ad tradendum et communicandum eam inferioribus : idcirco per illos irradiat *in subjectos,* id est in angelos ordinum inferiorum, sicque *proportionaliter eis illucet et superapparet,* id est, inferioribus illis desuper apparet atque B infulget per superiores, præsertim in illuminationibus hierarchicis, quæ versantur circa divinorum cognitionem effectuum.

*Horum ergo* est primorum,* id est, ad angelos istos primo spectat, *deividum,* id est, hoc ipsum quod ipsi cognoscunt et vident de Deo circa regimen rerum, *secundis copiose in commensuratione quæ juxta eos est, ostendere,* id est inferioribus liberaliter revelare secundum proportionem et discretionem qua hoc fieri congruit, utputa *et ab ipsis sacre contem-* C *plata divina spectacula,* id est objecta ipsis desuper manifestata, ut sunt mysteria gratiæ, et incerta atque occulta sapi- Ps. L, 8.
entiæ suæ, quæ superioribus abundantius pandit; *et docere quæ hierarchica sunt,* id est pertinentia ad dispositionem ac regimen universi, præsertim Ecclesiæ militantis, *cum scientia consummativa,* id est formata et perfectiva, quæ tendit ad inflammationem amoris. De his quippe superiores docent inferiores, non de increato objecto, quod omnes Beati clare D et immediate conspiciunt, ac alia multa in eo, non tamen tam multa et alta ut superiores. Ideo de talibus illuminantur et docentur a superioribus, prout super Angelicam hierarchiam diffusius est expressum.

* igitur

*Divinaque* eos qui post se sunt hierarchiæ simul omnia bene docentium, et perfectam docendi virtutem accipientium, et tradere secundum dignitatem sacre, erudite et integre, participantium sacerdotali consummatione.* Hoc est : Superiorum

* Divina quoque

illorum est inferiores instruere, tanquam « bene docentium simul omnia divina » quæ sunt « hierarchiæ », id est quæ spectant ad hierarchiam quamcumque : quæ omnia divina ipsi præ ceteris sciunt, et docere valent « eos qui post se sunt ». Superiorum dico, « accipientium virtutem docendi perfectam » a Deo, « tradere », id est ad tradendum et communicandum inferioribus, « sacre », id est caritative, et « erudite », id est sapienter, « et integre », id est abundanter, non parce, « secundum dignitatem », id est dispositionem et capacitatem, « participantium consummatione sacerdotali », id est inferiorum qui cum superioribus ecclesiasticæ hierarchiæ, puta cum sacerdotibus, convenientiam habent. Unde et sacerdos angelus Dei vocatur, ut apud Malachiam : Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem ex ore ejus requirent, quia angelus Domini exercituum est. Angeli quoque se ipsos Deo in holocaustum plene sacrificant.

*Malach.* II, 7.

*Ergo divinus pontificum ordo, primus quidem est deividum ordinationum,* id est ordinum seu congregationum contemplantium Deum in ecclesiastica hierarchia, seu ordinum divisorum, id est inter se distinctorum. Verumtamen episcopatus, archiepiscopatus, Papatus, proprie non sunt ordo nec ordines, prout Ordo est sacramentum et potestas spiritualis circa verum Christi corpus ministerium habens seu ad actus sacramentales ; sed quædam dignitates, jurisdictiones et relationes superadditæ sacerdotio, ut frequenter. Verum nunc sumitur ordo extense, pro spirituali potestate ad jurisdictionem spectante.

*Sublimissimus autem iterum idem,* id est, ordo episcopalis est summus inter gradus et ordines ecclesiasticos, præsertim secundum quod sacerdotium est includens. Episcopi namque Apostolorum sunt successores. Sed sicut beatissimus Petrus princeps, id est prælatus, caput et vertex fuit Apostolorum, ita et Papa pontificum, non ob ordinem proprie dictum sublimiorem, sed latiorem jurisdictionem. Denique, secundum doctores super quartum et alibi, plenitudo ecclesiasticæ potestatis tria includit, videlicet : sacerdotium, quæ est potestas spiritualis circa corpus Christi verum. In qua potestate omnes sacerdotes sunt æquales. Nec in ea est Papa super simplicem sacerdotem, nec aliquem actum habet altiorem circa verum Christi corpus, quam infimus sacerdos, sed circa mysticum corpus Christi. Secundum est episcopalis potestas, quæ est de genere qualitatis, et manet secundum suam essentiam in episcopo degradato seu absoluto, in quo tamen non manet pristina jurisdictio. Hinc non consecratur de novo, si in pristinum gradum reponatur. In hac quoque potestate episcopali, non est unus episcopus alio major aut altior, sed solum in tertio, quod est jurisdictio, quæ in solo summo Pontifice est suprema.

*Et novissimus idem** : id est, episcopus est non solum supremus in Ecclesia, sed item novissimus, tanquam ceterorum fundamentum in quo resolutio quædam sistit ; et virtualiter agit ac manet in inferioribus, qui operantur in potestate superioris : quemadmodum in prima propositione libri de Causis et ejus commentario elucidatur, quod prima causa plus influit quam quæcumque causa secunda ; et quod causa secunda retrahente suam causalitatem, prima suam non retrahit, quoniam est adhærentiæ vehementioris. Idem dixerunt Plato et Proclus. Hinc subditur :

* alias om. *idem*

*Etenim in ipso** *perficitur et impletur omnis nostræ hierarchiæ dispositio,* id est, tota efficacia, virtus et ordinatio ecclesiasticæ hierarchiæ, in episcopo seu episcopali potestate consummatur, continetur et sistit tanquam in apice. Hierarchia etenim est unum totum potestativum, cujus natura est quod potestates partium inferiorum virtualiter et eminenter continentur in potestate partis superioris, quemadmodum in potestate regis, potestates ducis et marchionis ac comitis.

* *ipsum*

*Ut enim omnem hierarchiam videmus in Jesum consummatam.* Christus enim est caput et princeps, fundamentum, perfector et finis universæ hierarchicæ collectionis, tam angelicæ quam humanæ, sicut docet Apostolus ad Ephesios, dicens : Deus constituit Christum ad dexteram suam in cœlestibus, super omnem Principatum et Potestatem et Virtutem et Dominationem. Nam et Jesus, etiam secundum naturam assumptam ut Verbo unitam, caput et princeps ac prælatus est omnis hierarchici principatus ac ordinis. *Sic unamquamque in proprium divinum summum sacerdotem :* id est, quamlibet particularem Ecclesiam seu hierarchiam videmus et dicimus consummatam, per respectum et relationem ad proprium suum episcopum. Imo omne ovile, omnis congregatio, omnis plebs, per comparationem ad suum præsidentem, pastorem seu præsulem, est quid unum, et unum mysticum corpus, una societas, et a capite suo proprio quamdam unitatem sortitur. Hinc libro de Consideratione sanctus testatur Bernardus, quod Christus dicendo ad Petrum, Pasce oves meas, commendavit unitatem in uno pastore et in uno grege. Hinc omnis pastor, præsul et præsidens, per prius comparatur ad subditos suos et ad suum ovile collective, quam divisive. Unde et dominus Petrus de Alliaco, in libro suo de Ecclesiastica potestate, ostendit quod Romanus Pontifex per prius comparatur ad universalem Ecclesiam, quam ad quamcumque Ecclesiam particularem.

*Ephes.* I, 20, 21.

*Joann.* XXI, 17.

De hoc in opusculis de Auctoritate generalium conciliorum et de Potestate summi Pontificis, plenius scripsi. In quibus etiam aliqui contra me scripserunt valde erronee, imponentes mihi errores valde enormes, quos nunquam concepi nec cogitavi : ut quod ex una parte in opusculis illis imposuerim errorem generali concilio, ex alia parte summo Pontifici : quod prorsus falsissimum est, sicut jam passim pluribus constat quibus sæpe opuscula illa ostendi. Ex his demum quæ sa- A cratissimus Dionysius scribit hic, illorum veritas demonstratur.

*Ipsa enim* hierarchici ordinis virtus,* id est pontificalis potestas, quæ suæ particularis hierarchiæ quoddam est fundamentum, et omnes illius potestates includens, *in omnibus locatur sacris universitatibus,* id est, in omnibus congregationibus et ordinibus suæ jurisdictioni subjectis continetur ac relucet, *et per omnes divinos ordines,* id est in cunctis illis sibi commissis, *operatur propriæ hierarchiæ my-* B *steria,* id est specialia quædam officia in sua diœcesi, quæ aliis ibi illicita sunt, nisi ex superioris indulto aut licentia : ut sacros ordines dare, ecclesias aut altaria consecrare, virgines sacras velare, chrisma conficere.

* *autem*

*Discrete autem huic, ultra ceteros ordines, divina lex distribuit :* id est, ecclesiastica ac divina ordinatio concedit et committit « huic », puta episcopo, « ultra ceteros ordines », id est præ inferioribus ecclesiasticis potestatibus atque or- C dinibus, « discrete », id est proprie ac singulariter. Sicut enim potestas episcopalis est specialis forma et virtus, sic habet et proprios actus, quum nulla res expers sit propriæ operationis, ut et Damascenus fatetur. De quibus subjungitur : *in suam operationem,* id est pro exercitio suo, imo pro operationum suarum congerie, *diviniores sacrificationes,* id est excellentiores quasdam sanctificationes et consecrationes, ut dictum est.

*Hæ autem sunt perfectrices divinæ* D *virtutis imagines,* id est, operationes prætactæ episcopo propriæ, sunt perfectrices aliorum sacrorum, et sacramentalium actuum ac signorum, quia per operationes istas perficiuntur, benedicuntur ac terminantur. Ideo operationes istæ sunt « imagines virtutis divinæ », id est res quædam in quibus omnipotentia Dei repræsentatur, quemadmodum creata et ideata sunt velut imagines quædam et similitudines exemplarium rationum mentis divinæ, ex quibus derivantur ac dedu-

cuntur. *Consummantes omnia divinissima symbola,* id est, perficientes et consecrantes sacramentalia signa et sensibilia opera, instrumenta et media sacramentorum ac cultus divini, *et omnes sacras dispositiones,* id est ritus et observationes aut cærimonias in divinis. Quod consequenter per exempla declarat.

*Etsi enim a sacerdotibus perficiuntur quædam honorabilium symbolorum,* id est, quamvis simplices sacerdotes benedicant et consecrent sensibilia quædam, ut sunt materiæ sacramentorum, ut panem et vinum, et aquam Baptismi; *sed nunquam in theogenesiam* *, id est Baptismum, *sacerdos operabitur,* id est, nunquam aliquem baptizabit, *sine divinissimo unguento,* id est chrismate ab episcopo consecrato : sicque concurrit ibi completive effectus episcopalis virtutis. Verumtamen istud sane intelligendum est. De sacramentis enim contingit loqui dupliciter. Primo, quoad ea quæ spectant ad ea secundum eorum solennitatem, et quantum ad bene esse : sicque oportet baptizatum chrismate ungi. Et ita loquitur hic Theologus. Secundo, quoad spectantia ad necessitatem et veritatem ac proximam efficaciam sacramenti : et ita non oportet baptizatum ungi, imo nec confirmari.

* sed nunquam aliquando sacram theogenesiam

*Neque divinæ communionis perficiet mysteria,* id est, non celebrabit, nec populum communicabit licite et de jure, *nisi divinissimo altari communicativis superpositis symbolis,* supple, pane et calice. *Sed neque ipse sacerdos erit,* id est, homo non erit sacerdos, *nisi ab hierarchicis consummationibus in hoc sortitus,* id est, nisi per consecrationem episcopalem, potestatem sacerdotalem sit consecutus. Verumtamen, sicut prætactum est, sacerdos

A de facto, et item ex dispensatione aut necessitate urgente, potest celebrare sine altari divinissimo; sed Theologus loquitur secundum legem communem.

*Inde divina legislatio hierarchicorum ordinum sanctificationem, et divini unguenti consummationem, et sacram altaris purificationem* *, *divinorum pontificum perfectivis virtutibus singulariter divisit :* id est, Spiritus Sanctus per sanctos patres, præsertim per Apostolos, instituit ac præcepit ut hæc opera per episcopos

B fiant, et per virtutes eorum perfectivas, videlicet per sacerdotalem et pontificalem potestatem : per quas efficiunt « sanctificationem ordinum hierarchicorum », id est, ministros Ecclesiæ consecrant : quorum characteres imprimuntur a Deo per creationem ; episcopus vero instrumentaliter et dispositive cooperatur. Sic quoque « divini unguenti consummationem », id est consecrationem, complet, et dedicationem altaris.

* purgationem

*Est ergo* * *sanctificus ordo* (alia translatio habet, Pontificalis) *consummativæ*

C *virtutis repletus,* id est perfectiva vi adimpletus. Perficere enim et majores sanctificationes efficere, spectat ad ipsum. Ideo subditur : *perfecta hierarchiæ,* id est, ea quæ in hierarchia sunt majora et perfecta, *discrete perficiens,* id est cum eminentia singulari : *et* * *scientias sacrorum manifestativorum eruditus,* id est doctus mysticas significationes sacramentalium signorum et eorum quæ aliquid spirituale designant, ita quod talia potest

D exponere, *edocet* * *proportionales eorum et sacros habitus et virtutes,* id est habituales talium proprietates ac vires, per quas proportionatæ sunt spiritualia seu abdita designare.

* igitur

* in

* et edocet

# ARTICULUS XLIV

### DE PROPRIIS AC PRÆCIPUIS SACERDOTUM ET DIACONORUM ACTIBUS.

SEQUITUR de proprietatibus et actibus sacerdotum et diaconorum juxta ritum primitivæ Ecclesiæ, in qua solum erant distincti tres ordines isti, episcoporum scilicet, et sacerdotum, ac diaconorum.

*Sacerdotum autem luciducus ordo,* id est sacerdotes quorum est luce doctrinæ per iter salutis ducere proximos, *in sanctas hostiarum inspectiones manuducit perfectos,* id est, baptizatos et aliunde paratos perducit ad videndum Ecclesiæ sacramenta; *sub divinorum pontificum ordine,* quia sacerdotes episcopis subsunt, et eorum directione reguntur, *et post eum sacrificans proprias sacras actiones,* id est, ordo sacerdotum post episcopos ad Dei honorem exsequens et exhibens opera et sacrificia ad officium suum spectantia. *In quibus hoc quidem ipse agit* quod subditur : *deificas,* id est res divinas et sacramentales, *ostendens per sacratissima symbola,* id est sensibilia signa aut vascula sub quibus latent; *et contemplatores advenientes,* id est, eos qui veniunt ut videant dominica sacramenta, *perficiens* aliqua informatione, vel admittendo eos ad inspectionem sacrorum, *et sanctarum* * *teletarum communicatores,* id est, sacramentorum participatores eodem modo perficiens ; *in summum autem sacerdotem remittens scientiam contemplatarum sacrificationum desiderantes,* id est, eos qui cupiunt scire significationes, rationes et mysteria oblationum et sanctarum actionum quas viderint, dirigens ad præsulem : de quibus profundius edocere populum, reservatur episcopo tanquam spiritualissimo et in divinis doctissimo.

* sacrarum

*Ministrantium vero,* id est diaconorum, *ordo purgativus,* id est habens inferiores
A purgare, *et dissimilium discretivus,* id est separans immundos et infideles a mundis, *ante in sacerdotum sanctificationes accessionem purgat advenientes,* id est, mundat eos qui veniunt, ut purgentur « ante accessionem » ad « sanctificationes sacerdotum », id est, antequam permittat eos aggredi illuminationem a sacerdote, *puros eos perficiens contrariis,* id est, ab oppositis malis exhibens eos purgatos, *et ad sacrificam inspectionem et communicationem coaptatos,* id est, aptos eos con-
B stituens ad intuitionem sanctæ oblationis et sacræ communionis tempore opportuno ; vel, « ad communicationem », conversando inter fideles.

*Inde in sancta theogenesia, ministri advenientem,* id est post prædicta, ministri, id est diaconi, eum qui venit ad Baptismi regenerationem, *vetus denudant,* id est exuunt, *vestimentum, adhuc et absolvunt* ab impedimentis accedendi, *et ad occasum in abrenuntiationem statuunt,* id est, ducunt illum ad occidentalem plagam
C templi, ut ibi renuntiet Satanæ et actibus ejus : qui Orienti, id est Christo, adversatur, de quo loquitur Zacharias : Ecce vir, Oriens nomen ejus. *Et iterum ad ortum,* id est partem orientalem, *transducunt,* in signum quod divinæ illuminationi jam propinquavit.

Zach. vi, 12.

*Purgativæ enim sunt ordinationis et virtutis,* id est, diaconi sunt ordinis purgativi, et vim habent purgandi, *repellere universaliter jubentes advenientibus,* id est, ipsi diaconi « jubentes advenienti-
D bus » ad Baptismum « repellere universaliter », id est, ut generaliter ac totaliter repellant et abjiciant, *prioris vitæ amictus,* id est consuetudinem et habitus vi-

tiorum, quibus quasi vestimento fuerunt A operti, juxta illud Psalmi : Operiantur sicut diploide confusione sua. *Et prioris conversationis tenebrosum,* id est congeriem tenebrarum ac caliginem passionum pristinæ vitæ, quæ potius fuit mors quam vita (de qua Salomon : Via, inquit, impiorum tenebrosa, nesciunt ubi corruant. De quo amictu alibi scriptum est : Odientes eam quæ carnalis est, maculatam tunicam. Unde et Paulus : Exuite, ait, veterem hominem cum actibus suis), *ostendentes,* id est, per hanc corporalem nudationem monstrantes eos oportere abjicere. *Et edocentes eos reordinandos,* id est a prioribus inordinationibus reformandos ac ordinandos in melius, utputa *ex non lucentibus** *in lucentia transcendere,* id est ex consortio hominum vitiis obtenebratorum, ad incorporationem fidelium fide et gratia splendidorum procedere, sicut talibus scripsit Apostolus : Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Unde per Isaiam Dominus dixerat : Deducam cæcos in viam quam nesciunt.

Ps. CVIII, 29. — Prov. IV, 19. — Judæ 23. — Coloss. III, 9. — * splendentibus — Ephes. V, 8. — Is. XLII, 16.

*Purgativa ergo** *est ministrativa dispositio,* id est, officium istud diaconorum est purgativum, *in manifestissimas sacerdotum sanctificationes reducens purgatos,* id est, aptans et ducens ita mundatos ad claras et salubres illuminationes sacerdotum ; *et imperfectos dijudicans,* id est, salubriter judicans, per hoc quod ostendit eis imperfectionem ipsorum, ut inde dolentes ac bene erubescentes, accendantur et festinent ad meliora ac viciniora saluti : hinc subditur, *et inflammans mundativis Eloquiorum illuminationibus et doctrinis,* id est, corda illorum accendens præceptis Scripturarum illuminativis ac salutaribus documentis. Nempe ut ait Psalmista : Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos. Et rursus : Lucerna, inquit, pedibus meis verbum tuum, Domine, et lumen semitis meis. Hinc in Proverbiorum libro inducitur : Mandatum lucerna est, et lex lux, et via vitæ increpatio disciplinæ. Denique hujusmodi mundativæ illuminationes sunt verba ista Scripturæ : Omni custodia custodi cor tuum. Maledictus qui facit opus Dei negligenter. Cum metu et tremore vestram salutem operamini. Et consimilia pene innumera. *Et adhuc immundos,* id est nondum purgatos, *sacerdotibus inconfuse separans,* id est, ab inordinato et imparato accessu ad illuminationes sacerdotum prohibens, ut tactum est, « inconfuse », id est ordinate, vel sine illorum confusione, videlicet sapienter et caritative.

* igitur — Hebr. VI, 9. — Ps. XVIII, 9. — Ps. CXVIII, 105. — Prov. VI, 23. — Prov. IV, 23. — Jer. XLVIII, 10. — Philipp. II, 12.

B *Propter quod et sanctis eam statuit portis hierarchica legislatio :* id est, ob istud præfigurandum, « legislatio hierarchica », id est præceptum legis Mosaicæ hierarchialis : quod in libro Numerorum et in ultima visione Ezechielis habetur ; « statuit eam sanctis portis », id est, dispositionem ministrantium in templo ordinavit stare ad portas seu januas templi, videlicet ipsos ministros seu Levitas ; *ad sacra provenientium introitum in perfectissimis purgationibus insinuans,* id est, lex statuit hoc, « insinuans », id est, C per hoc designans, « introitum provenientium ad sacra », id est accessum pertingentium ad sacra mysteria ac sacramenta Ecclesiæ, consistere « in purgationibus perfectissimis », quæ ad illuminationem et sanctificationem præparant et perducunt. Unde dicitur in Psalmo : Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo ? qui ingreditur sine macula. In cujus figurationem etiam multi secundum legem immundi, prohibebantur ab ingressu templi D tempore legis.

Num. I, 53; III, 6, 25, 28, 32; IX, 19, 23; XVIII, 4, 5; XXXI, 30, 47; Ezech. XL, 45, 46; XLIV, 11, 14. — Ps. XIV, 1, 2. — Lev. XII, 4, 6; XIV, 11; XV, 14, 29; XXI, 23; XXII, 9.

*Et ad sanctas eorum inspectiones et communicationes accessum purgativis virtutibus tradens,* hoc est, assignans exercitiis vitæ purgativæ, seu actibus virtutum purgativarum (ut sunt actus pœnitentiæ et virtutum moralium passiones reformantium), tanquam meritoriis, « accessum ad inspectiones et communicationes » sacrorum locorum et mysteriorum ac sacramentorum Ecclesiæ, *et per eas eos impollutos accipiens,* id est, per præ-

vias illas purgationes ac præparationes A « accipiens » illos fideles sic mundatos, « impollutos » pro nunc, quamvis antea fuerint inquinati. Qualibus scripsit Apostolus : Sed mundati estis, sed sanctificati estis. I Cor. vi, 11.

# ARTICULUS XLV

### CONCLUSIO SEU REPETITIO BREVIS PRÆDICTORUM DE TRIBUS ORDINIBUS.

EX his includit Theologus : *Ostensus est* B *ergo* * *a nobis pontificum quidem ordo, consummativus et,* pro id est, *perfectivus,* id est, modo declaravimus quod ordo præsulum habet sanctificare, consummare ac perficere sibi immediate subditos et commissos. Et simili sensu ostensus est a nobis ordo *sacerdotum, illuminativus et luciducus,* ut modo expositum est. *Ministrantium vero,* id est ordo diaconorum, ostensus est a nobis esse *purgativus et discretivus,* juxta expositionem nunc introductam. *Scilicet hierarchico,* id est C principali pontificalive *ordine* (unde alia habet translatio : Videlicet pontificalis ordo), *non perficere tantum, sed et illuminare simul et mundare cognoscente :* id est, sic quod ordo pontificalis novit et scit non solum perficere, sed et illuminare, itemque purgare ; *et sacerdotum virtute habente,* id est « virtute sacerdotum » seu potenti ordine eorum « habente » *in se ipsa cum illuminativa et purgativam scientiam,* id est vim et notitiam mundativam una cum virtute illu- D minativa.

* igitur

*Ipsæ quidem enim minores,* id est inferiores potestates, *in ea quæ meliora sunt, transmovere non possunt,* id est, actum sublimiorum potestatum nequeunt exercere, nec in ea perducere aut movere ad quæ superiores possunt, *eo quod injustum sit eis ad hujusmodi conari majestatem,* id est, præsumptuosum videretur inferioribus niti ad ea agenda quæ eorum gradum, limitem, vim, ordinem et mensuram transcendunt, quum scriptum sit : Non transgrediaris terminos quos fixerunt patres tui. *Ipsæ autem diviniores virtutes, cum propriis et subjectas suæ perfectionis sacra scientia cognoscunt :* hoc est, « diviniores virtutes », id est excellentiores potestates et mentes, « cognoscunt scientia », id est cognitione « sacra, perfectionis suæ subjectas virtutes cum propriis », id est tam inferiores virtutes quam proprias. Imo ut in libro de Causis probatur : Omnis intelligentia scit suam scientiam, et scit quod supra se est, et quod infra est. Prov. xxii, 28.

*Similiter, quoniam divinarum sunt actionum imagines,* id est, hoc quoque cognoscunt virtutes prætactæ, quod actus earum, imo et ipsæmet, sunt quædam « imagines », id est assimilationes et expressiones et imitationes, « divinarum actionum », id est increatæ cognitionis et ordinationis dilectionisque Dei. *Ipsæ sanctificatæ* * *dispositiones,* id est sanctæ angelicæ mentes sapienter dispositæ, *bene ornati et inconfusi decoris* *, quoniam habent decorem in se et inter se speciosum, et inconfusum seu inturbatum, et quia fluxerunt a decore æterno divino, quem repræsentant tanquam imagines ejus, *divinarum operationum* * *in semetipsis ostendentes illuminationes ordinatas in primas, et medias, et ultimas sacras actiones et ordinationes :* hoc est, mentes illæ repræsentantes seu « ostendentes in semetipsis illuminationes divinarum operationum », id est cognitiones seu revelationes operum divinorum, « ordinatas », id est

* sanctificativæ

* et inconfusi divinarum operationum ordinis

* vide supra

distinctas, « in primas, et medias, ac ultimas », id est in supremas et infimas, et medio modo se habentes, « sacras actiones et ordinationes » ; *in discretionibus hierarchicis ordinatæ sunt,* id est sapienter distinctæ in choris atque ordinibus suis, *manifestantes (ut diximus) in se ipsis divinarum operationum ordinatum et inconfusum,* id est pulchrum processum et decentissimum nexum actionum Dei, quæ sunt, purgare, illuminare, perficere. Unde subjungitur :

*Quoniam enim Divinitas in quibuscumque inest animos purgat primum, deinde illuminat,* id est, ex quo Deus « purgat animos », id est intellectus seu spiritus, « in quibuscumque inest » per caritatem et gratiam, et eos « deinde illuminat » : non quod prius tempore sit purgare, quam illuminare aut perficere, præsertim in angelis, imo in re ipsa actus isti coincidunt, solaque ratione distinguuntur, ut sunt hierarchici actus : ita quod idem actus, ut a dissimilitudine seu nescientia quadam mundans, vocatur purgatio ; et ut veritatem ostendens, seu ipsa veritatis ostensio, dicitur illuminatio ; et ut in Deum reducens, fertur perfectio ; atque consideratus ut purgatio, præcedit se ipsum consideratum secundo modo, sicque deinceps. *Et illuminatos consummat,* id est perficit, *ad deiformem perfectionem,* id

A est, ad hoc quod Deo supernaturaliter et sublimiter conformentur. *Merito pontificalis divinarum imaginum,* id est episcopalis potestas, suprema virtutum istarum hierarchicarum quæ sunt imagines summæ virtutis, *in discretas se ipsam alternat ordinationes,* id est, in plures actus se variat (sicque quasi « alternat », id est, alterum et alterum, hoc est, alio et alio modo habentem, se exhibet), et varias « ordinationes », id est, varios actus ordinatos seu institutiones facit diversas, *et* B *virtutes,* id est actiones bonas potentes ; *operose* ostendens divinas operationes,* id est, efficaciter exercens actus Deo placentes, et ad suum spectantes officium, quemadmodum unumquemque episcopum S. Paulus hortatur, Labora sicut bonus miles Christi ; *in sanctissimis et inconfusis ordinibus ponderose* et inconfuse statutas,* id est in ordinibus purgativorum et illuminativorum ac perfectivorum provide consistentes.

* *aperte*

II *Tim.* II, 3.

**ponderate*

*Sed quoniam sanctificas ordinationes* C *et partitiones, virtutesque earum et operationes diximus,* id est, trium ordinum horum dispositiones, divisiones, vires et opera determinavimus, *quantum nobis possibile est,* id est moderata virtute ; *et sacratissimas earum, quantum potentes sumus, inspiciamus consummationes,* id est perfectivas et perfectissimas actiones.

# ARTICULUS XLVI

### DE MYSTERIO CONSECRATIONIS SACRORUM ORDINUM.

SEQUITUR mysterium sanctificantium consummationum.

*Summus quidem sacerdos,* id est ordinandus et consecrandus in summum sacerdotem, *ad hierarchicam consummationem,* id est episcopalem consecrationem, *accedens, utroque pede inclinans ante* D *conspectum divini altaris.* Alia translatio habet : Utroque genu posito ante altare. Ideo sensus est, quod utroque genu flexo coram altari, *super caput habet a Deo tradita Eloquia,* id est librum aliquem sacræ Scripturæ. Una autem littera habet : Evangelia. *Et hierarchicam manum,* id

est manum episcopi consecrantis. *Et hoc modo a perficiente eum*, utputa consecrandum, *summo sacerdote*, id est episcopo consecrante, *sanctissimis invocationibus*, id est devotissimis precibus, *consummatur*, id est, ordinatur in præsulem.

Sequitur de consecratione sacerdotis. *Sacerdos autem utroque pede inclinans*, id est, ordinandus in sacerdotem ambo genua flectens, *in conspectu divini altaris, super caput habet hierarchicam dexteram*, id est manum dexteram episcopi ipsum consecrantis; *et hoc modo a perficiente eum summo sacerdote sacrificis* * *invocationibus*, id est orationibus, quæ Deo instar sacrificii offeruntur, juxta illud Psalmi, Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, *sanctificatur*, id est, in sacerdotem ordinatur.

* sacris

Ps. cxl, 2.

Sequitur de ordinatione diaconi. *Minister vero*, id est in diaconum ordinandus, *unum de pedibus inclinans*, id est, unum genu flectens, *in conspectu altaris, super caput habet perficientis*, id est ordinantis, *eum summi sacerdotis dexteram, consecrandus* * *ab ipso ministrantium consummativis invocationibus*, id est per orationes quæ dicuntur in consummativa ordinatione diaconorum.

* perficiendus

*Unicuique autem eorum*, id est tam consecrando in episcopum, quam consecrandis in sacerdotem atque diaconum, A *cruciforme signatur*, id est, signaculum crucis imprimitur, *a perficiente*, id est consecrante, *summo sacerdote, signaculum ; et per unumquemque prædicatio sacra fit*, id est, uniuscujusque istorum nomen recitabatur, ut notificaretur ordinatio ejus : et forsan ab episcopo unusquisque illorum admonebatur ad conversandum condigne suscepto officio ; *et consummativa salutatio*, id est valde caritativa salutis imprecatio cum deosculatione, *salutante omni divino præsente* B *viro*, id est toto choro promotum, *et consummante summo sacerdote ad aliquid dictarum divinarum ordinationum consummatum*, id est, episcopo consecrante, complente consecrationem ejus qui ad aliquem horum ordinum provehebatur.

Denique S. Dionysius breviter ista recitat et conscribit, nec omnia exprimit quæ in horum consecratione fiebant, nec formas sacramentalium verborum, nec sensibilia symbola quæ tangebantur. Atque ut ex superficie litteræ hujus apparet, ab C uno solo episcopo tunc poterat episcopus consecrari : quod et aliqui hic affirmant. Nec exprimitur hic, an episcopus consecrans archiepiscopus fuerit. Verumtamen in Summis quibusdam habetur quod ternarius numerus episcoporum, est de substantialibus consecrationis, ita quod si a paucioribus consecraretur, nil ageretur.

# ARTICULUS XLVII

### THEORIA RITUS PRÆSCRIPTI : ET PRIMO QUID SIT COMMUNE IN CONSECRATIONE OMNIUM, QUID PROPRIUM.

PRIMO hic tangitur in quibus præinductæ consecrationes conveniant, deinde in quibus ab invicem distinguantur.

*Communia quidem sunt summis sacerdotibus, et sacerdotibus, et ministris*, id est, episcopis, et inferioribus presbyteris, D itemque diaconis, ista sunt communia, *in sanctificativis eorum consummationibus*, id est in eorum consecrationibus : *ad divinum altare accessus et inclinatio*, id est genuflexio; *hierarchicæ manus impositio*, id est impositio manus episcopi conse-

erantis super eorum capita : *cruciforme signaculum,* id est impressio signi crucis; *præconium,* id est prætacta recitatio ejus ex nomine, vel attestatio de sua idoneitate; *consummativa salutatio* modo exposita.

*Separata autem et discreta,* id est propria singulis ordinum, sunt hæc : *summis quidem sacerdotibus,* id est, episcopis propria est, *Eloquiorum super caput impositio,* id est positio libri sacræ Scripturæ super caput, *non habentibus hoc minori-* A *bus ordinibus :* quia nec sacerdoti, neque diacono fit hoc. *Sacerdotibus vero, ambobus pedibus inclinatio,* id est, sacerdotibus competit in sua ordinatione flectere genu utrumque, *non habente hoc ministrantium consummatione,* id est ipsis diaconis in eorum ordinatione. *Ministri enim, ut dictum est,* id est diaconi, *unum inclinant de pedibus tantum,* id est unum genu dumtaxat.

Sequitur de horum significatione.

# ARTICULUS XLVIII

## DE SIGNIFICATIONE COMMUNIUM TRIBUS ORDINIBUS : ET PRIMO QUID DESIGNET GENUFLEXIO CORAM ALTARI, IMPOSITIO MANUS EPISCOPI, SIGNUM CRUCIS.

* *Igitur* * *sanctificate*

ERGO* *ad divinum altare accessus et sufflexio,* id est genuflexio, *insinuat,* id est designat, *omnibus sanctifice* perficiendis,* id est consecrandis, *supponere universaliter consummationis principi Deo,* id est subjicere Deo totius perfectionis datori ac regi, qui solus absolute perfectus est, *propriam vitam, et suam intellectualem universitatem,* id est omnes vires suas ex sua natura aut per participationem rationales, regendo eas per rationis imperium, et per virtutes morales compescendo impetus passionum, *castissimam ipsi oblatam*,* id est in acceptione sacrorum ordinum Deo deputatam ad hoc ut castissima sit, juxta illud in Ecclesiastico, Post concupiscentias tuas non eas, et a voluptate tua avertere, *et conformem,* id est reformatam virtutibus, non vitiis deformatam.

* *oblatam accedere*

*Eccli.* XVIII, 30.

*Et ut est possibile, dignam exsistentem divino et sanctissimo et sacerdotali altari,* id est ad agendum ea quæ in altari aguntur, et præsertim ad accedendum Dominum Jesum Christum, qui est altare intellectuale vere sanctissimum, per quem et in quo offerendum est Deo Patri quidquid B ad ejus honorem et cultum offerimus, ut meritis Christi suppleatur quidquid ex parte nostri defectuositatis occurrerit, *offerente sanctifice deiformes intellectus,* id est, divinissimo altari, scilicet Christo, « offerente » Deo Patri « sanctifice », id est sanctificante affectu, devotione et puritate, « intellectus deiformes », id est animas rationales Deo gratiose assimilatas, quas Salvator Patri offert tanquam sua passione recuperatas, et Patri per fidem, spem et caritatem desponsatas, ut fi- C nalem gratiam et gloriam consequantur. Nam et Christus secundum quod homo et mediator, interpellat pro nobis. De quo in prima Joannis habetur epistola : Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Unde et ad Hebræos scriptum est : Christus salvare potest in perpetuum, accedens per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis. Præterea, de hoc altari in Missa precamur : Jube hæc D perferri per manus sancti angeli tui in sublime altare tuum. Potest item exponi hic passus de materiali altari : quod di-

I *Joann.* II, 1, 2.

*Hebr.* VII, 25.

citur sanctissimum, quia ad sanctissima in eo agenda dedicatum; quod materialiter offert ea quæ offeruntur in eo, quemadmodum inanimata et irrationalia benedicere et laudare Deum dicuntur.

*Hierarchicæ autem manus impositio*, id est positio manus episcopi consecrantis super eum quem ordinat, *similiter quidem manifestat*, id est, palam designat et suo modo cooperatur, *perfectivam principalem protectionem*, id est divinam defensionem super ordinatum, juxta illud Psalmi : Sub umbra alarum tuarum protege me a facie impiorum qui me afflixerunt. Et in Isaia dicitur : Sub tegumento manus suæ protexit me. *Sub qua tanquam disciplinis sancti custodiuntur paterne*, id est, « sub qua » pia tuitione electi in hac vita conservantur et a periculis eruuntur misericordissime, « tanquam » sub « disciplinis », id est doctrinalibus directionibus, imo et quasi sub paternalibus castigationibus piissimisque flagellis, ut in Jeremia protestatur : Castigo te in judicio (id est discretione), ut non tibi innoxius videaris; non autem te faciam in consummationem. Hinc ad Hebræos scriptum est : Quis filius quem non corripit pater? Quod si extra disciplinam estis, ergo adulteri et non filii estis. De hoc in Proverbiorum libro saluberrime edocetur : Disciplinam Domini, fili mi, ne abjicias, et ne deficias quum ab eo corriperis : quem enim diligit Dominus, corripit; et quasi pater in filio complacet sibi. Hoc est quod in Apocalypsi fatetur : Ego quos amo, arguo et castigo. Qui ergo in correptionibus et correctionibus indignatur et murmurat, de numero electorum Dei esse recusat.

Ps. XVI, 8, 9. Is. XLIX, 2. Jer. XXX, 11. Hebr. XII, 7, 8. Prov. III, 11, 12. Apoc. III, 19.

*Ipsis quidem habitum et virtutem sanctificativam donantem*. Hoc refertur ad id quod supra jam protulit : « hierarchicæ manus impositio manifestat perfectivam principalem protectionem ». Et est sensus, quod divina illa protectio largitur fidelibus « habitum » gratiæ « et virtutem » qua sanctificantur, juxta illud Sapientis : Quoniam dextera sua teget eos, et brachio suo defendet illos. *Contrarias vero eis virtutes segregantem*, id est, invisibilium hostium potestatem et crudelitatem, et omnium inimicorum salutis eorum catervam, repellentem ab eis : et hoc, secundum ordinem sapientiæ ac providentiæ suæ et superdignissimi beneplaciti sui, ac tempore præstituto, quia ad tempus permittit eos tentari, ut magis promereantur, et gloriosius coronentur. De his contrariis virtutibus scriptum est ad Ephesios : Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus.

Sap. V, 17. Ephes. VI, 12.

*Docet autem simul et omnes perficere sanctificas* operationes*, id est, subventio seu protectio illa divina, imo ipsemet protegens Deus, « docet » suos fideles « perficere simul », id est pariter, seu tempore opportuno, « operationes omnes sanctificas », id est virtuosas, per quas formaliter sancti efficimur. Oportet enim omnes illas exsequi et implere, quum Jacobus dicat : Quicumque totam legem impleverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus. *Tanquam sub Deo agentes perfectos*, id est tanquam discipulos et ministros sub Dei præceptis viventes, et ei totis viribus servientes. Ideo diriguntur in cunctis ab eo, et donis Spiritus Sancti moventur ac edocentur : quia ut dicitur ad Romanos, Quicumque Spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei. Hos unctio docet de omnibus, quemadmodum uni talium scripsit Apostolus : Dabit tibi Dominus in omnibus intellectum. Propter hoc sanctus hic pater affirmat quod agunt sub Deo. Etenim Deus operatur in eis et per eos, sicut oravit Apostolus : Faciat in vobis quod placeat coram se. *Et propriarum operationum eum habentes in omnibus ducem*. Deus ergo justos ducit per salutis itinera, sicut vir sanctus gratanter fatetur : Tenuisti manum dexteram meam, et in voluntate tua deduxisti me. Hinc Sapiens loquitur : Justum deduxit Dominus per vias rectas. Hinc, sicut infantuli egent

* sanctificativas

Jacob. II, 10. Rom. VIII, 14. I Joann. II, 27. II Tim. II, 7. Hebr. XIII, 21. Ps. LXXII, 24. Sap. X, 10.

curriculo quo ambulare assuescant, sine quo protinus corruunt; ita et nos, nisi superpiissimum Deum habeamus incessanter ductorem, mox labimur. Quis ergo potest præsumere, aut in se confidere, aut inaniter gloriari?

*Cruciforme autem signaculum,* id est impressio signi crucis in ordinatis, designat *omnium similiter* carnalium concupiscentiarum interdictionem,* id est prohibitionem et detestationem. Nempe ut asserit S. Paulus : Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis. Et ipsemet ait : Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat suam crucem quotidie, et sequatur me. *Et Dei imitatricem vitam,* id est christiformem conversationem, sicut sanctus deprompsit Joannes : Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulavit et ipse ambulare. *Respicientem recte in virilem Jesum*,* id est, sapienter et inflexibiliter considerantem atque sectantem pro viribus præcepta et opera Christi, documenta et exempla ipsius, ut impleat illud in Psalmo : In lege Domini voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur die ac nocte. Porro Jesus in omnibus prorsus virilissimus fuit, qui nec prosperis frangebatur neque adversis, nec comminationibus nec blandimentis. *Et in divinissimam vitam* ejus, qui a primo suæ conceptionis instanti in Virgine, nullo momento cessavit a beatifica contemplatione et suavissima Deitatis fruitione, nec cessavit pro hominum salute offerre se Patri, orando et ad passionem se paratissimum exhibendo, et universa quæ fecit ac pertulit, ad nostram devotissime ordinando salutem, *usque ad crucem et mortem* inclusive, in quibus oblationem suam pro nobis complevit : sicque tota vita ejus in mundo, fuit celebratio una continua. Debemus ergo et nos conversationem ejus pensare ac imitari usque ad mortem nostram, perseverando in finem, et etiam pro ejus amore et honore sustinendo (si detur occasio) libenter quodcumque mor-

* simul

Galat. v, 24.

Luc. ix, 23.

I Joann. ii, 6.

* in virilem Jesu et divinissimam...

Ps. i, 2.

A tis supplicium, juxta illud primæ Petri : Christo passo in carne, et vos eadem cogitatione armamini; et denuo : Communicantes, inquit, Christi passionibus, gaudete, ut et in revelatione gloriæ ejus gaudeatis. Sic ergo intueamur et imitemur virilitatem Jesu *cum divina impeccabilitate venientis,* id est, qui per incarnationem descendit ad homines « cum impeccabilitate divina », quia secundum naturam divinam impeccabilis fuit omnino, et secundum assumptam naturam summe con- B firmatus fuit in bono, utputa fruens beatifice Deo quantum ad superiorem animæ partem.

*Et sic viventes, tanquam conformes signantis in cruciformi propriæ impeccabilitatis imagine :* id est, sic christiformiter conversantes, tanquam per gratiam assimilati et similes sunt Filii Dei « signantis » nos « cruciformi imagine propriæ impeccabilitatis », id est crucis signaculo : quod est imago seu imitatio et figura impeccabilitatis Christi, quia per C crucis signationem significatur quod de cetero simus mortui mundo et nobis ipsis, ut cum Apostolo dicere valeamus, Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus; et iterum, Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini mei Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. Vel : « tanquam conformes » Christi « signantis » nos, id est, inter suas oves nos computantis, dando nobis pignus Spiritus et arrham desponsationis internæ, sicut scripsit Apostolus : qui etiam D protestatur, Signati estis in illo; « imagine cruciformi impeccabilitatis » Christi, id est fideli et virtuosa imitatione vitæ illius, cui quo amplius propinquamus et conformamur, eo plus in caritate et gratia roboramur; atque per hoc impeccabilitatem ipsius participamus, non perfecte assequimur : participamus, inquam, non tam faciliter in mortalia corruendo, neque tam sæpe in venialia. Hinc in sua prima Canonica beatus ait Joannes : Hæc scribo vobis, ut non peccetis; et rursus, Omnis qui

I Petr. iv, 1.

Ibid. 13.

Galat. ii, 20.

Ibid. vi, 14.

II Cor. i, 22; v, 5.

Ephes. i, 13; iv, 30.

I Joann. ii, 1.

Ibid. iii, 9.

natus est ex Deo, non peccat. Ad hoc A jugiter studeamus, ut quantum sinit infelix nostra fragilitas, non peccemus, id est, Dominum Deum nostrum non inhonoremus nec offendamus. Peccatum namque est infinitæ fugibilitatis. Hinc loquitur Isaias : Hic est omnis fructus, ut auferatur *Is.* XXVII, 9. iniquitas. Hoc erit, si omnipotentis Dei ac Judicis summi præsentiam assidue ac profunde pensemus.

# ARTICULUS XLIX

## DE SIGNIFICATIONE RECITATIONIS ORDINANDI.

PRÆTEREA, quid designet præinducta B recitatio ordinandorum, subjungitur.

*Sacram vero consummationum et consummandorum prædicationem summus sacerdos reboat,* id est, episcopus alte pronuntiat « prædicationem sacram », id est appellationem sanctam, tam promovendorum ad ordines, quam ordinum ad quos promovebuntur. Utrumque etenim horum clamavit episcopus. *Mysterio declarante,* id est, reboatione illa spiritualiter designante, *quomodo amicus Dei sanctificator,* id est qualiter episcopus consecrator ob suam sanctitatem « amicus Dei » vocatus : quemadmodum per Isaiam Domi-
*Is.* XLI, 8. nus ait, Semen Abraham amici mei. De
*Judith* VIII, 22. quo legitur in libro Judith : Abraham per multas tribulationes probatus, amicus Dei effectus est. *Manifestator est divinæ electionis,* id est, sua reboatione insinuat illum quem nominat, non propria præsumptione ad susceptionem ordinis sacri venisse, sed quasi divinitus inspiratum. Cujus inspirationis seu electionis, episcopus manifestator est, non auctor, sicut D nunc subditur : *non ipse propria gratia perficiendos in sanctificativam ducens consummationem :* id est, « non ipse » episcopus « ducens », id est promovens, « gratia propria », id est proprio dono vel auctoritate ; vel, « propria gratia », id est amore privato ejus quem promovet; « perficiendos », id est promovendos, « in consummationem sanctificativam », id est ad ordinem ad quem pertinet alios consummare, id est perficere ; *sed a Deo motus in omnes hierarchicas sanctificationes,* id est ex dispositione divina, cujus ipse est velut instrumentum et exsecutor in quascumque « sanctificationes » aut consecrationes aliis largiendas.

Quod consequenter probat exemplis.

*Sic Moyses legalis sanctificator,* id est consecrator ministrorum Dei sub lege data per ipsum, *neque fratrem qui est Aaron,* id est nec fratrem suum, Aaron nomine, C *in sacerdotalem consummationem ducit,* id est, ad pontificalem provehit dignitatem, cujus est alios consummare, *et amicum Dei se esse et sanctificatum* æstimans,* id est, quamvis pro certo ex divina revelatione cognosceret se esse « Dei amicum » ac hominem sanctum : cui jam in Exodo Dominus dixerat, Invenisti gratiam coram me, et te ipsum novi ex nomine. *Exod.* XXXIII, 17. Qui et in Deuteronomio loquitur de se ipso ad Levi : Perfectio tua et doctrina tua a viro sancto tuo. *Deut.* XXXIII, 8. *Donec divinitus in hoc motus,* id est quousque desuper jussus, *a perfectionis principe Deo, sacerdotium perfecit*,* id est, ipsum Aaron principem sacerdotum constituit, ut in Levitico legitur. *Lev.* VIII.

* *sanctificum*

* *sacerdotalem hierarchice perfectionem perficit*

*Sed et ipse* divinus noster et primus sanctificus (factus est enim et hoc propter nos), humanissimus Jesus :* id est, « ipse Jesus humanissimus », id est piissimus, « divinus noster et primus sanctificus »,

* alias om. *ipse*

id est summus noster sanctificator ac pontifex, qui verus est Deus ab æterno, et divinus quoad assumptam naturam,
*Joann.* III, 34. secundum quam dicitur non ad mensuram Spiritum accepisse : et interpositorie additur, « factus est enim et hoc propter nos », id est, pro nostra salute factus est homo et sacerdos in assumpta humanitate. *Non se ipsum glorificavit,* id est, ex se ipso secundum naturam humanam non exaltavit se, sacerdotium sibi assumendo aut adscribendo, *ut Eloquia aiunt,* id est, prout Scripturæ testantur ; *sed qui locu-*
*Ps.* CIX, 4. *tus est ad eum* in Psalmo, Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech : utputa Deus Pater, de quo ibidem :
*Ibidem.* Juravit Dominus, et non pœnitebit eum, Tu es sacerdos in æternum. De his Apo-
*Hebr* V, 4, 5; *Ps.* II, 7. stolus ad Hebræos scripsit diffuse : Nemo, inquiens, assumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tanquam Aaron ; sic et Christus non semetipsum clarificavit ut pontifex fieret, « sed qui locutus est ad eum » : Filius meus es tu, ego hodie genui te, etc.

*Propter quod et ipse in sacerdotalem consummationem ducens discipulos,* id est, Apostolos ad sacerdotium promovens :
*Luc.* XXII, 19. quod fecit in Cœna, dicendo, Hoc facite in meam commemorationem, ut alibi ex doctoribus solidis copiose ostendi. *Et quidem subsistens, ut Deus, perfectionis princeps,* id est secundum divinitatis suæ naturam exsistens summus « princeps », et magister per auctoritatem, et scientiarum omnium dator, de quo dicitur primo libro
I *Reg.* II, 3. Regum : Deus scientiarum Dominus est.
*Matth.* XXIII, 10. Qui et in Evangelio contestatur : Unus est magister vester Christus. Qui et secundum naturam assumptam præ omni creatura
*Coloss.* II, 3. fuit plenus scientia, tamen finita. In quo, secundum Apostolum, sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei absconditi. Un-
*Is.* IX, 6. de et Isaias ait : Vocabitur Princeps pacis.

*Tamen in sanctissimum suum Patrem et divinum Spiritum,* id est « in » Deum « Patrem » substantialiter sanctum, et in « Spiritum » Sanctum, *perfectionis princi-*
A *palem retulit hierarchicæ perfectionem,* id est, reduxit « perfectionem principalem », id est primam et increatam perfectionem, quæ est causa et fons totius « hierarchicæ perfectionis » : hoc est, Christus secundum quod homo, omnem perfectionem suam creatam et ecclesiasticam potestatem adscripsit Patri atque Spiritui Sancto, imo et sibi ipsi secundum quod est Verbum æternum, quoniam tota supergloriosissima Trinitas est unus verus Deus summe et solus absolute perfectus,
B et summa ac una perfectio increata, separata, in se et per se subsistens. *Annuntians discipulis, ut Eloquia aiunt, ab Jerosolymis non recedere, sed exspectare promissionem Patris quam audistis mei,* id est, qui per me spopondit et locutus est vobis, *quia vos baptizabimini Spiritu Sancto.* Sicut enim scriptum est in Actibus : Convescens, id est, cum discipulis *Act.* I, 4.
manducans, in die videlicet Ascensionis, in cœnaculo quod in Jerusalem fuit, præcepit eis ab Jerosolymis ne discederent,
C sed exspectarent promissionem Patris : quam audistis, inquit, per os meum. Porro de illa promissione legitur in Luca : Dixit eis, Ego mittam promissum Patris *Luc.* XXIV, 46, 49.
mei in vos, sedete in civitate quoadusque induamini virtute ex alto. De qua re Christus in sermone post Cœnam sæpius tetigit : Quum venerit (inquiens) Paracletus, *Joann.* XV, 26.
quem ego mittam vobis a Patre, etc. Præterea, constat quod Apostoli erant baptizati a Christo ejus Baptismate ante ipsius passionem, secundum Augustinum, dem-
D pto Paulo, quem postea conversum bapti- *Act.* IX, 18.
zavit Ananias. Baptizatio igitur de qua hic sermo, fuit spiritualis lotio, unctio et repletio Spiritus Sancti.

Sequitur aliud quod difficultate non caret. *Et quidem et ipse discipulorum vertex,* videlicet beatissimus Petrus, princeps, « vertex » et os Apostolorum, *cum coordinata sibi hierarchica decade,* id est cum aliis decem Apostolis ejusdem ordinis secum, quamvis eorum superior fuerit, quemadmodum decanus est unus canoni-

corum, et prior seu abbas, unus est monachorum, *in duodenarii discipulorum veniens sanctificam consummationem*, id est, disponens se ad complendum numerum duodecim Apostolorum, quorum unus perierat, *in Divinitatis* electionem timidus*, id est, reverenter se habens circa electionem restantis, quæ potius ad Spiritum Sanctum pertinuit, *reliquit*, id est, Deo commisit : *Ostende, dicens, quem eligam*. Nostra translatio habet quod Apostoli duos statuerunt, et orantes, dixerunt : Domine, ostende quem elegeris ex his duobus unum, etc. *Et a divina sorte divinitus ostensum, in sancti duodenarii hierarchicum numerum recepit*, id est, ipsum B. Matthiam, super quem cecidit sors, suscepit Petrus et alii « in numerum hierarchicum duodenarii sancti », id est sancti agminis Apostolorum, ita quod ipse fuit unus illorum, ut legitur in Actibus.

* *Divinitate*

*Act.* I, 23-25.

*Ibid.* 26.

*De divina autem sorte huic Matthiæ data, alii quidem alia dixerunt*, id est, diversi diversa senserunt, *neque* recte, ut æstimo*, id est, quidam opinati sunt aliter quam verum puto. Sobrie loquitur, quia materia tangit Scripturam canonicam, circa quam oportet timorate ac sobriissime loqui. *Meum vero et ipse sensum dicam* sine pertinaci et temeraria assertione. Ideo subditur : *Videntur enim mihi Eloquia sortem nominasse divinum quoddam donum, declarans illi hierarchico choro a divina electione ostensum :* id est, mihi apparet quod Scriptura præallegata nominavit « sortem », aliquod « donum » aut signum sensibile, manifestans choro Apostolorum « ostensum », utputa ipsum Matthiam, ex « electione divina » esse accipiendum. Cujus et alia subditur ratio. *Præter enim aliquid divinum, summus sacerdos non per se ipsum motus debet sacerdotales facere perfectiones :* id est, episcopus « non per se ipsum », id est proprio motu aut favore, « debet facere perfectiones sacerdotales », id est aliquos ad sacerdotium aut pontificium promovere, « præter » aliquod motivum « divinum », aut cœleste vel supernaturale. Ideo subditur : *sed Deo submovente*, id est, ab intus agente et inspirante, *eas hierarchice et cœlitus perficere*, id est ordinationes et promotiones illas peragere ecclesiastice, et cœlesti revelatione intus aut extra ostensa. Istud interdum speciali gratia datum et factum est, videlicet per descensum columbæ, aut splendore mirabili desuper radiante, aut angelo visibiliter apparente, aut prævia revelatione, aut aliquo simili supernaturali effectu. Non tamen oportet semper sic fieri, nec beatissimus Petrus legitur sanctum Clementem ita instituisse. Ideo sancti patres ordinaverunt regularem et canonicum modum eligendi, et quod orationes debent præcedere, ac alia quædam divina, ut Deus omnipotens dignetur dirigere, providere, complere.

* *nec*

Præterea quæritur, an licet per sortes eligere, et quid sentiendum de ista S. Dionysii positione circa electionem S. Matthiæ apostoli. — De his super Actus Apostolorum plenius scripsi : quæ non oportet hic iterare. Thomas quoque in secunda secundæ de his scripsit diffuse. Breviter autem tangendo, quidam magni dixerunt, quod electio illa Matthiæ per sortem, fuit talis qualis in lege Moysis solita erat (qua et Samuel usus est in promotione Saul in regem, et Josue in deprehensione Achan : de qua in Proverbiis Salomon loquitur, Sortes mittuntur in sinum, sed a Domino temperantur), et quod Apostoli ante missionem Spiritus Sancti illa sint usi in electione Matthiæ, non autem post illam in electione septem diaconorum. Hæc est sanctorum Hieronymi ac Bedæ positio. Similiter dicit Boetius, quod prælatus non est sorte eligendus, et hoc nunc communiter observatur. Inter tantos judicare, non est parvitatis ac imperitiæ meæ.

Cf. in *Act.* I, 26.

I *Reg.* X, 20, 21. *Josue* VII, 14-18.

*Prov.* XVI, 33.

*Act.* VI, 1-6.

# ARTICULUS L

## DE SALUTATIONIS RECENS ORDINATI SIGNIFICATIONE.

SEQUITUR de significatione salutationis. A *Ipsa autem ad finem sanctificæ consummationis salutatio, sacram intelligentiam habet,* hoc est, « salutatio » ordinati cum osculo caritativo in fine celebrationis, designat quid sacrum, ut subditur. *Omnes enim quicumque adsunt, sanctificis exsistentes ordinibus,* id est universi adstantes, in sanctis ordinibus exsistentes, *sed et ipse perficiens summus sacerdos,* id est episcopus ordinans, *salutat perfectum,* id est ordinatum in sacerdotem.

*Quum enim sanctificativis habitudinibus et virtutibus,* id est sacris scientiis, B donis virtutibusque infusis, *et divina vocatione,* id est inspiratione, *et sanctificatione,* id est sincera depuratione, *ad sanctificam perfectionem,* id est sacram ordinationem et consecrationem, in qua datur gratia et augetur, *advenit animus sacer,* id est mens devota seu spiritus virtuosus, videlicet homo ordinandus, intelligendo totum per partem ; *amabilis est coordinatis,* id est ceteris secum ordinatis (similitudo enim est causa una amoris, et C unumquodque tantum habet de amabilitate quantum de bonitate, quum bonum sit appetitus objectum), *et sacratissimis ordinibus,* id est constitutis in illis, *in deiformissimam ductus pulchritudinem,* id est ad decorem internum valde deiformem, increatæ pulchritudinis sublimiter imitativum per excellentias actuum optimorum : amabilis (inquam) est *amantibus æquiformibus animis,* id est cordibus in virtutibus sibi æqualibus, vel saltem conformibus. Etenim simile applaudit simili D sibi. Propter quod in Ecclesiastico dicitur : Omne animal diligit simile sibi, sic (*Eccli.* XIII, 19, 20.) et omnis homo proximum sibi ; omnis caro ad similem sibi conjungetur, et omnis homo simili sibi sociabitur. Denique conformitas gratiæ ac virtutum venustorumque morum, multis efficacior est ad excitationem mutuæ dilectionis, quam conformitas in natura et naturalibus. Similiter amor spiritualis potentior est naturali ac sociali atque carnali. Hinc inter veraciter virtuosos, spirituales, perfectos, est sincerissima, fortissima ac permansiva dilectio. Idcirco dixit Hieronymus : Illa est sola vera et spiritualis dilectio, ac glutino caritatis Christi sociata, quam non commodum proprium aut carnalis affectio, sed virtutum parilitas ac societas studii Scripturarum conciliant, gignunt, et nutriunt.

*Et ab eis sacre adjutus,* id est, animus virtuosus et caritativus, a talibus amatoribus sibi conformibus, in necessariis et honestis obsequiis pie sublevatus est per opera misericordiæ spiritualia et corporalia, sicut hortatur Apostolus : Per caritatem servite invicem. (*Galat.* V, 13.) Tales quidem implent præcepta legis naturalis, quod sibi fieri volunt rationabili voluntate, aliis (*Matth.* VII, 12; *Tob.* IV, 16.) prompte exhibentes, et quod sibi fieri rationabiliter nolunt, nemini facientes. Et certe, ut Salomon dixit, frater qui ita (*Prov.* XVIII, 19.) juvatur a fratre, quasi civitas munita.

*Inde ad se invicem sanctifica salutatio sacrificatur* * *æquiformium animorum,* id est, hac de causa salutatio ista sanctitatem imprecans et procurans animorum in virtutibus similium, « sacrificatur », id est, ad Dei honorem mutuo offertur, *sacram societatem declarans,* id est, ostendens quod ita se salutantes, ad invicem habeant spiritualem et puram communicationem et sodalitatem, *et inter se invicem amabi-*

* sanctificatur

*lem lætitiam,* id est spiritualem jucunditatem. Gaudium namque oritur ex apprehensione bonitatis convenientis, et ex unione potentiæ cum objecto convenienti. Tales autem apprehendunt se sub ratione præcipui boni, et unusquisque cognoscit se amari ab alio. Ideo scriptum
Ps. cxxxii, 1. est : Ecce quam bonum et quam jucundum, habitare fratres in unum. Quorum
Act. iv, 32. est cor unum et anima una, sicut admo-
I Cor. i, 10. net Paulus : Id ipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata. *Tanquam integre salvantem,* hoc est, « lætitiam salvantem », id est, conservantem ac nutrientem, *formationem**, id est affectionem, seu
* formatione
A impressionem, vel informationem, *sanctificativam** : spiritualis namque exhilaratio mutua suaviter allicit, caritatem fovet, et bene agentes conservat in opere ; *deiformissimam pulchritudinem,* id est speciositatem vitæ contemplativæ, quæ sanctam et mutuam dilectionem, quietem et tranquillitatem interiorem, ac spiritualem oblectationem, præcipue exigit et assidue solet habere conjunctas. Ecce quanta est dignitas, quanta formositas animæ sanctæ. O quales fuerunt in
B primitiva Ecclesia, constituti in ordinibus sacris ; et, proh dolor ! quales jam sumus.
* sanctificativa

# ARTICULUS LI

## DE SIGNIFICATIONE EORUM QUÆ SUNT PROPRIA UNICUIQUE ORDINI.

HÆC *ergo**, *ut diximus, sunt communia totius sanctificæ consummationis,* id est omnium constitutorum in sacris ordinibus, utputa episcoporum, sacerdotum, diaconorum. Quorum propria subjunguntur.
* igitur

*Summus autem sacerdos discrete,* id est differenter ab aliis, scilicet proprie, *habet Eloquiorum super caput sacratissimam** *superpositionem,* id est librum sacræ Scripturæ superpositum capiti suo dum ordinatur. *Quoniam enim consummativa totius sacerdotii virtus et disciplina,* id est tota potestas et auctoritativa scientia sacerdotalis, quæ sunt duæ claves, *divinis summis sacerdotibus,* id est episcopis, qui divini sunt ad minus ratione sacratissimi et divinissimi sui pontificalis officii, *a divina donatur et perfectionis principe bonitate,* id est, increata Dei benignitate confertur, *pulchre in hierarchicis capitibus,* id est super capita episcoporum, *superponuntur Deo tradita Eloquia,* id est liber Scripturarum a Deo inspiratarum, ut
* sanctissimam
C liber Evangeliorum, vel Biblia, *continuatim et disciplinate manifestatoria,* id est connexe ac sapienter declarativa, *totius theologiæ, et theoptiæ, et theophaniæ.* Alia translatio continet, Omnis Theologia, omnisque divina actio et apparitio, id est tota theologica veritas, et recitatio operum divinorum, et descriptio revelationum. Unde videtur quod liber totius aut majoris partis Bibliæ, superponebatur illorum capitibus. *Unaque ratione, omnium divinorum et sacrorum operum et verborum quæ*
D *ab unifica divina** *operatione nostræ hierarchiæ donata sunt :* id est, simili ratione et sensu continentur in libro illo totali descriptiones seu scripturæ omnium mysteriorum et sanctorum operum ac verborum desuper præstitorum et revelatorum Ecclesiæ, quantum necessarium fuit ad informationem Ecclesiæ. Non tamen simpliciter omnium, quum et scriptum sit : Multa alia fecit Jesus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum mundum arbitror posse capere eos qui scribendi Joann. xxi, 25.
* a benefica et divina

sunt libros. In libro Job quoque dicitur : A Ecce hæc ex parte dicta sunt viarum ejus; et quum vix parvam stillam sermonum ejus audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis ejus intueri? In Ecclesiastico quoque legitur : Multa sunt abscondita majora his; pauca enim vidimus operum ejus. « Quæ donata » et revelata « sunt » ecclesiasticæ « hierarchiæ », id est universali militanti Ecclesiæ, quæ a primo electo homine dicitur incepisse, « operatione divina unifica », id est a Deo operante per se et per creaturas subjectas : qui cun- B cta unificat, id est, unumquodque efficit unum, secundum quod unum cum ente convertitur, et diversa in aliquam redigit unitatem; imo universa coordinavit ita, quod omnia simul sunt quasi unus exercitus et una totalitas, et ordo est intimus rebus.

Job XXVI, 14. — Eccli. XLIII, 36.

*Tanquam deiformi summo sacerdote totius hierarchicæ virtutis integre participante,* id est plenarie sortito plenitudinem scientiæ et «virtutis» ecclesiasticæ, saltem comparative, et quantum ad suum spe- C ctat officium in sua diœcesi. Quæ tamen potestas a Pontifice summo diversimode restringitur, dilatatur et ordinatur, ne sit in Ecclesia Dei confusio, sed unusquisque præsideat suis. Ob hanc præeminentiam potestatis atque scientiæ præsulis, superponitur capiti ejus in sua ordinatione liber totius divinæ Scripturæ.

*Omnium autem hierarchicarum sanctarum laudationum et sanctarum actionum veram et Deo traditam scientiam, non illuminato tantum :* hoc est, episcopo « non » D solum « illuminato », id est docto et cognoscente, « scientiam veram » et a Deo collatam, « omnium laudationum sanctarum hierarchicarum », id est laudum ecclesiasticarum, quibus Ecclesia in Dei officio utitur, vel omnium laudabilium præconiorum operumque sanctorum, id est quorumdam de omnibus, ut sit distributio accommoda : juxta id Psalmi, Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo, narrabo omnia mirabilia tua. Et Ecclesiasticus ait : Glorificate Dominum quantumcumque potueritis, supervalebit adhuc; et, Exaltantes eum, replemini virtute; ne laboretis, non enim pervenietis. Etenim de ipso scriptum est vere, Qui facit magna et inscrutabilia et mirabilia absque numero : supple, hominibus cognito. Nihilo minus verum est illud Sapientiæ : Omnia in mensura et numero et pondere constituisti.

Ps. IX, 2. — Eccli. XLIII, 32, 34. — Job V, 9. — Sap. XI, 21.

Itaque, episcopo non tantum sic illuminato, *sed et aliis proportionibus hierarchicis tradente,* id est, ipso episcopo inferioribus communicante dona gratiarum sibi concessa, « hierarchicis proportionibus », id est discretis commensurationibus, influendo singulis secundum capacitatem, dignitatem, statum, gradum et dispositionem eorum, quemadmodum in Evangelio legitur : Dedit unicuique secundum propriam virtutem, *et perficiente* illuminatos *in divinissimis scientiis,* id est profundioribus theoriis, *et sublimissimis anagogis,* id est altissimis contemplationibus sursumductivis, secundum illud Apostoli : Sapientiam loquimur inter perfectos. *Hierarchiceque simul omnia totius hierarchiæ perfectissima,* id est episcopo ita docto « omnia », imo et « perfectissima », et spiritualissima, et difficillima cognoscente « hierarchice », catholice, id est, ut necessarium est ecclesiasticæ hierarchiæ, ut queat ligata dissolvere, obscura exponere, et ea quæ fidei sunt persuadere, defendere, corroborare. Ad quem potissime spectat illud Petri : Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea quæ in vobis est fide et spe. Nempe ad episcopum pertinet totam suam diœcesim purgare, illuminare, perficere, atque ad difficiliora respondere. Sed heu, heu, heu! ad quid devenit Ecclesia? ad quam miserabilissimam et pene extremam ruinam?

Matth. XXV, 15. — I Cor. II, 6. — I Petr. III, 15.

Sequitur de propriis sacerdotum respectu diaconorum.

*Sacerdotibus autem pedum inclinatio conveniens est,* id est, sacerdotibus in eo-

* ministrativam

rum ordinatione convenit quod ambo ge- A nua flectant, *ultra ministrantium* dispositionem,* id est ultra dispositos et locatos in ordine diaconatus, *tanquam unum inclinante illa,* id est, dispositione seu ordine diaconorum flectente in sua ordinatione solummodo unum genu, *et hoc hierarchico schemate consummante,* id est, isto apparatu ac ritu complente episcopo consecrationes præfatas.

* igitur

*Ipsa ergo* inclinatio,* id est geniculatio, *significat subjectum accessum accedentis,* id est ipsum aditum ordinandi pro- B venire ex humilitate et obedientia, sicque esse « subjectum » Deo, tam ipsum quam personam « accedentis », *referentis Deo quod divinitus accedens,* id est, Deo gratanter adscribentis quod ipso sic disponente, sibi concessum est ad ordinem sacrum accedere, ita quod non ingessit se ipsum.

*Quoniam vero, ut sæpe diximus, tres sacræ consummantium dispositiones,* id est, tres sunt gradus seu ordines qui active se habent circa aliorum profectum, videlicet ordo purgantium, ordo illumi- C nantium, ordo perficientium, *propter tres sanctissimas teletas,* id est ad exercendum et exsequendum tres consecrationes, ut habet una translatio, hoc est tres sacras actiones hierarchicas (quæ sunt purgatio, illuminatio, et perfectio), ut habet translatio alia, *et virtutes supersedere* tribus consummandorum ordinibus,* id est propter tres « virtutes » seu vires hierarchiales, quæ sunt vis purgativa, vis illuminativa, et vis perfectiva : virtutes, inquam, « supersedere », id est, quæ datæ sunt ad D supersedendum præsidendumque aliis, utputa « tribus ordinibus consummandorum », et eorum quorum est purgari, et eorum quorum est illuminari, eorum quoque quorum est perfici; *et sub divina juga salutarem eorum sacrificant accessum :* id est, ordines illi quorum est purgare, illuminare, perficere, « sacrificant », id est, sacrum efficiunt, « accessum eorum », quorum est purgari, illuminari, ac perfici, « sub divina juga », id est accessum quo se subdunt Dei præceptis, cujus etiam præcepta sunt præcepta Ecclesiæ et superiorum.

* supersedent

*Apte ministrativa dispositio,* seu ordo diaconorum, *tanquam purgativa, unam sacrificat purgandorum accessionem,* id est, sacram facit unam actionem eorum, qua ad Deum accedunt. Nam facit in eis salubrem purgationem passivam. Vel, « unam accessionem », id est congregationem, « purgandorum ». *Sub divinum eam supponens altare,* id est, sacro altari subjiciens ad humiliandum et prosternendum se coram altari, *tanquam in ipso purgatis animis supermundane oblatis,* id est tanquam animabus eorum qui jam purgati sunt, spiritualiter Deo « oblatis », cui se obtulerunt in servos fideles, « in ipso » altari, id est circa illud ; vel, in altari, id est Christo.

*Sacerdotes autem utroque pede inclinant,* id est, ambo genua flectunt, *veluti suis sacris accessibus non solum mundantibus,* id est, ad designandum quod per sacros suos accessus ad Deum ut illuminentur ab illo, vel ad inferiores ut illos illuminent, non solum purgent illos, *sed et manifestissimis suis sacrificationibus,* id est sacris oblationibus, *anagogice purificatam vitam in contemplativum habitum et virtutem sacrifice consummantibus :* id est, ipsis sacerdotibus « consummantibus », id est perficientibus, « anagogice », id est superductive erigendo, videlicet ad superna, « vitam purificatam », id est conversationem jam mundatam a malis prioribus, sicque perficiendo illos, ut pertingant « in habitum contemplativum », id est ad sapientiam salutarem et virtutem perfectam, per quæ sint ad contemplandum idonei : et ita sacerdotes non solum purgant, sed et illuminant inferiores « sacrifice », non verbis solummodo, sed etiam sacre agendo seu juste vivendo.

*Summus autem sacerdos utroque pede inclinans,* id est, ambo genua flectens, *super caput habet Deo tradita Eloquia,* id est librum Scripturæ, *Dei ministrativa*

*virtute purgatos et sacrifica illuminatos, ad inspectorum ab ipsis sacrorum proportionaliter eis scientiam hierarchice ducens, et per eam consummans accedentes in integram secundum eos oblationem :* id est, episcopus « ducens purgatos ministrativa Dei virtute », id est diaconali et purgativa potestate, « et illuminatos sacrifica », id est sanctificativa et illuminativa vi sacerdotum : ducens, inquam, « ad scientiam », id est cognitionem et spiritualem intellectum, « proportionaliter eis », id est, secundum quod capere queunt, « sacrorum inspectorum ab ipsis », id est mysteriorum et sacramentorum ac A divinorum, quæ ipsis aliqualiter sunt ostensa, vel sub sensibilibus signis et formis manifestata, et per scientiam illam « consummans », id est perficiens, « accedentes in oblationem integram secundum eos », id est, ad hoc quod ipsi accedentes ad Deum per directionem et eruditionem episcopi, perfecte se offerant Deo secundum exigentiam et tenorem vocationis et status eorum, et secundum quod dona eis divinitus collata requirunt : quia ut ait Salvator, cui plus datum est, plus requiretur ab eo. *Luc.* XII, 48. B Idcirco hortatur Apostolus : Obsecro vos ut digne ambuletis vocatione qua vocati estis, cum omni humilitate et patientia. *Ephes.* IV, 1, 2.

## PARAPHRASIS ABBATIS VERCELLENSIS

*Cf.* p. 507 in fine.

POST divinas operationes in consecratione chrismatis, dignum est exponere sacerdotales ordines et partitiones, et virtutes eorum, et operationes et perfectiones, et trinitatem ordinum sub ipsis constitutorum : ut ostendatur nostra hierarchia expellere a se inordinationem et confusionem, et in ordinibus suis servare bene ordinatam et stabilem ordinationem, juxta singulorum ordinum congruentiam. Et quum de hierarchiis generaliter tractaremus, trinam eis divisionem attribuimus, dicendo omne hierarchicum negotium dividi in sanctas perfectiones, et divinos magistros, et eos qui ab ipsis perficiuntur. Cœlestis autem hierarchia perfectionem habet, secundum virtutem propriam, intellectum Dei et invisibilium divinorum comprehensivum, et integram (secundum eamdem suam virtutem) Dei conformitatem et Dei imitationem firmam. Et habet primas substantias illuminatores et duces inferiorum ad sanctam perfectionem. Ipsæ enim ad subjectos ordines deferunt deificas cognitiones sibi donatas a divina hierarchia, quæ sapientes facit divinas mentes. Primis autem substantiis subjecti, sunt et dicuntur perfecti ordines, tanquam ab illis sursumacti ad divinam illuminationem. Post angelicam vero hierarchiam divina bonitas ad nos proferens dona sua, antiquo populo sub lege, tanquam pueris, secundum Scripturam, legalem hierarchiam tradidit, obscuris et remotis imaginibus verorum archetyporum, *Galat.* IV, 3. C scilicet spiritualium intelligentiarum, et difficilibus ænigmatibus ad contemplandum, propter figurarum obscuritatem habentibus contemplationem spiritualis intelligentiæ non clare expressam, sed coopertam in ipsis, secundum capacitatem antiqui populi, tanquam infirmis oculis sine læsione supersplendens. Huic autem legali hierarchiæ perfectio est sursumactio ad spiritualem unius Dei cultum; manuductores vero ad istam, qui a primo legis magistro Moyse docti sunt de his quæ ad tabernaculum Domini pertinebant. Qui Moyses, ad introductoriam notitiam tabernaculi D cum suis pertinentiis scribens hierarchiam legalem et imaginem figuræ sibi in monte Sina ostensæ, vocabat omnia secundum legem sanctificata. *Exod.* XXV, 40. In hac autem legali hierarchia perfecti erant, qui a dictis manuductoribus proportionaliter sursumagebantur ad doctrinam perfectiorem per signa legalia. Perfectiorem vero doctrinam Theologia dicit nostram hierarchiam, vocans ipsam adimpletionem et finem sanctum legalis hierarchiæ. *Matth.* V, 17; *Rom.* X, 4. Nostra autem hierarchia media est inter legalem et cœlestem, tanquam utrique secundum aliquid communicans : scilicet cœlesti hierarchiæ, in-

tellectualibus contemplationibus ; et legali, in eo quod variatur signis sensibilibus, et per illa in divina sursumagitur. Et similiter trinam habet divisionem, scilicet imperfectiores, perfectores, et perfectos.

Unaquæque enim harum trium divisionum nostræ hierarchiæ ordinatur sicut et in legali et in cœlesti hierarchia, scilicet prima et media et ultima, providens sanctis in se contentis virtutem, et convenientem singulis proportionem, et universorum ordinatam et conjunctivam communionem. Perfectionum ergo sanctificatio, primam habet virtutem, imperfectorum mundationem ; mediam autem virtutem, doctrinam mundatorum illuminativam; ultimam vero et priorum complexivam, perfectionem doctorum in scientia propriarum doctrinarum. Ordo autem sanctificantium, in prima virtutum, mundat imperfectos per perfectores ; in media autem, illuminat mundatos ; in ultima et summa virtutum sanctificantium, perficit eos qui divino lumini communicaverunt, in scientificis perfectionibus illuminationum quas contemplati sunt. Eorum autem qui perficiuntur prima virtus est mundativa ; media virtus illuminativa, et quorumdam contemplativa; ultima et aliis divinior, illuminata per perfectivam scientiam sanctarum illuminationum quarum effecta est contemplatrix. Laudavimus ergo triplicem virtutem sanctificationis perfectionum : duplicem quidem in Baptismo, scilicet mundationem, et illuminationem; unam vero in Eucharistia et chrismate, scilicet deificam cognitionem et scientiam, per quam perficiuntur vivifica deductio et beatissima communio nostri ad ipsam Divinitatem. Restat deinceps tractare de ordine sacerdotali, per quem ista administrantur : qui ordo dividitur in ordinationem mundativam, et illuminativam, et perfectivam.

Est autem generalis lex hierarchiæ, ut inferiores per suos superiores sursumagantur ad divinos splendores sibi illucentes, juxta quod videmus in rebus sensibilibus et elementatis : quia cognatiora sibi et propinquiora, prius et familiarius immutant secundum suam similitudinem, et illis mediantibus extendunt operationem suam ad ulteriora. Convenienter igitur Deus, qui est principium et firmamentum omnis visibilis et invisibilis ordinationis, primo influit radios suos vitales et deificos primis et superioribus, sicut sibi conformioribus, et per illos, tanquam idoneos ad lumen divinum

A et hauriendum et aliis influendum, elucet et superapparet inferioribus secundum ipsorum capacitatem. Primorum ergo Deum sublimius contemplantium, est copiose demonstrare suis inferioribus, secundum ipsorum capacitatem, visiones divinas quas ipsi inspiciunt ; et eorumdem est docere quæ hierarchica sunt scientia perfectiva, quum ipsi bene didicerint divina universæ hierarchiæ et præ aliis acceperint perfectivam virtutem docendi ; et ipsorum est tradere divina his qui sacerdotali perfectione integre participant, secundum ipsorum dignitatem. Ordo autem episcopalis,
B præ ceteris ordinibus ecclesiasticis proximus est Deo, et summus et ultimus, id est consummativus aliorum, quia in ordine episcopali consummatur et adimpletur omnis ornatus ecclesiasticæ hierarchiæ. Sicut enim universa hierarchia angelica et humana in Domino Jesu consummatur, ita et quælibet spiritualis hierarchia terminatur in proprio hierarcha. Virtus autem ordinis hierarchici continet omnes virtutes et operationes ecclesiasticas, quamvis per inferiores fiat subministratio, et ipsa operetur ministeria sibi appropriata per singulos alios ordines. Lex autem
C divina excellenter attribuit ordini episcopali super reliquos ordines, diviniores sanctificationes ad operationem sibi appropriatam. Istæ autem sanctificationes episcopales, sunt perfectivæ imagines divinæ virtutis, perficientes omnia signa divina et ornatus ecclesiasticos. Quamvis enim a sacerdotibus quædam mysteria symbolica impleantur, ut Baptismus et confectio Eucharistiæ, cum quibusdam pertinentiis : tamen Baptismus non celebratur solenniter sine chrismate, et Eucharistia conficitur in altari ; chrisma autem et altare non nisi ab episcopo consecrantur. Sed neque ali-
D quis fit sacerdos nisi ab episcopo consecratus. Unde divinitus ordinatum est ad solum episcopum pertinere sacerdotum, chrismatis et altaris consecrationem. Ordo ergo episcopalis adimpletus est virtute perfectiva naturæ nostræ, perficiens excellenter ea quæ perficiunt sacerdotium, et manifestative edoctus spirituales scientias, et edocens sacerdotes et alios inferiores spirituales scientias et virtutes.

Ordo autem sacerdotum illuminativus eorum qui perficiuntur ab hierarchis, manuducit ad cognitionem perfectionum, et cum eisdem hierarchis operatur mysteria sibi competentia, in quibus et operatur divinas operationes,

quas et demonstrat per signa sensibilia, accedentes faciens contemplativos, et sanctarum perfectionum communicatores, et ad episcopos mittens eos qui desiderant scientiam sanctificationum quas contemplati sunt. — Ordo autem diaconorum, qui mundativus et separativus est dissimilium, accedentes mundat antequam accedant ad sanctificationem quæ fit per sacerdotes. Mundat autem eos a contrariis, et idoneos facit ad sanctificativam inspectionem et communionem. Unde in Baptismo, diaconi accedentem exuunt vestem veterem et discalceant; et ad occidentem statuunt ad faciendam abrenuntiationem, et iterum transducunt ad orientem. Ea ratione ordinis mundativi et virtutis mundativæ sunt : qui præcipiunt accedentes abjicere omnino vestes prioris vitæ, et obscuritatem prioris vitæ ostendentes, et docentes illos abrenuntiare obscuris, et ad illuminativa transduci. Mundativus ergo est ordo diaconorum, sursumagens mundatos ad manifestas sanctorum sanctificationes, et imperfectiores mundans et inflammans doctrinis Scripturarum illuminativis et exhortativis, mundos etiam segregans ab immundis. Et ideo constitutio ecclesiastica statuit ordinem diaconorum ad portas, per imperfectas mundationes signans introitum ad sancta, et per virtutes mundativas insinuans adductionem in sanctas inspectiones et communiones sanctorum, et per istas communiones et inspectiones suscipiens eos immaculatos.

Ostensum est ergo, quod ordo episcopalis perfectivus est et perfecta operans; sacerdotalis autem ordo, illuminativus et luciducus; ordo autem diaconorum, purgativus et discretivus : episcopali ordine non solum sciente perficere, sed et mundare et illuminare, et habente in se virtutem sacerdotalem, et virtutem illuminativam, et scientiam mundativam. Nam minores nequeunt operationes majorum implere, neque eis licet ad talem præsumptionem conari. Sublimiores vero ordines, quamvis et proprias et subjectas scientias cognoscant, tamen quia typum gerunt divinarum operationum, ipsi ostendentes in se ordinis sacerdotalis bene et inconfuse ordinati illuminationes divinarum operationum, divisi sunt ecclesiastici gradus in primas, et medias, et ultimas sanctas operationes et ordines secundum hierarchicas discretiones, per hoc manifestantes (ut dixi) in se ipsis inconfusam ordinationem divinarum operationum. Nam quoniam Divinitas cœlestes animos prius naturaliter mundat, post illuminat, et illuminatos perficit ad operationem perfectionis Deo conformem; convenienter ecclesiastica hierarchia diligenter imitans divinam, se ipsam dividit in discretos ordines et virtutes, per se manifeste ostendens operationes ecclesiasticæ hierarchiæ in sanctis et mundis ordinibus firmiter et inconfuse esse collocatas. Quoniam autem sacerdotales ordines et ordinum partitiones, et virtutes et operationes tetigimus secundum nostram possibilitatem, consideremus ipsorum perfectiones.

### MYSTERIUM SACERDOTALIS PERFECTIONIS.

Episcopus quidem, quando consecrandus est, ambo genua flectens ante altare, super caput habet sacras Scripturas; et episcopus consecrans ipsum, ponit manum super caput ejus, et præmissis invocationibus ad Deum, sic eum consecrat. Sacerdos autem qui consecrandus est, utrumque genu flectens, episcopo eum consecrante et manum capiti ejus imponente, sanctis invocationibus consecratur. Minister vero, id est diaconus, flectens unum genu ante altare, ab episcopo imponente manum dexteram ejus capiti ordinatur, factis ab episcopo consecrationibus ad diaconorum perfectionem pertinentibus. Cuilibet ergo eorum qui perficiuntur, imprimitur signum crucis ab episcopo eos perficiente, et quilibet specialiter edocetur, et omnes qui ibi præsentes sunt in sacrario, recipiunt eum in osculo sancto.

### CONTEMPLATIO.

Colligitur ergo ex prædictis, quod episcopis, sacerdotibus, diaconis, communia sunt : introductio, ante altare inclinatio, impositio manus episcopalis, signatio cruciformis, prædicatio, osculum. Episcopis autem electum et singulare est, quod liber sacræ Scripturæ capitibus eorum superponitur. Sacerdotes autem genua ambo flectunt, quum ministri tantum unum genu flectant.

Adductio autem ad altare et inclinatio, signat eos qui sacerdotaliter perficiuntur, universaliter Deo supponere vitam suam, et intellectum et intellectuales suas operationes

omnino divinæ majestati præsentare, et secundum suam facultatem se divina præsentia dignam exhibere, et cœlesti sanctuario mentes Deo dignas offerre. — Impositio vero manuum episcopi signat quod episcopus eos quos perficit, principaliter protegit tanquam pueros et custodit, paterne ipsis impertiens habitum et virtutem sacerdotalem, et conterens contrarias virtutes. Docet etiam eos perficere sacerdotales operationes tanquam Deo subditos, et ipsum habentes ducem in omnibus propriarum operationum. — Cruciformis vero signatio, abstinentiam ab omnibus carnalibus appetitibus, et vitam Deo conformem, semper intentam ad conversationem Salvatoris nostri in carne, vel potius ad ipsius divinam vitam, qui usque ad crucem et mortem cum peccati immunitate plenissima pervenit, et ad sui imitationem viventes insignivit propria cruciformi imagine immunitatis peccati.

Sanctam autem perfectionem eorum qui perficiuntur episcopus pronuntiat : in quo ostendit quod ipse sanctitatis perfector, in Dei amore manifestivus est divinæ electionis; nec propria voluntate eos ad culmen gradus sacerdotalis exaltans, sed a Deo motus ad omnes sacerdotales sanctificationes. Ita Moyses perfector legalis sanctitatis, etiam Aaron fratrem suum carnalem, ad dignitatem sacerdotalem et Dei amicitiam non sublimavit, neque eum hierarchice propria gratia consecravit, sed Deus, qui principalis est auctor sanctitatis. Nam et ipse Dominus Jesus propter nos
*Hebr.* v, 5, 6; *Ps.* cix, 4. homo factus, non se ipsum glorificavit, ut dicit Apostolus ad Hebræos; sed qui locutus est ad ipsum : Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Unde et ipse Dominus Jesus discipulos suos in episcopos consecrans, quamvis ipsemet secundum divinitatem princeps sit omnis perfectionis, tamen perfectionem eorum ipse reponit ad Patrem suum Deum et Spiritum Sanctum,
*Act.* i, 4, 5. annuntians eis, sicut scriptum est in Actibus Apostolorum, ab Jerosolymis ne recederent, sed exspectarent promissionem Patris : Quam audistis, inquit, per os meum, quoniam baptizabimini Spiritu Sancto. Et B. Petrus Apostolorum princeps, cum aliis decem coapostolis, completurus duodenarium apostolicum,
*Ibid.* 24. Deo commisit electionem, dicens : Ostende quem elegeris. Et divina sorte demonstratum, in numerum duodenarii apostolici suscepit. De sorte autem illa quæ cecidit super Mat-

A thiam, aliqui non recte dixerunt. Mihi autem videtur quod sors ibi dicatur aliquod divinum donum, demonstrans apostolicæ congregationi quem Deus in apostolum elegisset; demonstrans etiam, quod episcopum non oportet proprio motu aliquos promovere ad ordinem sacerdotalem, sed instinctu divino et inspiratione cœlesti.

Quod autem in fine, qui perficitur in osculo suscipitur, tam ab episcopo quam ab aliis sacerdotibus qui præsentes sunt, signat quod mens sancta, scientiis et virtutibus, et divina vocatione, ad sacerdotalem perfectionem per-
B veniens, alias sanctas mentes amat, et ab illis amatur. Unde et mutuum sacerdotum osculum ostendit communionem conformium mentium, et mutuo amabilem exsultationem, sicut integre servantem deiformem pulchritudinem per gradum sacerdotalem.

Igitur quæ dixi, communia sunt totius ordinis sacerdotalis. Ad solum vero episcopum pertinet ut sancta Evangelia ponantur super caput ejus quum consecratur. In quo signatur, quod divina bonitas tribuit episcopis tam virtutem quam scientiam perfectivam omnis sanctificationis, juxta quod sacræ Scripturæ
C continent et declarant divinas operationes, apparitiones, sanctificationes, locutiones, et uno verbo, omnia divina et opera et verba donata nostræ hierarchiæ a benefica divina operatione. Ideo Scriptura sacra superponitur capiti episcopi consecrandi, tanquam Deo conformis, et omni sacerdotali virtute integre participaturi; neque tantum illuminandi vera et divina scientia omnium hierarchicarum locutionum et operationum, sed et aliis secundum singulorum gradum et capacitatem hoc dispensaturi, et perfecturi illos hierarchice in divinissimis cognitionibus et summis sursum-
D actionibus in omnibus perfectissimis totius hierarchiæ. Sacerdotibus autem speciale est præter ministros, utrumque genu flectere; ministris autem, unum genu tantum flectere. Genuflexio vero ante altare, signat quod tam adducentis adductio, quam ipse qui adducitur, Deo supponitur. Quoniam autem tres sunt ordines perficientium, scilicet purgatores, illuminatores, et perfectores, et ipsi præsident tribus ordinibus eorum qui perficiuntur, scilicet purgandis, illuminandis, et perficiendis, per tres perficiendi virtutes, scilicet purgationem, illuminationem, et perfectionem, et eorum adductionem Deo supponunt : congruit

ut ministri, qui purgant tantum, adductionem A unam sanctificent coram sancto altari, unum tantum genu flectendo; sacerdotes vero, qui duplicem accedentibus impendunt adductionem Deo suppositam, duo genua flectant, scilicet pro purgatorum illuminatione, et illuminatorum perfectione. Episcopus vero et ambo genua flectit, et super caput habet Evangelia, quia a ministris purgatos, et a sacerdotibus illuminatos et perfectos, ad contemplationem et communionem sacrorum secundum singulorum proportionem hierarchice adducens, per istam perficit adductos ad integram secundum istos sanctificationem.

# CAPITULUM VI

## DE PERFICIENDORUM ORDINIBUS.

Hi quidem sacerdotales ordines et partitiones, virtutesque eorum et operationes et consummationes. Sub ipsis autem trinitas consummandorum ordinum deinde narranda. Dicamus igitur, quia purgandi quidem sunt ordines sacrificantibus et ministrantibus distinctæ multitudines quarum jam memoriam fecimus : ejus quidem, tanquam adhuc ante ministrantium obstetricibus eloquiis ad vitalem approbationem et reformandæ et figurandæ; ejusque quasi ad divinam (quia ex ea apostatavit) vitam revocandæ bonorum eloquiorum conversoria doctrina; ejusque tanquam adhuc a contrariis tumultibus infirmiter timidæ, et a facientibus virtutem eloquiis corroborandæ; ejusque velut adhuc ad sacras actiones ex pessimis traducendæ; ejusque tanquam traductæ quidem, nondum vero castissime conversationem in divinioribus habitibus et immutabilibus habentis. Isti enim sunt purgandi ordines administrativa obstetricatione et purgativa virtute. Hos ministri sacris suis virtutibus perficiunt, ad consummate purgatos eos in illuminatricem manifestissimarum sacrificationum contemplationem et communicationem transordinandos.

Medius autem ordo est contemplativus, et quibusdam sacrificiis proportionaliter in puritate omni communicans sacerdotibus, in illuminandum se distributus. Etenim est (ut æstimo) clarum, quomodo ipse purgatus omni immunda macula, et castissimum habens proprii animi immutabile fundamentum, in contemplativum habitum et virtutem sacrifice transit, et communicat per se divinissimis symbolis, in contemplatione eorum et in communicatione simul omnis sacræ lætitiæ repletus, ac per hoc ad divinum scientiæ eorum amorem sanctissimis ascensionibus suis virtutibusque proportionaliter revolans. Hunc ego dico sancti populi ordinem, tanquam per omnem venientem purgationem, et sacra manifestissimarum hostiarum inspectione et communicatione (quantum justum est) dignum.

Perficiendorum autem omnium altior ordo, monachorum est sacra dispositio : omni quidem mundata purgatione universali virtute et perfectissima propriarum

actionum castitate; omnique quantacumque, ut decet eam, contemplando sanctificatione, in intellectuali theoria et communicatione facta; et pontificum consummativis virtutibus mancipata, et divinis eorum illuminationibus et hierarchicis traditionibus edocta, considerans per se sacrarum hostiarum sacrificationes, et a sacra eorum scientia proportionaliter in consummatissimam ascendens consummationem. Inde divini duces nostri nominationibus eos sacris dignati sunt, alii quidem therapeutas, alii autem monachos, ipsos nominantes, ex Dei puro ministerio et famulatu, et non partita et singulari vita, tanquam unificante eos in separabilium sacris complicationibus, in deiformem unitatem et amicam Deo consummationem. Propter quod et consummativam eis donavit gratiam sacra legislatio, et quadam eos dignata est consecrativa invocatione : non hierarchica, illa enim in solis fit sanctificis ordinibus; sed sanctificativa, a sanctis sacerdotibus hierarchica perfectione secundo sanctificata.

### MYSTERIUM MONACHICÆ CONSUMMATIONIS.

Sacerdos quidem stat in conspectu divini altaris, monachicam invocationem psallens. Consummandus autem retro sacerdotem stat, non utrumque pedem inclinans, non unum de pedibus, non super caput habens Deo tradita Eloquia, tantum vero sacerdoti adstans psallenti super ipso mysticam invocationem. Perficiens autem eam sacerdos, ad perficiendum veniens, interrogat primum hoc, si primum abrenuntiat divisis non solum conversationibus, sed et phantasiis. Deinde perfectissimam ei vitam narrat, testimonium ei perhibens quia oportet media eum superadstare. Hæc autem omnia perficiente intentiusque confitente, cruciformi similitudine signans eum sacerdos tondet, trinam divinæ beatitudinis invocans substantiam; et vestem omnem exuens, alteram induit; et cum aliis sacerdotibus viris quicumque adsunt salutans eum, socium perficit divinorum mysteriorum.

### THEORIA.

Quod neque pedibus inclinare, neque super caput habere Deo tradita Eloquia, adstare autem sacerdoti invocationem psallenti, declarat monachicum ordinem non esse prælatum aliis, sed in se ipso stantem, in singulari et sacra statione sacerdotales sequentem ordines, et cum ipsis tanquam consequentem in divinam per se sacrorum scientiam bene credens ascendentem. Partitis autem non solum conversationibus sed etiam phantasiis abrenuntiatio, consummatissimam significat monachorum philosophiam, in scientia vivificantium* mandatorum operantem. Est enim, ut diximus, non mediæ* perficiendorum ordinum, sed omnium altioris. Propter quod et multa a media ordinatione indiscrete energumenum, interdicuntur

* unificantium
* media

modo quodam singularibus monachis, tanquam ad unum sic debentibus unificari et ad divinam unitatem congregari, et ad sanctificam (ut justum est) reformari vitam, veluti cognationem ejus habentem * in multis, et magis ei ultra reliquas consummandorum ordinationes proximantem.

* habenti

Cruciformis autem similitudinis signaculum, sicut jam a nobis dictum est, declarat ab omnibus simul carnalibus desideriis otium. Capillorum vero tonsura significat mundam, non figuratam vitam, non in fictis figuris animi libertatem superposite formantem, sed ipsam in se ipsa, non humanis pulchritudinibus, sed coadunatis et monachicis in deiformissimum reductam. Prioris autem vestimenti expulsio et alterius assumptio, a media sacra vita in perfectiorem, transordinationem significat, sicut in sacra theogenesia vestimenti mutatio declarabat purgatam vitam in contemplativum et illuminativum habitum ascendentem. Si autem et nunc sacerdos et omnes quicumque adsunt sancti, consummatum salutant, sanctam deiformium intellige societatem, caritative in lætitia divina condelectatam sibi invicem.

In fine autem omnium, sacerdos in divinam communionem vocat consummatum : significans sacre quomodo perfectus, si vere in monachicam pervenit et in coadunatam anagogen, non contemplator solummodo erit secundum se sacrorum, neque juxta medium ordinem in communionem veniet sacratissimorum symbolorum, sed cum divina a se participatorum sacrorum scientia, altero modo super sacram plebem in assumptionem veniet divinæ communionis. Propter quod et sacerdotalibus ordinibus, in sacre communicativis * suis sanctificationibus, in fine sanctissimarum suarum oblationum, sanctissimæ Eucharistiæ communio traditur a consummante eos summo sacerdote : non solum quia divinorum mysteriorum assumptio uniuscujusque hierarchicæ participationis est consummatio ; sed quia et ipsam communionem et divinissimam donationem, proportionaliter eis secundum singulas, sacræ omnes ordinationes participant ad propriam earum positionis anagogen et consummationem.

* consummativis

Comprehensum est igitur a nobis, quomodo sanctæ quidem teletæ purgatio sunt, et illuminatio, et consummatio. Ministri autem, purgativus ordo ; sacerdotes vero, illuminativus ; consummativus autem, deiformes summi sacerdotes. Purgatus vero ordo, sacræ inspectionis et communionis non particeps, quantum adhuc purgatus ; contemplativus ordo, sacer populus ; consummatus autem ordo, est adunatorum monachorum. Sic enim secundum nos hierarchia Deo traditis ordinibus sacre disposita, cœlestibus hierarchiis conformis est, divinæ imitationis suæ, quantum in viris, salvans deiformes characteres. Sed dicis quia cœlestibus hierarchiis desunt omnino purgati ordines : non enim justum neque verum dicere, tanquam jam quædam cœlestis dispositio sit polluta. Ego autem, quia quidem immaculati perfectissime sunt, et castissimum supermundane habent, confiteor omnino, si non omnino recido sacratissimo intellectu. Si enim aliquis eorum a malitia receptus, cœlesti quidem et inconfusa cecidit divinorum animorum harmonia, in obscurum

apostaticarum multitudinum evectus est casum. Sed est dicendum mirabiliter, in cœlesti hierarchia quia purgatio est in subjectis essentiis, a Deo tanquam ignotorum illuminatio, in perfectiorem eas scientiam ducens divinarum cognitionum, et ignorantiam eorum quorum nondum scientiam habebant, utpote purgans per primas et diviniores essentias, reductas in superiores divinarum contemplationum et manifestiores claritates. Sic et illuminati ordines sunt et consummati, et purgativi et illuminativi et consummativi, secundum cœlestem hierarchiam, tanquam excellentissimis et divinissimis essentiis, inferiores sacras et cœlestes dispositiones cum omni castitate purgantibus in ordinibus et proportionibus cœlestium hierarchiarum, implentibusque eas divinissimarum illuminatione, et consummantibus in sacratissima hierarchicarum intelligentiarum scientia. Etenim jam a nobis dictum est, et Eloquiis divinitus comparatur, non eas esse omnes cœlestes dispositiones in omnibus sacris deividum illuminationum scientiis, sed ex Deo quidem immediate primas, per illas autem similiter iterum ex Deo subjectas, proportionaliter eis illuminari manifestissimis Divinitatis radiis claris.

De Cœlesti hierarchia cap. VII.

# ARTICULUS LII

## ELUCIDATIO PARTIS PRIMÆ HUJUS SEXTI CAPITULI : DE PERFICIENDORUM ORDINIBUS, AC PRIMUM DE ORDINIBUS PURGANDIS.

JAM in præcedenti capitulo actum est de tribus ordinibus perficientium, jam agitur de totidem perficiendorum ordinibus. Quum autem dicuntur tres ordines perficientium, nomen ordinis aliquam denotat dignitatem ; non sic, quum dicuntur tres ordines perficiendorum.

A

*Hi quidem sacerdotales ordines,* utputa ordo purgantium seu diaconorum, ordo quoque illuminantium seu sacerdotum, et ordo perficientium, id est episcoporum, *et partitiones,* id est divisiones eorum, quia trimembris divisio est illorum, *virtutesque eorum*,* quæ etiam tres sunt, ratione magis quam realiter differentes, sicut et actus earum, ut saltem in pluribus : ut sunt vis purgativa, vis illuminativa, visque consummativa, ut in præcedenti capitulo est expressum. *Sub ipsis autem trinitas consummandorum ordinum deinde narranda,* id est, nunc deinceps notificandi sunt tres ordines inferiorum constitutorum sub illis, quorum est purgari, illuminari, et perfici.

*alias add. *et operationes et consummationes*

B

*Dicamus ergo*, quia purgandi quidem sunt ordines sacrificantibus et ministrantibus distinctæ multitudines :* id est, « ordines purgandi » seu purgandorum, ut sit constructio intransitiva, « sunt multitudines » hominum « distinctæ » a « sacrificantibus » et episcopis, quorum est alios efficere sacros instrumentaliter et dispositive, « et » a « ministrantibus », id est diaconis, qui in divinis ministeriis sacerdotibus atque episcopis connumerantur ; *quorum* jam memoriam fecimus,* id est, de quibus determinavimus. De quorum diversitatibus subditur :

* igitur

* quarum

*Ejus quidem, tanquam adhuc ante ministrantium obstetricibus eloquiis ad vitalem approbationem et formandæ* et figurandæ :* id est, fecimus mentionem

* reformandæ

« ejus », id est multitudinis cujusdam, « tanquam formandæ et figurandæ ad approbationem vitalem », id est ad salubrem et evidentem detestationem culpæ prioris (hinc aliæ duæ translationes habent, Ad vitalem abrenuntiationem): formandæ, inquam, « eloquiis obstetricibus », id est verbis Scripturæ spiritualiter obstetricantibus catechumenum baptizandum, quem oportet per documenta Scripturæ formare, consolidare et circumligare, ne a convenienti figura ac forma resolvatur ac defluat instar neglecti infantuli, prout de isto paulo ante jam dictum est, ubi et verba ista exposita sunt. Sic quippe dixit Apostolus : Tanquam parvulis in Christo lac dedi vobis, non solidum cibum. Juxta hanc similitudinem locutus est Dominus ad Job : Quis conclusit ostiis mare quando erumpebat quasi de vulva procedens, quum ponerem nubem vestimentum ejus, et caligine illud quasi pannis infantiæ obvolverem ?

I Cor. III, 1, 2. — Job XXXVIII, 8, 9.

*Ejusque quasi ad divinam (quia ex ea apostatavit) vitam revocandæ :* id est, fecimus memoriam et « ejus », id est cujusdam multitudinis recidivantis, « quasi revocandæ », id est per pœnitentiam reducendæ, ad conversationem divinam et virtuosam, in qua fuit ad tempus, « quia apostatavit » ab « ea », juxta illud ad Galatas : O insensati Galatæ, quis vos fascinavit non obedire veritati ? *bonorum eloquiorum conversoria doctrina,* id est informationibus Scripturarum salubrium, quæ magis aptæ sunt ad conversionem, pœnitentiam et emendationem inducendam : ut quod ait Salvator, Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis; et quod iterum dixit, Servus qui cognovit voluntatem domini sui, et non fecit, plagis vapulabit multis; et quod in secunda sua Canonica princeps ait Apostolorum, Melius erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum reverti.

Galat. III, 1. — Luc. XIII, 3. — Ibid. XII, 47. — II Petr. II, 21.

*Ejusque tanquam adhuc a contrariis tumultibus infirmiter timidæ :* id est, ejus quoque multitudinis memini, quæ adhuc valde est prona ad mala, ideo infirmiter timet tumultus contrarios tentationum et hostium, non habens spem fortem in Deo; *et a facientibus virtutem eloquiis corroborandæ,* id est confortandæ et animandæ in Domino « a » colloquiis « facientibus virtutem », id est per verba Scripturæ quæ ad opera virtutum accendunt : ut illud Apostoli, Non coronabitur nisi qui legitime certaverit ; et, Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, etc.

II Tim. II, 5. — Rom. VIII, 18.

*Ejusque velut adhuc ad sacras actiones ex pessimis traducendæ,* id est, illius etiam multitudinis meminimus quæ adhuc transferenda est ab actibus et consuetudinibus vitiosis ad actus virtutum : de qualibus scriptum est, Corrupti sunt et abominabiles facti sunt in iniquitatibus.

Ps. LII, 2.

*Ejusque tanquam traductæ quidem,* id est, meminimus item ejus multitudinis, id est cujusdam turbæ, translatæ de vitiis ad virtutes, *nondum vero castissime conversationem in divinioribus habitudinibus* et immutabilibus habentis :* id est, necdum « habentis conversationem castissime », id est purissime, « in habitudinibus », id est habitibus et exercitationibus, « divinioribus », ut sunt virtutes theologicæ et intellectuales, « et immutabilibus, » id est confirmatis et omnino stabilitis in bono.

* habitibus

*Isti enim sunt purgandi ordines,* id est, quinque multitudines istæ, videlicet catechumeni, energumeni, apostatæ, vitiosi, pusillanimiter infirmi et timidi, sunt ordines quinque purgandi, *a ministrativa* obstetricatione et purgativa virtute,* id est a persona diaconi, qui quasi obstetrix spiritualis, habet istos tenere in virtutibus, et doctrinis restringere et nutrire. Diaconus namque habet purgativam virtutem, et separat istos a perfectioribus, ejiciens eos de ecclesia ante consecrationem. Denique isti magis proprie appellantur turbæ et multitudines, quam ordo seu ordines aut collectiones, quum non sint adhuc debite coordinati, et per caritatem unum

* administrativa

effecti, sicut perfecti. Turba etenim est A quasi multitudo turbata. Mali etiam magis abundant. *Hos ministri,* id est diaconi, *sacris suis virtutibus perficiunt,* id est, perficere incipiunt, elongando eos ab extremitate vitiosa. Proprie autem perficere competit episcopis, quemadmodum illuminare sacerdotibus. *Ad consummate purgatos eos in illuminatricem manifestissimam* sacrificationum contemplationem et communicationem transordinando* :* hoc est, diaconi perficiunt istos « transordinando » id est de imperfectissimo ad meliora eos ordinando ac deducendo, scilicet « ad purgatos consummate », id est perfecte, « in illuminatricem manifestissimam », ut scilicet pertingant ad illam (puta ad viam) illuminativam, et « contemplationem et communicationem » : quoniam perducti ad viam illuminativam et ad proficientium statum, permittuntur sacrificationem, id est oblationem et elevationem, inspicere, et item communicare.

* *manifestissimarum*

* *transordinandos*

# ARTICULUS LIII

## DE ORDINIBUS ILLUMINANDIS.

*MEDIUS autem ordo est contemplativus,* id est, medius ordo perficiendorum est jam aliqualiter «contemplativus», non perfecte. Tres quippe sunt ordines perficiendorum : infimus, purgatorum ; medius, fidelis populi, qui ad divinorum seu sacramentorum inspectionem et communicationem admittitur, idcirco vocatur contemplativus ; tertius, monachorum. *Et quibusdam sacrificiis proportionaliter in puritate omni communicans sacerdotibus,* id est, medius iste ordo convenientiam specialem habet cum « sacerdotibus » C ipsis « proportionaliter », prout sibi possibile est, in « quibusdam sacrificiis » spiritualibus. Nam et celebrantibus adstat, et simul cum illis orat, Deum collaudat, dominicæ passionis recordatur, spiritualiterque communicat : imo cum offerentibus sacerdotibus offert, repræsentando Deo Patri Unigenitum suum et ejus passionem, alia quoque mysteria pro nostra reconciliatione, gratia et salute. *In illuminandum se distributus,* id est deputatus ut suæ, non aliorum (publice docendo), vacet illuminationi.

*Etenim est (ut æstimo) clarum, quomodo* B *ipse purgatus omni,* id est ab omni, *immunda macula,* id est mortali peccato, quod nitori gratiæ omnino contrariatur, *et castissimum habens proprii animi immutabile fundamentum,* id est firmissimam fidem, seu Christum in se habitantem per gratiam, seu mentis stabilitatem, secundum quod alia translatio continet; *in contemplativum habitum,* id est ad sapientiam salutarem mediocriter claram et eminentem, cujus actus est contemplatio competens, *et virtutem sacrifice transit,* id est ad sanctificantem virtutem, qua et se ipsum sacrificat Deo : Voluntarie, inquiens, sacrificabo tibi. *Ps. LIII, 8.* *Et communicat per se divinissimis symbolis,* id est sacramentalibus signis ac formis, sub quibus et suscepit Sacramentum, *in contemplationibus* eorum,* quia et oculis corporalibus inspicit hostiam sacram, oculisque mentalibus contenta sub visibilibus formis, *et in communicatione simul omnis sacræ lætitiæ repletus,* id est in ipsa Sacramenti susceptione refertus spirituali jucunditate magna et multa, D delectatus sapore mirabili, gustu interno, supernaturali dulcedine panis supersubstantialis, supercœlestis edu-

* *contemplatione*

lii, angelici panis. Hoc multi electi et A sancti sacerdotes copiose et ineffabiliter sunt experti : quod et quamplures laicales personæ, puellæ ac feminæ miro modo devotæ, ubertim experiuntur, quanquam et circa sensibilem illam suavitatem discretione opus sit et cautela. *Ac per hoc ad divinum scientiæ eorum amorem sanctissimis ascensionibus suis virtutibusque proportionaliter revolans,* id est, per hujusmodi internam lætitiam, degustationem et consolationem, celeriter rediens ad Divinitatis contemplationem, et ad fontalem B scientiam increatamque sapientiam, « ascensionibus » contemplativis ex Christi sacramentis atque mysteriis, intuendo quantum dilexerit nos Pater æternus, qui Unigenitum suum sic misit et dedit nobis, tradiditque pro nobis, et incessanter ipsum nobis tam mirabiliter incomprehensibiliterque largitur. Istud « virtutibus », id est fide et caritate, gratitudine, latria, sapientiæ ac scientiæ donis, inspici debet ac fieri.

*Hunc ergo* dico sancti populi ordinem,* id est, medium ordinem istum perficiendorum, voco « ordinem » fidelis « populi », *tanquam per omnem venientem purgationem,* id est, ad illuminativam viam procedentem ac provenientem « per omnem purgationem », id est cuncta exercitia viæ purgativæ, *et sacra manifestissimarum hostiarum inspectione et communicatione (quantum justum est) dignum :* hoc est, « dignum » præsentia personali in elevatione summi et famosissimi Sacramenti, et « communicatione » ejusdem : dignum, inquam, non simpliciter, quum nec Joannes sanctissimus dignus fuerit corrigiam solvere calceamenti illius ; sed « quantum justum est », id est debitum et necessarium ad salutem, exsistendo ad minus sine mortali peccato.

* *ego*

*Joann.* I, 27.

# ARTICULUS LIV

### DE SUPREMO ORDINE PERFICIENDORUM, SEU DE ORDINE MONACHORUM.

SEQUITUR de tertio et supremo perfi- C ciendorum catalogo.

*Perficiendorum autem omnium altior ordo, monachorum est sacra dispositio :* hoc est, « dispositio sacra », id est populus sanctus, rite dispositus, « monachorum, est ordo altior omnium perficiendorum », quorum est a sacris ordinibus hierarcharum ac præsidentium purgari, illuminari, ac perfici. *Omni quidem mundata purgatione,* id est plene purgata, *universali virtute,* id est exercitio omnis virtutis pertinentis ad eos, vel omni justi- D tia : justitia enim generalis est virtus, quæ exigit culpam emendari per pœnam, et satisfacere pro peccatis, debita solvere, restituere quoque ablata ; *et perfectissima propriarum actionum castitate,* id est munditia ac spirituali intentione, refrenatione etiam corporis omniumque membrorum ab omni inquinatione, ut totum corpus spiritualiter circumcidatur, et ab omni abusu custodiatur, sicque impleamus illud Apostoli ad Romanos : Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ et iniquitati ad iniquitatem, ita et nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem. *Omnique quantacumque, ut decet eam, contemplando sanctificatione,* id est purgata etiam « omni sanctificatione » statum illum decente : quia ad vacandum Deo in omni puritate et sanctis meditationibus ordinatur ; *in intellectuali theoria,* id est sapientia spirituali et contemplativa. Status etenim monachorum, est status perfectionis : ideo

*Rom.* VI, 19.

religiosi tenentur valde spirituali studere A profectui, ad contemplationem se dare, puritati, paci, quieti vacare. *Et communicatione facta,* id est, communionem sortita.

*Et pontificum consummativis virtutibus mancipata,* id est tradita perfectivis virtutum actionibus, quibus ab episcopis instituendi sunt monachi, *et divinis eorum illuminationibus,* id est spiritualioribus ac secretioribus informationibus, *et hierarchicis traditionibus,* id est præceptivis ordinationibus, *edocta* ad debite B ac regulariter conversandum ; *considerans per se sacrarum hostiarum sacrificationes,* id est, jam sine diaconi informatione contemplans ac intuens sacra mysteria celebrari, *et a sacra eorum scientia,* id est a cognitione illa symbolica sacramentalium specierum, *proportionaliter in consummatissimam ascendens consummationem,* id est in perfectissimam contemplationem et ardentissimam unionem, cum ingenti admiratione et affectuosissima intuitione pensando arcanum et C supersapientiale consilium supersublimis Trinitatis circa humani generis salvationem.

*Inde divini duces nostri,* id est hac de causa beatissimi Apostoli, *nominationibus eos sacris dignati sunt,* id est, monachos judicaverunt dignos appellationibus specialibus, illorum spiritualitati congruentibus ; *alii quidem therapeutas,* id est Dei cultores seu placatores, *alii autem monachos, ipsos nominantes, ex Dei puro ministerio et famulatu,* id est, aliqui voca- D verunt eos cultores et famulos Dei, eo quod cum præcipua puritate atque assidua deservitione colant Deum, ejus venerationi, laudi, speculationi, quantum possibile est, totis præcordiis sunt indesinenter intenti, jugiter custoditi, ac summa sollicitudine præcaventes ne majestatem et sanctitatem ejus in aliquo inhonorent. Unde et in vita beatissimi patris nostri Antonii recitatur, quod plurimi quasi speciali nomine vocabant eum Deicolam.

*Et non partita et singulari vita.* Hic tangitur ratio cur nuncupati sint monachi, utputa ex « vita singulari » et impertita, id est, quoniam singulari devotione et cordis integritate, recollectione et simplificata unione, suo obsequuntur Creatori, non distracti hinc inde, nec circa plura solliciti et turbati, sed in Deum reducti, stabiliti, ac sincerissima adhæsione sancti amoris unum cum illo effecti, nihil creatum curantes, appretiantes, adspicientes, nisi in Deo, secundum Deum, et propter Deum, videlicet in quantum utile aut necessarium eis est ad Dei obsequium, amorem et unionem. *Tanquam unificante eos inseparabilium * sacris complicationibus :* id est, tanquam singulari conversatione monachorum uniente et unificante mentes eorum « complicationibus sacris », id est sanctis conjunctionibus seu adunationibus, quibus diversa quasi plicantur et includuntur in unum (hinc alia littera habet, Convolutionibus), « inseparabilium », id est spiritualium ac perpetuorum bonorum, quæ veræ et inamissibiles divitiæ sunt rationalium creaturarum, nec separantur nec auferuntur ab eis, ipsis invitis, hoc est, nisi consentiant ; *in deiformem unitatem,* id est in præcipuam unionem cum Deo et inter se, ita quod quasi unum sunt cum et in illo, et unum ad invicem, juxta illud : Qui adhæret Deo, unus spiritus est ; *et amicam Deo consummationem,* id est perfectionem Deo dilectam. Ideo ad perfectionem nos jugiter exhortatur.

* *in separabilium*

I *Cor.* VI, 17.

*Propter quod et consummativam eis donavit gratiam sacra legislatio,* id est, doctrina evangelicæ legis adscribit monachis gratiam perfectivam et ipsam perfectionem, secundum statum eorum completum. Ideo juveni qui se dixit præcepta servare, Christus respondit : Si vis esse perfectus, vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, etc. *Et quadam eos dignata est consecrativa invocatione,* id est, censuit eos consecrari seu dignos benedici, cum imploratione gratiæ benedicen-

*Matth.* XIX, 21.

tis, præsertim in eorum professione. *Non hierarchica,* id est non pontificali; *illa enim in solis fit sanctificis ordinibus,* id est tantum in collationibus ordinum quorum est aliis sacra dare seu consecrare, purgare, illuminare, perficere; *sed sanctificativa,* id est consecratione sanctificationis impetrativa, *a sanctis sacerdotibus,* quorum est benedicere religiosis et A monachis. Sanctimoniales tamen velantur a præsule. Monachi enim non constituuntur in officio dignitatis aut prælatura. *Hierarchica perfectione secundo sanctificata :* id est, benedicuntur perfectione sacerdotali, quæ primo collata est benedictione episcopali. Episcopus namque benedicit et consecrat sacerdotem, qui sic consecratus, consecrat monachum.

# ARTICULUS LV

## MYSTERIUM MONASTICÆ INSTITUTIONIS, CONSECRATIONIS ET CONSUMMATIONIS.

*SACERDOS quidem stat in conspectu divini altaris, monachicam invocationem psallens,* id est, psalmos decantans qui magis pertinere videntur ad actum consecrationis illius.

*Consummandus autem,* id est perficiendus et consecrandus in monachum, *retro sacerdotem stat, non utrumque pedem inclinans,* id est, non ambo genua flectens coram altari, sicut sacerdos, *non unum de pedibus,* id est, nec unum genu flectens, sicut diaconus, *non super caput habens Deo tradita Eloquia,* id est librum sacræ Scripturæ, ut pontifex; *tantum vero sacerdoti adstans psallenti super ipso mysticam invocationem,* id est psalmodiam et precem includentem sensum arcanum et spiritualem.

*Perficiens autem eam,* videlicet mysticam invocationem seu monachalem consecrationem, *sacerdos, ad perficiendum veniens,* id est ad consecrandum in monachum, *interrogat primum hoc,* id est, istud primo inquirit a perficiendo, *si primum abrenuntiat divisis non solum conversationibus, sed et phantasiis,* id est non solum actionibus terrenis inordinatis a Deo dividentibus, vitiosis, carnalibus, imo etiam vanis apprehensionibus, phantasticis cogitationibus, consensui illicito, cunctis affectibus pravis.

B *Deinde perfectissimam ei vitam narrat,* id est, sacerdos commemorat perficiendo conversationem valde perfectam quam aggreditur, *testimonium ei perhibens,* id est, ei protestans, *quia oportet media eum superadstare,* id est, quod oporteat eum multo perfectius et spiritualius conversari quam fideles sæculares, qui sunt in medio gradu ac ordine perficiendorum.

*Hæc autem omnia perficiente intentiusque confitente,* id est, consecrando in mo- C nachum dicente se esse paratum ad omnia ista, et « confitente », id est, promittente (ut alia littera habet) quod ea servabit, *cruciformi similitudine,* id est signo crucis, *signans eum sacerdos tondet,* capillos abradens, *trinam divinæ beatitudinis invocans substantiam,* id est Deum felicitatis æternæ et increatæ, trinum in personis, unum in essentia; *et vestem omnem exuens,* id est, vestimenta priora exuens illum, *alteram,* scilicet monasticam vestem, *induit* illum; *et cum aliis sacerdo-* D *tibus viris quicumque adsunt salutans eum,* id est, osculans cum imprecatione et desiderio suæ salutis, ut prosperetur in sancta religione, et valedicens ei tanquam jam morienti huic sæculo nequam, *socium perficit divinorum mysteriorum,* id est sacræ communionis.

# ARTICULUS LVI

THEORIA, ID EST SPIRITUALIS SIGNIFICATIO HORUM : AC PRIMO CUR STET RETRO SACERDOTEM MONACHUS NON GENUFLECTENS, ET ABRENUNTIATIO QUID SIGNIFICET.

QUOD *neque pedibus inclinare,* id est A genua flectere, *neque super caput habere Deo tradita Eloquia,* id est librum divinæ Scripturæ, supple, convenit perficiendo in monachum, *adstare autem,* id est sed adstare, *sacerdoti,* stando juxta et retro eum, *invocationem psallenti,* id est, psalmos et convenientes orationes dicenti; *declarat,* id est significat, *monachicum ordinem non esse prælatum aliis* jurisdictionaliter atque prælatice, in quantum sunt monachi, quamvis unus monachorum confratribus præficiatur in abbatem B aut priorem, vel ex commissione seu indulto posset animarum curam habere, *sed in se ipso stantem,* id est, in sua humili vocatione manentem, *in singulari et sacra statione sacerdotales sequentem ordines,* id est, obedientem sacerdotibus et eis inferiorem, imo et diacono, juxta præhabita, saltem quantum ad actus hierarchicos, « in » sua « statione singulari », id est in loco, statu et ordine, quo soli Deo et sibi ipsi habet intendere. Propter quod monachus dicitur quasi custos unius, a C μονάς seu μόνος, quod est unum. Habet tamen orare pro aliis. Porro istis temporibus et per multa annorum centenaria, monachi in sacris sunt et fuerunt ordinibus. Idcirco pro nunc aliter de eis censendum est, quam in hujus libri capitulis scribitur, ut tangitur. *Et cum ipsis tanquam consequentem in divinam per se sacrorum scientiam bene credens ascendentem :* id est, monachicum ordinem cum sacerdotalibus viris « ascendentem in scientiam divinam sacrorum per se, tanquam D consequentem » ordines illos e vicino in ecclesiastica hierarchia. Quo etenim illis propinquior est, eo amplius perfectioni ipsorum conformare se debet, bene credendo eisdem a quibus illuminatur.

*Partitis autem non solum conversationibus sed etiam phantasiis abrenuntiatio,* id est, abrenuntiatio qua iste abrenuntiavit conversationibus divisis et phantasiis, secundum expositionem nunc introductam, *consummatissimam significat monachorum philosophiam,* id est sapientiam eorum valde perfectam : quæ consistit in hoc quod sic despiciunt temporalia atque carnalia, quatenus perfectius consequantur divina, et puriori quietiorique mente vacent Altissimo; *in scientia vivificantium mandatorum operantem,* id est, in cognitione saluberrimorum Dei præceptorum efficaciter se exercentem, juxta illud : Si vis intrare ad vitam, serva mandata. *Matth.* XIX, 17. Spiritualis namque et contemplativa sapientia non negligit operari tempore opportuno necessaria et utilia ad profectum. Denique præcepta evangelicæ legis recte dicuntur vivificantia, quia lex ista continet gratiam, secundum quod sumitur cum inclusione sacramentorum suorum, non autem lex Moysis. Propter quod per Ezechielem perhibuit Dominus : Dedi eis *Ezech.* XX, 25. præcepta non bona, et legem in qua non vivent.

*Est enim, ut diximus, non media perficiendorum ordinum,* id est, abrenuntiatio seu philosophia ista non est ordinum perficiendorum medio modo, *sed omnium altioris,* id est ordinis monastici, qui inter ordines perficiendorum supremus est : ideo maxime perfici debet inter eosdem. *Propter quod et multa a media ordinatione indiscrete energumenum :* id est, ob

hoc « multa » quæ « a media ordinatione energumenum », id est quæ fideli sæculari conjugatoque populo intus adhuc laboranti, « indiscrete », id est communiter, sine exceptione et prohibitione, aguntur : ut sunt nuptiæ, militiæ, mercationes : *interdicuntur quodammodo* * *singularibus monachis :* qui singulares vocantur, non singularitate vituperabili, sed quia sunt singularis propositi et vitæ eminentis, ut subditur : *tanquam ad unum sic debentibus unificari,* id est, veluti his quorum professio est præcipue esse unum cum Deo per recollectionem fervidumque amorem in eo, *et ad divinam unitatem congregari,* id est reduci ad illud supersimplicissimum quod summe necessarium esse constat ; *et ad sanctificam (ut justum est) reformari vitam,* id est reparari ad conversationem internam, christiformem, et innocentem atque « sanctificam », utputa sacerdotalem, cujus est aliorum vitam facere sanctam : hinc alia littera habet, Sacerdotalem ; *veluti cognationem ejus habenti in multis,* id est, tanquam possidenti præcipuam conformitatem et vicinitatem cum vita et ordine sacerdotum, ut dictum est, *et magis ei ultra reliquas consummandorum ordinationes proximantem,* id est, per similitudinem actuum virtuosorum plus accedentem ad similitudinem vitæ sacerdotalis quam reliquæ « ordinationes », id est congregationes seu ordines « consummandorum », id est perficiendorum.

*modo quodam

Luc. x, 42.

# ARTICULUS LVII

## QUID CRUCIS IMPRESSIO, CAPILLORUM DETONSIO, VESTIUM MUTATIO ET OSCULATIO CIRCA MONACHUM FACTÆ, DESIGNENT.

SEQUITUR quid designet impressio signi crucis. *Cruciformis autem similitudinis signaculum, sicut jam a nobis dictum est, declarat ab omnibus simul carnalibus desideriis otium,* id est, significat cessationem et abstinentiam a cunctis concupiscentiis, delectationibusque immundis, in quibus est maxima turpitudo, bestialitas, fœtor. Ideo S. Petrus : Obsecro (inquit) vos abstinere a carnalibus desideriis. Atque ut in regula sua sanctus asserit Benedictus, nihil sic dedecet monachum ut indigeries. Et Salvator : Videte, ait, ne graventur corda vestra in crapula.

I Petr. II, 11.

Luc. XXI, 34.

*Capillorum vero tonsura signat nudam Domini, non figuratam* * *vitam,* id est conversationem Christi sinceram, non palliatam aut simulatam : quam monachi potissime debent sequi. Nam contra fictam justitiam Christus in Evangelio acerrime loquitur : de qua Pharisæos et Scribas vehementissime ac multipliciter reprehendit. Et contra figuratam vitam sermocinans : Quum jejunatis, inquit, nolite fieri sicut hypocritæ, tristes ; exterminant enim facies suas, etc. *Non in fictis figuris animi libertatem superposite formantem :* id est, vitam « non formantem », id est, non effigiantem et quasi pingentem, « superposite », id est extrinsecus et apparenter in adspectibus hominum, « libertatem animi » a servitute vitiorum ac dæmonum, « in figuris fictis », id est apparatibus et gestibus simulatis et quasi devotionalibus, ut faciunt quidam vanissimi grandem prætendentes devotionem coram hominibus, quum sint mente corrupti, et detestabiles Deo : quia ut ait Scriptura, Simulatores et callidi provocant iram Dei. Hinc additur :

*significat mundam non figuratam

Matth. VI, 1-6, 16-18; VII, 35.

Matth. XV, 7, 8; XXII, 18-22; XXIII, 3-7, 13-36.

Ibid. VI, 16.

Job XXXVI, 13.

*Sed ipsam in se ipsa, non humanis pul-*

*chritudinibus, sed coadunatis et monachicis in deiformissimum reductam* : id est, vitam suam in semetipsa ornantes veris virtutibus, ita quod actus exteriores et apparatus corporalis et compositio morum foris refulgentes, procedant ex virtuosis interioribus actibus, ex intentione sincera ad Dei honorem, ad propriam salutem, ad proximorum ædificationem, ex caritate, humilitate ac Dei timore, « non pulchritudinibus humanis », id est fictis humiliationibus, vanis macerationibus, apparentibusque justitiis, non exsistentibus ; « sed reductam » in Deum tanquam in ultimum finem, per media recta, tanto fini proportionata, congruentia ac placita, et « in deiformissimum », id est in caritatis perfectionem et contemplationis expeditionem, ut ubique et semper, prompte ac fervide elevare valeant se in Deum. Caritas quippe est virtus summa, ad cujus profectum et perfectionem cetera exercitia nostra ordinare debemus. Ad futuram quoque beatificam visionem assidue nos appropinquare oportet, per incrementa puritatis internæ, et profectum in dono sapientiæ, ac exercitia vitæ contemplativæ : et hoc, « coadunatis », id est connexis et coordinatis virtutum operibus splendidis ac solidis, « et monachicis », id est unitivis, a μονάς, quod est unum. Unde alia translatio continet, Singularibus et solis ; alia, Unicis ; alia, Solitariis.

In his compendiosissime docet sacratissimus iste theologus, quam sincera, simplex, humilis, recollecta debeat esse conversatio monachalis, utpote penitus aliena ab omni duplicitate, simulatione, hypocrisi, ambitione, et infectione fucata. Quod etiam spectat ad vitam cujuslibet Christifidelis, juxta illud ad Philippenses : Sitis sine querela, simplices filii Dei. (*Philipp.* II, 15.) Christo quoque jubente : Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ. (*Matth.* X, 16.) Qui et testatus est : Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit ; (*Ibid.* VI, 22.) et : Attendite a falsis prophetis qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. (*Ibid.* VII, 15.) Hinc dicitur ad Colossenses : Nemo vos seducat, volens in humilitate et religione angelorum, quæ non vidit, ambulans frustra, inflatus sensu carnis suæ, et non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus et juncturas subministratum et constructum, crescit in augmentum Dei. (*Coloss.* II, 18, 19.)

Sequitur de significatione exuitionis. *Prioris autem vestimenti expulsio,* id est sæcularium vestium depositio, *et alterius assumptio,* id est religiosi habitus indutio, *a media sacra vita in perfectiorem, transordinationem significat,* id est, denotat mutationem et transitum hominis sæcularis se transferentis « a vita media sacra », id est a conversatione fidelis populi laicalis honesta et bona, ad conversationem monachalem perfectiorem. Tria namque sunt genera hominum perficiendorum, videlicet infimum purgatorum, medium fidelis populi communicantis et audientis divina, tertium monachorum, ut patuit. Regulariterque loquendo, ascendebatur ab infimo per medium ad tertium. *Sicut in sacra theogenesia,* id est in sancto Baptismo, *vestimenti mutatio declarabat purgatam vitam,* id est vitam in Baptismate renovatam, atque ab omni peccato mundatam, *in contemplativum et illuminativum habitum ascendentem.* In Baptismo quippe non solum delentur peccata, sed et gratia gratum faciens, et virtutes ac dona Spiritus Sancti infunduntur, inter quæ sapientia illa quæ donum est et virtus ac habitus contemplativus. (*Is.* XI, 2.)

*Si autem et nunc,* scilicet in consecratione monachali, *sacerdos et omnes qui** *adsunt sancti, consummatum,* id est perfectum et consecratum in monachum, *salutant* cum osculo sancto ; *sanctam deiformium intellige societatem,* id est, per osculum illud spiritualiter « intellige societatem sanctam deiformium », id est spirituale consortium hominum divinorum, *caritate* in lætitia divina condelectatam sibi invicem,* id est, ex divino amore ac zelo fraternæ salutis mutuo con-

* *quicumque*

* *caritative*

gratulantem de spiritualibus donis ac gratiis, et appropinquatione ad veram perfectionem perpetuamque salutem. De qua Luc. xv, 6. congratulatione in Evangelio legitur : Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam quæ perierat. Quemadmodum enim carnaliter se amantes, de temporali prosperitate sibi congaudent ; sic se invicem spiritualiter diligentes, de spirituali col- A lætantur ac Deo regratiantur profectu, prout in tertia sua Canonica sanctus fatetur Joannes : Majorem horum gratiam non III Joann. 4. habeo, quam ut audiam filios meos in veritate ambulantes. Hinc Corinthiis scripsit Apostolus : Multa est mihi gloriatio pro vobis, repletus sum consolatione, II Cor. vii, 4. superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.

# ARTICULUS LVIII

## DE SIGNIFICATIONE COMMUNIONIS IN MONACHUM CONSECRATI.

* autem

IN *fine vero* * *omnium,* id est circa finem actuum qui fiunt in consecratione monachorum, *sacerdos in divinam communionem vocat consummatum,* id est, ad communicandum suscipit consecratum in monachum ; *significans sacre quomodo perfectus,* id est taliter consecratus, *si vere in monadicam* * *pervenit,* id est ad monachalem professionem (unde alia translatio habet, Si ad monachicum et singulare institutum veraciter venit), *et in coordinatam* * *anagogen,* id est in superductivam elevationem et contemplationem rite dispositam, *non contemplator solummodo erit secundum se sacrorum,* id est, non tantum erit inspector sacramentorum Ecclesiæ, præsertim Eucharistiæ, quæ in se sanctitatem et gratiam continent, *neque juxta medium ordinem in communionem veniet sacratissimorum symbolorum,* id est, non tantum admittetur ad sacram communionem, ut plebs laicalis sæcularis fidelis ; *sed cum divina a se participatorum sacrorum scientia, altero modo super sacram plebem in assumptionem veniet divinæ communionis,* id est, cum spirituali intelligentia et limpida quadam contemplatione mysteriorum, accedet et communicabit cum sapore et fructu multiplici, multo eminentius quam plebs com- B munis, quamvis devota, utputa habens fidem cum rationibus credendorum et intelligentia animi depurati.

* monachicam

* coadunatam

*Propter quod et sacerdotalibus ordinibus,* id est consecratis in sacerdotes, *in sacre communicativis suis sanctificationibus,* id est in eorum ordinationibus, in quibus communicant, *in fine sanctissimarum suarum oblationum,* quia et ipsimet Deo spiritualiter offeruntur, et ipsi per episcopum offerunt Deo, *sanctissimæ Eucharistiæ communio traditur,* sic- C ut præhabitum est, *a consummante,* id est ordinante, *eos summo sacerdote.*

*Non solum quia divinorum mysteriorum assumptio,* id est acceptio sacramenti Eucharistiæ, *uniuscujusque hierarchicæ participationis est consummatio,* id est complementum atque perfectio aliarum consecrationum et hierarchicarum participationum communiter, quamvis non prorsus, ut supra expositum est ; *sed quia et ipsam communionem et divinissimam donationem, proportionaliter eis secundum* D *singulas, sacræ omnes ordinationes participant :* id est, etiam ideo, quoniam « ordinationes omnes sacræ », id est constituti in quacumque sacra ordinatione seu ordine sacro, « participant », id est, communicando suscipiunt, « communionem

ipsam, et », pro id est, « donationem divinissimam », id est rem datam, in qua idem est dator et donum, « proportionaliter eis secundum singulas », non sic quin unusquisque illorum integrum et perfectum suscipiat Sacramentum, sed quod unusquisque secundum mensuram suæ præparationis et meriti, sumat cum effectu fructuositatis majoris aut minoris : quumque unusquisque tanto debeat (secundum congruentiam) esse majoris virtuositatis, quanto altioris est ordinis ; hinc majores dicuntur divinius communicare, quamvis frequenter contingat oppositum.

A Recipiunt ergo universi et singuli communicantes « proportionaliter eis », id est secundum mensuram suæ dispositionis et dignitatis. Ideo sequitur : *ad propriam earum positionis anagogen et consummationem,* id est ad profectum suum et erectionem ac consummationem in Deum, ad quem sacramentum istud vocatur viaticum. Ideo teste Apostolo : Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. (I Cor. XI, 27.) Unde alia littera habet : Ut per sacramentum hoc subvehantur et perficiantur in Deum. B

# ARTICULUS LIX

### CONCLUSIO SEU RECAPITULATIO PRÆHABITORUM, ET SCRUPULI QUÆSTIONISQUE CUJUSDAM EXPEDITIO.

CONSEQUENTER recapitulans et concludens : *Comprehensum est ergo*,* (* igitur) inquit, *a nobis, quomodo sanctæ quidem teletæ,* id est sacri mysterialesque actus, *purgatio sunt, et illuminatio, et consummatio,* id est perfectio. *Ministri autem,* id est diaconi, sunt *purgativus ordo,* id est pluralitas coordinata ad purgandum. Ordo namque est quid unum collective, et ipsi diaconi sunt ordinis purgativi. Simili sensu subjungitur : *sacerdotes vero, illuminativus,* id est, sacerdotes sunt ordinis illuminativi ; *consummativus autem, deiformes summi sacerdotes,* id est, episcopi sunt ordo perfectivus. *Purgatus vero ordo, sacræ inspectionis et communionis non particeps* est, *quantum adhuc purgatus :* id est, « ordo purgatus » seu ordo purgatorum vocatur, qui adhuc est in exercitio passivæ purgationis ; et quamdiu sic est, « non » est « particeps sacræ inspectionis » neque « communionis » : quoniam tales excludebantur ab ecclesia ante elevationem, nec poterant communicare.

C *Contemplativus ordo, sacer populus,* id est, plebs communis devota, est ordo perficiendorum medius : et dicitur contemplativus, quia interfuit elevationi, et vidit Eucharistiæ sacramentum. *Consummatus autem ordo,* id est perfectus inter perficiendos, *est* ordo *adunatorum monachorum,* qui in Deo per caritatem reducti sunt et uniti, ad invicem quoque speciali conjuncti amore.

*Sic enim secundum nos hierarchia,* id est hierarchia ecclesiastica, *Deo traditis* D *ordinibus sacre disposita,* id est sancte distincta et ornata gradibus episcoporum, sacerdotum, diaconorum et inferiorum, *cœlestibus hierarchiis conformis est, divinæ imitationis suæ, quantum in viris, salvans deiformes characteres,* id est proprietates, virtutes et actiones distinctivas, quibus ab aliis differt, et Deo assimilatur secundum quod hominibus virilibus fas est.

*Sed dicis,* id est, objicere potes, *quia cœlestibus hierarchiis desunt omnino pur-*

*gati ordines,* id est, in supernis choris et A principatibus nullus est ordo cui competat purgari; *non enim justum neque verum* est *dicere, tanquam jam quædam cœlestis dispositio sit polluta,* id est, quod aliquis ordo maculatus sit in cœlo empyreo, cui videlicet purgari conveniat. Verumtamen Apostolus dicit, Contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus : quod de aeriis exponitur cœlis. *Ephes.* VI, 12.

*Ego autem, quia quidem immaculati perfectissime sunt,* id est, ego dico quod nulla penitus immunditia culpæ in ipsis B sit, *et castissimum supermundane habent,* id est puritatem intellectualem impeccabilem, confirmatam in bono per gratiam. *Job* IV, 18. Nec obstat illud Job, Ecce qui serviunt ei, non sunt stabiles, et in angelis suis reperit pravitatem : quia hoc fuit ante reproborum angelorum ruinam; quibus (tanquam cœlesti ac beato consortio indignis) ejectis, qui manserunt, in instanti sunt confirmati : suntque ex sua natura mutabiles atque peccabiles, per gratiam vero et gloriam impeccabiles sunt C effecti. *Confiteor omnino, si non omnino recido sacratissimo intellectu,* id est, nisi omnifarie a catholico intellectu discedo. Imo hæreticum est in angelis ponere culpam, aut in cœlo ruinam, quum in *Apoc.* XXI, 27. Apocalypsi scriptum sit : Non intrabit in illam (id est in cœlestem Jerusalem) aliquid coinquinatum.

*Si,* pro quia, *enim aliquis eorum a malitia receptus,* id est, si quis angelorum pravitati consentiens, et per hoc in sua mente malitiam sponte recipiens, *cœlesti* D *quidem et inconfusa cecidit divinorum animorum harmonia,* id est a spirituali comproportione, concentu et vera concordia mentium supernarum, non adhærendo *Job* XXV, 2. Creatori, qui facit concordiam in sublimibus suis, præsertim post confirmationem ipsorum inviolabilem; *in obscurum apostaticarum multitudinum ejectus* est casum,* id est caliginosum receptaculum illorum ruinæ deputatum ac debitum, qui cum primo sceleratissimo apostata, a suo apostataverunt Conditore. De quibus scriptum est : Angelos qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni Dei vinculis æternis sub caligine reservavit. *Judæ* 6.

* evectus

Consequenter hanc solvit objectionem. *Sed est dicendum mirabiliter,* utpote secundum supernaturalis fidei documenta, *in cœlesti hierarchia quia purgatio est in subjectis essentiis,* id est, quod inferioribus choris ac personis angelicis convenit purgari, *a Deo,* imo et a superioribus choris, *tanquam ignotorum illuminatio,* id est informatio de ignotis, *in perfectiorem eas scientiam ducens divinarum cognitionum,* id est, illuminatio illa ducens mentes angelicas in notitiam ampliorem cognitionum quas habent angeli superiores, *et ignorantiam eorum quorum nondum scientiam habebant, utpote purgans,* id est, nescientiam simplicem inferiorum angelorum quam habebant de aliquibus Dei operibus ac mysteriis, removens, *per primas et diviniores essentias,* id est per angelos superiores, qui plura et secretiora noscunt de talibus, et ea limpidius vident : hinc sequitur, *reductas in superiores divinarum contemplationum et manifestiores claritates,* id est, perductas et elevatas ad excellentiores et apertiores « claritates divinarum contemplationum », id est cognitionum operum divinorum, de quibus superiores illuminant inferiores; non autem illuminant eos de pertinentibus ad substantiam æternæ felicitatis essentialisque præmii, in quibus non crescunt Beati, prout in expositione super Angelicam hierarchiam diffusius dictum est et frequenter.

*Sic et illuminati ordines sunt et consummati, et purgativi et illuminativi et consummativi, secundum cœlestem hierarchiam,* id est, isto modo in hierarchia cœlesti sunt aliqui ordines purgati et illuminati ac consummati (id est perfecti) a superioribus suis, et item sunt ibi aliqui purgativi et illuminativi et perfectivi inferiorum. Denique hi iidem numero or-

dines Angelorum, sunt purgativi et illuminativi ac perfectivi, atque purgati et illuminati ac perfecti, et hoc, respectu diversorum. Imo hoc singulis convenit choris angelicis, singulisque ordinum illorum personis, ita quod summus de ordine Seraphim non purgatur nec illuminatur neque perficitur ab angelo aliquo, sed tantum a Deo, et item a Christo homine ac sacratissima Virgine, ut priori libro est declaratum. Istud consequenter exponitur. *Tanquam excellentissimis et divinissimis essentiis,* id est supremis illis ordinibus ac personis, *inferiores sacras et cœlestes dispositiones,* id est ordines inferiores, *cum omni castitate,* id est puritate, *purgantibus* sine fastu superbiæ, cum ingenti humilitate et præcipua caritate, *in ordinibus et proportionibus cœlestium hierarchiarum,* id est per universos choros angelicos respectu superiorum suorum, et juxta capacitates eorum, *implentibusque eas divinissimarum illuminatione rerum**, *et consummantibus,* id est, perficientibus eas, *in sanctissima* hierarchicarum intelligentiarum,* id est intellectionum, *scientia.*

* alias om. *rerum*

* *sacratissima*

*Etenim jam a nobis dictum est, et in* Eloquiis divinitus comparatur,* hoc est, conformiter hoc in Scripturis continetur (unde alia littera habet, Eloquia sacra dictaverunt), *non eas esse omnes cœlestes essentias* in omnibus sacris deividum illuminationum scientiis,* id est, non cunctas angelicas mentes esse « deividum », id est in Deo immediate cognoscere et videre, « in omnibus sacris », id est in universis mysteriis operibusque divinis, et in sacris notitiis hierarchialium illuminationum; *sed ex Deo quidem immediate primas,* id est supremos illos immediate de talibus erudiri a Deo; *per illas autem similiter iterum ex Deo subjectas, proportionaliter eis illuminari manifestissimis Divinitatis radiis claris:* id est, mentes inferiores consequenter « illuminari » a supremis spiritibus illis, « proportionaliter eis », id est secundum earum capacitatem et dignitatem, « ex Deo » mediate. Nam mentes illæ subjectæ recipere nequeunt illuminationes et intelligibiles formas a primis illis spiritibus in tanta puritate, perfectione et universalitate, sicut primæ illæ a Deo. Nihilo minus mentes illæ subjectæ, ut spiritus cherubici et animi thronici, recipiunt lumina illa in grandi perfectione et limpiditate. Propter quod subditur: « manifestissimis Divinitatis radiis claris ». Etenim radii illi in se ipsis valde sunt manifesti et clari, imo respectu inferiorum clarissimi.

* alias om. *in*

* *dispositiones*

Præterea, quamvis in Cœlestis hierarchiæ volumine ubertim inductum sit primam hierarchiam cœlestem immediate illuminari a Deo, et secundam a prima; nihilo minus in eodem scribit Theologus, etiam in primo et summo ordine angelorum, quemadmodum et in ceteris, esse primos et medios ac ultimos, mediosque illuminari a primis, et ultimos illos ab utrisque, tamen immediate a secundis. Dictum est autem, quod universi Beati multa cognoscunt immediate in Deo, quæ scilicet cunctis Beatis communia sunt; non tamen inferiores tam multa ut superiores, neque tam clare et tot rationibus: idcirco superiores in talibus illuminant inferiores.

Postremo hic quæritur, an sacerdotes sæculares sint altioris vocationis et ad majorem perfectionem obligati, quam monachi et religiosi non sacerdotes. Et videtur Theologus hic evidenter sentire quod imo. Oppositum tamen apparet, quia status religionis est status perfectionis, saltem acquirendæ, et Deo totaliter mancipatus per votum. Unde et sacerdotes sæculares possunt religionem intrare.

Ad hoc respondet Albertus, quod duplex est perfectio. Una ex numero observantiarum: et secundum hanc major est perfectio monachorum, quam sæcularium sacerdotum. Alia vero consistit perfectio ex modo operis: sicque sacerdotum sæcularium major est perfectio, ita quod ex

majori puritate et sanctitate tenentur Deo A servire et sua implere officia. — Contra hæc multa objici possunt, quæ partim jam tacta sunt. Simpliciter enim loquendo, religiosi in perfectiori sunt statu quam sæculares presbyteri, etiam plebani. Nam et curam pastoralem possunt dimittere sine dispensatione, et religionem intrare, sed et simplicem præbendam accipere de licentia præsulis.

De his pulchre scribit Thomas in secunda secundæ, quæstione centesima octogesima quarta, in libro quoque de Perfe- B ctione caritatis. Et probat ex præinductis S. Dionysii verbis, quod episcopi sunt in statu perfectiori quam religiosi seu monachi : quia in genere perfectionis episcopi habent se active tanquam perficientes, monachi passive tanquam perfecti participialiter. Porro in presbyteris curatis et archidiaconis tria pensantur : ordo, quia sunt sacerdotes, sive diaconi ; officium, quoniam curam sortiti sunt animarum, tamen sub episcopo, et sine obligatione perpetua, ac sine benedictione solenni ; et status. Itaque quantum ad statum, excedunt religiosi ac monachi sacerdotes curatos et archidiaconos ; sed quantum ad ordinem atque officium, sacerdotes et archidiaconi excedunt religiosos non sacerdotes. Perfectio autem præcipue consideratur penes statum, propter perpetuam obligationem. Idcirco religiosi, simpliciter loquendo, sunt in statu perfectiori quam sæculares presbyteri. Quidam etiam nituntur defendere, quod religiosi sunt in statu perfectiori quam episcopi : quorum opinio videtur non solum erronea, sed etiam præsumptuosa, utputa præhabitæ doctrinæ magni Dionysii expresse contraria, communi quoque patrum doctrinæ.

## PARAPHRASIS ABBATIS VERCELLENSIS

EXPLICITIS tribus ordinibus perficientium, C exprimendi sunt tres ordines eorum qui perficiuntur. Ordines autem qui mundantur, sunt multitudines separatæ a sanctis, tam cogitationibus quam operationibus. Quorum alii informantur a ministris ad vivificam abrenuntiationem per testimonia Scripturæ eductiva a peccato ; alii autem, tanquam per doctrinam Scripturarum conversivam revocati ad sanctam conversationem, a qua peccando recesserunt ; alii, ut a contrariis tentationum tumultibus timide perturbati, et a confortativis Scripturis confortati ; alii, sicut qui a pravis operibus ad bona opera traducun- D tur ; alii quidem in bona conversatione constituti, necdum tamen castissima mente in divinioribus virtutibus et scientiis firmiter roborati. Isti quinque ordines purgantur ministerio diaconorum eductivo et mundativo. Et istos perficiunt diaconi ex officio suo, ad hoc ut perfecte mundati, idonei fiant ad illuminativam contemplationem et communionem sacerdotalium sanctificationum.

Medius autem ordo, contemplativus est et communicativus quorumdam sacramentorum secundum suam proportionem : qui attribuitur sacerdotibus, tanquam superioribus, ut ab illis illuminetur. Qui enim mundatur ab omni macula, et habet castam et immobilem suæ mentis collocationem, ad habitum contemplativum et virtutem sanctificatur, et juxta suam proportionem communicat divinis signis contemplando et communicando, spirituali lætitia adimpletus, et elevatus ad divinum amorem scientiæ ipsorum signorum per virtutes sursumactivas. Hunc autem ordinem contemplativum, dico esse populum fidelem laicum baptizatum, qui admittitur ad inspectionem et communionem sanctarum perfectionum, excluso primo ordine.

Summus autem inter eos qui perficiuntur et non perficiunt, est ordo monachorum, generali virtute et conversationis perfecta castitate mundatus ; et admittitur ad contemplationem intellectualem et communionem sibi competentem cujuslibet sanctæ operationis ;

et adjicitur episcoporum perfectivis virtutibus et divinis illuminationibus, et episcopalibus doctrinis edocetur inspicere sanctificationes, quibus perficitur ab ipsa scientia ad summam perfectionem sursumactus. Unde Apostolorum alii vocaverunt eos famulos, propter purum et assiduum Dei famulatum ; alii vocaverunt eos monachos, a monade, id est unitate, propter ipsorum vitam indivisibilem et singularem, quæ unit eos simplicium contemplatione et tractatu, ad conformitatem divinæ simplicitatis et perfectionem Deo amabilem. Propter quod ecclesiastica constitutio attribuit eis perfectivam gratiam, et sacerdotali (non pontificali) invocatione benedicuntur, et sacerdotum ministerio a Deo principe hierarchiæ sanctificantur : soli gradus enim perficientium ab episcopis consecrantur.

MYSTERIUM.

Sacerdos quidem stat ante altare, cum cantu Deum invocans pro monachorum benedictione. Monachus autem qui benedicitur, retro sacerdotem stat erectus, id est, nullum genu flectens, neque super caput habet Evangelia. Sacerdos autem monachum benedicens, interrogat eum si vult abrenuntiare omnibus sæcularibus conversationibus et phantasiis. Post enarrat ei quæ sit perfecta conversatio monachorum, testificans quod oporteat eum perfectius vivere quam ordinem medium, scilicet fidelis populi. Hæc autem omnia eo qui perficitur attente confesso, sacerdos eum signans in forma crucis, detondet eum cum invocatione sanctæ Trinitatis; et veste pristina exuens, induit alia ; et cum omnibus fidelibus adstantibus ipsum osculans, facit communicare Eucharistiæ.

CONTEMPLATIO.

Quod monachus nullum genu flectit, nec habet Evangelia super caput, signat quod non est officii sui alios adducere, et curam animarum gerere, sed sui esse sollicitum, et singulariter ad superna erigi. Quod autem adstat sacerdoti, signat quod debet sacerdotibus subesse et obedire, et eis prompte credendo, ab ipsis ad divinam scientiam sibi competentium sursumagi. Quod vero abrenuntiat sæcularibus conversationibus et phantasiis, signat perfectam monachorum vitam ordinatam in scientia præceptorum vitalium. Est enim monachus altissimi ordinis eorum qui perficiuntur et non perficiunt. Unde multa ei prohibentur, quæ impune fieri possunt a populo fideli, ut sunt nuptiæ, et militiæ, et similia : eo quod monachi debeant uniri et ad sanctam unitatem congregari, et conversationi sacerdotali juxta suam proportionem conformari, tanquam plura habentes sacerdotibus vicina, et præ ceteris ordinibus qui perficiuntur et non perficiunt, magis sacerdotibus appropinquantes.

Signatio autem cruciformis signat abstinentiam ab omnibus carnalibus appetitibus. Detonsio capillorum, quæ substantiam capitis denudat, signat mundam et non fictam conversationem, neque mentis simplicitatem exteriori compositione ficte ornantem, sed ipsam mentem in sui puritate ad Dei conformitatem sursumactam, non per apparentiam exteriorem, sed per singularem virtutem interiorem. Mutatio vestis signat ipsius mutationem de medio ordine ad tertium, qui est medio perfectior, sicut in Baptismo signat sursumactionem vitæ purgatoris. Quod autem sacerdos et fideles qui adsistunt, osculantur monachum qui perficitur, signat communionem fidelium qui conformantur Deo, et in ipso sibi invicem et in lætitia spirituali sibi mutuo condelectantur.

Quod tandem monachus communicat, signat quod si ipse vere tenuerit monachicam conversationem, non solum erit contemplativus sanctorum, sicut populus, neque secundum modum ordinis medii communicabit Sacramentum, sed secundum spiritualem intelligentiam et cognitionem divinam sacramentorum quibus participat, perfectius quam fidelis populus communicet divinam communionem. Unde et hierarchis vel sacerdotibus, quando perficiuntur, in fine datur sacra communio Eucharistiæ ab episcopo qui eos consecrat : non solum quia Eucharistiæ assumptio consummatio est cujuslibet ecclesiasticæ participationis; sed quia singuli ordines, segregatim secundum gradus proprios vel dignitates, participant Eucharistia, tanquam dignissima et divinissima inter divinas communiones quibus nunc participamus ad nostræ deificationis sursumactionem et perfectionem.

Recapitulando ergo commemoramus quod tres sunt perfectiones, scilicet mundatio, illuminatio, et perfectio. Item tres ordines perfi-

cientium, scilicet ordo mundativus diaconorum, illuminativus sacerdotum, perfectivus episcoporum. Item tres ordines eorum qui perficiuntur : unus, eorum qui excluduntur; medius, populus fidelis, qui ad sacramentorum contemplationem et communionem admittitur, qui est contemplativus ; tertius, monachorum singularium, qui est perfectus. Et ita nostra hierarchia per ordines divinitus disposita, hierarchiæ angelicæ conformatur, et ad Dei imitationem et deiformes hierarchiæ angelicæ distinctiones, ut mortalibus congruit, continet. Objici autem potest, quod in hierarchia angelica non sit aliquis ordo qui purgatur, ut fit in hominibus, eo quod ibi nullus sit immundus. Ad quod respondeo, quod vere angelici ordines omnes sint immaculati et supermundane casti. Si quis enim malitiæ maculam incurrerit, eo ipso ab harmonia cœlestium animorum caderet in tenebras dæmonum infernales. Sed quum attribuitur purgatio passive cœlestibus animis, intelligendum est quod eis a suis superioribus detur cogni- A tionis divinæ augmentum, per quod fiunt puriores, et luminis divini capaciores, quam prius fuerunt. Quasi ergo purgantur a quadam minoratione sapientiæ et virtutis suæ perfectionis, dum fiunt sapientiores et perfectiores et etiam puriores quam prius fuerant. Ita etiam in cœlesti hierarchia sunt qui (ut dictum est) purgantur, sunt et ordines qui illuminantur, et qui perficiuntur; et sunt qui mundant, et qui illuminant, et qui perficiunt : superioribus videlicet substantiis subjectos sibi ordines ab omni ignorantia, id est a quadam scientiæ minoritate, mundantibus B secundum hierarchiarum cœlestium dispositionem, et implentibus eosdem divinis illuminationibus, perficientibus ipsos sanctissima scientia divinorum intellectuum. Jam enim diximus, quod et Scriptura testatur non esse æquales omnes cœlestes ordines illuminativis scientiis quibus Deus inspicitur, sed primos a Deo immediate illuminari, et per illos sibi subjectos, divinis splendoribus, secundum singulorum proportionem.

De Cœlesti hierarchia cap. VII.

Ibidem.

# CAPITULUM VII

## DE PERFICIENDIS IN DORMIENTIBUS.

HIS autem definitis, necessarium est dicere, ut æstimo, et quæ a nobis sacre in dormientibus perficienda sunt. Etenim neque hoc commune est sanctis et immundis; sed sicut diversa forma est utrorumque vitæ, sic et ad mortem venientes, qui quidem sacram habent vitam, in veras promissiones Divinitatis respicientes, tanquam in * veritatem suam, in ea quæ secundum ipsam est resurrectione, contemplaturi, cum firma et vera spe, in lætitia divina, ad mortis summum veniunt, velut ad finem divinorum certaminum, in perfectissima et non deficiente vita et salute, quæ secundum eos erunt, omnino scientes, per futuram suam universalem resurrectionem. Sanctæ enim animæ, ad eam in mala secundum hanc vitam potentem cadendo conversionem non venientes, in ea iterum generatione, in inconvertibile habebunt deiformissimam transordinationem. Munda autem sanctarum animarum conjuga et coeuntia corpora, conscripta et commilitantia, secundum divinas suas collocationes, in animarum incommutabili secundum divinam vitam fundamento, recipient propriam resurrectionem. Eo enim quod unita erant secundum hanc vitam sacris animabus, velut membra Christi facta, deiformem et

* alias om. in

incorruptibilem, immortalemque et beatam recipient quietem. In his ergo sanctorum est quies in lætitia et immutabili spe, in divinorum certaminum perventura summum.

Immundos* vero alii quidem in non subsistentiam irrationabiliter æstimant redire; alii vero corporalem in semel corrumpi propriarum animarum conjugationem, velut incompactam eis exsistentem deiformem vitam et beatam quietem: non intelligentes, neque satis in scientia divina eruditi, inchoaverunt jam secundum nos in Christo deiformissimam vitam. Alii autem corporum aliorum distribuunt animabus conjugationes, injuste agentes, hoc in ipsis (ut æstimo) suspicantes divinis animabus et sacris retributionibus, non recte privantes ad finem venientia divinissimorum cursuum. Alii autem, nescio quomodo ad materiales notiones revocati, dixerunt conformem hujus vitæ sanctis promissionem sanctissimam et beatissimam quietem, et escas proprias mutatæ vitæ, eis qui in angelis sunt, injuste projecerunt. * Immundorum

Sed non recidet quis a sacratissimis viris in tales errores: sed confestim se suscepturos esse christiformem quietem scientes, quum in finem venient hujus vitæ, incorruptionem* suam, viam velut propinquiorem jam factam, manifestius vident; et donationes Divinitatis laudant, et divinæ delectationis implentur, ad ea quæ retro sunt, conversionem non in aliquo timentes, sed bene scientes quia possessa bona firmiter et æternaliter habebunt. Coinquinationibus autem pleni et immundis maculis (qui quidem sacram quamdam consecuti sunt doctrinam, ipsi vero eam ex proprio animo perdite repercutientes, in corrumpentes sponte se dederunt concupiscentias), quum ad finem veniunt huic vitæ imparati, ut eos bene spernens manifestat Eloquiorum divina legislatio, perditas propriis passionibus voluptates aliis oculis inspicientes, et sacram vitam qua stulte recesserunt, deificantes, miserabiliter et coactive rescinduntur hac vita, ad nullam sacram spem manuducti propter pessimam vitam. Talium autem nullo futuro secundum dormitiones sanctorum virorum, ipse quidem ad finem veniens propriorum certaminum, lætitia sancta repletur, et cum delectatione multa ad viam ascendit divinæ iterum generationis. Dormientis autem domestici secundum divinam familiaritatem et similem conversationem, ipsum qui est, beatificant ad palmiferum optate venientem finem, et victoriæ causali gratulatorios cantus referunt, adhuc et se venturos fore ad similem optantes quietem. Accipientes vero eum, ad summum sacerdotem ducunt, tanquam ad coronarum divinarum donationem. Ipse autem cantans suscipit, et perficit secundum legem sacram in sancte dormientibus perficienda. * in incorruptionem

## MYSTERIUM IN SANCTE DORMIENTIBUS.

Congregans divinus sacerdos sacrum chorum, si quidem sanctifico fuerit ordine dormiens, in conspectu divini altaris recumbere faciens eum, initiatur Deo oratione

et eucharistia. Si autem sanctis monachis aut sacro populo coordinatus est, ad honorabile sacerdotium. ipsum recumbere facit ante sacerdotalem introitum, deinde perficit ad Deum eucharistialem orationem summus sacerdos. Consequenter autem ministri, in divinis Eloquiis prolatas non mendaces promissiones de sacra nostra resurrectione legentes, sacre cantant confitentes hoc et potentes psalmicorum Eloquiorum cantus. Deinde ministrantium primus resolvit catechumenos, et prædicat jam dormientes sanctos, cum quibus dignatur modo defunctum coordinata recitatione ; et hortatur omnes petere in Christo beatam consummationem. Deinde accedens divinus summus sacerdos, orationem sacratissimam super eo facit ; et post orationem ipse summus sacerdos salutat dormientem, et post eum præsentes omnes. Salutantibus autem omnibus, infundit dormienti oleum summus sacerdos ; et pro omnibus orationem sacram faciens, reponit in domo honorabili corpus cum aliorum coordinatorum sanctorum corporibus.

THEORIA.

Sed hæc quidem si viderint aut audierint immundi a nobis perficienda, late ridebunt, ut arbitror, et erroris nostri miserebuntur. Non oportet autem ad hoc mirari : si enim non crediderint, ut Eloquia aiunt, neque intelligent. Nos autem invisibilia perficiendorum inspicientes, Jesu luciduco, dicimus quomodo non irrationabiliter summus sacerdos in æque ordinatum chorum introducit et imponit dormientem. Signat enim mirabiliter, secundum illos fore omnes in ipsa iterum generatione recubitus, puram hic propriam vitam implentes : utpote, si deiformem quis habuit hic et sacratissimam vitam, quantum viro Dei imitatio comprehensibilis est, in divinis erit per sæculum futurum et beatis quietibus ; ipsi autem per summam formæ subsistentiam sacram similiter conformes, et ipsi recipient sanctas retributiones. Pro hac divina justitia summus sacerdos gratias agens, orationem sacram facit, et colendam laudat Divinitatem, tanquam destructivam contra omnes nos injustæ et tyrannicæ potentiæ, transducentemque nos in proprias justificationes. — Divinarum quoque promissionum lectio et cantus, manifestatoria quidem sunt beatissimarum quietudinum. In fragilitate habentes divinam consummationem æternaliter generabunt* : dormientis vero divinitus receptiva ; viventium autem adhuc, exhortativa ad similem consummationem.

*Is.* VII. 9, juxta LXX.

* gravabunt

Intende quia nunc non omnes juxta consuetudinem purgandi ordines resolvuntur, soli vero sacris expelluntur choris catechumeni. Etenim ipse quidem ineruditus est universaliter omnis hostiæ sacræ ; et ad nullum, neque parvum neque magnum, sacre consummandorum inspicere ei fas est, tanquam neque sacrorum contemplativæ virtutis participans per prælucentem et luciferam theogenesiam. Ceteri vero purgandorum ordines, in doctrina quidem jam fiunt sacræ traditionis. Stulte autem ad ea quæ inferius sunt, iterum recurrentes, oportet in ea quæ ante

sunt, propriam reductionem perficere. Divinorum quidem, quantum in symbolis, sacre adspectibus et communicationibus rationabiliter segregantur. Nocebunt enim immunde eorum participantes, et ad plurimum divinorum et suum venient contemptum. Non inconvenienter autem adsunt in nunc perficiendis, aperte edocendi, et videntes secundum nos formidinem mortis, et Sanctorum retributiones a veris Eloquiis laudatas, et caligines fore talibus immundis infinitas. Permittitur enim eis æque utile, videntes sacre consummatum ex ministrativa recitatione socium vere exsistentem a sæculo Sanctorum mirabiliter prædicatorum. Fortassis et ipsi ad simile desiderium venient, et ex ministrativa scientia edocentur beatam vere esse in Christo consummationem.

Deinde accedens divinus summus sacerdos, orationem sacram super dormientem facit; et post orationem ipse summus sacerdos eum salutat, deinde præsentes omnes. Ipsa igitur oratio divinam bonitatem deprecatur omnia quidem dimittere per humanam infirmitatem commissa dormienti, ordinareque eum in lumine et regione viventium*, in sinibus Abrahæ, Isaac et Jacob, loco quo expellitur dolor * vivorum
et tristitia et angustia. Hæ quidem ergo, ut arbitror, claræ Sanctorum beatissimorum retributiones. Quid enim fortassis fiet perfectissimæ lætitiæ et illuminatrici immortalitati componderatum? Etsi maximis nostris proportionibus significativis omni altiores animo promissiones significatæ, ab activa sua veritate relictas habent nominationes. Verum enim esse eloquium exsistimandum, Quia oculus non vidit, *I Cor.* II, 9.
nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se. Sinus autem sunt, ut arbitror, beatissimorum Patriarcharum et reliquorum Sanctorum omnium divinissimæ et beatissimæ quietes deiformes, recipientes omnes in eis ineffabilem et beatissimam consummationem.

Dicas forte, utique hæc quidem recte dicta esse a nobis, dubitare vero hoc, quare divinam bonitatem summus sacerdos deprecatur, peccatorum petens dormienti remissionem, et deiformibus æquipotentem et lucidissimam partem. Si enim retributiones recipiat unusquisque a divina justitia, quæ in præsenti vita bonorum aut malorum peregit, finivit autem secundum hanc vitam proprias operationes qui dormivit: quomodo per quamdam summus sacerdos orationem in alteram requiem transvehet ultra dignitatem ejus? Et quidem huic vitæ respondentem habebit partem unusquisque, bene scio, Eloquia sequens. Sepsit enim (inquit) Deus adversum se; *Job* XIX, 8.
et: Feret unusquisque per corpus ea quæ gessit, sive bona, sive mala. Quia vero *II Cor.* V, 10.
justorum orationes et secundum hanc vitam, quanto magis post mortem, in his qui digni sunt sacris orationibus operantur tantummodo, Eloquiorum nos docent veræ traditiones. Aut quid a Samuel Saul adeptus est? Quid autem Hebræorum populo profuit prophetica oratio? Etenim, tanquam si quis, sole propria donante lumina illæsis oculis, in participatione solaris luminis petit fieri proprios adspectus exterminans; sic ad impossibiles concupiscit et superfluas spes, qui sanctorum summe mirabilium orationes et secundum naturam eorum sanctas operationes flagitans, per negligentiam divinis donis et manifestissimis et deiformibus mandatis recedit.

Dico autem, Eloquia sequens, quod utiles omnino sunt in hac vita sanctorum orationes secundum hunc modum : Si quis divina appetens dona, et ad participationem eorum sacrum habitum habens, tanquam propriæ agnoscens parvitatis, veniens ad quemdam sanctorum virorum, dignatus fuerit eum sui fieri adjutorem et conservum; lucrabitur omnino ex hoc omnes superantem utilitatem. Consequetur enim quæ petit divinissima dona, recipiente eum divina bonitate, et propria reverenti conscientia, et in sanctis laude, et petitarum sacrarum petitionum laudabili desiderio, et consequenti et deiformi habitu. Est enim hoc divinis judiciis promulgatum, divina dona dignis participare, in ordine divinissimo donari, per dignos tradere. Hunc ergo si quis dehonoraverit sacrum ornatum, et ad militarem æstimationem veniens, sufficientem se ipsum æstimaverit ad divinum colloquium, et sanctos contempserit, et nullas petitiones dignas Deo et sacras petierit, et desiderium divinis non corroboratum habuerit et sibimet consequens : consequetur per se ipsum imperitus petitionem ?

De dicta autem oratione quam summus sacerdos superorat dormienti, in nos venientem ex divinis nostris ducibus traditionem, dicere necessarium. Divinus summus sacerdos, ut Eloquia aiunt, explanator est divinarum justificationum. *Malach.* II, 7. Angelus enim Domini omnipotentis est. Didicit ergo ex Deo traditis Eloquiis, quia sancte viventibus lucidissima et divina vita, secundum dignitatem a justissimis legibus redditur, despiciente bonitate divinæ humanitatis ingenitas eis ex humana *Job* XIV, 4, juxta LXX. infirmitate maculas : quoniam quidem nemo, ut et Eloquia aiunt, mundus a sorde. Hæc quidem ergo summus sacerdos scit promissa ex veris Eloquiis. Petit autem continuo fieri et donari sancte viventibus sacras retributiones : simul quidem in Dei imitationem deiformiter efformatus, et aliorum donatas, sicut proprias, expetens gratias; simul autem et non mendaces promissiones sciens futuras, et præsentibus manifestans aperte, quia ab eo secundum legem sacram expetenda, omnibus erit juxta divinam vitam consummatis. Non enim summus sacerdos divinæ justitiæ propheta, peteret aliquando nisi Deo amabilia, et ab eo donari divinitus promissa. Propter quod immundis non orat hæc dormientibus : quoniam non solum prophetico in hoc averteretur ordine, et quid hierarchicorum superbe auderet, a perfectionum principe movendus; sed quia injustam orationem non consequeretur, a justo Elo- *Jacob.* IV, 3. quio ipse non immerito audiens : Petitis, et non accipitis, quia male petitis. Ergo divinus summus sacerdos expetit divinitus promissa, et amabilia Deo, et omnino donanda : et hoc proprio deiformiter habitu ostendens, bonorum amico Deo, et præsentibus aperte manifestans, sanctis futura dona.

Sic et discretivas habent summi sacerdotes virtutes manifestatorias divinarum justificationum : non ut ipsorum irrationabilia desideria sapientissima Divinitate ministratorie sequente; sed ut ipsis, prophetice submovente perfectionis principe *Joann.* XX, 22, 23. Spiritu, vocatos Deo juxta dignitatem segregantibus. Accipite enim, ait, Spiritum Sanctum : quorumcumque dimittitis peccata, dimittuntur; quorumcumque tenetis, retenta sunt. Et divinas revelationes sanctissimi Patris illuminato Eloquia aiunt :

Quodcumque ligaveris in terra, erit ligatum et in cœlo ; et quodcumque solveris in terra, erit solutum et in cœlo : tanquam evangelista illo, et omni juxta ipsum summo sacerdote, secundum in eo factas paternarum sanctificationum revelationes, manifestator et consummator *, Dei amicos adducente, et impios exhereditante. Sacram enim illam theologiam, ut Eloquia aiunt, non per se ipsum motus, neque carne et sanguine revelantibus, sed a Deo invisibiliter eum propria docente, respondit. Divinis ergo summis sacerdotibus, sic et discretionibus et omnibus hierarchicis virtutibus utendum est, quomodo consummationis princeps eos Divinitas moverit. Aliis autem sic in summos sacerdotes in quibuscumque agunt, hierarchice attendendum, tanquam a Deo commotos. Spernens enim vos, ait, me spernit.

*Matth.* XVI, 19. — * manifestatore et consummatore. — *Matth.* XVI, 17. — *Luc.* X, 16.

Sed redeamus in dictæ orationis consequentiam. Perficiens enim eam summus sacerdos, et ipse salutat dormientem, et deinde præsentes omnes. Delectabilis enim est et honorabilis omnibus deiformibus secundum divinam vitam consummatus. Post vero salutationem infundit dormienti oleum summus sacerdos. Memento autem quia secundum sacram theogenesiam, ante divinissimum Baptisma, prima participatio sacri symboli donatur perficiendo post universalem prioris vestimenti depositionem, unctionis oleum ; in fine autem nunc omnium, super dormientem oleum infunditur. Et tunc quidem olei unctio ad sacra certamina vocat consummandum ; nunc vero infusum oleum manifestat secundum ipsa sacra certamina militantem et consummatum dormientem. Hæc perficiens summus sacerdos, reponit in domo pretiosa corpus cum aliorum æque potentum sacris corporibus. Si enim in anima et corpore Deo amabilem vitam, qui dormivit, vivebat, pretiosum erit cum sancta anima commilitans ei corpus, secundum divinas collocationes, ubi divina justitia cum proprio corpore ipsi donabit retributas quietes, tanquam coeunti, et comparticipanti sacræ aut contrariæ vitæ. Propter quod et sacrorum divina legislatio divinas communicationes ambobus donat : animæ quidem, in pura contemplatione et scientia perfectorum ; corpori vero, per divinissimum tanquam in imagine unguentum, divinæque communicationis sacratissima symbola : totum hominem sanctificans, et universalem ejus salutem sacrificans, et consummatissimam ipsius resurrectionem futuram fore denuntians per catholicam sanctificationem. — Consummativas autem invocationes non est justum Scripturas interpretantibus, neque mysticum earum, aut in ipsis operatas ex Deo virtutes, ex occulto ad commune educere ; sed ut nostra sacra traditio habet, sine pompa eas doctrinis edocens. Et ad diviniorem habitum et anagogen, amore divino et operationibus sanctis perfectus, extra perfectiva illuminatione ascendet ad excelsissimam earum scientiam.

Quid * autem et pueros nondum divina intelligere valentes, sacre participes fieri divinæ generationis, et sacratissimorum divinæ communicationis symbolorum ? Videtur quidem (ut ais) immundis blasphemo risu dignum, si audire non valentes edocent summi sacerdotes divina, et non intelligentibus imagines, tradiderunt sacras traditiones. Et quod adhuc risibilius est, quomodo pro eis alii abrenuntiationes dicunt et sacras confessiones ? Oportet autem tuam hierarchicam intelligentiam

* Quod

non angustari in errantibus, sed et timens simul et eorum luciducatus gratia diligens defendere adversus pro eis prolatas insidias proponentem : et hoc, juxta legem divinam, quia non in nostra scientia omnia divina circumscribuntur. Multa autem a nobis ignotorum, causas habent divinas, nobis quidem ignotas, notas vero nostrorum melioribus ordinibus. Multa autem et excellentissimas essentias latuere, et a sola diligenter cognita sunt sapientissima et sapientifica Divinitate. Verumtamen et de hoc ea dicimus quæ quidem deiformes nostri sancti perfectores ab antiqua eruditi traditione, in nos adducebant. Aiunt enim (quod quidem est verum) quia secundum legem divinam ducti infantes, ad habitum sanctum venient, omni purgandi errore et immunda vita. Multum hoc divinis nostris ducibus in animum veniens, probaverunt recipi infantes secundum hunc sacrum modum, ita ut naturales adducendi pueri parentes tradant puerum cuidam eruditorum bono in divina pædagogo, et de cetero puerum sub ipso perfici, tanquam sub divinissimo patre et salutis sacræ anadocho. Hunc ergo summus sacerdos confitentem juxta divinam educare puerum vitam, repetit abrenuntiationes confiteri et sacras confessiones : non ut illi forsan ridentes dixerunt, alium pro alio divina docens. Neque enim hoc ait sic, Ego pro puero abrenuntiationes aut sacras confessiones facio ; sed, Quia puer abrenuntiat, hoc est : Confiteor puerum credere in sensum sacrum venientem, nostris divinis anagogis ; abrenuntiare quidem universaliter contrariis, confiteri autem et cooperari divinas confessiones. Nihil ergo (ut æstimo) inconsequens, si secundum divinam puer anagogen educatur, ducem et anadochum sacrum habens, habitum sibi divinorum insinuantem, et custodem a contrariis peritum. — Tradit autem puerum sacris symbolis summus sacerdos, ut in eis conversetur, et neque formetur in vitam alteram nisi divina contemplantem semper, sociamque eorum in profectibus sanctis factam, habitumque sanctum in eis validum, educatumque pulchre a divino anadocho.

Tanta, o puer, et sic bona nostræ hierarchiæ videntur mihi uniformia spectacula. Ab aliis autem similiter intentius animo non hæc tantum visa sunt, lucidiora autem multa et deiformiora. Et tibi, ut arbitror, omnino lucebunt splendidiores formæ, et divinissimis dictis in ascensionibus utenti ad excelsiorem radium. Trade ergo, o amice, et ipse mihi perfectiori illuminatione, et ostende meis oculis quascumque videre poteris pulchriores formas et uniformiores. Confido enim ex his quæ dicta sunt, ego repositos in te divini ignis accendens usque vapores.

# ARTICULUS LX

EXPOSITIO PARTIS PRIMÆ CAPITULI HUJUS SEPTIMI : DE HIS QUÆ CIRCA IN CHRISTO DORMIENTES AGUNTUR, ET PRIMO QUID RECIPIANT SECUNDUM ANIMAM ET SECUNDUM CORPUS.

SUPRA jam actum est de actibus hierarchicis qui fiunt circa ingredientes ecclesiasticam hierarchiam, et circa procedentes ac proficientes in ea. Jam in isto capitulo tractatur de his actibus hierarchialibus qui exercentur circa egredientes ex ea.

*His autem definitis,* id est determinatis et expeditis, *necessarium* dicere, ut æstimo, et quæ a nobis sacre in dormientibus perficienda sunt,* id est, ea quæ in exsequiis defunctorum devote debemus peragere.

* necessarium est

*Etenim neque hoc commune est sanctis et immundis,* id est, fidelibus et infidelibus non sunt eadem impertienda post mortem ipsorum. *Sed sicut diversa forma est utrorumque vitæ,* id est, sicut modus et norma vitæ unius differt a modo et genere vitæ alterius, juxta illud Apostoli : Et quæ pars fideli cum infideli? (II Cor. vi, 15.) In Ecclesiastico quoque : Quæ communicatio homini sancto ad canem? (Eccli. xiii, 22.) *Sic et ad mortem venientes, qui quidem sacram habent vitam,* id est, juxta evangelicam legem sunt efficaciter conversati, *in veras promissiones Divinitatis respicientes,* id est in divina promissa : de quibus Apostolus, Quam (inquit) vitam promisit qui non mentitur Deus (Tit. i, 2.); et rursus, Abrahæ factæ sunt promissiones et semini ejus (Galat. iii, 16.). Unde cantamus pro defunctis : Michael archangelus repræsentet eas in lucem sanctam, quam olim Abrahæ promisisti et semini ejus. De qua promissione in exordio primæ suæ epistolæ scripsit beatissimus Petrus : Benedictus Deus, qui secundum magnam misericordiam suam regeneravit nos in spem vivam, in hereditatem incor-
A ruptibilem et incontaminatam et immarcescibilem, conservatam in cœlis (I Petr. i, 3, 4.). *Tanquam in veritatem suam,* id est sicut in rem veram finalem et principalem eis promissam, non sicut in figuram aut umbram, aut in promissa terrena, qualia intuentur Judæi et Sarraceni in paradiso terrestri, *in ea quæ secundum ipsam est resurrectione, contemplaturi,* id est, « in » futura « resurrectione, quæ est » nunc in fide, et postea erit in re secundum veritatem nobis promissam, « contemplatu-
B ri », id est visuri ac habituri quæ nunc credunt, sicut princeps ait Apostolorum : In Jesum nunc non videntes, creditis ; videntes autem, exsultabitis lætitia inenarrabili et glorificata, reportantes fructum fidei vestræ, salutem animarum vestrarum (I Petr. i, 8, 9.).

*Cum firma et vera spe, in lætitia divina, ad mortis summum veniunt :* id est, fideles sic in bona promissa respicientes, « veniunt ad summum mortis », id est ad terminum vitæ præsentis, cum certa et formata exspectatione æternæ felicitatis
C (juxta quod loquitur Isaias : Deus judicii Dominus, beati omnes qui exspectant eum (Is. xxx, 18.)), « in lætitia divina », id est in gaudio spirituali concepto de Deo, qui est spei nostræ objectum et causa. Hæc etenim spes parit magnam lætitiam, quia confidimus bono illo infinitæ deliciositatis suavitatisque frui. Ideo ad Romanos dicitur : Gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei (Rom. v, 2.).

*Velut ad finem divinorum certaminum,* id est sacrorum conflictuum quibus pu-
D gnaverunt contra hostes suæ salutis, qui sunt : propria caro infecta, imo et propria ac privata voluntas, mundus in ma- (I Joann. v, 19.)

ligno positus, acies vitiorum ac dæmo- *Sap.* x, 12. num. Unde Sapiens ait : Certamen forte dedit illi Dominus ut vinceret. Ista certamina durant usque ad mortem, in cujus articulo frequenter duriora et periculosiora instant tentationum certamina. Nun- *Prov.* xxviii, 14. quam ergo simus vane securi, quia beatus *Eccli.* xviii, 27 ; *Prov.* xiv, 16. homo qui semper est pavidus. Et homo sapiens in omnibus metuit ; stultus vero transilit et confidit. Hinc ad Hebræos mo- *Hebr.* xii, 1, 2. net Apostolus : Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, adspicientes in auctorem fidei et consummatorem *Matth.* x, 22 ; xxiv, 13. Jesum. Perseveremus ergo usque in finem, quia tentatio durat usque in finem. Et si quæras, In quem finem ? Respondeo, Quousque finias vitam. Quod erit in præmio et patria Beatorum : quia ut Sa- *Sap.* iii, 15. piens loquitur, bonorum laborum gloriosus est fructus. Unde subjungitur :

*In perfectissima et non deficiente vita et salute,* hoc est « in vita » gloriæ sempiternæ, cujus comparatione vita præsens mors potius est dicenda quam vita. Idcirco de participibus vitæ illius ait vir sanctus : *Ps.* xxvi, 13. Credo videre bona Domini in terra viven- *Ps.* lv, 13. tium ; et rursus : Ut placeam, inquit, coram Deo in lumine viventium. Hæc est indeficiens vita, quæ est perfecta et gloriosa participatio fontis vitæ. De qua Isaias *Is.* xxxv, 10. ait : Venient in Sion laudantes, et lætitia sempiterna super capita eorum, gaudium et lætitiam obtinebunt.

*Quæ secundum eos erunt, omnino scientes, per futuram suam universalem resurrectionem :* id est, « quæ » vita et salus « erunt » in ipsis electis « per futuram suam resurrectionem », quia in illa resurrectione perfecte et plene glorificabuntur in anima et corpore, et hoc, « secundum eos », id est secundum fidem et merita eorumdem : secundum eos, inquam, « scientes omnino », id est penitus certos de veritate fidei suæ ac spei, de qua etiam tunc erunt certissimi per evidentiam rei et experientiam facti. Interdum autem accipitur agnitio fidei pro cognitione scientiæ, vel econtra, ut quum

A apud Joannem S. Martha fatetur : Scio *Joann.* xi, 24. quia resurget in resurrectione in novissimo die ; et sanctus Job : Scio quod Re- *Job* xix, 25. demptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum. Denique, etsi scientiæ major est certitudo evidentiæ et ex parte objecti, fidei tamen major est certitudo adhærentiæ et ex parte subjecti. Nec ista intelligenda sunt quasi animæ ante futuram resurrectionem communem non sint remunerandæ, sed quod in illa plenarie et coram omnibus præmia B consequentur. De qua apud Joannem Dominus protestatur : Veniet hora in qua *Joann.* v, 28. omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei, etc.

*Sanctæ enim animæ, ad eam in mala secundum hanc vitam potentem cadendo conversionem non venientes :* id est, « animæ » virtuosæ « non venientes » ad illam resurrectionem, « cadendo in mala secundum hanc vitam », id est in peccata vitæ præsentis : quæ vita potens est cadere et peccare per liberum arbitrium, et potens C est ad conversionem, durante ista peregrinatione ; *in ea iterum generatione,* id est in illa regeneratione seu resurrectione, *in inconvertibile habebunt deiformissimam transordinationem,* id est divinissimam immutationem in melius et translationem in statum feliciorem, « in inconvertibile », id est pertingendo ad unionem cum Deo inavertibilem, ita quod erunt confirmati in bono, nec amplius poterunt transgredi, sicut in Ecclesiaste legitur, Ubicum- *Eccle.* xi, 3. que ceciderit lignum, ibi erit : ut supra D allegatum atque expositum est. Istud est quod ait Apostolus : Ecce mysterium vo- I *Cor.* xv, 51, 53. bis dico. Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. Oportet enim mortale hoc induere immortalitatem, etc.

*Munda autem sanctarum animarum conjuga et coeuntia corpora, conscripta et commilitantia,* id est, « corpora animarum sanctarum conjuga », id est casta vel socialia instar castæ conjugis, animabus suis sociata, ac ipsis adscripta seu deputata, et in libro vitæ illis « conscripta »,

et quæ cum animabus suis militaverunt A Deo, animabus obediendo, cooperando, et cum illis pariter patiendo, juxta illud Apo-
I Cor. IX, 27. stoli : Castigo corpus meum, et in servitutem redigo; *secundum divinas suas collocationes*, id est secundum conjunctiones suas salubres quibus in isto exsilio simul erant locatæ ad promerendum, vel secundum suas collationes et reuniones felices ad præmiandum, *in animarum incommutabili secundum divinam vitam fundamento*, id est in statu invariabili et inconcussibili firmitate, quas animæ ha- B bebunt « secundum vitam divinam », id
* recipient est in vita beata prorsus, *conrecipient* * *propriam resurrectionem*, id est saluberrimam resuscitationem eorum animarum meritis proportionatam ac debitam : quia tunc gloria animarum redundabit in corpora tanto exuberantius, quanto ipsa corpora magis cooperata et coafflicta animabus suis fuerunt, ita quod corpora quatuor dotibus tanto præclarius ornabuntur, quanto animæ ipsæ suis dotibus sublimius fuerunt glorificatæ, quemadmodum C
I Cor. XV, 41, 42. ad Corinthios docet Apostolus : Alia claritas solis, alia claritas lunæ, alia claritas stellarum. Stella enim a stella differt in claritate : sic erit resurrectio mortuo-
Ibid. 43, 44. rum. Deinde tangit ibi quatuor dotes corporum gloriosorum, quæ sunt claritas, impassibilitas, subtilitas, atque agilitas.

*Eo enim quod unita erant secundum hanc vitam*, id est in vita ista mortali, *sacris animabus*, non ut instrumenta extrinseca, sed ut vere informata et unificata ab animabus ut substantialibus suis for- D mis, *velut membra Christi facta*, id est Christo incorporata per suas animas sanctas, quibus in operibus virtuosis et actibus vere christianis subservierunt in vigiliis, jejuniis, laboribus, disciplinis, et tandem in suppliciis mortis. Hinc dixit
Ibid. VI, 19. Apostolus : Nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti? *Deiformem et incorruptibilem, immortalemque et beatam recipient quietem*, id est glorificationem eis competentem, per quam erunt divina et Deo assimilata, prout eorum naturæ potest competere, secundum quod ait Apostolus : Salvatorem exspecta- Philipp. III, 20, 21.
mus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ. Habebunt etiam tunc quietem, quia non erunt inclinata ad alias formas substantiales, satiato appetitu eorum. Nihilo minus erunt vere mobilia per dotem agilitatis, juxta illud Sapientiæ : Fulgebunt Sap. III, 7.
justi, et tanquam scintillæ in arundineto discurrent. Nec erit in eis motus ex indigentia, sed potius ex interioris jucunditatis abundantia, prout per Malachiam Dominus pollicetur : Egrediemini et sa- Malach. IV, 2.
lietis quasi vituli de armento.

*In his ergo sanctorum est quies in lætitia et immutabili spe*, id est, in prætactis bonis consistit « quies » et salus « sanctorum » post vitam hanc, scilicet « in » ingenti « lætitia » ac in invariabili confidentia futuræ glorificationis in corpore, *in divinorum certaminum perventura summum*, id est in finalem et gloriosam mercedem laborum et persecutionum atque agonum, quæ datur in præmium his qui modo legitime certant. De qua scriptum est : Beatus vir qui suffert ten- Jacob. I, 12.
tationem, quoniam quum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ. Et ad Hebræos : Omnis disciplina in præsenti quidem Hebr. XII, 11.
videtur esse non gaudii, sed mœroris ; postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet justitiæ. Hinc scriptum est alibi : Filii sanctorum sumus, Tob. II, 18.
et vitam illam exspectamus quam Deus daturus est his qui fidem suam nunquam mutant ab eo. Denique sancti quoque in hac vita in contemplatione et præstolatione futurorum bonorum suaviter requiescunt, perventuri in illa certissime, juxta illud Psalmi : In pace in id ipsum dor- Ps. IV, 9.
miam et requiescam.

# ARTICULUS LXI

## DE QUORUMDAM CIRCA DEFUNCTOS ERRORIBUS.

DEINDE tanguntur errores quorumdam circa animas hominum post hanc vitam.

*Immundos vero alii quidem in non subsistentiam irrationabiliter æstimant redire :* id est, aliqui « irrationabiliter » putant « immundos », id est vitiosos homines, « redire » per mortem « in non subsistentiam », id est totaliter mori ac destrui quantum ad corpus et animam. Quod et ipse Epicurus Epicureique philosophi, Empedocles, Galenus, Democritus, æstimabant; Sadducæi quoque, ut in
Act. xxiii, 8. Actibus tangitur : qui ut in libro Sapien-
Sap. ii, 22. tiæ legitur, non speraverunt mercedem justitiæ, nec judicaverunt honorem animarum sanctarum.

*Alii vero corporalem in semel corrumpi propriarum animarum conjugationem :* id est, « alii » asserebant « propriarum animarum conjugationem corporalem », id est associationem et unionem cum corpore, « corrumpi in semel », id est semel dumtaxat, ita quod anima semel separata a corpore, amplius ei non reunietur. Et hæc fuit doctrina Aristotelis de rationalibus animabus, quas dixit non transcorporari. Quid vero de earum immortalitate senserit, diversimode traditur. Porro, secundum Augustinum libro de Civitate Dei, Porphyrius Platonicus in hoc a Platone recessit, quod animas sanctas separatas, divinorum contemplationi jam sociatas, dixit nunquam amplius in corpora velle descendere : quoniam unio illa cum corpore, est contemplationis impeditiva. Unde jam subditur : *velut incompactam eis exsistentem deiformem vitam et beatam quietem :* hoc est, tanquam « deiformem », id est spiritualem contemplativamque, « vitam et beatam quietem » putantes esse « incompactam », id est inconvenientem esse animabus in corpore, vel putantes vitam illam esse incompactam humanis corporibus, tanquam incapacibus vitæ hujusmodi. Et ut Augustinus fatetur, opinio illa Porphyrii contra nos militaret, si diceremus animas beatas reuniri corporibus corruptibilibus, qualia nunc habemus, quum scriptum sit : Corpus quod Sap. ix, 15.
corrumpitur, aggravat animam.

Theologus autem errorem hunc reprobat theologico argumento. *Non intelligentes, neque satis in scientia divina eruditi,* id est in Scripturis, *inchoaverunt jam secundum nos in Christo deiformissimam vitam,* id est, quod veri Christifideles jam inceperunt « in Christo » habere « deiformissimam vitam », etiam in corpore resuscitato et animæ suæ rursus unito. Eadem quippe est ratio de capite et de membris, et de corpore Christi ac nostris, quum ejusdem sint speciei. Quum igitur corpus Christi sit suæ animæ reunitum et conglorificatum, idem de nostris corporibus est credendum. Juxta hunc modum ad Corinthios Apostolus arguit : Si resurrectio mortuo- I Cor. xv, 13.
rum non est, nec Christus resurrexit.

Sequitur tertius error. *Alii autem corporum aliorum distribuunt animabus conjugationes,* id est, animas dicunt in resurrectione futura uniendas corporibus naturæ alterius, puta aeriis sive æthereis, ita quod corpora illa erunt vento et aere simpliciora : eo quod corpus Christi intravit post resurrectionem ad discipulos in conclave januis clausis ; et quia Apo- Joann. xx, 19, 26.
stolus ait : Seminatur corpus animale, sur- I Cor. xv, 44.
get spirituale. *Injuste agentes,* id est, false in hoc dicentes, *hoc in ipsis (ut æstimo)*

*suspicantes divinis animabus et sacris retributionibus,* id est, opinantes « hoc » futurum « in animabus divinis » et remunerationibus justis, *non recte privantes ad finem venientia divinissimorum cursuum,* id est, injuste privantes tam corpus quam animam justorum præmiis suis : quæ sibi invicem communicant in meritoriis actibus, ideo justum est ut communicent invicem in præmiis gloriosis, et eadem numero reuniantur, quoniam perseveraverunt simul usque in finem inclusive « cursuum divinissimorum », id est sanctissimorum actuum, quibus spiritualiter cucurrerunt per viam hujus peregrinationis ad patriam, implentes illud Apostoli : Sic currite ut comprehendatis. I Cor. IX, 24.

Sequitur error quartus. *Alii autem, nescio quomodo ad materiales notiones revocati,* id est mente reducti ad considerationem corporalium actionum eis notarum, *dixerunt conformem hujus vitæ sanctis promissionem sanctissimam et beatissimam quietem,* id est, « promissionem sanctissimam sanctis » factam « et quietem beatissimam » eis paratam, esse « conformem vitæ hujus », utputa intelligendam esse de corporalibus refectionibus et de-

A lectationibus : unde subjungitur, *et escas proprias mutatæ vitæ,* id est corporalia alimenta convenire vitæ futuræ, quæ aliarum est proprietatum quam præsens, et multum mutata est, sicut ait Salvator : In futura resurrectione non nubent, neque nubentur, sed sunt sicut angeli Dei. Matth. XXII, 30. Hinc subditur : *eis qui in angelis sunt, injuste projecerunt,* id est, beatis illis resuscitatis hominibus, qui inter angelos computantur, et eis tunc assimilabuntur, erronee deputant hujusmodi refectiones, veluti si B quis præclarissimis viris qui delicatissimis soliti sunt nutriri, projiceret escas vilissimas. Vel sic : « escas proprias vitæ mutatæ », id est cibos corporales, convenientes vitæ mutabili ac corruptibili, « projecerunt » his qui angelis similes erunt. Præterea error iste fuit in multis Millenariis, et adhuc est in Judæis et Sarracenis, et partim olim fuit.

Præterea præfati quatuor errores idonee destruuntur auctoritate apostolica ad Corinthios : Scimus quoniam si terrestris II Cor. v, 1. C domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem habemus ex Deo, domum non manufactam, æternam in cœlis.

# ARTICULUS LXII

## DE LÆTA MORTE SANCTORUM, ET INFELICI MALORUM EXITU.

SED *non recidet quis a sacratissimis viris in tales errores,* id est, nemo jam amplius relabi debet in hujusmodi falsitates, recedendo a doctrina sanctissimorum virorum. *Sed confestim se suscepturos esse christiformem quietem scientes,* id est, viri sancti « scientes se esse suscepturos » ac percepturos a Deo « quietem christiformem », id est requiem æternalem beatam, qualem et Christus excellentissime habet, mox *quum in finem* D *venient hujus vitæ,* id est, quando recedent a corpore, dummodo nil purgandum aut satisfaciendum secum detulerint, *corruptionem* suam, viam veluti* propinquiorem jam factam, manifestius vident,* id est, clare perpendunt quod via eorum ad mortem de propinquo immineat, et terminus ejus instet.

* incorruptionem * velut

*Et donationes Divinitatis laudant,* id est, beneficia Dei et gratias sibi concessas, atque promissa cœlestia, grata ac

humili mente recognoscunt, *et divinæ delectationis implentur,* id est gaudio spirituali, tanquam mox profecturi ad superdulcissimum et superpulcherrimum et supergloriosissimum Deum, de cujus gratiosa susceptione plene confidunt ex conscientiæ puritate, præsertim testimonium perhibente eis interius Spiritu Sancto, dicentes : Cupio dissolvi et esse cum Christo ; et rursus : Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum ! etc. Istud est perfectorum, et in beatissimis martyribus eminentissime fuit, quos Altissimus in extremis suavissime visitavit, copiosissime illustravit, et mirabiliter valde accendit.

Rom. VIII, 16. Philipp. I, 23. Ps. LXXXIII, 2.

*Ad ea quæ retro sunt, conversionem non in aliquo timentes,* id est, in nullo paventes se ruituros ad peccata quæ reliquerunt, aut ad rerum creatarum inordinatum affectum, implentes illud Apostoli : Quæ retro sunt obliviscens, in anteriora extendo me ipsum, ad bravium vocationis supernæ. *Sed bene scientes quia possessa bona firmiter et æternaliter habebunt.*

Philipp. III, 13, 14.

*Coinquinationibus autem pleni et immundis maculis,* id est vitiis carnis et spiritus, *qui quidem sacram quamdam consecuti sunt doctrinam,* id est instructionem salubrem, *ipsi vero eam ex proprio animo perdite repercutientes,* id est, repellentes et abjicientes a se, *in corrumpentes sponte se dederunt concupiscentias,* id est, concupiscentiis sensualitatis ex proposito consenserunt desiderio voluptatis, peccantes non solum ex infirmitate, id est vehementia passionum, aut ignorantia, sed certa malitia. De quibus dicitur in Job : Dixerunt Deo, Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. Et Judas ait : Hi sunt in epulis suis maculæ, convivantes sine timore. Qui ut princeps ait Apostolorum, recedunt ab eo quod illis traditum est sancto mandato. Porro concupiscentiæ corrumpunt rectæ rationis judicium. Unde Daniel ait : Species decepit te, et concupiscentia subvertit cor tuum. Ideo indigemus virtutibus moralibus, per

Job XXI, 14. Judæ 12. II Petr. II, 21. Dan. XIII, 56.

A quas passiones refrenantur, et maxime Dei timore ac ope gratiæ ejus.

*Quum ad finem vitæ* * *veniunt,* id est, dum jam morti sunt proximi, *huic vitæ imparati,* id est ad consequendum vitam gloriæ indispositi et indigni ; *ut eos bene spernens manifestat Eloquiorum divina legislatio, perditas propriis passionibus voluptates aliis oculis inspicientes, et sacram vitam qua stulte recesserunt, deificantes :* hoc est, « inspicientes oculis aliis », id est oculis cordis aliter quam B ante dispositis, utputa timore concussis, quibus jam vexatio aliquantulum contulit intellectum, « voluptates perditas », id est spirituales et sanctas delicias ac gaudia regni cœlestis, quas perdiderunt, id est, demeruerunt et amiserunt, « passionibus propriis », id est per inordinatos motus et affectus ac oblectamenta passionum suarum, juxta illud Ecclesiastici : Si præstiteris animæ tuæ concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis ; et ad Romanos : Non regnet peccatum in vestro C mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus. Hinc impio graviter cæso dicit Jeremias : Viæ tuæ et cogitationes tuæ fecerunt hæc tibi. « Et sacram vitam », id est vitam virtuosam, a « qua stulte recesserunt » : unde in Proverbiis dicitur, Reliquerunt iter rectum, et ambulant per vias tenebrosas ; « deificantes », id est, beatificam recognoscentes. Secundum quod « manifestat legislatio divina Eloquiorum », id est lex Scripturæ divinitus data, « spernens eos bene », id est juste, D secundum quod tales sunt, juxta illud : Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus. De hoc in Sapientiæ libro diffusius legitur : Videntes turbabuntur timore horribili, dicentes : Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, et finem illorum sine honore. Quomodo ergo computati sunt inter filios Dei, et inter Sanctos sors illorum est ?

* alias om. vitæ

Is. XXVIII, 19. Eccli. XVIII, 31. Rom. VI, 12. Jer. IV, 18. Prov. II, 13. Ps. XIV, 4. Sap. V, 2-5.

*Miserabiliter et coactive rescinduntur,* id est tolluntur, *hac vita,* id est de conversatione sæculi hujus, sicut in Evange-

*Luc.* XII, 20. lio dicitur diviti cupido : Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te : quæ autem parasti, cujus erunt ? In Job quoque li- *Job* XXII, 15, 16. bro : Viri iniqui ante tempus suum sublati sunt. *Ad nullam sacram spem manuducti,* id est, spem formatam non habentes, neque ad bona sperata perducti, de qui- *Ps.* XXVI, 13. bus dicitur, Credo videre bona Domini in terra viventium ; *propter pessimam vitam,* secundum quod in Sapientiæ libro asse- *Sap.* V, 15. ritur : Spes impii tanquam lanugo quæ a vento tollitur, et tanquam spuma. De *Is.* XL, 24. quibus loquitur Isaias : Et quidem neque satus, neque plantatus in terra truncus eorum ; repente flavit in eos, et aruerunt.

*Talium autem nullo futuro secundum dormitiones sanctorum virorum,* id est, « nullo talium » oppositorum saluti, « futuro » in obitu hominum perfectorum, quia perfecti non abscinduntur a vita coacte, nec privantur spe sua, etc., *ipse quidem* vir sanctus *ad finem veniens propriorum certaminum,* id est ad mortis horam, *lætitia sancta repletur,* ex confidentia beatificæ visionis sibi in proximo dandæ, sicut modo expositum est, *et cum delectatione multa ad viam ascendit divinæ iterum generationis,* id est ad iter regni cœlestis, in quo spiritualiter ac optime regenerantur adipiscendo esse gloriæ, quod est consummatio ipsius esse gratiæ. Propterea obitus et martyria Sanctorum, dicuntur natalitia eorumdem. Vel via divinæ regenerationis istius, est mors præsens seu perventio ad patriam, quæ est iter ad futuram resurrectionem, ad quam non pervenitur nisi per mortem corporalem. Non enim resurgit nisi quod cecidit, ut asserit Damascenus.

*Dormientis autem domestici secundum divinam familiaritatem et similem conversationem,* id est, qui defuncto cohabitant, et familiares ei fuerunt sancta et spirituali familiaritate, communicando ei quotidie in exercitiis cultus divini, et conversatione conformi secundum voluntatem *Ps.* LXVII, 7. ejus qui inhabitare facit unius moris in

A domo ; *ipsum qui est,* id est defunctum qui jam ab esse vitæ mortalis ad immortale esse pervenit, aut in re, aut in certa spe, *beatificant,* id est, beatum fatentur et laudant (juxta illud in Apocalypsi : Beati mortui qui in Domino moriuntur), *Apoc.* XIV, 13. *ad palmiferum optate venientem finem,* id est, tanquam jam pertingentem ad palmam salutaris, victoriæ finem beatum. Unde ait Apostolus : Reposita est mihi *II Tim.* IV, 8. corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex. Ad quam B palmam pertingunt « optate », quia cum summo affectu, qui assidue cecinerunt : Quemadmodum desiderat cervus ad fontes *Ps.* XLI, 2. aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus ; itemque : Quando veniam et appa- *Ibid.* 3. rebo ante faciem Dei ?

*Et victoriæ causali,* id est Deo omnipotenti, qui est causa et dator hujus salubris victoriæ, juxta illud Apostoli, Gratias *I Cor.* XV, 57. Deo, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum ; *gratulatorios cantus referunt,* id est psalmos, ora- C tiones et laudes ad gratiarum actionem et spiritualem gratiam pertinentes : quod præcipue in exsequiis martyrum fieri poterat, et etiam confessorum quorum vitam et exitum Deus superaltissimus per præclara approbavit miracula, juxta illud : Scitote quoniam mirificavit Dominus *Ps.* IV, 4. sanctum suum. *Adhuc et se venturos fore ad similem optantes quietem,* id est, cupientes perduci ad consimilem requiem sempiternam : de qua loquitur Isaias, Da- *Is.* LVIII, 11. bit tibi Dominus requiem semper. Fre- D quenter enim vivi, cernentes fideles tam feliciter, jucunde ac devotissime mori, aut certe etiam desuper miraculis honorari, accenduntur talis finis amore. Imo et impii inde multoties compunguntur, quemadmodum Balaam visis tentoriis Israelis compunctus : Moriatur, inquit, anima mea *Num.* XXIII, 10. morte justorum, et fiant novissima mea horum similia. Quemadmodum etiam beatissimus Moyses Dei amicus, conspecto felici obitu Aaron fratris sui, optavit simili morte defungi, ut dicunt Hebræi.

* vero *Accipientes autem* * *eum,* puta defunctum, *ad summum sacerdotem ducunt,* id est episcopum loci illius. At vero quæ de ritibus et observantiis istis primitivæ Ecclesiæ seu ecclesiasticæ hierarchiæ scribit Theologus, intelligenda sunt pro tempore illo, et quando opportune sic fieri poterat, et quantum ad præcipuas solennitates in talibus; sicque accipiendum est etiam istud. *Tanquam ad coronarum divinarum* * donationem *acceptionem* *, id est ad vicarium ejus qui sanctos coronat et præmia largitur rega- A lia : qui in Apocalypsi hortatur : Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ. Apoc. II, 10. *Ipse autem cantans suscipit* eum, id est, defunctum accipit cum psalmodia et laude. Pro martyre tamen plenario ac certo, non oratur. *Et perficit secundum legem sacram in sancte dormientibus perficienda,* ea videlicet quæ sancti et primitivi patres primitivæ Ecclesiæ statuerunt perfici in exsequiis defunctorum aut solennitatibus martyrum : quæ non sunt plene descripta.

# ARTICULUS LXIII

## MYSTERIUM IN SANCTE DORMIENTIBUS.

CONSEQUENTER tanguntur quæ per constitutos in sacris ordinibus fiebant circa defunctum.

*Congregans divinus sacerdos sacrum chorum,* id est, episcopus convocans et colligens omnem ibidem clerum, *si quidem sanctifico fuerit ordine dormiens,* id est, si defunctus fuit de ordine episcoporum, aut sacerdotum, sive diaconorum, *in conspectu divini altaris recumbere faciens eum,* id est, corpus ejus collocat ante altare, *initiatur Deo,* id est, ad Dei honorem inchoat officium funebre, *oratione et eucharistia,* id est gratiarum devotissima actione. Etenim dato quod sanctus fuit et evolavit, orationes tamen conferunt aliis indigentibus, ipsi quoque oranti fructuose, juxta quod scriptum est : Oratio mea in sinu meo convertetur. Ps. XXXIV, 13. Atque ut sanctus asserit Augustinus, Orationes et eleemosynæ pro valde bonis, sunt gratiarum actiones. Denique beatissimus pater noster Antonius, sacratissimum sepeliens Paulum primum eremitam, legit super eumdem psalmos solitos in exsequiis legi. D Quod et Zosimas vir gloriosus, sepeliendo gloriosissimam illam Mariam Ægyptiacam, creditur peregisse.

B *Si autem sanctis monachis aut sacro populo coordinatus est,* ita quod defunctus fuit de grege monachorum aut fidelium populorum (qui erant duo ordines seu gradus perficiendorum), sicque ordinatus est deferri et præsentari *ad honorabile sacerdotium,* id est venerabilibus sacerdotibus, *ipsum recumbere facit ante sacerdotalem introitum,* id est, extra et prope ingressum ad chorum, facit episcopus corpus defuncti quiescere, *deinde perficit ad Deum eucharistialem orationem* C *summus sacerdos,* id est, episcopus effundit pro defuncto, juxta sensum prætactum, « orationem eucharistialem », id est valde gratiosam.

Sequitur de actibus diaconorum circa defunctum. *Consequenter autem ministri, in divinis Eloquiis prolatas non mendaces promissiones de sacra nostra resurrectione legentes,* id est, diaconi legentes ex Scripturis aliqua ad futuram resurrectionem spectantia : ut sunt lectiones sumptæ ex epistolis divinissimi Pauli, ut etiam lectiones in Officiis defunctorum, ex Job et Ezechiele, aliisve Prophetis; *sacre cantant,* tunc tamen nondum cum notis, ut modo, *confitentes hoc* quod præsul de-

prompsit, *et potentes psalmicorum Eloquiorum cantus :* id est, ipsos psalmos qui magnæ sunt virtutis, decantant, id est, alte et celebriter ac devotissime legunt, qui ad propositum illud amplius pertinent.

Consequenter subjungitur de archidiaconi officio. *Deinde ministrantium primus,* id est archidiaconus, qui tunc solus ministravit ad Missam solenniter ut ordinatus, *resolvit,* id est, a fidelibus separat et expellit, *catechumenos,* tanquam nondum aptos interesse divinioribus ac secretioribus actibus divinorum. *Et prædicat jam dormientes sanctos,* id est, beatos in Christo, qui jam regnant cum angelis, laudat, et de eorum virtutibus sermocinatur, pro confortatione fidei et consolatione præsentium, atque ut sancti orent, si opus est, pro defuncto, *cum quibus dignatur modo defunctum coordinata recitatione,* id est, etiam jam defunctum laudat cum illis, non tamen cum certitudine tanta, sed confidentia magna aut certificatione probabili : sicque « dignatur », id est, dignum pie reputat, jam « defunctum, recitatione », id est prædicatione, « coordinata » prædicationi sanctorum quos memorat. *Et hortatur omnes petere in Christo beatam consummationem,* id est, universos qui adsunt admonet quatenus Deum precentur, ut nunc defuncto præstet «in Christo» requiem æternalem, similiter ipsismet post præsens exsilium. Quo constat, quod sanctæ animæ ante resurrectionem futuram beatificentur in Christo. Cujus oppositum senserunt aliquando Græci, prout in Summa contra Gentiles recitat Thomas : in qua

A Summa potuisset allegare auctoritates ex isto libro valde idoneas.

Deinceps subjungitur quid in officio circa defunctum pontifex egit. *Deinde accedens divinus summus sacerdos, orationem sacratissimam super eo facit,* id est pro defuncto, sub conditione saltem implicita, si nondum frueretur dilecto. *Et post orationem ipse summus sacerdos salutat dormientem,* osculando defunctum in signum sancti amoris, et ut quoque beatificatus oret pro nobis. Sic Cartusienses fratrem B mox migraturum osculantur, quasi valedicendo eidem, ut et ipsi paulo post precibus ejus adjuti, consocientur ei in patria. *Et post eum præsentes omnes* osculantur defunctum. *Salutantibus autem omnibus* mortuum, *infundit dormienti oleum summus sacerdos,* aliquid forsan olei ad hoc consecrati super illum adspergendo, sicut modo cum adspersorio adspergitur corpus defuncti aqua benedicta. Etenim omnia pene hæc, cærimonialia erant et juris positivi, et talia pro loco et tempore ex C rationabilibus causis mutantur. *Et pro omnibus orationem sacram faciens,* id est, pontifex orans pro universis, scilicet fidelibus, præsertim defunctis, et forsan pro præsentibus vivis, *reponit in domo honorabili corpus,* videlicet in sepulcro aut tumba, vel in basilica aut cœmeterio. Nam et Patriarchæ cum ingenti cura honorifice sepelierunt mortuos suos, ut patet in Genesi de Abraham, Isaac, Jacob. *Cum aliorum coordinatorum sanctorum corporibus,* id est juxta illorum sepulcra, imo interdum D in eisdem sepulcris.

*Gen.* XXIII, XXXV, XLIX.

# ARTICULUS LXIV

THEORIA, HOC EST SPIRITUALIS SIGNIFICATIO PRÆDICTORUM : ET PRIMO CUR DEFUNCTUS PONATUR IN CHORO, VEL EXTRA CHORUM; ET QUID SIGNIFICENT CANTUS AC LECTIONES.

S*ED hæc quidem si viderint aut audierint immundi,* id est infideles, qui *Matth.* XVI, 23. ea quæ Dei sunt, non sapiunt, nec Spiritum Dei habent, *a nobis perficienda,* id est exsequenda in sepulturis, *late ridebunt,* id est, dilatato ore ridebunt, *ut arbitror, et erroris nostri miserebuntur,* quasi ex naturali pietate nostris insaniis compatientes, præsertim quod mortuum os- *Gen.* L, 1. culemur, quasi sanctus Joseph non fuerit deosculatus patrem suum Jacob, sanctum patriarcham atque prophetam. *Non oportet autem ad hoc mirari,* id est, opus non est inde multum stupere, quia ignorant mysterium. Unde subjungitur : *si enim non crediderint, ut Eloquia aiunt, neque* *Is.* VII, 9. *intelligent.* Sic quippe scriptum est in Isaia, secundum translationem Septuaginta. Ubi Hieronymus transtulit : Si non credideritis, non permanebitis.

*Nos autem invisibilia perficiendorum inspicientes,* id est, nos jam hic considerantes spirituales rationes istorum quæ fienda sunt in sepulturis, *Jesu luciduco,* id est lucido ductore et doctore, *dicimus quomodo non irrationabiliter summus sacerdos in æque coordinatum* * *chorum introducit et imponit dormientem,* id est, corpus defuncti poni facit in choro illorum qui secum ejusdem ordinis fuerunt. *Significat* * *enim mirabiliter, secundum illos fore omnes in ipsa iterum generatione recubitus, puram hic propriam vitam implentes :* id est, per collocationem illam pontifex mirabiliter et fideliter signat, « omnes recubitus », id est quietationes, « fore », id est futuras esse, « in generatione ipsa iterum », id est in resurrectione futura, « secundum illos », id est in illis

* ordinatum

* Signat

A ordinibus quorum ordinum hic fuerunt, juxta illud Apostoli : In Christo omnes *I Cor.* XV, 22, 23. vivificabuntur ; unusquisque autem in suo ordine. Unde et sanctus pater Bernardus in Apologetico suo de canonicis loquens : Quum cœperint (inquit) homines resurgere, ubi putas generatio ista locabitur ? Agentes « hic » pure « propriam vitam », id est, sine mortali peccato hic conversantes. Non enim ordinati virtuosi tunc inter inordinatos reprobos statuentur.

B *Utpote, si deiformem quis habuit hic et sacratissimam vitam, quantum viro Dei imitatio comprehensibilis est,* id est, prout vir devotus in isto exsilio imitari potest et assequi perfectionem divinam, a cujus perfectione jugiter distat ac deficit infinite, *in divinis erit per sæculum futurum et beatis quietibus,* id est, in sæculo futuro perpetuo erit sine fine in perfecta quietatione et plena contentatione desideriorum suorum, secundum illud Psalmi : Satiabor quum apparuerit gloria tua. *Ps.* XVI, 15. *Ipsi* C *autem per summam formæ subsistentiam sacram similiter conformes :* id est, qui assimilati fuerint Deo « per subsistentiam sacram » et « summam formæ », id est secundum partem suam intellectivam, « similiter », id est, taliter sicut præfati sumus, quamvis non ita perfecte ; *et ipsi recipient sanctas retributiones,* id est merita gloriosa secundum mensuram et exigentiam meritorum suorum, quamvis non tanta ut perfecti. Propter quod Veritas dixit, In domo Patris mei mansiones multæ *Joann.* XIV, 2. D sunt : utputa gradus multiplices præmiorum, juxta gradus majores meritorum. Nempe testante Apostolo, Qui parce se- *II Cor.* IX, 6.

I Cor. III, 8. minat, parce et metet; et, Unusquisque A accipiet juxta suum laborem.

*Pro hac divina justitia*, id est pro increata Dei æquitate honoranda et commendanda, seu pro ejus justa præmiatione, *summus sacerdos gratias agens, orationem sacram facit, et colendam laudat Divinitatem* æternam et imparticipatam, quæ sola cultu latriæ est colenda. Quæ ait
Is. XLV, 6. per Isaiam : Ego Dominus, et non est alter;
Ibid. XLII, 8. et rursus : Ego Dominus, hoc est nomen meum; gloriam meam alteri non dabo, et laudem meam sculptilibus. *Tanquam de-* B *structivam contra omnes nos injustæ et tyrannicæ potentiæ*, id est tanquam omnipotentem et superativam omnis potestatis iniquæ atque tyrannicæ contra fideles se erigentis. Verumtamen teste Apostolo,
Rom. XIII, 1. Non est potestas nisi a Deo. Abusus autem potestatis, a prava est voluntate : quem impietatis abusum destruet Deus; et sicut
Luc. I, 52. gloriosissima virgo Maria testatur, Deposuit potentes (tales) de sede, et exaltavit humiles. Ideo in Ecclesiastico scriptum
Eccli. X, 17. est : Sedes ducum superborum destruxit C Deus, et sedere fecit mites pro eis. De
Job XXXIV, 18-20, 24, 25. quo scriptum est et in Job : Deus dicit regi, Apostata; et vocat duces, impios; nec cognovit tyrannum, quum disceptaret contra pauperem. Qui auferet violentum absque manu; conteret multos et innumerabiles, et stare faciet alios pro illis. Novit enim opera illorum; quoniam violenti fuerunt, ideo conterentur. *Transducentemque nos in proprias justificationes*, hoc est, laudat ipse episcopus Divinitatem, quæ nos per pietatem et gra- D tiam suam transfert de statu damnationis et via iniquitatis, in statum salutis et in operationes virtutum. De quo de-
Coloss. I, 13. prompsit Apostolus : Eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum Filii dilectionis suæ.

Deinde tangitur mysterium cantus in exsequiis.

*Divinarum quoque promissionum lectio et cantus, manifestatoria quidem sunt beatissimarum quietudinum*, id est, lectiones illæ propheticæ aut apostolicæ divinarum promissionum et cantuum ecclesiasticorum, exprimunt et designant beatas requietiones sanctorum in regno cœlorum ab omni molestia. *In fragilitate habentes consummationem* æternaliter generabunt* : id est, quietudines illæ beatificæ « generabunt », id est in esse gloriæ statuent et producent, « habentes », id est eos qui habent, « consummationem in fragilitate », id est imperfecte et imbecilliter, quemadmodum gratia producit et gignit hominem in esse spirituali ad vivendum et agendum meritorie. * divinam consummationem

*Dormientis vero divinitus receptiva*, id est, quietes illæ sunt receptivæ « dormientis divinitus », id est ejus qui sine reatu et culpa obdormivit in Domino. Dicuntur autem illæ quietes receptivæ dormientium, per tropum, in quantum ipsi dormientes sunt receptivi earum, sicut per Isaiam Dominus loquitur : Super quem Cf. Is. LXVI, 1, 2.
requiescet spiritus meus, nisi super quietum et humilem? *Viventium autem adhuc, exhortativa ad similem consummationem*, id est, felicitates illæ et gloriæ exhortantur et accendunt eos qui adhuc degunt in valle hac lacrimarum, ad similem perfectionem gratiæ in præsenti, ac gloriæ in futuro. Unde ait Apostolus : Has ergo habentes promissiones munde- II Cor. VII, 1.
mus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei. Juxta hunc modum sæpius admonemur et inflammamur ad istas quietes dulcissimas in epistola ad Hebræos, sicut tertio ibi capitulo : Fratres sancti, vocationis cœlestis participes, etc. Hebr. III, 1 et seq.
In Apocalypsi quoque : Vincenti dabo Apoc. II, 7.
edere de ligno vitæ quod est in paradiso Dei mei. Sic item apud Matthæum admonet Christus : Venite ad me, omnes qui Matth. XI, 28.
laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.

# ARTICULUS LXV

CUR IN HOC RITU NON EXCLUDANTUR OMNES ORDINES PURGANDORUM, SED SOLUM CATECHUMENI.

A INTENDE *quia nunc non omnes juxta consuetudinem purgandi ordines resolvuntur :* id est, considera quod « nunc », id est in exsequiis, « non resolvuntur », id est, non ejiciuntur ab ipso officio, « omnes ordines purgandi », id est cuncti cunei purgandorum, « juxta consuetudinem », id est, sicut fieri solet in celebrationibus et administrationibus sacramentorum, prout præhabitum est ; *soli vero sacris expelluntur choris catechumeni,* id est, nondum baptizati nec satis instructi in fidei rudimentis, tantummodo « expelluntur » a « choris » cœtibusque fidelium in ipsis exsequiis.

*Etenim ipse quidem ineruditus est universaliter omnis hostiæ sacræ,* id est, ordo catechumenorum imperitus est generaliter « omnis hostiæ sacræ », id est totius exhibitionis sacramentorum, non Eucharistiæ tantum, et universaliter omnium spiritualium immolationum, ita quod parum scit inde, non penitus nihil, quasi nugationis * ignorantiam habens. *Et ad nullum, neque parvum neque magnum, sacre consummandorum,* id est spiritualiter perficiendorum, utputa consecrationum sacramentalium, divinorumque secretorum, *inspicere ei fas est,* id est corporaliter ac præsentialiter intueri, *tanquam neque sacrorum contemplativæ virtutis participans,* id est, quasi necdum « participans » aliquid « virtutis » seu idoneitatis « contemplativæ sacrorum », per quam scilicet idoneitatem fit homo aptus inspicere sacramenta, *per prælucentem et luciferentem * theogenesiam,* id est per sacrum Baptisma, quod est ceterorum janua sacramentorum, in quo illuminatur baptizatus per infusionem gratiæ et donorum atque virtutum, ut frequenter expressum est. Idcirco lotio illa Baptismi, seu intinctio ipsa in aqua, vocatur prælucens, atque lucifera, id est lucis interioris dativa.

* negationis

* luciferam

*Ceteri vero purgandorum ordines,* scilicet pœnitentium, et hominum nondum satis spiritualium, et ab innocentia baptismali lapsorum : de quibus tractatum est; *in doctrina quidem jam fiunt sacræ traditionis,* id est, jam actualiter constituti sunt et consistunt in informatione salubri, B et competenter instructi sunt, in tantum quod sinuntur interesse exsequiis.

*Stulte autem ad ea quæ inferius sunt, iterum recurrentes,* id est ipsos recidivantes, qui insipienter recurrunt ad carnalia, ad errores ac vitia, *oportet in ea quæ ante sunt,* id est ad anteriora et priora gratiæ dona ac opera bona, *propriam reductionem perficere,* id est inchoatam dudum emendationem resumere et complere, ac plene converti, etiam de ipsa recidivatione pœnitendo, confitendo et satisfaciendo, C quemadmodum in Apocalypsi loquitur Dominus : Habeo adversus te, quod caritatem tuam primam reliquisti; memor esto itaque unde excideris, et pœnitentiam age, et prima opera fac : alioqui venio tibi cito. De talibus in Luca loquitur Filius Dei : Hi ad tempus credunt, et in tempore tentationis et persecutionis recedunt.

*Apoc.* II, 4, 5.

*Luc.* VIII, 13; *Matth.* XIII, 21.

*Divinorum quidem, quantum in symbolis, sacre adspectibus et communicationibus rationabiliter segregantur :* id est, hi tales juste removentur ab adspectu et com- D munione ac communicantia Eucharistiæ, et præsentia celebrationis ac divinorum, prout « in symbolis », id est sacramentali-

bus formis ac signis, « sacre » et devote inspici queunt.

*Nocebunt enim immunde eorum participantes,* id est, sacra et sacramenta ista per accidens magis nocerent, atque damnabiles facerent participantes et suscipientes illa indigne : ut accidit Judæ, in quem post communionem et buccellæ sumptionem Satanas introivit. *Joann.* XIII, 26. Verumtamen nocumentum istud non est directe ex sacramentis, sed abusione et indignitate sumentis, qui per suam perversitatem facit sibi de medicina cœlesti venenum. Sicque talis, secundum Apostolum, fit reus corporis et sanguinis Domini. *I Cor.* XI, 27. *Et ad plurimum divinorum et suum venient contemptum,* id est, ex participatione indigna sacramentorum, potissime quando in consuetudinem ducitur, gravius excæcabuntur, indurabuntur, nec sua scelera debite ponderabunt nec exhorrebunt, imo parvi pendent, et tam sacramenta quam propriam parvi pendent salutem. Peccata quippe quamvis enormissima, tamen in consuetudinem ducta, parvi penduntur ; et ipsa consuetudo iniqua, est moles gravissima superposita monumento. Hinc in libro Proverbiorum asseritur : Impius quum in profundum venerit peccatorum, contemnit. *Prov.* XVIII, 3. Ideo orat Psalmista : Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum. *Ps.* LXVIII, 16. De quibus in Jeremia habetur : Induraverunt facies suas supra petram, et noluerunt reverti. *Jer.* V, 3. Heu ! quam apertissime et dolorosissime jam ista videmus ad oculum.

*Non inconvenienter autem adsunt in nunc perficiendis,* id est, isti iniqui non irrationabiliter permittuntur interesse exsequiis, *aperte edocendi* ex inspectione defuncti lugubrisque Officii, quam contemnenda et brevis sit vita præsens. *Et videntes secundum nos formidinem mortis,* id est, quam horrenda sit mors naturali affectu : quoniam teste Philosopho, omnium terribilium terribilissimum est mors, præsertim carnalibus et iniquis,

A juxta illud Ecclesiastici : O mors, quam amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis ! *Eccli.* XLI, 1. Nec solum, nec principaliter formidanda est mors in se, vel quoniam privat nos bonis vitæ præsentis, sed incomparabiliter plus propter metuendissimum Dei judicium ei mox junctum, et supplicia illa durissima quæ vix unus de mille evadet, quæ etiam in purgatorio infliguntur. Hinc Ecclesiastes edocet : Si vixerit homo multis annis, et in his omnibus lætatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis et dierum multorum, qui quum venerint, vanitatis arguentur præterita. *Eccle.* XI, 8. B Hinc in eodem libro Salomon fatur : Nescit homo finem suum : sed sicut pisces capiuntur hamo, et aves laqueo ; sic homines capiuntur tempore malo, quum eis extemplo supervenerit. *Ibid.* IX, 12.

*Et Sanctorum retributiones,* quarum amore accingantur ad meliora, et ad condigna pœnitentiæ opera, *a veris Eloquiis laudatas,* id est præmia Beatorum in Scripturis veritatis copiose laudata, quamvis C tanta et talia sint, quod ea nulla mens potest plene concipere, numerare, commendare, exprimere. Etenim Deum infinitæ munificentiæ ac opulentiæ decet utique supra condignum remunerare. Cui nihilo minus reverentissime est serviendum, nec mercedis intuitu, nec pœnarum formidine, sed sincerissimo suæ immensæ bonitatis ac honorabilitatis amore. *Et caligines fore talibus immundis infinitas,* id est æternas tenebras Acherontis imminere iniquis in carne secundum carnem viventibus, D quibus dicturus est Judex altissimus : Ite, maledicti, in ignem æternum. *Matth.* XXV, 41. Unde sanctus Job dixit : Dimitte me antequam vadam ad terram tenebrosam et opertam mortis caligine ; terram miseriæ et tenebrarum, ubi umbra mortis et nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. *Job* X, 20-22.

*Permittitur enim eis æque utile,* id est, aliquid æque salubre conceditur præfatis purgandis, ut scilicet sint *videntes sacre consummatum,* id est virtuose defunctum, *ex recitativa ministratione* *, id est ex

* *ex ministrativa recitatione*

commendatione et relatione diaconi, *socium vere exsistentem a sæculo Sanctorum mirabiliter prædicatorum,* hoc est, esse vere consortem gloriæ Sanctorum qui ab exordio mundi fuerunt, et mirabiliter prædicati ac collaudati sunt in Scripturis. *Eccli.* XLIV, 1. De quibus in Ecclesiastico legitur : Laudemus viros gloriosos patres nostros. De quibus in Genesi et per totam utriusque Testamenti scripturam sermo est copiosissimus.

*Fortassis et ipsi ad simile desiderium venient,* id est, purgandi hæc audientes prædicari, forsitan convertentur, et spiritualibus desideriis succendentur, tot provocati exemplis et ædificati virtutibus. Unde et Jacobus ait : Exemplum accipite longanimitatis et laboris et patientiæ, Prophetas. *Jacob.* V, 10. Ad Hebræos quoque dicitur : Ideoque et nos tantam habentes nobis impositam nubem testium, deponentes omne pondus et circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen. *Hebr.* XII, 1. *Et ex ministrativa scientia,* id est ex informatione et sermocinatione ministri, puta diaconi, *edocentur beatam vere esse in Christo consummationem,* id est obdormitionem finalem, sicut de Stephano legitur : Quum hoc dixisset, obdormivit in Domino. *Act.* VII, 59.

# ARTICULUS LXVI

### DE MYSTICA GESTORUM EPISCOPI IN EXSEQUIIS SIGNIFICATIONE.

SEQUITUR de mysterio gestorum episcopi. *Deinde accedens divinus summus sacerdos, orationem sacram super dormientem,* id est pro defuncto, *facit ; et post orationem ipse summus sacerdos eum salutat* osculando, *et** *deinde præsentes omnes,* sicut modo expositum est. (*alias om. et)

*Ipsa ergo** *oratio,* id est, orans sua oratione, *divinam bonitatem deprecatur omnia quidem dimittere per humanam infirmitatem commissa dormienti,* id est indulgere defuncto quidquid per fragilitatem commisit humanam illicite, aut certe omisit, vel alio modo deliquit, vel ignorantia aut ex proposito. Nam et hoc creaturæ fragilitas est, quod sic paulatim labitur ad pejora. *Ordinareque eum,* id est, ut bonitas Dei dignetur ipsum defunctum constituere, *in lumine et regione vivorum, et** *in sinibus,* id est quietis et securis repausationibus, *Abrahæ, Isaac et Jacob, loco quo expellitur,* id est in cœlo supremo, in quo nunquam invenietur ulterius, *dolor et tristitia et angustia,* juxta illud in Apocalypsi : Absterget Deus omnem lacrimam ab oculis Sanctorum ; et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, sed nec ullus dolor. *Apoc.* VII, 17 ; XXI, 4. Denique etiam secundum meliores philosophos, supra orbem lunæ non invenitur malum culpæ, nec malum pœnæ. (* igitur) (*alias om. et)

*Hæ quidem ergo, ut arbitror,* sunt *claræ Sanctorum beatissimorum retributiones :* non viles voluptates gustus et tactus, hominibus bestiisque communes, in quibus etiam philosophi probaverunt non consistere rationalis creaturæ felicitatem. *Quid enim fortasse fiat** *perfectissimæ lætitiæ et illuminatrici immortalitati componderatum ? Etsi maximis nostris proportionibus significativis omni altiores animo promissiones significatæ, activa** *sua veritate relictas habent nominationes.* Hoc est : quidquid componderemus aut comparemus perfectissimæ jucunditati Sanctorum, et immortalitati ac impassibilitati eorum, quæ illuminativa est et illuminatrix inferiorum; quamvis sint « signi- (* fortassis fiet) (* ab activa)

ficatæ significativis proportionibus nostris A maximis » id est præstantissimis habitudinibus et mensuris significativis quibus eas designare valemus, quarum sunt « promissiones altiores omni » intellectu (juxta
Philipp. IV, 7. illud, Pax Christi quæ exsuperat omnem sensum); « habent nominationes relictas », id est nobis non manifestas, sed incognitas, « veritate sua activa », id est præ excellentia et virtute ac actualitate suæ incomprehensibilis superessentialisque veritatis, quæ nostræ intellectualitatis capacitatem transcendunt.

*Verum enim eloquium esse æstimandum,* id est, auctoritas illa Pauli apostoli vera est, *Quod* * *oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit,* id est, intellectus hominis non comprehendit, *quæ præparavit Deus diligentibus se,* qui in vera caritate sunt finaliter perseveraturi. Porro hæc verba Apostoli, sumpta dicuntur ex eo quod scriptum est
Is. LXIV, 4. in Isaia : Oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti exspectantibus te.

(* Quia — I Cor. II, 9.)

Sed objici potest, quia cognoscimus C quod Deus præparavit illis se ipsum et sui ipsius beatificam visionem atque dulcissimam fruitionem perpetuam : quod et auribus nostris prædicari frequenter audivimus. Et respondendum, quod utique verba horum significativa audivimus ; sed quoniam res significatæ per verba ingenium nostrum excedunt, ita ut nec capere nec conspicere nunc eas valeamus prout sunt in sua puritate ac veritate, dicimur eas nec vidisse, nec audisse, nec concepisse. Juxta quem modum Deus æternus dicitur innominabilis : quem tamen quotidie tot nominibus nuncupamus et effamur, etiam sibi soli convenientibus, prout ipso propitio, in sequenti exprimendum est libro.

Posset insuper objici de beatissimis B Moyse et Paulo, qui bona illa in hac vita vidisse censentur. Ad quod dupliciter respondetur : primo, quod hoc fuit ex privilegio speciali, ista autem intelliguntur de lege communi ; secundo, quod nec ipsi beatitudinis suæ objectum plenarie comprehenderunt.

(Exod. XXXIII, 11 ; Num. XII, 8 ; II Cor. XII, 2-4.)

Quid autem sit Abrahæ sinus, subjungitur. *Sinus autem sunt, ut arbitror, beatissimorum Patriarcharum et reliquorum Sanctorum omnium divinissimæ et beatissimæ quietes deiformes,* id est increatæ quieti Dei consimiles. Quemadmodum enim Deus gloriæ in se ipso æternaliter, immobiliter feliciterque quiescit, ita Beati in eo solo sine fine quiescunt. *Suscipientes* * *omnes in eis,* id est in quibus sinibus omnes Beati suscipiunt, *ineffabilem et felicissimam* * *consummationem.*

(* Recipientes — * beatissimam)

# ARTICULUS LXVII

DUBIUM QUODDAM CIRCA EPISCOPI ORATIONEM PRO DEFUNCTO.

PRÆTEREA, contra hæc Theologus tangit instantiam.

*Dicas forte, utique hæc quidem recte dicta esse a nobis, dubitare vero hoc,* id est de isto te ambigere, *quare divinam bonitatem summus sacerdos deprecatur, peccatorum petens dormienti remissionem,* id est, petens defuncto remitti sua pecca- D ta, *et deiformibus,* id est cum Beatis et divinis, dari sibi *æquipotentem et lucidissimam partem,* id est felicitatem æqualem beatitudini aliorum Beatorum. Vel sensus est : quare perfectis et divinis viris defunctis petat episcopus sortem illorum Sanctorum.

*Si enim retributiones recipiat unus-*

*quisque a divina justitia, quæ in præsen-* A *ti vita bonorum aut malorum peregit,* id est, quum quilibet viator post mortem mox « recipiat retributiones bonorum aut malorum quæ in præsenti vita peregit », id est pro bonis aut malis operibus quæ in vita ista commisit, juxta illud Eccle-
Eccle. xii, 14. siastæ : Cuncta quæ fiunt, adducet Deus in judicium pro omni errato, sive bonum sit, sive malum ; *finivit autem secundum*
* proprias *hanc vitam suas* operationes,* id est, cessavit jam exercere opera hujus vitæ, *qui dormivit : quomodo per quamdam summus* B *sacerdos orationem in alteram requiem transvehet ultra dignitatem ejus ?* id est, qualiter episcopus precibus suis procurabit defunctum illum perduci « in alteram requiem », utputa in gloriam cœlestem, « ultra » et supra « dignitatem » seu merita « ejus » ?

*Et quidem huic vitæ respondentem habebit partem unusquisque, bene scio, Eloquia sequens :* id est, ego sequens Scripturas, vere cognosco quod unusquisque homo recipiet « partem », id est sortem C et propriam suam mercedem, correspondentem et debitam actibus suis in hac vita peractis. Ad quod probandum duas inducit auctoritates. Prima est : *Sepsit enim (inquit) Deus adversum se :* id est, Scriptura ait, « Deus sepsit adversum se », vel contra illum, puta iniquum, hoc est, viam ejus obstruxit seu reclusit, ita quod redire non potest post mortem ad statum vitæ hujus, videlicet ad promerendum. Unde alia translatio habet : Reclusit Deus contra illum ; alia vero, Exclusit Deus ad- D versus illum. Quod sumptum videtur ex
Job xix, 8. eo quod in Job legitur : Semitam meam circumsepsit. In Osee quoque Dominus lo-
Osee ii, 6. quitur : Ecce ego sepiam viam tuam spinis. Verum nulla harum auctoritatum ad litteram loqui videtur de hac septione in morte, sed potius de circumseptione conversationis vitæ præsentis per adversitates diversas, ut patet tam ex circumstantia textuum, quam ex expositione Sanctorum. Probatio autem ex Scripturis, non tenet nisi ex sensu litterali, ut Augustinus et alii in Scripturis resoluti ac bene eruditi fatentur. Potius ergo apparet acceptum ex illo quod in Job legitur : Constituisti ter- Job xiv, 5.
minos ejus qui præteriri non poterunt. Nam et quarta translatio habet : Determinavit enim Deus apud se.

Subjungitur demum secunda auctoritas. *Et : Feret unusquisque per corpus quæ gessit*,* id est, portabit in receptione mer- * ea quæ gessit, sive bona, sive mala
cedis « unusquisque » hominum viatorum « quæ gessit per corpus », id est, quæ egit in corpore vivens, non solum in actu exteriori, sed vel cogitando, vel appetendo, sive loquendo. Sic namque ad Corinthios scribit Apostolus : Omnes nos manifestari II Cor. v, 10.
oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis prout gessit, sive bonum sive malum. Formalis autem et plana responsio ad hæc, paulo post inducetur.

*Quia vero,* id est sed quod, *justorum orationes et secundum hanc vitam, quanto magis post mortem, in his qui digni sunt sacris orationibus operantur tantummodo, Eloquiorum nos edocent** * docent
*veræ traditiones :* id est, auctoritates atque historiæ Scripturarum nos instruunt, quod « orationes justorum » prosunt « tantummodo » dignis in vita hac, et multo plus solum dignis, post vitam istam.

*Aut quid* (alia littera planius habet, Quid), *a Samuel Saul adeptus est ?* quasi dicat : Oratio Samuelis nil profuit Sauli valde superbo post promotionem suam ad principatum. Unde videtur Saul esse damnatus : quod et sanctus testatur Bernardus, et Sancti quamplures. Quidam tamen in expositione sua super librum primum Regum, persuadere conatur quod sit salvatus, quoniam Samuel dixit ad eum : Cras tu et filii tui mecum eritis. Insuper, I Reg. xxviii, 19.
quum audisset a Samuele, sive ab illo qui in ejus apparuit specie, se occubiturum in prælio, nihilo minus pro communi bono populi sui perrexit ad pugnam ; estque verisimile quod credens se protinus moriturum, pœnituit.

Sequitur aliud exemplum. *Quid autem Judæorum** *populo profuit prophetica oratio,* id est deprecatio Moysis? Verum his objici potest, quia ut manifeste recitatur in libris Exodi et Numerorum, ac Deuteronomio, frequenter placatus est Dominus populo illi precibus Moysis, ut etiam fertur in Psalmo : Et dixit ut disperderet eos, si non Moyses electus ejus stetisset in confractione in conspectu ejus, ut averteret iram ejus, ne disperderet eos. Si autem dicatur quod profuit illis oratio Moysis quoad remissionem pœnæ temporalis in sæculo isto, non quoad remissionem culpæ in futuro (propter quod in Exodo dixit Dominus ad Moysen : Ego autem in die ultionis, id est judicii, visitabo et hoc peccatum eorum) : objicitur, quia ut multi affirmant, multi illorum in suis plagationibus ac mortibus in deserto pœnituerunt, quibus valde profuerunt orationes Moysis et Aaron, quorum orationes cooperabantur ad gratiam illam. Hinc et magister Gratianus in Decreto testatur, quod illi qui in diluvio ipso generali, et postea in plagationibus suis in eremo pœnituerunt, salvati creduntur : quia ut dicit Nahum, Non vindicabit Dominus bis in id ipsum. Idcirco quod Theologus scribit hic, referri potest ad reprobos et prorsus indignos.

* Hebræorum

Ps. cv, 23.

Exod. xxxii, 34.

Nahum i, 9, juxta LXX.

Deinceps probat quod dixit, exemplo sensibili. *Etenim, tanquam si quis, sole propria donante lumina illæsis oculis, in participatione solaris luminis petit fieri proprios adspectus exterminans,* id est, sicut «si quis petit» illuminari a «sole», et tamen exterminat « proprios adspectus », id est, oculos suos claudit aut eruit, supple, non perfunditur lumine solis ex proprio suo defectu; *sic ad impossibiles concupiscit et superfluas spes,* id est, impossibilia cupit et spes habet inanes, *qui sanctorum summe mirabilium orationes et secundum naturam eorum sanctas operationes flagitans, per negligentiam divinis donis et manifestissimis et deiformibus mandatis recedit,* id est, qui excellentissimorum « sanctorum » petit « orationes », et meritoria eorumdem opera rogat sibi communicari ac subvenire, et tamen « per negligentiam » suam avertit «et recedit» a donis gratiæ et « manifestissimis » Dei præceptis, ut sunt mandata Decalogi, quæ sunt de naturalis dictamine rationis, et duo illa naturalis juris præcepta omnibus nota.

# ARTICULUS LXVIII

## PRÆCEDENTIS DUBII SOLUTIO, QUIBUS SCILICET PROSINT ORATIONES JUSTORUM.

Dico *autem, Eloquia sequens,* id est Scripturas, *quod utiles omnino sunt in hac vita sanctorum orationes* (juxta illud Jacobi, Orate pro invicem ut salvemini, multum enim valet oratio justi assidua : quod probat ab exemplo Eliæ), *secundum hunc modum,* videlicet : *Si quis divina appetens dona,* id est, optans dona gratiæ ac virtutum desuper obtinere, *et ad participationem eorum sacrum habitum habens,* id est frequens et pium desiderium, *tanquam propriæ cognoscens**, id est cognoscitivus, *parvitatis,* hoc est, humiliter recognoscens suam indignitatem et insufficientiam, *veniens ad quemdam sanctorum virorum,* (juxta illud, Ad aliquem sanctorum convertere), *dignatus fuerit,* id est, dignum duxerit rogare et obtinere, *eum sui fieri adjutorem et conservum,* id est, virum illum sanctum fieri adjutorem sui et conservum orando pro se, quemadmodum Ezechias rex misit

Jacob. v, 16-18.

*agnoscens

Job v, 1.

Is. xxxvii, 4. ad Isaiam, dicens : Leva orationem. Quasi diceret : Oratio nostra jacet ; tu qui sanctus es et Dei amicus, eleva et adjuva eam. Sic et Josias rex misit ad Prophetissam, ut oraret pro se et populo suo, ut legitur quarto Regum. (IV Reg. xxii, 12-14.) *Lucrabitur omnino ex hoc omnes superantem utilitatem,* id est, promerebitur et consequetur ex hoc spiritualem profectum, meliorem cunctis temporalibus commodis, sicut subjungit :

*Consequetur enim quæ petit divinissima dona,* id est præcipua gratiarum charismata concupita, imo frequenter plus quam petit, quoniam Deus naturaliter bonus et largus, abundantia pietatis suæ et merita supplicum excedit et vota. *Accipiente* * *eum divina bonitate,* id est, Deo illum gratiose acceptante et exaudiente, *et propria reverenti conscientia,* id est conscientia humili, qua imperfectum suum rite cognoscit, et indignum se reputat exaudiri, nisi per alium se meliorem : per quod Deum reveretur; sicque conscientia sua reverens accipit eum, id est, per modum causæ meritoriæ facit eum accipi et acceptari a Deo. Juxta quem sensum subjungitur : *et in sanctis laude,* id est laudatione qua in corde suo reputat eos [dignos,] quorum sanctorum subsidia quærit, ut scilicet orent pro se, *et petitarum sacrarum orationum* * *laudabili desiderio,* id est, pro religioso affectu quo cupit suffragia orationum aliorum sibi impendi : quemadmodum Apostolus in suis epistolis multoties postulavit discipulos suos orare pro ipso ; *et consequenti et deiformi habitu,* id est spirituali caritatis affectu qui ex tali subventione orationis consequitur et fovetur inter utrosque.

* Recipiente

* petitionum

*Est enim hoc divinis judiciis promulgatum,* id est, Deus promulgavit hoc et publicavit in Scripturis et per exempla, *divina dona dignis participare,* id est charismata gratiarum eos acquirere qui sunt digni, id est, qui cupiunt ea ex corde, et præparant se ad ea. Atque ut multi affirmant, dona hæc gratiæ gratum facientis nunquam dantur indignis, quoniam suscipientem faciunt dignum. Ad quod videtur dicendum, quod loquendo de subjecto suscipiente et gratia data seorsum seu divisim, dicitur gratia interdum dari indignis, id est, qui ante ejus infusionem fuerunt ea indigni. *In ordine divinissimo dari* *, id est ordinatissimo processu ea conferri, prout Deus in sua sapientia præordinavit. Sic namque, secundum Apostolum, quæ a Deo sunt, ordinata sunt. (Rom. xiii, 1.) *Per dignos tradere,* id est, a Deo quoque sancitum est conferre ea aliis per preces et merita sinceriter devotorum, qui de plenitudine sua apti sunt proximis impertire. Verumtamen non est hoc ita accipiendum quasi et in sacramentis non percipiatur gratia, nisi per devotos et dignos ministrentur ministros : quia in sacramentis operatur virtus et meritum Christi potius quam ministri.

* donari

*Hunc ergo si quis dehonoraverit sacrum ornatum,* id est, si quis negaverit istum decentem et sanctum processum in adeptione charismatum Dei, *et ad militarem æstimationem veniens,* id est ad aliquam vocationem in qua serviturus et militaturus esset Deo, contra agmina vitiorum ac dæmonum præliaturus : quia militia est vita hominis super terram. (Job vii, 1.) Apostolus quoque : Labora, ait, sicut bonus miles Christi. (II Tim. ii, 3.) *Sufficientem se* * *æstimaverit ad divinum colloquium,* id est ad alloquendum Deum orando, laudando, psallendo, absque sanctorum subsidio, *et sanctos contempserit,* parvi pendendo eorum auxilia, *et nullas petitiones dignas Deo et sacras petierit,* quia spiritualiter superbus est, et magnus in oculis suis. Propter quod dicitur ei in Apocalypsi : Quia dicis, quod dives sum, et nullius egeo; et nescis quia tu es miser, et miserabilis, et pauper, et cæcus, et nudus. (Apoc. iii, 17.) *Et desiderium divinis non corroboratum,* id est sanctorum precibus non adjutum, *habuerit, et sibimet consequens,* id est sibi ipsi inconveniens, quia negatio illa cadit et super hanc clausulam. *Consequetur per se ipsum imperi-*

* se ipsum

*tus petitionem?* Hoc ironice et interrogative profertur, tanquam dicatur : Numquid ipse tam imperitus exsistens, propriis me- A ritis exaudietur? Non utique, quum dicat Apostolus : Qui se putat aliquid esse, quum Galat. vi, 3. nihil sit, ipse se seducit.

# ARTICULUS LXIX

### QUOD SUMMUS SACERDOS, TANQUAM DEI INTERPRES, DEFUNCTO PROMISSA A DEO PRÆMIA ADDICAT.

*De dicta autem oratione quam summus sacerdos superorat dormienti,* id est, orat super defunctum, hoc est pro defuncto, *in nos venientem ex divinis nostris ducibus traditionem, dicere necessarium :* id est, perutile est hic scribere, « traditionem », id est doctrinam, « venientem in nos ex ducibus nostris », id est sanctis Apostolis, quam ab eis accepimus immediate vel mediate.

*Divinus summus sacerdos, ut Eloquia aiunt, explanator est divinarum justificationum,* id est sanctarum Scripturarum C et jussionum, de quibus ubertim in Psalmo oramus, Doce me justificationes tuas, Ps. CXVIII, passim. id est præceptorum tuorum adimpletiones. Hoc est, ad officium præsulis pertinet Scripturas elucidare et prædicare : quod est celeberrimum opus, et in novo Testamento vocatur hierarchizare ac prophetare. Quod probat auctoritate Malachiæ. *Angelus enim Domini omnipotentis est,* id est nuntius et præco Omnipotentis. Sic quippe in Malachia habetur : Labia sacer- Malach. II, 7. dotis custodiunt scientiam, et legem re- D quirent ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est. Porro in Hebræo habetur, Domini Sabaoth : quod secundum Hieronymum interpretatur, omnipotens, vel exercituum.

*Didicit ergo ex Deo traditis Eloquiis,* id est, ex Scripturis divinitus datis didicit præsul, *quia sancte viventibus lucidissima et divina vita,* id est conversatione perfecta, *secundum dignitatem a justissi-* B *mis jugis* redditur,* id est, præmium datur « secundum dignitatem » et merita vitæ eorum « a jugis justissimis », id est æquissimis legibus juribusque divinis, quæ licet in mente divina sint unum et idem, tamen propter diversitatem effectuum et per relationem ad suos effectus, pluraliter designantur, *despiciente,* id est, non curante nec magni pendente, *bonitate divinæ humanitatis,* id est benignitate æternæ et increatæ pietatis, *ingenitas eis ex humana infirmitate maculas,* id est veniales et minutissimas culpas, quasi innatas quantum ad earum radicem, videlicet fomitem, hoc est, tam inevitabiliter adhærentes quasi essent innatæ. Nam etsi singulas valeamus vitare, non tamen omnes, præsertim quæ ex subreptione contingunt. *Quoniam quidem nemo, ut et Eloquia aiunt, mundus a sorde* originalis peccati, ante illius deletionem in Baptismo seu alio modo, vel actualis peccati, saltem venialis, per tempus notabile. Unde dicitur in libro Proverbiorum : Quis potest dicere, Prov. XX, 9. Mundum est cor meum, purus sum a peccato? Et Jacobus : In multis, inquit, offen- Jacob. III, 2. dimus omnes. Job item : Quid est homo, Job XV, 14. ut immaculatus sit, et justus appareat natus de muliere?

* legibus

*Hæc quidem ergo summus sacerdos scit promissa,* id est, ista « promissa » de misericordia Dei nobis impendenda « scit » pontifex, *ex veris Eloquiis,* id est ex Scripturis. *Petit autem continuo fieri et donari sancte viventibus sacras retributiones,* id

est, beatifica præmia postulat dari defunctis virtuosis, mox quum a corpore emigraverint.

*Simul quidem in Dei imitationem deiformiter efformatus,* id est quasi extra se positus, et per caritatis viscera transformatus in Deum, *et aliorum donatas, sicut proprias, expetens gratias,* id est, efflagitans indulgentiam et requiem dari aliis tanquam sibimetipsi, sicque instar Dei undique effluere bonitatem et benefacere universis paratus. *Simul autem et non mendaces promissiones sciens futuras,* id est, cognoscens nequaquam falsa esse promissa divina de bonis gloriæ nobis pollicitis. Unde Ecclesiasticus oratur :
*Eccli.* XXXVI, 18. Da mercedem, Domine, sustinentibus te, ut Prophetæ tui fideles inveniantur. Et ad
*Hebr.* VI, 17, 18. Hebræos inducitur : Abundantius volens Deus ostendere pollicitationis heredibus immobilitatem consilii sui, interposuit jusjurandum, ut per duas res immobiles quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus. *Et præsentibus manifestans aperte,* id est, prædicans eas evidenter eis qui adsunt exsequiis ; *quia ab eo secundum legem sacram expetenda omnibus erunt* :* id est, cuncti inferiores secundum legem divinam habent ab episcopo suo expetere ut ipse episcopus eis declaret quæ sint divina promissa, ipsis de futura beatitudine facta, sicut nunc ex Malachia est allegatum. « Omnibus », inquam, *juxta divinam vitam consummatis,* id est perfectis per imitationem Christi et suæ conversationis eis possibilem, seu juxta evangelicæ legis directionem.

* erit

*Non enim summus sacerdos divinæ justitiæ propheta,* id est, prænuntiator istarum remunerationum Dei futurarum, *peteret aliquando nisi Deo amabilia, et ab eo donari divinitus promissa :* id est, ea tantum postulat quæ sunt placita Deo, ut ipse sacerdos pie confidit, et quæ Deus dare spopondit.

*Propter quod immundis non orat hæc dormientibus,* id est, dona gloriæ non petit infidelibus seu in peccato mortali defunctis conferri. *Quoniam non solum prophetico in hoc averteretur ordine,* id est, hoc orando, non solum obviaret Prophetarum sermonibus seu ordini prophetali, orando ac dicendo quæ fieri nequeunt, quum tamen ipse quodammodo habeat prophetandi officium prædicando futura ; *et quid hierarchicorum superbe auderet,* id est, præsumptuose ingereret se actui hierarchico non pertinenti ad ipsum (qui tamen actus non esset vere, sed apparenter hierarchicus : sicut quum aliquis sermocinatur non missus, aut si missus est, sermocinatur tamen non vera), *a perfectionum principe monendus*,* id est a Deo juste corripiendus, vel etiam misericorditer admonendus de emendatione. *Sed quia justam* orationem non consequeretur :* id est, etiam ideo non orat dari dona electis promissa, immundis et impiis, quos vel Deus vel ipse novit tales, quia pro illis sic orando, non formaret veram et « justam orationem » (quum oratio sit petitio decentium a Deo, secundum Damascenum ; nec hoc licet orari, quod non licet desiderari, quum oratio sit desiderii nuntius ac interpres), nec suæ petitionis consequeretur effectum ; *a justo Eloquio ipse non immerito audiens,* id est, increpationem Scripturæ recte suscipiens :
*Petitis, et non accipitis, quia male petitis,* illicita appetendo, seu indiscrete orando. Porro verbum hoc scriptum est a Jacobo. *Jacob.* IV, 3.

* movendus

* injustam

*Ergo divinus summus sacerdos expetit,* id est, dari petit, *divinitus promissa, et amabilia Deo,* sicut expositum est, *et omnino donanda* loco et tempore opportuno, atque condignis seu præparatis ad illa. *Et hoc proprio indesinenter* habitu,* id est ex caritate, discretione seu gratia, *ostendens, bonorum amico Deo,* hoc est, ipso Domino Deo exsistente « amico » ac benigno fautore « bonorum », sicque *et præsentibus* in exsequiis *aperte manifestans,* docendo, orando, ac alia peragendo, *sanctis futura bona*,* id est dona et præmia sanctis in cœlis præstanda.

* deiformiter

* dona

# ARTICULUS LXX

## QUALIS CLAVIUM POTESTAS A CHRISTO SACERDOTIBUS CONCESSA.

SEQUITUR de potestate clavium concessa sacerdotibus.

*Sic et discretivas habent summi sacerdotes virtutes,* id est ecclesiasticæ potestatis claves, quæ sunt scientia discernendi inter lepram et non lepram, et potestas ligandi atque solvendi : de quibus quid sint, et an realiter ab invicem distinguantur, tactum est supra ; *manifestatorias divinarum justificationum,* id est ostensivas actuum virtuosorum, quia per eas judicant sacerdotes quis bonus sit et dignus absolvi, quis item malus et dignus ligari. *Non ut ipsorum irrationabilia desideria sapientissima Divinitate ministratorie sequente ; sed ut ipsis, prophetice submovente perfectionis principe Spiritu, vocatos Deo juxta dignitatem segregantibus.* Hoc est : Præsules sic discernunt, « non ut », seu non tanquam, « Deitate sapientissima sequente ministratorie », id est subservienter aut ancillariter, « desideria » sacerdotum « irrationabilia », id est affectiones corruptas aut impetus passionum, si sacerdotes passionate et imperite procedant in clavium usu ; « sed » tanquam « ipsis » sacerdotibus « segregantibus vocatos » a « Deo », utputa bonos a malis, « juxta dignitatem », id est juxta merita hominum, « principe perfectionis Spiritu » Sancto « submovente », id est, intus movente, « prophetice », id est per inspirationem internam. Quod consequenter probatur.

(Deut. XVII, 8.) (art. LI.)

*Accipite enim, ait,* id est, Christus dixit Apostolis post resurrectionem, *Spiritum Sanctum : quorumcumque dimittitis peccata, dimittuntur; quorumcumque tenetis, retenta sunt.* Quæ verba super Joannem exposita sunt. (Joann. XX, 22, 23.)

*Et divinas revelationes sanctissimi Patris illuminato Eloquia aiunt,* id est, Scriptura in Matthæo ait Petro « illuminato », id est docto, « revelationes sanctissimi » Dei « Patris ». Sic etenim legitur Christus dixisse Petro, antequam contulit ei claves : Beatus es, Simon Bar Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater. Et paulo post subditur ibi : Tibi dabo claves regni cœlorum. Tunc etiam dixit Christus ad Petrum, quod hic in textu habetur : *Quodcumque ligaveris in terra, erit ligatum et in cœlo ; et quodcumque solveris in terra, erit solutum et in cœlo :* quod totum super Matthæum expositum est.

(Matth. XVI, 17.) (Ibid. 19.) (Ibidem.)

*Tanquam evangelista illo, et omni juxta ipsum summo sacerdote, secundum in eo factas paternarum justificationum* revelationes, manifestator et consummator, Dei amicos adducente, et impios exhereditante.* Id est : « Tanquam » B. Petro exsistente « evangelista » ab auctoritate et actu evangelizandi, non a conscriptione Evangelii : juxta quem modum Philippus, unus septem primorum diaconorum, in Actibus vocatur evangelista ; « et omni summo sacerdote » exsistente evangelista hoc modo, id est omni episcopo, præsertim Romano Pontifice, « juxta ipsum », id est secundum potestatem et imitationem Petri, « secundum revelationes paternarum justificationum », id est secundum illuminationes Dei Patris, « factas » in corde Petri, qui est « manifestator », id est declarator veritatum catholicæ fidei, quarum declaratio potissime pertinet ad summum Pontificem (unde et Petrus in sua hortatur Canonica : Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea quæ in vobis est fide et spe), « et con-

(* sanctificationum) (Act. XXI, 8.) (I Petr. III, 15.)

summator », id est perfector dominici gregis : quia perficere est actus hierarchicus, directe ad episcopos pertinens, quanto magis ad summum episcopum? ipso, inquam, episcopo « Dei amicos », id est electos et justos, « adducente » in regnum Dei per hoc quod eos absolvit, « et impios exhereditante », id est, excludente ab hereditate regni superni : quod facere debet cum ingenti discretione ac Dei timore, secundum instinctum et directionem Spiritus Sancti, cujus piissimam gubernationem et illuminationem copiosamque gratiam in omnibus semper implorare ipsum oportet. Ad quod designandum, Christus *Matth.* XVI, 17. insinuavit Petro de revelatione Dei Patris sibi facta, antequam claves has ei promisit ante passionem. Atque post resurrectionem, antequam eas ipsi aliisque Apostolis contulit, dedit eis Spiritum Sanctum *Joann.* XX, 22, 23. per insufflationem : Accipite, inquiens, Spiritum Sanctum ; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, etc.

Præterea, si sacerdotes et præsules clavibus abutuntur, ob hoc Deus non sequitur errores et passiones eorum, nec irreum deserit. Nam et Apostolus tangens hoc : *II Cor.* XIII, 10. Secundum potestatem, ait, quæ data est mihi in ædificationem, et non in destructionem. — Præterea, textus hoc loco intricatus est, quum dicitur, « manifestator et consummator » : pro quo alia habet littera, « manifestatore et consummatore », et ita est planior.

*Sacram enim illam theologiam, ut Eloquia aiunt, non per se ipsum motus, neque carne et sanguine revelantibus, sed a Deo invisibiliter eum propria docente, respondit :* hoc est, S. Petrus « respondit theologiam illam sacram », id est proposi*Matth.* XVI, 16. tionem illam theologicam ac fidelem, Tu es Christus, Filius Dei vivi, ut ait Scriptu- A ra, « non motus per se ipsum », id est non proprio sensu inductus, « neque revelantibus » sibi « carne et sanguine », id est carnalibus suis propinquis, prout illo in loco Evangelista testatur ; « sed *Matth.* XVI, 17. Deo » Patre « invisibiliter » Petrum « docente propria », id est supernaturalem et divinam illam fidei veritatem.

*Divinis ergo summis sacerdotibus,* id est episcopis, imo et aliis quoque presbyteris, *sic et discretionibus,* id est auctoritate separandi malos a bonis, *et omnibus* B *hierarchicis virtutibus,* id est scientia discernendi inter lepram et non lepram, et *Deut.* XVII, 8. ecclesiasticis potestatibus aliis, « sic » *utendum est,* id est, sacerdotes donis illis sic uti debent in ædificationem, non abuti in destructionem, *quomodo consummationis princeps eos Divinitas moverit,* id est, Deus totius auctor perfectionis « moverit eos ». Propter quod tales exhibere se debent Deo, ut mereantur et digni sint in omnibus moveri ab eo. *Aliis autem,* utpote inferioribus ac subditis, *sic in sum-* C *mos sacerdotes in quibuscumque agunt, hierarchice attendendum,* id est, ecclesiastice et auctoritative seu prælatice exhibere se debent, *tanquam a Deo commotos,* id est, verba et censuras illorum sic debent adspicere, quasi simul a Deo sint instigati, bene sentiendo et judicando de ipsis (nisi intolerabiliter et apertissime deviarent) dicente Apostolo : Sic nos existimet *I Cor.* IV, 1. homo, ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei. Inferiorum quippe non est, faciliter suos judices et superio- D res judicare, præsertim quum ad Romanos dicatur : Tu quis es qui judicas alie- *Rom.* XIV, 4. num servum? *Spernens enim vos, ait, me spernit.* Sic namque in Luca ait Salvator : Qui vos audit, me audit ; et qui vos sper- *Luc.* X, 16. nit, me spernit.

# ARTICULUS LXXI

THEORIA EORUM QUÆ SEQUUNTUR ORATIONEM ; ET QUOD INVOCATIONES CONSECRATIONIS NON SINT PROPALANDÆ.

SEQUITUR de mystica ratione eorum A quæ sequuntur orationem pro defuncto in exsequiis fusam.

*Sed redeamus in dictæ orationis consequentiam,* id est ad considerationem sequentium illam. *Perficiens enim eam summus sacerdos, et ipse salutat dormientem,* osculando vultum defuncti, *et deinde præsentes omnes. Delectabilis enim est et honorabilis omnibus deiformibus secundum divinam vitam consummatus,* id est, perfectus in vita deiformi atque salubriter in ea defunctus, venerandus est B et jucundus omnibus bonis, idcirco etiam osculandus post mortem. Ad quod possent rationes illæ adduci quas Damascenus libro quarto inducit de veneratione reliquiarum, quod scilicet corpora sancta fuerunt templa Spiritus Sancti et instrumenta virtutum, et futura sunt splendidissima ornamenta cœlestis Jerusalem.

*Post vero salutationem infundit dormienti oleum summus sacerdos. Memento autem quia secundum sacram theogenesiam,* id est in celebratione seu exhibitione C sancti Baptismi, *ante divinissimum Baptisma,* id est ante ejus completionem, seu actualem intinctionem in aqua, *prima participatio sacri symboli,* id est prima susceptio sensibilis materiæ illico applicandæ, *donatur perficiendo post universalem prioris vestimenti depositionem,* id est, post totius corporis exuitionem datur « prima » illa « participatio », utputa *unctionis oleum,* quo ungitur baptizandus, ut dictum est. *In fine autem nunc omnium,* id est ultimo inter ea quæ circa defunctum D aguntur, *super dormientem oleum infunditur. Et tunc quidem,* videlicet in Baptismo, *olei unctio ad sacra certamina vocat,* id est, designat quod baptizatus deinceps ad spiritualia vocetur « certamina » contra suæ hostes salutis. Hoc autem in sacramento Confirmationis excellentius agitur et signatur, secundum quod ista præhabita sunt. Vocat, inquam, *consummandum,* id est in Baptismo perficiendum, in quo et illuminatio condonatur. *Nunc vero,* puta post mortem, *infusum,* id est superfusum, *oleum manifestat secundum ipsa sacra certamina militantem et consummatum dormientem,* id est, demonstrat defunctum, qui vivit Deo, suscitandus ab ipso cui omnia vivunt, ei ad nutum subjecta, fuisse Deo « militantem », et jam esse « consummatum », et cursum suum complevisse in illo.

*Hic** *perficiens summus sacerdos* exsequiarum officium, *reponit in domo pretiosa corpus,* id est in sepulcro decenti, constituto in domo ad hoc facta vel cœmeterio. Hæc quippe dicuntur de sepelitione atque exsequiis præcipuorum, prout fiebant cum solennitate : neque enim episcopus interesse poterat sepelitionibus singulorum. *Cum aliorum æquipotentum** *sacris corporibus,* id est cum corporibus eorum qui fuerunt consimiles sibi in virtutibus, donis, meritis atque operibus : quemadmodum in Luca fertur de Jesu, quod fuit vir potens in opere et sermone ; *Luc.* XXIV, 19. et in Actibus de Moyse, quod fuit potens *Act.* VII, 22. in verbis et in operibus.

*Si enim in anima et corpore Deo amabilem vitam, qui dormivit, vivebat, pretiosum erit cum sancta anima commilitans ei corpus,* id est, exanime corpus ejus, quod suæ animæ subserviebat, col-

* *Hæc*

* *æque potentum*

laborabat et communicabat, tanquam instrumentum vivum, animatum, conjunctum et proprium, « erit » post mortem « pretiosum » et honoratum, suoque modo particeps honoris animæ, quousque illi denuo junctum vivificetur et glorificetur cum illa, *secundum divinas collocationes,* id est in receptaculis dignis. Nam et locus correspondere debet locato : quod maxime erit in patria. Propterea subditur : *ubi divina justitia cum proprio corpore ipsi donabit retributas quietes,* id est, « ipsi » animæ simul « cum corpore » et in corpore suo ei reunito, retribuet requietiones vere beatas, *tanquam coeunti, et comparticipanti,* id est, corpori veluti coambulanti animæ, et communicanti animæ suæ in actionibus et passionibus. Quemadmodum enim amborum est unum esse, ita et operatio : constituunt quippe unam naturam specificam. Hinc subditur : *sanctæ* * *aut contrariæ vitæ,* hoc est, corpori communicanti animæ suæ in conversatione sancta aut vitiosa.

* *sacræ*

*Propter quod et sacrorum divina legislatio,* id est lex divina, in qua continentur sancta præcepta, salubria documenta, beata promissa, *divinas communicationes ambobus donat,* id est, gloriosas donationes et participationes promittit ac dandas affirmat « ambobus », videlicet corpori et animæ, unicuique ipsorum secundum suam naturam. Hinc additur : *animæ quidem, in pura contemplatione et scientia perfectorum,* id est actuali cognitione divinorum, præsertim in sincera increati objecti notitia, prout apud Joannem loquitur Christus : Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum. Unde concluditur, quod et magnus iste Dionysius felicitatem hominis seu animæ rationalis, essentialiter principaliterque constituit in actu intellectus et visione beata supergloriosissimæ Trinitatis. Quomodo ergo aliqui collocant eam in actu voluntatis ? *Corpori vero, per divinissimum tanquam in imagine unguentum,* id est, corpori in extremis adhibet dignissima sacramenta Extremæ un-

*Joann.* XVII, 3.

A ctionis, *divinæque communicationis,* id est Eucharistiæ, *sacratissima symbola : totum hominem sanctificans,* id est, per sensibilia sacramentalia signa seu « symbola » adhibens homini hæc sacramenta, sicque corpus et animam seu « hominem totum sanctificans », quamvis sacramenta, propter sensibilia symbola sub quibus teguntur ac dantur, quasi prima facie ad corpus specialiter pertinere dicantur, *et universalem ejus salutem sacrificans,* id est, glorificationem ejus totalem ac perfectam in corpore et anima, sacram ostendens, et Deo B adscribens ac offerens, *et consummatissimam ejus* resurrectionem futuram fore denuntians per catholicam sanctificationem,* id est, per sacramentales istas sanctificationes omnibus generales, ipso facto prædicit corporum resuscitationem omnino futuram.

* *ipsius*

*Consummativas autem invocationes,* id est orationes quibus sacramenta et quædam sacramentalia benedicuntur, consecrantur, adjurantur, *non est justum Scri*C*pturas interpretantibus, neque mysticum earum, aut in ipsis operatas ex Deo virtutes, ex occulto ad commune educere :* id est, non convenit « interpretantibus » et exponentibus ac prædicantibus sacra Eloquia, « educere ex occulto ad commune », id est omnibus insinuare, præfatas invocationes, nec occulta earum mysteria, nec « virtutes » et efficacias, quas in eis et per eas operatur Omnipotens, ne sancta et secreta divina perfidorum irrisionibus exponantur, et incapacibus proponantur ; D *sed ut nostra sacra traditio,* id est evangelica doctrina, *habet, sine pompa,* id est absque ostentatione, *eas doctrinis edocens,* id est, mysteria illa veris documentis proponens, non vanis novitatibus gaudens, prout Athenienses dixerunt ad Paulum : Nova quædam infers auribus nostris, volumus ergo scire quæ sit hæc nova quæ a te dicitur doctrina.

*Act.* XVII, 20, 19.

*Et ad diviniorem habitum et anagogen, amore divino et operationibus sanctis perfectus, extra perfectiva illuminatione as-*

*cendet ad excelsissimam earum cognitio-* A *nem* * : id est, proficiet et pertinget « ad habitum diviniorem », id est mysticam theoriam, « et anagogen », id est sursumductivam contemplationem, « perfectus amore divino et » actibus « sanctis, extra », id est supra sensibilia et materialia hujus mundi se elevando, « illuminatione perfectiva », id est ex illuminatione divina ipsum perficiente, « ad excelsissimam » spiritualium rationum istarum notitiam. Per ardentissimum namque amorem ad unitivam atque flammigeram scanditur theoriam, qua salubriter transiliuntur cuncta hæc inferiora, imo et universa creata, fontique sapientiæ mens pura intingitur, ipso potatur, et in eo demergitur.

* *scientiam*

## ARTICULUS LXXII

### QUARE ET QUOMODO PUERI RECIPIANTUR AD BAPTISMUM, ET CUR EIS TRADANTUR SYMBOLA CORPORIS ET SANGUINIS CHRISTI.

DEINDE cuidam admirationi et objectioni satisfacit Theologus.

*Quid autem et pueros nondum divina intelligere valentes, sacre participes fieri divinæ generationis, et sacratissimorum divinæ communicationis symbolorum?* id est, quid est quod infantulos nondum ratione utentes participes facimus divinæ regenerationis et sanctæ communionis? *Videtur quidem (ut ais) immundis,* id est infidelibus, *blasphemo risu dignum:* quem tamen risum, id est derisum, ipsi reputant justum et rationabilem, quia eorum judicio tam insipienter agimus; *si audire non valentes edocent summi sacerdotes divina,* id est, quia infantibus prædicant spiritualia, qui adhuc nequeunt « audire » auribus cordis, de quibus dicitur, Qui habet aures audiendi, audiat; *et non intelligentibus imagines,* id est sacramentalia symbola, seu ipsa sacramenta sub signis et formis sacramentalibus, *tradiderunt sacras traditiones,* id est datas res sanctas. *Et quod adhuc risibilius est,* id est, quod adhuc videtur esse magis derisibile, *quomodo pro eis alii abrenuntiationes dicunt et sacras confessiones?* videlicet patrini adstantes, qui in personis infantium dicunt : Abrenuntio, et Credo.

*Matth.* XI, 15; XIII, 9.

B *Sed oportet* * *tuam hierarchicam intelligentiam non angustari in errantibus,* hoc est, nos volumus et monemus sapientiam tuam vere catholicam, « non angustari », id est non comprimi nec parvi fieri, ex perfidorum errore; *sed et timens,* id est, Deum reverenter formidans, ne de arcanis fidei minus aut plus dicas quam fas est, *simul et eorum luciducatus gratia diligens,* id est, seriosus ad ista objecta solvenda « gratia luciducatus eorum », id est causa ducendi eos in luce sapientiæ C ad fidei veritatem : « diligens », inquam, *defendere,* id est ad defendendum, *adversus pro eis prolatas insidias proponentem,* id est contra « proponentem insidias prolatas », id est prætacta objecta, « pro eis », ad colorandum eorum errorem contra credentes.

* *Oportet autem*

*Et hoc, juxta legem divinam,* id est, id age secundum doctrinam evangelicæ legis, utputa timorate, non præsumendo de tuo ingenio aut tua scientia, *quia non in nostra scientia omnia divina circumscri-* D *buntur,* id est, universa credenda et supernaturalia et ad Deum spectantia, non limitantur, nec comprehensibilia sunt nostro intellectu aut humana notitia, imo et in infinitum deficimus inde. Ideo in Sa-

*Sap.* IX, 16. pientiæ libro asseritur : Difficile æstimamus quæ in terra sunt; et quæ in prospectu sunt, invenimus cum labore : quæ autem in cœlis sunt, quis investigabit? *Job* XLII, 3. Unde sanctus Job : Insipienter, inquit, locutus sum, et quæ ultra modum excederent scientiam meam. Præterea etiam Plato in Timæo hac consideratione deprompsit : Mementote tam me qui loquor, quam vos qui auditis, homines esse; atque ita in rebus sublimibus mediocrem elocutionem, magnum cujusdam esse onus laboris.

*Multa autem a nobis ignotorum, causas habent divinas,* id est, plura horum quæ nobis incognita sunt, « causas habent divinas », id est veras et rationabiles causas, *nobis quidem ignotas, notas vero nostrorum melioribus ordinibus,* id est sanctis *Ps.* L, 8. Apostolis et Prophetis, quibus incerta et occulta sapientiæ suæ manifestavit Deus. *Amos* III, 7. Quorum unus disseruit : Non faciet Dominus verbum, nisi revelaverit secretum suum ad servos suos Prophetas; et alius : II *Cor.* XII, 2, 4. Scio hominem raptum usque ad tertium cœlum, et audivit arcana verba quæ non licet homini loqui. Hinc in Ecclesiaste *Eccle.* I, 8. conscriptum est : Cunctæ res difficiles, non potest eas homo explicare sermone. *Multa autem et excellentissimas essentias latuere,* id est, angelicas mentes latuerunt quamplura de quibus superiores plura et clarius noscunt quam inferiores, et de talibus illuminant illas; certumque est quod superbenedictus et incircumscriptibilis Deus infinite plura scit quam universæ mentes creatæ; *et a sola diligenter cognita sunt sapientissima et sapientifica* D *Deitate* *, quæ alios efficit sapientes, sicut *Eccli.* I, 1. Ecclesiasticus ait : Omnis sapientia a Domino Deo est.

* *Divinitate*

*Verumtamen et de hoc,* id est de ista materia, *ea dicimus quæ quidem deiformes nostri sancti perfectores,* id est Apostoli, *ab antiqua eruditi traditione,* id est ab æterna Sapientia, Unigenito Dei Jesu Christo. Quæ Sapientia in Proverbiis te- *Prov.* VIII, 23. statur : Ab æterno ordinata sum, et ex an- *Marc.* X, 14. tiquis; et in Evangelio loquitur : Sinite A parvulos venire ad me; et, Nisi quis rena- *Joann.* III, 3. tus fuerit, etc. *In nos adducebant,* id est, transfuderunt in nos sua informatione.

*Aiunt enim (quod quidem est verum) quia secundum legem divinam ducti infantes,* id est quod infantes enutriti et gubernati secundum divinæ legis tenorem ab exordio suæ nativitatis, sub cura parentum et disciplina ac informatione, *ad habitum sacrum* * *venient,* id est, in virtutibus excrescent, *omni purgandi errore et immunda vita.* Aliæ litteræ conti- B nent : Omni purgati errore, et liberi et exsortes. Si enim ab originali peccato mundati sint, et deinde bene regantur, fient virtuosi. Nam et Salomon : Prover- *Prov.* XXII, 6. bium (inquit) est : Adolescens juxta viam suam, etiam quum senuerit, non recedet ab ea. Philosopho quoque testante, non parum refert sic vel sic assuesci. Propterea verbum commune est : Quod nova testa capit, hoc inveterata sapit.

* *sanctum*

*Multum hoc divinis nostris ducibus,* id est Apostolis, *in animum veniens,* id est, C ipsi hoc diligenter pensantes, *probaverunt recipi infantes,* id est, infantulos approbaverunt suscipi ad Baptismum, *secundum hunc sacrum modum,* id est juxta hanc formam et conditionem, *ita ut naturales adducendi pueri parentes,* vel alii loco parentum illorum, si forsan non erant superstites, aut infideles parentes, *tradant puerum cuidam eruditorum bonorum* *, id est, puerum baptizatum assignent et committant alicui viro devoto et docto, puta patrino, *in divina,* id est in divinis et credendis sufficienter instructo, *pædagogo,* qui ductor et instructor sit pueri seu puellæ; *et de cetero puerum sub ipso perfici,* id est informari, *tanquam sub divino* *, id est spirituali, *patre et salutis sacræ anadocho,* id est alumno et sursumductori, qui et patrinus vocatur, ab *ana,* quod est sursum, et *duco.*

* *bono*

* *divinissimo*

*Hunc ergo,* puta anadochum, *summus sacerdos confitentem juxta divinam educare puerum vitam,* id est, profitentem quod educabit puerum secundum exigen-

tiam et tenorem vitæ veraciter christianæ, A *repetit abrenuntiationes confiteri et sacras confessiones,* id est, requirit ut ille anadochus ex parte et in persona pueri qui baptizatur, respondeat et dicat : Abrenuntio, et Credo. *Non ut illi forsan ridentes dixerunt,* id est, non ita ut infideles deridentes dicebant, *alium pro alio divina docens,* id est : Baptizans iste non docet eum qui baptizatur infantem, sed alium vice et loco ipsius.

*Neque enim hoc ait sic,* id est, anadochus non dicit, *Ego pro puero abrenun-* B *tiationes aut sacras confessiones facio ; sed, Quia puer abrenuntiat,* id est : Quod ego dico, Abrenuntio, non dico ad hunc sensum, quod abrenuntiatio ista mihi personaliter adscribatur, sed puero huic, cujus quasi os sum ego. Ideo subditur : « sed, Quia puer abrenuntiat ». *Hoc est : Confiteor puerum credere,* id est, quod puer credet actualiter et elicitive, *in sensum sacrum venientem,* id est, dum ad usum venerit rationis, *nostris divinis anagogis,* id est prælatis et hierarchis ei præ- C dicaturis; *abrenuntiare quidem universaliter contrariis, confiteri autem et cooperari divinas confessiones :* id est, ita quod tunc personaliter et « universaliter » seu omnino et per effectum, « contrariis », id est diabolo et pompis ipsius ac ceteris vitiis, abrenuntiabit, et confitebitur sacras « confessiones », videlicet articulos fidei seu contenta sub eis, juxta illud Apostoli : Corde creditur ad justitiam, ore autem (*Rom.* x, 10.) confessio fit ad salutem. Operabitur quoque secundum hanc fidem, et per conversationem fidelem ostendet christianum se esse, quoniam fides sine operibus mortua (*Jacob.* ii, 20, 26.) est. Et ipsemet Christus locutus est : Quid (*Luc.* vi, 46; *Matth.* vii, 21.) dicitis mihi, Domine, Domine, et non facitis quæ dico? Qui et per Malachiam testatus est : Filius honorat patrem suum, (*Malach* i, 6.) et servus timet dominum suum : si ergo pater ego sum, ubi est honor meus? et si Dominus ego sum, ubi est timor meus?

*Nihil ergo (ut æstimo) inconsequens,* id est, nullum inconveniens sequetur ex ritu Ecclesiæ jam expresso, *si secundum divinam puer anagogen educatur,* per ordinationem sui ad Deum ac veram salutem, hoc est per reductionem et sursumductionem sui ad cœlestia et ad ultimum finem; *ducem et anadochum sacrum habens, habitum sibi divinorum insinuantem,* id est necessaria ad salutem, ut fidem, spem, caritatem, et opera, *et custodem a contrariis peritum,* id est, custodientem se* (* illum) ab insidiis et laqueis dæmonum, bene in talibus expertum et eruditum : qui cum Apostolo dicere queat : Non ignoramus cogitationes ejus. (II *Cor.* ii, 11.)

# ARTICULUS LXXIII

## CONCLUSIO LIBRI DE ECCLESIASTICA HIERARCHIA.

T*RADIT autem puerum sacris symbolis summus sacerdos,* id est, sacramentis et sacramentalibus formis applicat et mancipat puerum baptizatum tempore opportuno, dum competenter, vel saltem aliqualiter capax est rationis et informationis atque devotionis; *ut in eis conversetur,* id est, enutriatur et assuescat in ipsis, quo- D niam consuetudo est altera natura, *et neque formetur in vitam alteram nisi divina contemplantem semper,* id est, nequaquam vertatur aut trahatur ad vitam mundanam, sed contemplativam, ne et baptismalem innocentiam perdat, *sociamque eorum,* videlicet divinorum mysteriorum et symbolorum, *in profectibus sanctis factam,* id

est conversationem in spiritualibus actibus occupatam et proficientem, sociam vitæ contemplativæ, ut sit aliquid mixtum de vita activa et contemplativa in ipso fideli, *habitumque sacrum** *in eis validum,* id est exercitationem firmam et promptam, *educatumque pulchre,* id est ab exordio discrete et sapienter corroboratum, *a divino anadocho,* id est devoto fervidoque patrino.

*sanctum

Deinde Theologus cum omni modestia et humilitate tractatum suum compendiose concludit.

*Tanta, o puer, et sic bona nostræ hierarchiæ videntur mihi uniformia spectacula:* id est, o fili Timothee, « spectacula », id est objecta speculabilia ac splendidæ veritates, « nostræ », id est ecclesiasticæ, « hierarchiæ, tanta et sic bona », id est tam multum salubria, ac « uniformia », id est stabilia et simplicia, « videntur mihi », id est, visa sunt mihi, et considerata atque descripta a me in isto volumine. *Ab aliis autem similiter intentius animo non hæc tantum visa sunt :* id est, « ab aliis » doctis fidelibus « visa sunt », id est considerata, « non » solum « hæc intentius », id est, valde intente, « animo », id est intellectu, « similiter », id est fideliter et catholice, sed et alia plura; *lucidiora autem multa et deiformiora,* id est considerationes et speculationes de his clariores et altiores, ac divinæ increatæ notitiæ conformiores.

*Et tibi, ut arbitror, omnino lucebunt,* id est, etiam tibi, ut confido et reor, occurrent et innotescent, videlicet *splendidiores formæ,* id est imagines et similitudines divinorum ac invisibilium puriores et apertiores ; *et divinissimis dictis in ascensionibus utenti,* id est etiam tibi « utenti in ascensionibus dictis divinissimis », id est præinductis considerationibus, quibus et per quas ex materialibus signis et formis scandis et elevas te *ad excelsiorem radium,* id est ad contemplationem immaterialium veritatum, imo et radii increati, qui est Unigenitus Patris, qui est radius luminis sempiterni, fontalis et improducti.

*Trade ergo, o amice, et ipse mihi perfectiori illuminatione,* id est, de his quæ contemplatus es ultra et super me, id est clarius quam ego, communica mihi, et illumina me eminentiori illustratione quam ego te illustravi. Quod est verbum bonæ spei humilisque confidentiæ : et quantum ad aliquid, potuit ita esse, hoc est quoad aliquas particulares illuminationes, considerationes aut contemplationes. Unde subjungitur : *et ostende meis oculis quascumque videre poteris pulchriores formas et uniformiores,* id est similitudines et species ad cognoscendum divina prorsus immaterialia convenientiores.

*Confido enim ex his quæ dicta sunt, ego repositos in te divini ignis accendens usque vapores :* id est, spero quod ex dictis a me in libro hoc, fui « accendens », id est, cor tuum inflammans, « usque vapores ignis divini repositos in te », hoc est usque ad evaporationem ignitorum affectuum ex igne sancti et æstuantis amoris inclusi in superiori tua vi affectiva. Qui tamen affectus magis irrumpunt et ascendunt ex corde humano per modum vaporum, quam candidissimæ flammæ, propter carnis gravedinem et fomitis eruptionem : qui fomes est tanquam mortuum mare.

# ARTICULUS LXXIV

## APPENDIX SEU QUÆSTIONES DE ORATIONIBUS PRO MORTUIS AUT PECCATORIBUS.

POSTREMO, ut dicta in isto capitulo A limpidius intelligantur, aliqua sunt addenda.

Itaque, sicut in textu habetur, orationes vivorum prosunt defunctis in gratia, utputa detentis in purgatorio, sicut et eleemosynæ, et præsertim celebrationes Missarum, ut per exempla probat Gregorius. Quocirca quæritur an ad tale suffragium alteri impendendum, exigatur quod faciens ea exsistat in gratia. De ista materia possent hic multa induci : quæ in textu et commentariis quarti Sententiarum B habentur, in Aurea quoque legenda Sanctorum, in [Officio] de commemoratione omnium fidelium defunctorum, atque in prima secundæ B. Thomæ, ubi tractatur an et quomodo unus valeat alteri gratiam promereri.

IV Sent. d. 46, § Sed quæritur.

Breviter autem tangendo, dico juxta Scripturas, quod nullum moraliter et ex genere bonum manet irremuneratum, nullumque opposito modo malum permanet impunitum. Idcirco, quod isto capitulo scribit Theologus, quod Deus despicit, id est, C non curat et quasi non reputat, deiformium et sanctorum in carne viventium culpas, non est intelligendum quod nullam pro eis satisfactionem requirat, sed quod talium culpas, quæ ex subreptione et humana fragilitate nascuntur, faciliter prorsus indulgeat : et ipsi sancti viri adhuc in sæculo isto viventes, pro illis variis satisfaciunt modis; atque cum hoc in caritate et omni virtute proficiunt abundanter per opera supererogationis, per ferventes divini amoris affectiones ad Deum, per ze- D lum divini honoris, per compunctiones et contritiones assiduas, per orationes indesinentes, per pectoris tunsiones, per frequentiam Orationis dominicæ, atque per cetera generalia contra veniales culpas remedia. Quod si a corpore migrent nondum pro eorum venialibus plenarie satisfacto, etiam post hanc vitam in purgatorio celeriter veniam consequuntur ac liberantur, suffragantibus eis orationibus et meritis, tam Beatorum in patria, quam devotorum in via.

Porro qui non satis custoditi, timorati, et coram Deo solliciti, in venialibus frequenter ac grosse excedunt, nisi in præsenti satisfaciant digne, in purgatorio graviter puniuntur et diu, secundum quod magis aut minus sunt culpabiles. Qui vero de mortalibus suis contriti decedunt satisfactione nondum expleta, adhuc acerbius et diuturnius puniuntur, secundum exigentiam reatus eorum : quibus tamen multipliciter potest succurri, et juxta hoc eorum pœna minoratur et breviatur.

Qui vero in mortalibus moriuntur, ad suffragia sunt inepti. Nihilo minus quidam se occupant ac multipliciter opinantur, utrum et qualiter suffragia generalia seu specialia ipsis prosint. De qua re non oportet immoderate scrutari, quia tam Hieronymus quam Augustinus, ut etiam in Sententiis recitatur, hoc relinquunt sub dubio, an supplicia damnatorum semper maneant æque intensa, ita quod nulla habeant lucidiora mitiorave intervalla, præsertim quum in Psalmo dicatur : Numquid *Ps.* LXXVI, 8-10.
in æternum projiciet Deus, aut non apponet ut complacitior sit adhuc ? aut in finem misericordiam suam abscindet, a generatione in generationem ? aut oblivliscetur misereri Deus ? aut continebit in ira sua misericordias suas ? Sanctus quoque Isaias testatur de reprobis : Congre- *Is.* XXIV, 22.

gabuntur in congregatione unius fascis, et A claudentur in carcere; et post dies multos visitabuntur. Super quæ et consimilia quædam verba, quamvis in uno loco scribat Hieronymus, Nos (inquiens) debemus hoc Deo committere, an pœna damnatorum aliquando terminetur, quod novit quantum et quamdiu puniat peccatores : attamen non obstante hoc verbo, debemus absolute sentire ac firmiter credere quod pœna inferni nunquam totaliter finietur : quod et ipse Hieronymus alibi sæpius protestatur. An vero interdum ad horam, B aliquam interruptionem aut alleviationem sortiantur, securius Deo committitur. Præterea, quod circa hoc Thomas, Albertus et alii quidam absolute affirmant, quod nunquam, securius dicitur quia hoc magis recedit a periculoso errore dicentium quod tandem totaliter finietur : quod nequaquam credendum est. Verumtamen S. Brigitta in Revelationibus suis fatetur, quod nullus in inferno tam dire damnatus est, quin meritis seu precibus misericordissimæ Virginis aliquid relevaminis con- C sequatur.

Amplius, quod in textu asseritur, quod orationes sanctorum etiam in hac vita non prosint indignis, et minus post vitam hanc, cum grandi moderamine est accipiendum. Atque in primis dicendum, quod exsistens in caritate et gratia, non meretur de condigno non exsistenti in caritate gratiam primam, quum illa non detur ex meritis puræ creaturæ. Dispositive tamen et congruentia quadam, secundum quosdam, potest unus alteri gratiam prome- D reri, quemadmodum S. Bernardus contestatur beatissimum Paulum oratione et contactu sacrarum vestium protomartyris Stephani fuisse conversum. Imo meritis et precibus quorumdam præcipuorum Sanctorum, quidam peccatores fuerunt interdum repente ac mirabiliter valde conversi, compuncti, accensi, in tantum quod interior ardor compunctionisque vehementia miro modo per apertissima signa redundabant in corpore. Nec solum id contigit his qui pro se petierunt orari, imo et eis qui restiterunt : quos constat desuper misericordissime esse præventos.

Præterea, opera sacramentalia, ut celebrationes Missarum, prosunt quamvis celebrantes iniqui sint : quoniam sacramenta Ecclesiæ contentiva sunt gratiæ, et prosunt ex opere operante. Similiter, si exsistens in peccato mortali agat ex commissione vel ut instrumentum exsistentis in caritate, prodest defuncto quod agit hujusmodi. Sunt autem diversi gradus indignorum, et expedit ut omnes oremus pro invicem et pro defunctis : quia si fiat ex sola naturali pietate et amicitia, adhuc aliquo modo prodest, quum et S. Eustachius legatur misericordiam consecutus, quia adhuc gentilis et idololatra, fuit valde misericors.

Præterea, quod auctor videtur in littera dicere, quod pueris baptizatis sit Eucharistiæ sacramentum præstandum, exponitur quod non protinus fiat hoc, sed quum fuerint aliquantæ devotionis capaces.

At vero valde pium ac salutare est, defunctis omni modo possibili, assidue ac fervide, tam in speciali quam in generali, succurrere. Quod qui fideliter egerit, fructum et vicem se ex hoc consequi experietur : quoniam et suffragia ista in tantum prosunt defunctis, quantum ipsi in vita hac meruerunt ut ipsis prodessent. Sic item pro tota ecclesiastica hierarchia incessanter devotissime exoremus, celebremus, et quidquid boni poterimus, impendamus et exsequamur, quatenus paulo post ab ejus exsilio ac misero incolatu, ad cœlestis hierarchiæ beatificam et gloriosissimam mansionem feliciter perducamur. Ad laudem et gloriam Omnipotentis, qui est super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen.

# PARAPHRASIS ABBATIS VERCELLENSIS

POST prædicta, tractandum est de exsequiis fidelium quando obeunt : qui ita in morte ut in vita, ab infidelibus et immundis distinguuntur, eo quod vitam sanctam habuerunt, *Hebr.* XI, 13. ad veras Dei promissiones respicientes, et quasi ipsarum promissionum confirmationem, Christi resurrectionem attendentes, cum spe firma et spirituali lætitia ad mortis exitum tendentes, sicut cognoscentes se post agonum suorum consummationem, perfectam et interminabilem vitam et salvationem consecuturos per futuram suam gloriosam resurrectionem universalem. Sanctæ enim animæ, quæ dum hic in corporibus militant, possunt ad B peccata decidere, in sancta resurrectione erunt confirmatæ in bono, et in Dei conformitatem transmutatæ. Munda autem corpora, sanctarum animarum conjuga, cooperantia, et in sanctis laboribus vel tribulationibus concertantia, confirmatis animabus inconversibiliter in divina et æterna vita per primam stolam, accipient gloriosam resurrectionem per stolam secundam. Ipsa enim sancta corpora iterum unita in resurrectione sanctis animabus quibus unita fuerant in hoc sæculo, tanquam Christi membra, deiformem et incorruptibilem et immortalem et beatam accipient vi- C tam. Istorum ergo consideratione, dormitio sanctorum in lætitia et spe immobili pervenit ad finem divinum agonum.

Infidelium autem et reproborum alii putant se omnino destrui et desinere esse in morte, etiam secundum animam. Alii putant animam semel a corpore separatam, nunquam deinde ei conjungendam, quasi corporis conjunctio deiformi vitæ et beatitudini obsistat. Quod ideo putant, quia non intelligunt neque sufficienter ex Scripturis edocentur, quod jam in hoc sæculo deiformem vitam inchoamus quam in cœlo consummabimus. Alii autem D dicunt, quod animæ a corporibus separatæ, aliis corporibus conjunguntur : qui quantum in ipsis est, injuriam faciunt in hoc corporibus quæ cum sanctis animabus contra vitia certaverunt, in eo quod ipsa corpora nitantur privare sanctis retributionibus, quum ipsa cursum laborum sanctorum finaliter consumma- A verint. Alii vero nimis carnaliter sentientes, dixerunt futuram sanctorum beatitudinem similem esse prosperitati sæculi hujus, et alimenta connaturalia; quum ipsi, secundum Evangelium, futuri sint æquales angelis : unde valde inconvenienter hoc asseritur. *Matth.* XXII, 30.

Sed nullus fidelium incidat in istos errores vel consimiles : quin potius se secundum animam et corpus confidant in fine mundi recepturos esse gloriosam resurrectionis retributionem ad imitationem resurrectionis Christi. Et hac consideratione, exituri de corpore, attendunt se appropinquare per carnis dissolutionem ad desideratam incorruptionem; et laudant divina munera, et spirituali dilectione adimplentur, non jam formidantes de cetero lapsum peccati, sed bene scientes quod bona quæ post mortem perceperint, firmiter et æternaliter possidebunt. Sordidi vero et immundi (qui rectam Christi doctrinam perceperunt, et eam propria perversitate repellentes, corruptivis concupiscentiis inhæserunt), quando vitam finiunt corporalem, non ita ut prius contemnunt catholicam doctrinam ; sed pravas delectationes propriarum passionum veracius quam solebant pensantes, et vitam sanctam quam ipsi stulti dereliquerant, beatificantes, nolentes abscinduntur ab hoc sæculo ; neque spem habent futuræ consolationis, quia conscii sibi sunt pravæ vitæ præteritæ, neque purgatæ per veram pœnitentiam. Quare etiam tales, si in fine vere pœnitent, vitam æternam consequentur. Quum autem hæc quæ de immundis diximus, dormitionibus virorum sanctorum non accidant, fidelis justus quando migraturus est de sæculo, in consummatione agonum suorum sancta lætitia adimpletur, et cum delectatione multa tendit ad vitam gloriosæ resurrectionis. Qui vero spiritualiter familiares sunt sancto dormienti et vita conformes, ipsum beatificant, tanquam pervenientem juxta proprium desiderium ad finem inducentem sibi victoriam, et cum cantu gratias agunt de fine, causæ hujus victoriæ, optantes se ipsos venire ad similem finem. Tollentes autem defunctum, ad episcopum deferunt, quasi ad donatorem sanctarum coronarum.

Episcopus vero delectabiliter eum suscipit, et complet ea quæ pertinent ad sanctorum dormitionem.

MYSTERIUM.

Congregans ergo chorum episcopus, si fidelis defunctus fuerit ordinis sacerdotalis, ante altare inclinans ipsum, incipit orationem ad Deum et gratiarum actionem. Si vero fuerit monachus, vel de fideli populo, inclinat ipsum juxta sanctuarium ante introitum sacerdotalem; postea perficit episcopus orationem ad Deum cum gratiarum actione. Deinde ministri legentes in libris sacræ Scripturæ veraces promissiones de sancta nostra resurrectione, decantant psalmos ad ipsam resurrectionem pertinentes. Postea qui primus est inter ministros, scilicet archidiaconus, excludit catechumenos ; et prædicat sanctos qui feliciter dormierunt, rogans præsentem defunctum ipsis sanctis in bonis coordinari ; et adhortatur * cunctos præsentes impetrare defuncto beatam perfectionem in Christo. Post accedens episcopus, orat super eum ; et post orationem osculatur eum qui dormivit, et post episcopum alii præsentes ipsum defunctum osculantur. Deinde episcopus superfundit defuncto oleum sanctum ; et pro omnibus orationem faciens, sepelit defunctum in sanctificato cœmeterio cum aliis sanctis coordinatis sibi, ubi est domicilium defunctorum.

* exhortatur

CONTEMPLATIO.

Sed si increduli viderint vel audierint hæc a nobis fieri, forsitan irridebunt, et nobis quasi errantibus compati videbuntur. Nec mirum : nam ut dicit Isaias, Nisi credideritis, non intelligetis. Unde qui non credunt, non intelligunt. Nos autem intelligibilia mysteria eorum quæ fiunt, visibiliter inspicientes, dicimus quia per hoc quod episcopus eum qui dormit, ad chorum sibi coordinatum inducit et imponit, signat quod omnes fideles cum illis glorificabuntur in resurrectionis præmio, quibus juncti sunt vitæ merito : scilicet, ut qui hic deiformiter et sancte vixerunt, Deum juxta suam possibilitatem imitando, in futuro percipient * divinas et beatas retributiones ; qui vero bona merita habuerint, quamvis imperfecta et inferiora, tamen juxta mensuram meriti recipient mercedem vitæ æternæ. Pro hac igitur justa Dei retributione episcopus gratias agens, orationem facit, et laudat Divinitatem quæ destruit spirituales nequitias nobis injuste et tyrannice resistentes, et nos ad gaudia juste nobis adjudicata perducit. — Cantica vero et lectiones divinas promissiones exprimentia, declarant beatam requiem electorum, in qua æternaliter constituentur qui in divinis præceptis vitam consummant. Requies autem illa eum qui dormivit, suscipit, et viventes ad consimilem consummationem invitat.

*Is.* VII, 9, juxta LXX.

* participant

Inspice autem quod in exsequiis non omnes qui adhuc mundantur, excluduntur, sicut fit in celebratione Eucharistiæ vel chrismatis, sed soli catechumeni et eis inferiores a choro nunc excluduntur. Iste enim gradus omnino ignarus est perfectionis : unde non licet ei inspicere aliquod sacramentum, eo quod catechumeni nondum perceperunt virtutem inspectivam sacramentorum per Baptismum, per quem divinum lumen initiatur et donatur. Reliqui autem gradus eorum qui adhuc mundantur, didicerunt sanctam doctrinam, scilicet pœnitentes, qui a via recta quam didicerant, erraverunt, et iterum pœnitendo ad eam revertuntur ; et ipsi a sublimium divinorum sacramentorum inspectione et communione separantur adhuc : quia si ad aliquod illorum admitterentur, læderentur, et devenirent per hoc ad majorem tam divinorum quam sui contemptum. Convenienter autem adsunt exsequiis pœnitentes docti veritatem, ut attendant et nostræ mortis contemptum, et honores Sanctorum a sacra Scriptura laudatos, et sic errantibus ut ipsi erraverunt, interminabiles tristitias imminere. Utile autem dictis est pœnitentibus, videre fidelem defunctum qui perfectus est, enuntiari et prædicari a diacono, esse communicatorem Sanctorum antiquorum præcedentium. Per hoc enim provocantur et ipsi ut idem desiderent, et doceantur annuntiatione dicti diaconi, beatam esse perfectionem in Christo.

Deinde episcopus orationem facit super defunctum ; et osculatur eum episcopus et omnes præsentes. Oratio autem postulat a Deo ut defuncto dimittat omnia quæ per infirmitatem humanam peccavit, et constituat eum in lumine et regione viventium, et in sinibus Abrahæ, Isaac et Jacob, in loco a quo effugit dolor et tristitia et gemitus. Hac ergo oratione postulantur defuncto beatissima dona quæ

donantur Sanctis in patria. Nihil enim dici potest æquale immortali gloriæ, quæ omnem removet tristitiam, et replet mentes divino lumine, quum retributiones illæ summis designationibus quas dicere vel excogitare non sufficimus aut significare, omni intellectu altiores sint, et ipsæ significationes minus secreta veritate contineant. Vera est enim Scri-
I Cor. II, 9. ptura quæ dicit, Quod oculus non vidit, et auris non audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparavit Deus diligentibus se. Sinus autem sanctorum Patriarcharum et aliorum Sanctorum omnium, sunt divinissimæ et beatissimæ consummatæ quietes, quæ electos omnes suscipiunt ad beatissimam perfectionem sine defectu.

Quæri autem potest, quare episcopus rogat peccata dimitti defuncto, et donari ei beatam Sanctorum communionem. Quum enim justitia divina retribuat in futuro bona et mala quæ gessit in hac vita, et defunctus jam cuncta opera sua finaliter compleverit : quomodo per orationem episcopi aliam retributionem obtinebit, quam ipse meruit per opera quæ fecit in hac vita? Ego autem sacram Scripturam sequens, novi quod unusquisque habebit retributionem in futuro quam hic promeruit.
Job XIX, 8. Dicitur enim : Determinavit Deus apud se;
II Cor. V, 10. et : Portabit unusquisque in corpore secundum ea quæ gessit, sive bonum, sive malum. Quod autem orationes sanctorum non prosint sive in hoc sæculo, sive post mortem, his qui se eisdem orationibus indignos exhibuerunt, Scripturæ sacræ nos docent. Quid enim Sauli profuit oratio Samuelis, aut perverso Hebræorum populo prophetica oratio? Sicut enim si quis sanos et perspicaces habens oculos, petat solaribus radiis illustrari aliquem sibi ipsi oculos eruentem; ita spem vanam concipit qui sanctorum orationes petit, et quasi naturali oppositione excludit sanctas ipsorum operationes, non permittens ipsas orationes in se secundum ipsarum naturam operari, per hoc quod ipse negligit divina dona, et a communibus et bonum conferentibus Dei præceptis recedit.

Dico autem, secundum Scripturas, quod orationes sanctorum utiles sunt in hoc sæculo hoc modo : Si quis dona Dei desiderans, affectum sanctum habens ad ipsorum participationem, tanquam propriam cognoscens parvitatem, rogat aliquem virum justum fieri suum susceptorem et cooratorem; iste consequetur ex his maximam utilitatem, et divina dona percipiet, Deo ipsum exaudiente, mediantibus religiosa sui ipsius cognitione, reverentia in viris justis, laudabili desiderio petitarum orationum convenienti, et deiformi habitu proprio. Divinitus enim decretum est, divina dona dignis ordinate dari per eos qui digni sunt ea tradere. Si quis ergo prædictum modum obtinendi divina dona reprobet, falsa opinione arbitrans se sibi sufficere ad orandum Deum, et sanctos contemnat, aut etiam si petitiones indignas Deo et injustas postulet, et tepide divina dona desideret, et quod sibi non congruit; per propriam culpam privabitur consecutione petitionis imperitæ.

Quid autem de dicta oratione episcopi super defunctum nobis Apostoli tradiderunt, dicere debemus. Episcopus, secundum Scripturam, manifestativus est divinorum judiciorum, juxta illud Malachiæ : Angelus Domini exerci- Malach. II, 7.
tuum est. Didicit ergo episcopus ex sacra Scriptura, quod his qui sancte vixerunt, clarissima et divina vita digne a justissimis legibus retribuitur, divina clementia supportante maculas per humanam infirmitatem contractas : quia nullus est (ut dicit Scriptura) mundus Job XIV, 4, juxta LXX.
a macula. Hæc igitur novit episcopus in Scripturis promissa, et postulat eadem fieri, et dari his qui sancte vixerunt sanctas retributiones : in hoc Deo conformatus benignitate, quod aliorum dona sicut proprias gratias petit; et in eo quod ipse sciens veras promissiones futuras, præsentibus manifestat quod ea quæ ipse petit secundum attestationes Scripturarum, omnino fient his qui in sancta conversatione recedunt*. Episcopus enim, qui * decedunt
recitator est divinæ justitiæ, non postularet nisi Deo placita et a Deo promissa. Propter quod et his qui immunde moriuntur, non ista postulat : non solum quia id faciendo divinæ recitationis ordinem perverteret, et opus aliquod hierarchicum sine divino instinctu præsumptuose exerceret; sed quia injustæ orationis effectum non consequeretur, audiens a sacra Scriptura : Petitis, et non accipitis, eo Jacob. IV, 3.
quod male petatis. Episcopus ergo petit a Deo quæ Deus promisit et diligit, et omnino donabit : et proprium bonum affectum ostendens Deo bonorum auctori; et his qui illi præsentes sunt, manifestans retributiones quæ fient sanctis.

Similiter episcopi claves habent quibus fideles ab immundis segregant, tanquam mani-

festativi divinorum judiciorum : non quod divina omnipotentia irrationabilibus motibus episcoporum obsequatur ; sed quod justi a Deo digne secundum merita discreti, recitative ab episcopis Spiritus Sancti instinctu segregantur, juxta quod Dominus in Apostolis auctoritatem clavium prælatis ecclesiasticis conferens, ait : Accipite Spiritum Sanctum. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta erunt. Et B. Petro divinis illuminato revelationibus, dicit Dominus : Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis ; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis : tanquam Apostolo et consimilibus illi episcopis, secundum factas ipsis divinas divinorum revelationes judiciorum, manifestando et consummando ipsa judicia, assumentibus bonos, et excommunicando expellentibus reprobos. Teste enim Domino, B. Petrus non proprio motu, nec ratione, nec revelatione carnis et sanguinis, sed Deo ipsum intelligibiliter docente, protestatus est : Tu es Christus, Filius Dei vivi. Sic ergo uti debent episcopi excommunicationibus et aliis clavium exercitiis, sicut divina eos inspiratio moverit; et qui episcopis subjecti sunt, eisdem tanquam divina inspiratione motis, deberent obedire, dicente Domino ad Apostolos : Qui vos spernit, me spernit.

*Joann.* xx, 22, 23. — *Matth.* xvi, 19. — *Ibid.* 17. — *Ibid.* 16. — *Luc.* x, 16.

Sed facta digressione, prosequamur quæ sequuntur. Episcopus, completa oratione, osculatur defunctum, et post episcopum, omnes præsentes : quia qui laudabiliter vitam complevit, amabilis est et honorabilis omnibus justis. Attende autem quod in Baptismi celebratione, ille qui baptizatur, in primis oleo sancto inungitur post prioris vestis totalem exuitionem ; dormientibus vero, in fine confertur olei sancti inunctio : hac scilicet ratione, quia baptizandus inungitur quasi certamen aggressurus; dormiens vero, quasi victor certaminum. Deinde episcopus sepelit corpus inter sepulturas fidelium coordinatorum : et merito, quia qui dormivit, et per animam et per corpus Deo devote servivit : unde corpus, quod cum anima concertavit in sanctis laboribus, cum eadem debet communicare retributionem. Et ideo divina justitia retribuet animæ mercedem simul cum corpore suo, quod ei in hac vita cooperatum est, et particeps fuit sive in bona conversatione, sive in mala. Propter quod ecclesiastica constitutio divinitus

A ordinata, tam animæ quam corpori in prædictis insinuat divinas utriusque retributiones : animæ quidem, per contemplationem et spiritualem intelligentiam eorum quæ fiunt, ut supra dictum est ; corpori vero, per unctionem et Eucharistiam, quæ sanctificant totum hominem, et universalem ejus salutem operantur, et per catholicas sanctificationes denuntiant perfectam fore in anima et corpore hominis resurrectionem. — Orationes autem et operationes quæ fiunt in consecrationibus, quas videor omisisse, non debent per scripturam declarari, neque ipsarum mysteria et B virtutes divinæ in ipsis factæ, debent ex occulto in publicum educi ; sed sicut nobis traditum est, tu ea discens doctrinis secretissimis (scilicet divina inspiratione, legendo, meditando, secretius audiendo), ad majorem Dei conformitatem et sursumactionem perfectus in divino amore et sanctis operibus, a divina illuminatione ad ipsorum supremam ascende scientiam.

Item, ut mihi significasti, risu dignum videtur incredulis, quod parvuli non valentes intelligere divina, Baptismum recipiant et Eucharistiam, et quod episcopi illos non valentes C intelligere doceant divina, et vane eis tradant sanctas traditiones, quas ipsi non intelligunt. Et hoc ipsis infidelibus magis irridendum videtur, quod alii pro ipsis pueris faciunt abrenuntiationes et confessiones. Sed non oportet tuam episcopalem discretionem erroribus infidelium conturbari, quin potius cum modestia ad ipsorum illuminationem amabiliter excusare quando ipsi talia improperant, adjiciendo per Scripturarum testimonia, quod non omnia divina a nostra scientia circumscribantur. Multa autem a nobis incognita, causas habent apud Deum convenientes, quas D nos ignoramus, animi vero cœlestes sciunt. Multa etiam summos angelos latent, et a sola divina sapientia cognoscuntur. — Super hoc autem articulo, scilicet de pueris baptizatis, dicimus quod doctores nostri a suis senioribus docti, nobis tradiderunt, scilicet quod infantes ab infantia secundum sanctam et divinam institutionem educati, assuescunt recte vivere, remoti ab erroribus, et ab immunda vita immunes. Unde visum est sanctis Apostolis secundum hunc modum suscipere infantes, ita quod pater et mater pueri traderent eum alicui bono pædagogo in divinis mysteriis, et deinceps puer sub ipso pædagogo

ageret, tanquam sub divino patre et suæ salvationis susceptore. Ab isto ergo pædagogo promittente educare puerum in sancta conversatione, episcopus expetit ut confiteatur abrenuntiationes et sanctas confessiones : non alium pro alio docens divina. Neque pueri pædagogus promittit se abrenuntiare aut confiteri loco pueri, sed quod puer abrenuntiabit et coordinabitur fidelibus, quasi dicens : Promitto me persuasurum puero meis eruditionibus ad mentem sanctam introducto, quod abrenuntiabit illicitis, et confitebitur et operabitur divinas confessiones. Non ergo est inconveniens quod puer secundum divinam sursumactionem educatur, habens ducem et susceptorem inducentem ei habitum divinorum, et custodientem ipsum ab illicitis immunem. — Tradit autem episcopus puero sancta signa, ut enutriatur in ipsis, et non A incurrat aliam conversationem nisi divina semper considerantem, et in profectu fidei et bonorum operum divinis communicantem, et sanctum habitum in prædictis vigentem, et sursumactum a deiformi susceptore tanquam a viro sancto.

Hæc mihi, o Timothee, apparent mysteria sacramentorum hierarchiæ ecclesiasticæ. Aliis autem qui sunt me perspicaciores, non solum prædicta, sed forsitan manifestiora et profundiora apparent mysteria. Et tibi ad radium divinum exercitato dictis gradibus, elucebunt (ut arbitror) pulchritudines splendidiores et B diviniores. Tu autem perfectiorem illuminationem, quum tibi apparuerit, mihi trade, et splendidiora mysteria quæ perspexeris, mihi declara. Confido autem quod per ea quæ in hoc libro scripsi, ego in te repositas divini ignis accendam scintillas.

---

# S. DIONYSII AREOPAGITÆ

# DE ECCLESIASTICA HIERARCHIA

## TRANSLATIO JOANNIS SARRACENI

---

## PROLOGUS

JOANNIS SARRACENI AD MAGISTRUM JOANNEM DE SARESBERIIS, IN LIBRUM DE ECCLESIASTICA HIERARCHIA.

*POST translationem Angelicæ hierarchiæ, translationem Ecclesiasticæ distuli, quia super ea transferenda tuam voluntatem ignoravi. Verebar autem et meorum nimius approbator, et contra Salomonem, liminum amici odiosus frequentator. Verumtamen ad transferendum magister scholarum me commovit, qui ejus hierarchiæ factam a me translationem te approbare, et hujus postulare confirmavit. Eumdem autem modum transferendi in hac hierarchia, quem in Cœlesti, observavi : hoc excepto, quod Latinas dictiones multas pro una Græca positas, non ubique conjunxi, et alicubi sensum potius quam verba sum secutus. Poterit autem aliquem movere, quare placuit Latinorum Ecclesiæ quædam mutare quæ constat virum sanctissimum et ab Apostolis eruditum tradidisse, imo tradita ab antecessoribus suis narravisse, et quare tradita fuerint, rationes ostendisse.*

Prov. XXV, 17.

## CAPITULUM PRIMUM

QUÆ ECCLESIASTICÆ HIERARCHIÆ TRADITIO, ET QUÆ HUJUS INTENTIO.

COMPRESBYTERO Timotheo, Dionysius presbyter salutem. — Quod nostra quidem hierarchia, puerorum sanctorum sanctissime, in Deo manentis et divinæ est et deificæ scientiæ, et operationis, et perfectionis, ex supermundanis et sanctissimis Eloquiis nos convenit demonstrare, his qui sanctæ mysteriorum introductionis perfectione ex hierarchicis mysteriis et traditionibus sunt perfecti. Sed vide ut non extra terminum suum mittas sancta sanctorum. Revereberis autem et ea quæ

sunt occulti Dei, et intellectualibus ac invisibilibus cognitionibus honorabis, non participanda quidem ipsa et immaculata ab imperfectis conservans, sanctis autem solis sancta cum sancta illuminatione, ut decet sanctum, communicans. Ita enim, sicut Theologia divinorum chorum agentibus nobis tradidit, et ipse Jesus (thearchicissima mens et supersubstantialis, qui est omnis hierarchiæ et sanctificationis et divinæ operationis principium, et substantia, et thearchicissima virtus) et beatis et melioribus quam nos sumus substantiis, manifestius simul et intellectualius illucet, et ad proprium lumen ipsas assimilat secundum virtutem; et nostro bonorum amore ad ipsum extento et nos extendente, concludit multas alteritates, et ad uniformem et divinam perficiens vitam, et habitum præterea et operationem sanctos decentem, donat divini sacerdotii virtutem : ex qua ad sanctam venientes sanctificationis operationem, propinquiores quidem ipsi efficiamur his quæ super nos sunt substantiis, per imitationem et manentis et incommutabilis ipsarum sanctæ collocationis, secundum virtutem. Ita autem ad beatum et thearchicum Jesu splendorem respicientes, et quæcumque videre possibile sancte inspicientes, et visionum cognitionis mystica scientia illuminati, sanctificati et sanctificatores, luciformes et deifici, perfecti et perficientes fieri poterimus.

Igitur quæ quidem est hierarchia Angelorum, et Archangelorum, et supermundanorum Principatuum, et Potestatum, et Virtutum, et Dominationum, et divinorum Thronorum, aut coordinatarum Thronis substantiarum, quas Theologia proxime et semper circa Deum esse et cum Deo tradit, Cherubim ipsas Hebræorum voce et Seraphim nominans, ad ornatum * ipsorum et hierarchiarum sanctas ordinationes et divisiones contingens, invenies, in istis nobis laudantibus ipsam hierarchiam, non digne quidem, sed sicut est possibile, et sicut theologia sanctissimarum Scripturarum nos subinduxit. Tantum autem dicere tamen est necessarium, quod et illa, et omnis nunc laudata a nobis hierarchia, unam habet et eamdem per universum hierarchicum negotium virtutem : et ipsum hierarcham, sicut secundum ipsum substantia et proportio et ordo habet, perfici secundum divina, et deificari, et subjectis tradere secundum dignitatem unicuique de ingenita ipsi a Deo sancta deificatione; et subjectos sequi quidem meliores, extollere autem inferiores ad anteriora ; istos autem et antecedere, et ut possibile est, aliis ducatum præbere : et per hanc divinam et hierarchicam harmoniam, vere exsistente pulchro, et sapiente, et bono, participare unumquemque secundum virtutem. — Sed illæ quidem quæ super nos sunt substantiæ et ordines, quorum jam memoriam sanctam fecimus, et incorporales sunt, et intelligibilis et supermundana est ipsorum hierarchia. Nostram autem videmus juxta proportionem nostri ipsorum sensibilium signorum varietate multiplicatam, a quibus hierarchice ad uniformem deificationem in commensuratione secundum nos sursumagamur. Deum autem et divinam virtutem illæ quidem, sicut mentes, intelligunt secundum quod ipsis convenit; nos autem sensibilibus imaginibus ad divinas, sicut est possibile, sursumagimur contemplationes. Verum est autem dicere, unum quidem est quod omnes uniformes desiderant; participant autem non uno modo, eodemque et uno exsistente, sed sicut unicuique divinæ trutinæ distribuunt secundum dignitatem participationem. Sed hæc quidem a nobis in negotio de intelligibilibus et sensibilibus diffusius dicta sunt.

* ornatuum

Nunc autem nostram hierarchiam, et principium ipsius et substantiam, sicut est possibile, dicere tentabo, omnium hierarchiarum et principium et perfectionem Jesum invocans. Est quidem hierarchia omnis, secundum venerabile nostræ sanctæ traditionis, omnis de subjectis sanctus sermo, scilicet universalissima complexio sacrorum hujus hierarchiæ aut illius. Igitur nostra hierarchia dicitur et est comprehensivum

universorum sacrorum, secundum ipsum negotium secundum quod divinus hierarcha perfectus, universorum habebit secundum ipsum sanctissimorum participationem, sicut ab hierarchia denominatus. Sicut enim hierarchiam qui dixit, universorum simul summatim dixit sacrorum ornatum ; ita hierarcham dicens, monstrat et in Deo manentem et divinum virum, qui est omnis sanctæ peritus cognitionis, in quo et munde secundum ipsum hierarchia omnis perficitur et cognoscitur.

Hujus est principium hierarchiæ, fons vitæ, substantia bonitatis, una exsistentium causa Trinitas, ex qua et esse et bene esse est exsistentibus propter bonitatem. Huic autem exsistenti supra omnia thearchicissimæ beatitudini, quæ est trina, quæ est unitas, quæ vere est, secundum quod nobis quidem est incomprehensibile, ipsi autem scibile, voluntas quidem est, rationabilis salvatio et earum quæ sunt secundum nos et quæ super nos substantiarum. Hæc autem aliter fieri non potest, nisi deificentur qui salvantur. Deificatio autem est, ad Deum, sicut est possibile, et assimilatio et unitio. Universæ autem hic communis hierarchiæ finis, et ad Deum et divina intenta dilectio, et divine et unitive sanctificata, et ante hoc, a contrariis perfecta et inconvertibilis recessio, et cognitio exsistentium secundum quod exsistentia sunt, et sanctæ veritatis et visio et scientia, et uniformis perfectionis divina participatio, et ipso uno, sicut est possibile, quæ est ex inspectione cibatio, nutriens intelligibiliter, et deificans omnem ad ipsam extentum.

Dicimus igitur quod thearchica beatitudo, quæ est natura Deitas, quæ est principium deificationis, ex qua* est deificari his qui deificantur, bonitate divina, hierarchiam ad salvationem et deificationem omnium rationalium et intellectualium substantiarum dedit. Et supermundanis quidem et beatis finibus, et immaterialiorem et intellectualiorem : non enim ab exterioribus ipsas Deus ad divina movet, sed et intelligibiliter, et intus illuminatas ipsas in splendore puro, et immateriali divinissimo consilio. Nobis autem, quod illis unitive et concluse datum est, ex Eloquiis a Deo traditis, sicut nobis est possibile, in varietate et multitudine divisibilium signorum donatum est. Substantia enim nostræ hierarchiæ, sunt a Deo tradita Eloquia. Venerandissima autem Eloquia ista dicimus, quæcumque a divinis nostris sanctitatis perfectoribus, nobis in hagiographis et theologicis donata sunt libris, et quæcumque etiam ab eisdem sanctis viris immaterialiori doctrina et vicina quodammodo jam cœlesti hierarchiæ, ex mente ad mentem, per medium sermonem corporalem quidem, sed immaterialiorem tamen, extra scripturam, duces nostri docti sunt.

* quo

Neque ista divini hierarchæ, ad sanctificationis commune, non velatis intelligibilibus, sed in signis sanctis tradiderunt. Est enim non omnis sanctus, neque omnium (ut Eloquia dicunt) cognitio. Necessario igitur primi nostræ hierarchiæ duces, a supersubstantiali Thearchia et ipsi adimpleti sancto dono, et ad sequentes ipsum producere a thearchica bonitate missi, et ipsi etiam, ut divini, copiose amantes inferiorum sursumactionem et deificationem, sensibilibus imaginibus supercœlestia, et varietate et multitudine conclusum, et in humanis divina, et in materialibus immaterialia, et in nostris supersubstantialia, scriptis ipsorum et non scriptis doctrinis secundum sanctas nobis dederunt leges : non immundorum causa solum, quibus neque signa tangere licet ; sed quoniam et significativa quædam est, quod dixi, juxta proportionem nostri ipsorum, nostra hierarchia, indigens sensibilibus, ad diviniorem nostri sursumactionem ex ipsis ad intelligibilia.

I *Cor.* VIII, 7.

Revelatæ autem tamen sunt signorum rationes divinis sanctitatis perfectoribus, quas non licet educere ad illos qui adhuc sunt perficiendi, scientibus quod sacrorum juxta traditionem legislatores Dei, ornatuum firmis et incommixtis ordinationibus, et

proportionalibus et sanctis distributionibus convenientis secundum dignitatem uniuscujusque, hierarchiam ordinaverunt. Quocirca et tuis sanctis confessionibus persuasus (nam memorare ipsas religiosum est), quod de universa quidem superposita hierarchica, sancta locutione non tradas alteri, præter coordinatos tibi deiformes sanctitatis perfectores. Et ipsis persuadebis confiteri, secundum legem hierarchicam, ut munda quidem munde tangant, communicent autem solis divinis deifica, et perfecta perfectivis, et sanctis sanctissima. Et alia hierarchica tibi et hoc tradidi divinum donum.

# CAPITULUM II

## DE HIS QUÆ FIUNT IN ILLUMINATIONE.

DICTUM est igitur a nobis sancte, quod hæc est nostræ hierarchiæ intentio, ad Deum nostra, ut est possibile, assimilatio et unitio. Hanc autem, sicut docent Eloquia, venerandissimorum præceptorum dilectionibus et sanctis operationibus solum consequemur. *Joann.* XIV, 23. Servabit enim, dicit, diligens me sermonem meum ; et Pater meus diliget ipsum, et ad ipsum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. Igitur, quod est principium venerandissimorum præceptorum sanctæ operationis? Quod ad aliarum sanctarum locutionum et sanctificationum susceptionem opportunissime format animales nostros habitus, quod ad supercœlestis finis sursumactionem nos conducit, quod sanctam et divinissimam nostram regenerationem tradit. Sicut enim nobilis noster dux dixit, secundum mentem ad divina primus motus, dilectio est Dei; sanctæ vero dilectionis, qui est ad sanctam operationem divinorum præceptorum principalissimus processus, est essendi divine nos ineffabilissima dispensatio. Si enim esse divine est divina generatio, nequaquam aliquid noscat a Deo traditorum, neque etiam operetur, qui neque esse in Deo habuit. Annon et nobis (humane dicimus) exsistere convenit primum, postea operari ea quæ sunt secundum nos? Quod enim nullo modo est, neque motum, sed neque essentiam habet; illud vero quod aliquo modo est, illa solum operatur aut patitur, in quibus est natum. Sed hoc quidem, sicut arbitror, planum est. Consequenter autem divina Dei generationis inspiciemus signa. — Et mihi nullus imperfectus ad visionem eat. Etenim neque splendoribus quos sol parit, infirmis pupillis intuitum figere, est sine periculo; neque ad hæc quæ sunt super nos conari, est sine læsione : si vera est secundum legem hierarchia, Oziam quidem avertens, quoniam sanctis manum apposuit; Core vero, quoniam his sanctis quæ erant super ipsum; Nadab autem, quoniam propriis immunde abusus est. (*II Par.* XXVI, 19, 20. *Num.* XVI, 1-33. *Lev.* X, 1, 2.)

### MYSTERIUM ILLUMINATIONIS.

*I Tim.* II, 4. Hierarcha quidem semper, per hoc quod se Deo assimilet, cunctos homines volens salvari, et ad cognitionem veritatis venire, prædicat omnibus ea quæ vera sunt Evangelia : Deum misericordem exsistentem his qui sunt in terra, ex propria et naturali bonitate ipsum ad nos venire propter amorem hominum dignatum, et uniendo ipsi ad

similitudinem ignis assimilare unita, secundum ipsorum ad deificationem aptitudinem. Quotquot enim receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus : qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. — Qui autem istorum supermundanorum diligit sanctam participationem, veniens ad aliquem doctum mysteriorum, suadet quidem ipsum ducem fieri viæ ad hierarcham. Ipse autem totaliter se obsecuturum promittit quæ tradentur ; et rogat, et adductionis ipsius et universæ secuturæ vitæ magisterium recipere. Illum autem, salvationem quidem illius sancte amantem, sed ad rei altitudinem contra metientem humanum, fremitus quidem subito et stupor circumdant. Postremo autem se facturum tamen quod petitum est, benigne confitetur ; et assumens ipsum, agit ad denominatum a hierarchia. — Ille vero cum lætitia sicut super humeros ovem recipiens virum, veneratur quidem prius per intellectualem gratiarum actionem et corporalem adorationem, unum cujus est bonum operari principium, a quo vocantur quæ vocantur, et salvantur quæ salvantur. Deinde omnem sanctum ornatum, ad cooperationem quidem viri salvationis, et consolennitatem, et gratiarum actionem divinæ bonitati, ad sanctum chorum congregans, in principio quidem hymnum quemdam Eloquiis positum simul cum omnibus ecclesiæ plenitudinibus decantat. Post hæc sanctam osculatus mensam, ad virum præsentem procedit, et quærit ab ipso, quid volens venit. Illo autem cum Dei amore, secundum susceptoris traditionem, accusante impietatem, ignorantiam vere pulchri, a divina vita cessationem, rogante autem per sanctam ipsius mediationem Deum et divina consequi, testificatur quidem ipsi debitum totalem fieri accessum, sicut ad perfectissimum et immaculatum exsistentem Deum. Et quæ in Deo est, ipsi conversationem recitans, et interrogans an ita sit conversaturus, post confessionem imponit ipsius capiti manum ; et signans, præcipit sacerdotibus describere virum et susceptorem.

*Joann.* I, 12, 13.

*Luc.* XV, 4, 5.

*Rom.* VIII, 30.

Qui quum descripserint, orationem sanctam facit ; et hanc quum universa cum ipso ecclesia compleverit, solvit quidem ipsum, et exuit per ministros. Deinde statuens ad occidentem attendentem, et manus impingentem ad eamdem conversas regionem, præcipit quidem ipsi exsufflare ter Satanam, et amplius ea quæ sunt abrenuntiationis confiteri. Et ter abrenuntiationem ipsi testificatus, postquam confessus fuerit ter, ipsum traducit ad orientem ; et ad cœlum respicientem, et manus extendentem, præcipit coordinari Christo et omnibus a Deo traditis sanctis Eloquiis. Quum autem hic et hoc fecerit, testificatur rursus ipsi ter confessionem ; et rursus ipso ter confesso, orans benedicit, et manu tenet. — Et perfecte quum exuerint eum ministri, portant quidem sacerdotes unctionis sanctum oleum. Ille vero unctionem per trinam signationem incipiens, de cetero sacerdotibus virum ungere per totum corpus tradens, ipse ad matrem filiorum positionis venit. Et hujus aquam sanctis invocationibus quum sanctificaverit, et tribus sanctissimi unguenti ad modum crucis effusionibus ipsam perfecerit, et in unguenti sanctissimis immissionibus æquali numero sanctam melodiam inspirationis Deo acceptorum Prophetarum simul superenuntiaverit, præcipit virum apportari. Et quum quidam sacerdotum ex descriptione et ipsum et susceptorem prædicaverit, ille quidem a sacerdotibus in aqua agitur ad hierarchæ manum ab ipsis manuactus. Hierarcha vero desuper stans, clamantibus rursus sacerdotibus ad hierarcham in aqua nomen ejus qui perficitur, ter quidem ipsum baptizat, tribus ejus qui perficitur depositionibus et elevationibus trinam divinæ beatitudinis superclamans Personam. Et assumentes illum sacerdotes, tradunt adductionis susceptori et duci ; et cum ipso circumponentes vestem ei qui perficitur convenientem, rursus agunt ad hierarcham. Ille vero deificentissimo unguento virum signans,

participem decernit perfectissimæ Eucharistiæ. — Hæc autem ubi perfecerit, a processu ad secunda, rursus ad primorum extenditur contemplationem, sicut nullo tempore aut modo, in alieno quodam præter propria conversus, sed a divinis ad divina attente et semper thearchico Spiritu traductus.

### CONTEMPLATIO.

Hæc quidem est, sicut in signis, sanctæ perfectio Dei generationis, nihil inconveniens aut immundum, neque sensibilium habens imaginum, sed dignæ Deo contemplationis ænigmata, naturalibus et homines decentibus speculis imaginata. Quid enim videatur peccare, etsi divinior sermo eorum quæ fiunt taceatur, persuasibilitate et contemplatione accedentis bonam vitam sancte negotiata, et universæ simul malitiæ purgationem per virtutum vitam et divinam, per aquam naturali purgatione corporalius ipsi denuntians? Hæc igitur eorum quæ fiunt significativa traditio, etsi nihil divinius haberet, non immunda esset, ut arbitror, doctrinam quidem bene positæ vitæ inducens, perfectam autem purgationem conversationis quæ fuit in malitia, totaliter corpore mundato naturaliter per aquam, significans. Sed sit quidem hæc imperfectis introductiva animæ actio, et hierarchica et uniformia a multitudine, sicut est fas, distinguens, et commetiens particularibus ordinationibus convenientem actionem. Nos autem ascensionibus sanctis ad eorum quæ fiunt principia respicientes, et ista sancte docti, cognoscemus quorum characterum sunt expressiones, et quorum occultorum imagines. Nam sicut in negotio de intelligibilibus et sensibilibus plane enuntiatum est, quædam quidem sensibiliter sancta, sunt intelligibilium imaginationes, et ad ipsa introductio et via; intelligibilia vero, sensibilium hierarchicorum principium et scientia.

Dicimus igitur quod est divinæ beatitudinis bonitas semper secundum eadem et eodem modo [se] habens, proprii luminis bonum operantes radios extendens copiose ad omnes intellectuales visiones. Sive igitur recedat ab intelligibili lumine intellectualium spontanea propria potestas, malitiæ amore claudens naturaliter insitas ipsi ad illuminandum virtutes, suspenditur a præsenti ipsi lumine non recedente, sed supersplendente ipsi oculos claudenti, atque aversæ ab accurrente benigne. Sive supersiliat terminos visibilis mensurate ipsi dati, et ad splendores qui sunt super visionem ipsius, contra inspicere audacter conetur : lumen quidem operabitur præter ea quæ sunt luminis nihil ; ipsa autem perfectis imperfecte se ingerens, quæ non sunt propria quidem non consequetur, id autem quod est secundum mensuram inornate contemnens, per se ipsam eo privabitur. Verum, quod dixi, benefice semper intellectualibus visionibus divinum lumen est extentum, et est in ipsis sumere de præsente ipso, et semper ad Deo convenientem propriorum traditionem exsistente paratissimo. Ad hanc divinus hierarcha figuratur imitationem, luciformes ipsius divinæ doctrinæ splendores copiose ad omnes extendens, et accedentem illuminare ad Dei imitationem paratissimus exsistens, non invidia, neque immundo furore de priori apostasia aut intemperantia utens, sed divine semper accedentibus per ipsius illuminationes hierarchice elucens in bono ornatu, et ordinatione, et proportione commensurationis uniuscujusque ad sancta.

Sed si bonæ ordinationis principium divinum est, secundum quod sui ipsarum sunt cognitrices sanctæ mentes, qui ad proprium visibile naturæ recurrit, in principio qui-

dem quis ipse est, videbit ; et hoc sumet ex respectu ad lumen primum sanctum donum. Qui autem propria bene non compatientibus oculis inspexerit, ab obscuris quidem claustris ignorantiæ recedet, Dei autem perfectissimam unitionem et participationem imperfectus ipse exsistens, non per se concupiscet ; paulatim vero per ea quæ sunt priora ipso, ad amplius priora, et per illa ad prima, et perfectus, ad summitatem thearchicam in ordine et sancte sursumagetur. Hujus est bene ornatæ et sanctæ ordinationis imago, accedentis verecundia, et eorum quæ sunt secundum ipsum cognitio, viæ ad hierarcham susceptorem habens ducem. Ita sursumactum divina beatitudo ad sui ipsius participationem recipit, et de proprio lumine sicut quodam signo ipsi tradit, divinum faciens, et communicatorem in Deo manentium adimpletionis et sanctæ ordinationis. Quorum est signum sanctum, ab hierarcha accedenti data signatio, et sacerdotum salutaris descriptio, his qui salvantur ipsum connumerans, et memoralibus sanctis reponens cum ipso et susceptorem, sicut vivificæ ad veritatem ambulationis : hunc quidem amatorem verum et sequacem ducis in Deo manentis ; illum vero certum sequentis manuductorem ducalibus a Deo traditis.

Sed non est summe contrariis simul participare, neque communionem quamdam ad unum habentem, divisibiles habere vitas, si ab unius obtinetur forti participatione, sed esse teneri impotentem et inordinabilem in omnibus ab uniformi divisionibus. Quod signorum traditio sancte significans, accedentem sicut priori vita exuens, et usque ad ultimas habitudines illius solvens, nudum et discalceatum statuit ad occidentem adspicientem, et manuum impactione obscuræ militiæ exprobrantem communiones, et ingenitum ipsi dissimilitudinis habitum sicut exsufflantem, et totales confessum abrenuntiationes ad deiformis contrarium. Ita perfecte impotentem teneri ipsum, et incommunicabilem factum, ad orientem traducit, in divino lumine et statum et respectum fore munde in perfecta a malitia recessione denuntians, et sanctas ipsius uniformis facti totalis consensus ad unum confessiones cum amore veritatis recipiens.

Sed est manifestum alicubi, ut arbitror, hierarchicorum peritis, quod assiduis in fortitudine ad unum surrectionibus, et contrariorum totalibus mortificationibus et consumptionibus, invariabile deiformis habitus firmat intellectualia. Non enim recedere solum oportet a malitia universa, sed et viriliter inflexibilem esse, et interritum semper ne perdite submittatur ad ipsam ; neque in fine sancti amoris veritatis aliquando fieri, sed attente et æternaliter ad ipsam secundum virtutem extendi, ad perfectiora thearchiæ sursumactionem sancte semper negotiantem. Vides autem istorum manifestas imagines in his quæ hierarchice fiunt. Nam deiformis quidem hierarcha incipit sanctam unctionem ; sacerdotes vero in ipso perficiunt unctionis sanctam operationem, ad sanctos agones, in figura, eum qui perficitur evocantes. In quibus sub positore certaminum Christo factus (quoniam sicut Deus, est certaminum positionis creator ; sicut sapiens autem, leges ejus posuit ; operatus est autem, ut pulcher, convenientia vincentibus præmia ; et quod est adhuc divinius, quoniam sicut bonus, in certatoribus factus est, cum ipsis sancte pro ipsorum libertate et victoria, adversus mortis et corruptionis certans potestatem), certaminibus quidem, sicut divinus * qui perficitur, superveniet gaudens ; manebit autem in Sapientis legislationibus, et secundum ipsas intransgressibiliber certabit ad pulchrorum præmiorum spem, fortiter se habens, sub bono certaminum positionis Domino et duce ordinatus. * divinis

Superveniens autem divinis vestigiis certatorum primi propter bonitatem, ad Dei imitationem certaminibus luctans contra contrarias sibi ad deificationem et operationes et essentias, ut mystice dicatur, cum Christo moritur peccato, secundum Ba-

ptismum. Et mihi prudenter intende cum quanta familiaritate habent se sancta signa. Etenim, quoniam mors est in nobis, non substantiæ consumptio, secundum quod videtur aliis, sed unitorum discretio ad nobis occultum agens, animam quidem, sicut in privatione corporis invisibilem factam, corpus vero, sicut in terra coopertum, aut secundum aliam quamdam corporalium variationem, ex visione secundum hominem occultatum; proprie per aquam totaliter coopertio, ad mortis et sepulcri invisibilis imaginem accepta est. Igitur sancte baptizatum significativa doctrina docet tribus in aqua depositionibus et elevationibus, thearchicam trium dierum et noctium sepulcri Jesu vitæ datoris imitari mortem, sicut est possibile hominibus Dei imitativum : in quo, secundum verbi mysticam et occultam traditionem, nihil invenit mundi princeps. — Deinde autem luciformes vestes imponunt ei qui perficitur. Etenim virili et deiformi contrariorum impassibilitate et consensu ad unum in fortitudine, inornatum ornatur, et informe formificatur, luciformi universaliter vita splendidum factum. — Unguenti vero perfectiva unctio, bene olentem facit perfectum : etenim sancta Dei generationis perfectio unit perfectum hierarchico spiritui. Intelligibiliter autem bene olere facientem et perfectivum superadventum ineffabilissimum exsistentem, cognoscere intellectualiter dimitto dignis habitis sancta et deifica communione divini Spiritus in mente. — In fine vero omnium, hierarcha ad sanctissimam Eucharistiam vocat perfectum, et de communione perfectivorum mysteriorum ipsi tribuit.

*Joann.* XIV. 30.

# CAPITULUM III

### DE HIS QUÆ FIUNT IN CONGREGATIONE.

SED euge, quoniam hujus mentionem fecimus, quoniam transcurrenti non est fas hierarchicorum aliquid aliud ante hanc laudare. Etenim est, secundum gloriosum nostrum ducem, perfectionum perfectio. Et oportet ante alias ipsam sancta scriptura exponentem, ex divina et hierarchica scientia secundum Eloquia, ad sanctam ipsius sursumagi hierarchico Spiritu contemplationem. Et primum quidem istud sancte inspiciemus, cujus gratia quod est commune et aliis hierarchicis perfectionibus, excellenter ipsi præter reliquas attribuitur, et singulariter enuntiatur et communio et congregatio, unoquoque sanctitatis perfectivo negotio et divisibiles nostras vitas ad uniformem deificationem congregante, et divisibilium deiformi conclusione, ad unum communionem et unitionem donante. Dicimus autem quod aliorum hierarchicorum signorum participationibus perfectio est ex hujus thearchicis et perfectivis donis. Non enim est fere aliquam perfici perfectionem hierarchicam, nisi divinissima Eucharistia in capitulo particulariter factorum sanctificante congregationem perfecti ad unum, et dono a Deo tradito perfectivorum mysteriorum, perficiente ipsius ad Deum communionem. Si ergo unaquæque hierarchicarum perfectionum imperfecta quidem exsistens, ad unum nostri communionem et congregationem non perficiet, et esse perfectionem propter imperfectum ablatum est, finis autem universæ et capitulum, est thearchicorum mysteriorum ei qui perficitur traditio; convenienter hierarchica prudentia nominationem ipsi propriam ex rerum veritate adinvenit. Ita igitur et sanctam Dei generationis perfectionem, quoniam primum lumen tribuit, et omnium

est principium divinarum illuminationum, ex eo quod fit, vera illuminationis nominatione laudamus. Si enim et aliis commune est hierarchicis lumen sanctum dare his qui perficiuntur, sed ipsa primum videre dedit mihi, et per hujus principalissimum lumen ad aliorum sacrorum inspectionem illuminor. Hæc autem dicentes, respiciemus et videbimus hierarchice secundum unumquodque diligentem sanctissimæ perfectionis sanctificationem et contemplationem.

### MYSTERIUM CONGREGATIONIS SIVE COMMUNIONIS.

Hierarcha quidem orationem sanctam super divinum altare perficiens, ex ipsa thurificatione incipiens, ad omnem venit sancti chori ambitum ; resolvens autem rursus ad sanctum altare, incipit a sancta psalmorum melodia, concinente ipsi psalmorum sancta eloquia omni ecclesiastico ornatu. Deinceps autem per ministros hagiographorum librorum lectio consequenter fit. Et post istos ejiciuntur sancto ambitu catechumeni, et cum ipsis energumeni, et qui sunt in pœnitentia. Manent autem ii qui sunt divinorum inspectione et communione digni. Ministrorum vero alii quidem stant juxta sanctuarii portas conclusas ; alii autem aliud quid propriæ ordinationis operantur. Ministerialis vero ornatus electi, cum sacerdotibus super sanctum altare apponunt sanctum panem et benedictionis calicem, quum prius confessa fuerit omnis ecclesiæ plenitudo catholicum hymnum. Ad quos divinus hierarcha orationem sanctam facit, et sanctam pacem universis denuntiat. Et osculatis se invicem universis, mystica sanctarum tabularum prædicatio perficitur. Et postquam laverint manus aqua hierarcha et sacerdotes, hierarcha quidem in medio divini altaris constituitur ; circumstant autem soli cum sacerdotibus ministrorum electi. Et sanctas divinas operationes hierarcha perficiens, sanctificat divinissima, et sub visum agit laudata per signa sancte proposita. Et dona divinarum operationum demonstrans, ad communionem sanctam ipsorum et ipse venit et alios adhortatur. Participans autem thearchica communione et tradens, in gratiarum actione sancta desinit : multis quidem ad sola divina signa inclinatis, ipso autem semper thearchico Spiritu ad sancta eorum quæ fiunt principia, in beatis et intelligibilibus visionibus hierarchice in munditia deiformis habitus sursumacto.

### CONTEMPLATIO.

Veni igitur, o puer pulcher, post imagines, in ordine et sancte ad deiformem archetyporum veritatem, illud adhuc perficiendis ad consonam ipsorum introductionem dicens, quod neque signorum varia et sancta compositio inutilis ipsis exsistit, et usque ad exteriora apparens solum. Etenim sanctissimæ quidem Eloquiorum odæ et lectiones, doctrinam ipsis virtutum vitæ subinducunt, et ante hoc, perfectam corruptivæ malitiæ purgationem. Divinissima vero unius et ejusdem et panis et calicis communis et pacifica traditio, et victum similem ipsis in Deo manentem, sicut simul alimenta sumentibus, decernit ; et divinissimæ Cœnæ et principis signorum eorum quæ fiunt, ad memoriam sanctam agit : quemadmodum et ipse signorum creator segregat justissime non sancte et uno victu cum ipso sancta cœnatum, docens et religione simul et ut con-

venit Deo, quod secundum habitum verus ad divina accessus, ad simile ipsorum communionem accedentibus largitur.

Igitur hæc quidem, sicut dixi, in adytorum portubus pulchre descripta, imperfectis adhuc ad contemplationem sufficientia relinquentes, introeamus a causatis ad causas secundum sanctam nostram congregationem, et convenientem intelligibilem, Jesu illuminante, videamus contemplationem beatam, splendere facientem manifeste archetyporum pulchritudinem. Sed, o divinissima et sancta perfectio, circumpositis tibi significative velaminibus ænigmatum discooperta, splendide nobis demonstrare, et intellectuales nostras visiones unitivo et discooperto lumine adimple.

Igitur oportet nos intra sanctissima, ut arbitror, intelligibile primi insignium demonstraturos, ad deiformem ipsius pulchritudinem intendere, et hierarcham divine videre a divino altari usque ad ultima sancti chori cum bono odore euntem, et rursus ad ipsum perfective restitutum. Nam quæ est super omnia thearchica beatitudo, etsi bonitate divina procedit ad participantium ipsa sanctam communionem, sed non extra immobilem secundum substantiam, stationem et collocationem fit. Omnibus autem deiformibus proportionaliter illucet, circa se ipsam vere exsistens, et a propria totaliter non mota identitate. Eodem modo divina congregationis perfectio, etsi singulare et simplex et conclusum habens principium, ad sanctam tamen varietatem signorum benigne multiplicatur, et usque ad omnem vadit hierarchicam imaginum scriptionem ; sed uniformiter ex istis rursus ad propriam unitatem congregatur, et unit ad ipsam sancte sursumactos. Secundum autem eumdem deiformem modum divinus hierarcha, etsi unitivam ipsius hierarchiæ scientiam benigne ad subjectos deponit, sanctorum ænigmatum multitudinibus utens, sed rursus sicut absolutus et a minoribus non valens comprehendi, ad proprium principium sine minoratione restituitur ; et ad unum sui ipsius intellectualem faciens introitum, videt mundas eorum quæ perficiuntur uniformes rationes, benigni processus ad secunda finem, ad priora diviniorem conversionem faciens.

Psalmorum vero decantatio coexsistens omnibus fere hierarchicis mysteriis, non debuit suspendi ab omnium principalissimo. Etenim omnis quidem sanctus et hagiographus liber, aut ex Deo generativam essentiam et ornatum, aut legalem hierarchiam et conversationem, aut divini populi hereditatum distributiones et possessiones, aut judicum sanctorum aut regum sapientium aut sacerdotum divinorum prudentiam, aut veterum virorum in varietate et multitudine contristantium inconcussam in patientia philosophiam, aut agendorum sapientes suppositiones, aut divinorum amorum cantica et divinas imagines, aut futurorum hypopheticas prænuntiationes, aut viriles Jesu divinas operationes, aut ipsius discipulorum a Deo traditas et Dei imitativas conversationes et sanctas doctrinas, aut occultam et mysticam inspectionem discipulorum dilecti et mirabilis, scilicet supermundanam Jesu theologiam, ad deificationem opportunis narravit, et sanctis perfectionum et deiformibus sursumactionibus corradicavit. Divinarum vero odarum sancta scriptura intentionem habens et theologias et divinas operationes universas cantare, et divinorum virorum et sancta eloquia et sanctas operationes laudare, universalem facit divinarum odarum recitationem, ad omnis hierarchicæ perfectionis susceptionem et traditionem habitum proprium faciens ipsam divine cantantibus. Quando igitur comprehensiva sanctissimorum decantatio animales nostros habitus concorditer disposuit ad ea quæ paulo post sunt sanctificanda, et divinarum odarum consonantia et ad divina et ad se ipsos et ad alios invicem consensum, sicut una et confessa sacrorum chorea, constituit ; concisa et coadumbrata magis in intellectuali psalmorum decantatione, per plures et planiores

imagines et enuntiationes dilatantur sanctissimis hagiographorum tractatuum lectionibus. In istis qui videt sancte, videbit uniformem et unam inspirationem sicut ab uno thearchico Spiritu motam. Unde convenienter in ornatu post antiquiorem traditionem novum Testamentum prædicatur : divina et hierarchica ordinatione illud (ut arbitror) monstrante, quod illa quidem dixit futuras Jesu divinas operationes, hoc vero perficit ; et quod illa quidem imaginibus veritatem scripsit, hoc autem præsentem monstravit. Illius enim prænuntiationum, secundum istud perfectionis operatio, veritatem scire fecit ; et est Theologiæ divina operatio complexio.

Qui istorum quidem buccinas non senserunt universaliter, neque sanctarum perfectionum imagines vident, impudenter negantes salutarem Dei generationis doctrinam, et contra Eloquia perdite loquuntur : Vias tuas scire nolo. Catechumenos autem, *Job* XXI, 14. energumenosque, et in pœnitentia exsistentes, sanctæ hierarchiæ lex permittit quidem audire psalmorum decantationem, et divinam sanctissimarum Scripturarum lectionem. Ad consequentes autem sanctificationes non convocat istos, sed perfectos perfectionem operantium oculos. Est enim deiformis hierarchia justitia sancta plena, et secundum dignitatem unicuique salvatorie distribuit convenientem uniuscujusque divinorum participationem, in commensuratione et proportione secundum tempus sancte donans. — Ideo ultimus quidem catechumenis attribuitur ordo. Sunt enim non participes et indocti omnis hierarchicæ perfectionis, neque secundum divinam ordinationem in Deo habentes essentiam, sed adhuc a paternis eloquiis in lucem educti, et vivificis formationibus compositi ad principem vitæ et principem luminis et beatam adductionem ex Dei generatione. Sicut igitur semiperfecti et non formati secundum carnem infantes præexcidunt a propria in lucem eductione, sicut abortiones et extrusiones, et ingenitum et sine vita et sine lumine in terra casum habebunt. Et non aliquis sapiens ad apparens adspiciens, dicat ad lumen istos produci a tenebris ventris abductos. Dicet enim corporum perita magistra medicina : Lumen operabitur ad susceptiva luminis. Ita et sacrorum omnisapiens scientia, prius quidem ipsos formativorum et vivificorum eloquiorum introductione sicut alimento in lucem educit ; perficiens antem ad Dei generationem ipsorum essentiam, dat ad salutem ipsis in ordine ad luciformia et perfectiva communionem. Nunc autem sicut ab imperfectis distinguit perfecta, et bonum ornatum sacrorum providens, et catechumenorum in lucem eductionem, et vitam in deiformi hierarchicorum ordine. — Multitudo vero energumenorum immunda quidem est et ipsa, secunda autem ad superius a catechumenorum est extremitate. Neque enim æquale est, ut arbitror, perfecte indocto et divinarum perfectionum summe non participi, quod participationem quamdam sanctissimarum habuerit perfectionum. Adhuc autem contrariis aut seductionibus aut turbationibus est superatum. Sed ad illos sanctissimorum visio et communio contrahitur, et maxime convenienter. Si enim est verum quod universaliter divinus vir qui est divinorum dignus communicator, ad summum deiformium secundum ipsum in perfectis et perfectivis deificationibus sursumactus, neque ea quæ sunt carnis operabitur præter valde necessaria secundum naturam, et hoc, si contingat, præter studium, templum autem simul et sequax thearchici Spiritus erit in summitate secundum ipsum, in simili simile collocans ; non quidem talis aliquando a contrariis vexabitur aut phantasiis aut morsibus. Ridebit autem illa, et accedentia expugnabit et persequetur, et faciet magis quam patietur. Et cum proprii habitus impassibili et irremissibili, et aliis medicus videbitur talium vexationum. — Arbitror autem ego cum hoc, magis autem novi plane, quod hierarchicorum mundissima discretio, ante istos novit vexatos immundissima operatione quicumque a deiformi recedentes vita, et consentientes et conviventes perditis fiunt

dæmonibus : vere quidem exsistentia, et immortaliter creata, et æternorum exempla, propter ultimam et sibi ipsis perditam imprudentiam avertentes; materialem autem et plurimæ passionis variationem, et destructivas et corruptivas delectationes, et infirmam, in alienis, non exsistentem sed apparentem suavitatem, concupiscentes et operantes. Igitur isti primi, et magis proprie quam illi, a ministri discretiva voce excluduntur. Non enim est fas ipsis alio quodam sancto participare, quam Eloquiorum conversiva ad meliora doctrina. Si enim divinorum supermundana sanctificatio, et in pœnitentia exsistentes, quamvis ad ipsam jam effectos, abigit, quod non est perfecte sanctum non assumens (acclamat autem et hoc castissime, quod Et secundum aliquid ad deiformis summum imperfecte infirmitatem patientibus, invisibilis sum et incommunicabilis : expellit enim secundum omne mundissima vox et non potentes conjungi, a divinissimorum communicatoribus dignis) ; multo magis passibiliter vexatorum multitudo immunda erit, et ab omni aliena sacrorum inspectione et communione.

Postquam autem facti sunt extra divinissimum templum et excedentem ipsos sanctificationem : perfectionum indocti et imperfecti; et cum ipsis, a sancta apostatæ vita; et consequenter post istos, qui a contrariorum morsibus et phantasiis propter timiditatem facile patiuntur, sicut per sortem et irremissibilem consensum ad divina non pervenientes ad deiformis habitus immobile et activum; postea cum ipsis, qui a contraria quidem recesserunt vita, nondum autem et a phantasiis ejus, habitu et amore divino et mundo, sunt purgati; et post ipsos, qui non sunt perfecte uniformes, et ut legaliter dicatur, immaculati et incontaminati perfecte : tunc sanctissimi sanctissimorum sanctificatores, et videndi amatores, sanctissimam perfectionem ut decet sanctos inspicientes, laudant hymno catholico beneficum et cujus est bonum dare principium, a quo salutares nobis demonstratæ sunt perfectiones, sanctam eorum qui perficiuntur deificationem sancte operantes. Hymnum autem istum alii quidem confessionem vocant; alii vero Religionis symbolum; alii autem (ut arbitror) divinius, hierarchicam eucharistiam, sicut comprehensivam donorum a Deo [in nos] provenientium. Videtur enim mihi laudatarum omnium divinarum operationum negotium circa nos factum esse : substantiam quidem nostram et vitam benigne constituens ; et archetypis pulchritudinibus deiforme nostrum formans, et in participatione divinioris habitus et sursumactionis statuens; providens autem ex negligentia ingenitum nobis desertum divinorum donorum, et superstructionis nos bonis ad antiquum revocare; et perfecta nostrorum assumptione, perfectissimam propriorum traditionem benigne operari, et ita communionem nobis Dei et divinorum dare.

Ita autem thearchica benignitate sancte laudata, coopertus quidem divinus panis apponitur, et benedictionis calix. Divinissimum autem osculum sancte agitur, et hagiographarum tabularum mystica et supermundana enuntiatio. Non enim est ad unum congregari, et pacifica unitione unius participare, ad se ipsos divisos. Si enim ab unius contemplatione et cognitione illuminati, ad uniformem divinam congregationem uniamur, non quidem ad divisibiles sustineamur decidere concupiscentias; ex quibus materiales et passibiles inimicitiæ creantur adversus id quod secundum naturam est conforme. Igitur hanc, ut arbitror, uniformem et indivisibilem vitam, pacis sanctificatio decernit, simili simile collocans, et a divisibilibus distinguens divinas et unitivas visiones. Sanctarum autem tabularum post pacem prædicatio, prædicat illos qui sancte vixerunt, et ad virtutum vitæ perfectionem intransmutabiliter pervenerunt : nos quidem ad beatissimum habitum et deiformem finem, per similitudinem ipsorum præparans et manuducens; illos autem ut viventes prædicans, et sicut Theologia dicit,

non mortuos, sed ad divinissimam vitam ex morte translatos. Inspice autem quod et memorialibus sanctis reposita sunt, divina memoria non humane in memorabili phantasia monstrata, sed sicut aliquis dicat, ut decet Deum, secundum pretiosam et intransmutabilem cognitionem in Deo perfectorum et deiformium. Novit enim, dicunt Eloquia, qui sunt ejus ; et, Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus : morte Sanctorum dicta pro perfectione in sanctitate. Et hoc autem sancte intende, quod superpositis divino altari venerandis signis per quæ Christus significatur et participatur, adest indistanter Sanctorum descriptio, conjunctum ipsorum supermundanæ et sanctæ unitionis ad ipsum indivisibiliter manifestans.

*Joann.* v, 24.
II *Tim.* II, 19.
*Ps.* CXV, 15.

Istis autem secundum legem dictam sanctificatis, stans hierarcha cum venerabili sacerdotum ordine ante sanctissima signa, aqua manus lavat : quoniam quidem, ut Eloquia dicunt, qui lotus est, non indiget quadam alia, nisi summorum, id est extremorum sui ipsius, ablutione. Per quam summam purgationem, in castissimo deiformis habitu, et ad secunda procedens benigne, erit teneri impotens, et absolutus, sicut perfecte uniformis ; et ad unum rursus unitive conversus, in quo incoinquinatam et immaculatam faciat conversionem, sicut deiformis salvans plenum et integrum. Igitur sacrum lavacrum, ut diximus, in hierarchia secundum legem, nunc autem hierarchæ et sacerdotum manuum mundatio, idem significant. Etenim ad sanctissimum euntes sacrificium, mundari convenit et ab ultimis animæ phantasiis, et ad ipsum accedere per similitudinem, secundum quod est possibile. Nam ita manifestioribus Dei apparitionibus circumilluminabuntur, supermundanis splendoribus ad conformium speculorum claritatem totaliorem et lucidiorem dimittentibus transire proprium fulgorem. Hierarchæ autem et sacerdotum usque ad summum, id est ultimum, ablutio, fit ante sanctissima signa, sicut ante Christum inspicientem omnes nostras occultissimas intentiones. Et suprema mundatione in ipsius omnia inspicientibus diligentiis, et justissimis et non corruptibilibus judiciis, definita, ita divinis hierarcha unitur ; et sanctas divinas operationes laudans, sancte operatur divinissima, et sub visum agit laudata.

*Joann.* XIII, 10.
III *Reg.* VII.

Igitur quas quidem ad nos esse divinas operationes dicimus, consequenter est narrandum secundum virtutem. Non enim universas laudare sufficiens ego, nedum plane videre, et alios docere. Quæcumque autem a divinis hierarchis juxta consequentiam Eloquiorum laudantur et sanctificantur, hæc (ut nobis est possibile) dicemus, hierarchicam inspirationem adjutricem invocantes. Humanam naturam a principio a divinis bonis insipienter prolapsam, multæ passionis vita subsequitur, et corruptivæ mortis finis. Consequenter enim a vera bonitate perdita apostasia, et sanctæ legislationis in paradiso transgressio, recalcitrantem a vivifica lege, seductivis et inimicis contrarii deceptionibus contrariis divinorum bonorum, [et] propriis motibus tradiderunt. Inde miserabiliter pro æterno quidem mortale commutatum est ; proprium autem principium in corruptivis generationibus habens, ad principio convenientem acta est finem. Sed et a divina et sursumagente vita voluntarie decidens, ad contrariam extremitatem inducta est, scilicet multæ passionis variationem. Errans autem, et a recta via (quæ est ad vere exsistentem Deum) aversa, et destructionis et in malum operantibus multitudinibus subjecta, decepta est, non diis neque amicis, sed inimicis famulans. Illis autem crudeliter ipsa secundum propriam crudelitatem abutentibus, ad consumptionis et destructionis miserabiliter incidit periculum. Thearchicæ autem bonitatis infinitissima benignitas, per se operantem nobis conveniens in bono nostri non recusavit providentiam ; sed in vera participatione nostrorum omnium facta sine peccato, et humili nostro unita cum propriorum inconfuso et immaculato perfecte habitu, ad

*Hebr.* IV, 15.

ipsam nobis communionem sicut ejusdem generis de cetero donavit, et propriorum monstravit participes bonorum, apostaticæ quidem multitudinis (sicut occulta traditio habet) quæ contra nos erat, solvens potestatem : non secundum virtutem, sicut super-
*Jer.* XXIII, 5; *Ps.* CXVIII, 121. potens ; sed secundum mystice nobis traditum Eloquium, in judicio et justitia. Nostra autem ad contrarium omne benefice transtulit. Nam nostræ mentis quidem obscurum implevit copioso et divinissimo lumine, et informe deiformibus ornavit pulchritudinibus. Animæ autem habitaculum in perfecta salvatione nostræ substantiæ jam pene casuræ, immundissimis passionibus et corruptivis inquinationibus liberavit, sursumactionem nobis supermundanam monstrans, et conversationem divinam in nostris factis, secundum quod est possibile, assimilationibus ad ipsam. Dei imitativum autem quomodo aliter nobis ingignatur, nisi sanctissimarum divinarum operationum memoria renovata semper hierarchicis decantationibus et sanctificationibus ? Hoc enim faci-
*Luc.* XXII, 19. mus, ut Eloquia dicunt, in ipsius memorationem. Inde divinus hierarcha super divinum altare stans, laudat dictas sanctas operationes divinas Jesu, qui est divinissima nostra providentia, quas ad salvationem generis nostri, complacito sanctissimi Patris, in Spiritu Sancto (secundum Eloquium) perfecit.

Postquam autem laudavit, et venerandam et intelligibilem ipsarum contemplationem intelligibilibus oculis inspexit, ad significativam ipsarum sanctificationem venit : et hoc, ut a Deo traditum est. Unde et religiose simul et hierarchice, post sanctos hymnos divinarum operationum, pro sanctificatione quæ est super ipsum, se excusat,
*Ibidem.* prius sancte ad ipsum clamans : Tu dixisti, Hoc facite in meam commemorationem. Postea postulans dignus fieri hoc sacrificio quod fit ad Dei imitationem, et ad ipsius Christi imitationem divina perficere et distribuere castissime, et sacris participaturos, ut convenit sanctis participare, sacrificat divinissima, et sub visum agit dicta proposita sancte signa. Etenim coopertum et indivisibilem* panem discooperiens et in multa dividens, et unitivum calicis omnibus partiens, significative unitatem multiplicat et distribuit, sanctissimum in istis sacrificium perficiens. Etenim quod est unum et simplex et occultum Jesu thearchicissimi Verbi, inhumanatione secundum nos, ad compositum et visibile invariabiliter bonitate et benignitate provenit, et ad ipsum nostram unificam communionem benefice operatus est, nostra humilia divinissimis ipsius secundum summum uniens : siquidem et nos sicut membra corpori coaptemur ipsi secundum idem immaculatæ et divinæ vitæ, et non corruptivis passionibus mortificati, non coaptati, et non cohærentes, et non convenientes efficiamur divinis membris et sanissimis. Oportet enim nos, si communicare ipsi desideramus, ad divinissimam ipsius secundum carnem vitam respicere, et nos ipsi assimilando in sancta immunitate peccati, ad deiformem et immaculatum habitum recurrere. Ita enim convenienter nobis ad simile communionem largietur. Hæc per sancte facta hierarcha manifestat : cooperta quidem dona ad manifestum agens ; unitivum autem ipsorum in multa dividens, et divisorum unitione ad ea in quibus fit secundum summum, communicatores ipsorum faciens participantes. Describit enim in istis sensibiliter sub visum agens sicut in imagine Jesum, qui est Christus, qui est intelligibilis nostra vita, ex occulto secundum divinum perfecta et inconfusa secundum nos inhumanatione benigne ex nobis formatum, et ad divisibile nostrum invariabiliter ex eo uno quod est secundum naturam, procedentem, et per beneficam hanc benignitatem, ad participationem sui ipsius et propriorum bonorum vocantem humanam tribum, si uniamur ipsius divinissimæ vitæ, nos ipsi secundum virtutem assimilando. Et ita in veritate communicatores Dei et divinorum efficiemur.

* individuum

Participans autem et tradens thearchicam communionem, in gratiarum actione

sancta desinit cum omni ecclesiæ sancta plenitudine. Etenim participatio traditionem præcedit, et mysticam distributionem, mysteriorum assumptio. Hic enim est catholicus divinorum bonus ornatus et ordo, primum in participatione et impletione fieri sanctum ducem eorum quæ per ipsum a Deo aliis sunt donanda, et ita et aliis tradere. Propter quod et divinis doctrinis audacter abutentes ante conversationem secundum ipsas et habitum, immundi et extranei a sancta sunt legislatione : quia, sicut in solaribus splendoribus subtiliores et clariores substantiæ primæ influente fulgore adimpletæ, lumen supereffusum secundum omnem partem ipsarum ad sequentes ad modum solis supervehunt ; ita et in divino omni non est audendum aliis ducem fieri, qui secundum omnem habitum in ipso non est factus deiformior, et a divina inspiratione et judicio adaptator demonstratus. In istis omnibus sanctorum ornatus hierarchice congregatus, et divinissimis communicans, cum gratiarum actione sancta desinit, divinarum operationum proportionaliter et cognoscens et laudans gratias. Quare divinorum non participes et nescii, non quidem ad gratiarum actionem pervenient, quamvis secundum propriam naturam dignis exsistentibus divinis donis, ut de ipsis gratiæ referantur. Sed, quod dixi, neque prospicere aliquando ad divina dona, ex consensu ad pejora, volentes, ingrati ad infinitas divinarum operationum permanserunt gratias. Gustate, dicunt Eloquia, et videte. Nam sancta divinorum doctrina docti, *Ps.* XXXIII, 9.
magnorum munerum exsistentes ipsorum cognoscent gratias, et divinissimam ipsorum altitudinem et magnitudinem in participatione sanctissime inspicientes, supercœlestia bene gratias agendo laudabunt thearchice beneficia.

# CAPITULUM IV

### DE HIS QUÆ FIUNT IN UNGUENTO, ET DE PERFICIENDIS IN IPSO.

TANTA sanctissimæ congregationis sunt, et ita pulchræ intelligibiles visiones, ad unum nostri, ut multoties diximus, hierarchice et sancte operantes communionem et congregationem. Sed est huic coordinata altera perfectionis operatio. Unguenti perfectionem ipsam duces nostri nominant. Partes itaque ejus in ordine secundum sanctas imagines inspicientes, ita ad unum ipsius per partes hierarchicis contemplationibus sursumagemur.

#### MYSTERIUM PERFECTIONIS UNGUENTI.

Secundum eumdem congregationis modum, imperfectorum solvuntur ordines, præcedentibus videlicet et hierarchica circumitione beneolenti ad omnem sanctum chorum, et psalmorum decantatione, et divinissimorum Eloquiorum lectione. Postea unguentum hierarcha sumens, superponit divino altari circumvelatum duodecim alis sanctis, clamantibus cunctis sanctissima voce sanctam inspirationis Deo acceptorum Prophetarum melodiam. Et super ipsum factam orationem adimplens, in sanctissimis sanctificandorum perfectionibus ipso utitur ad omnem fere hierarchicam perfectionis operationem.

CONTEMPLATIO.

Igitur introductiva quidem perfectivæ hujus sanctificationis sursumactio, per ea quæ fiunt sancte in divino unguento, illud (arbitror) monstrat, circumvelari divinorum virorum quod est secundum mentem, sanctum et beneolens : quæ divine præcipit sanctis viris non apparentes habere in gloria vana, secundum virtutem occulti Dei pulchras et beneolentes assimilationes. Nam immaculati sunt Dei occulti et super mentem beneolentes decores, et intelligibiliter manifestantur solis sanctis, conformes habere volentes, secundum virtutem in animabus incorruptas imagines. Nam quod est deiformis virtutis incircumscriptum bene imitans insigne, adspiciens ad intelligibilem illam et beneolentem pulchritudinem, ita sibi ipsi format et componit ad optimam imitationem. Et quemadmodum in sensibilibus imaginibus, si archetypam formam scriptor indeclinabiliter inspicit, ad nihil aliud visibilium tractus aut secundum aliquid divisus, ipsum illum qui est scriptus (si est fas dicere) duplicabit, et monstrabit alterutrum in alterutro, præter substantiæ differentiam ; ita amantibus pulchritudinem in mente scribentibus, ad beneolentem et occultam pulchritudinem intenta et indeclinabilis contemplatio, non erroneam et deiformissimam dabit similitudinem. Convenienter igitur ad supersubstantialiter beneolentem et intelligibilem decorem, divini scriptores intellectuale ipsorum inconvertibiliter formantes, nullam faciunt exsistentium in ipsis ad Dei imitationem virtutum, ad hoc ut videantur (secundum Eloquium) hominibus ; sed sancte inspiciunt, sicut in imagine, divino unguento ea quæ sunt Ecclesiæ sanctissima circumvelata. Propter quod et ipsi, quod est secundum virtutem sanctum et deiformissimum, intra mentem Deum imitantem et a Deo scriptam sancte circumvelantes, ad solum respiciunt archetypum intellectum. Neque enim invisibiles solum sunt dissimilibus, sed neque ipsi ad illorum trahuntur visionem. Unde secundum consequentiam sui ipsorum, neque apparentiam sui ipsorum, neque apparentia vane pulchra et justa, sed vere exsistentia amant. Neque ad opinionem inspiciunt a multitudine irrationabiliter beatificatam ; sed pulchrum aut malum in se ipso ad Dei imitationem judicantes, in signa divina thearchicissimi sunt boni odoris, qui in se ipso verum beneolens habens, ad hoc quod multis dissimiliter apparet, non convertitur, veris ipsis imaginibus informans non fictum.

*Matth.* VI, 1.

Age igitur de cetero, quoniam exteriorem decorem conspeximus pulchræ hujus sanctificationis, ad diviniorem ipsius respiciamus pulchritudinem, ipsam in se ipsa revelatam velaminibus conspicientes, beatam resplendere facientem a se ipsa claritatem, et non velato intellectualibus bono odore nos adimplentem. Neque enim apparens unguenti perfectionis operatio, his qui sunt circa hierarcham est incommunicabilis aut invisibilis ; sed econtrario usque ad ipsos perveniens, et stare faciens eam quæ est super multos contemplationem, ab ipsis sancte circumvelatur, et a multitudine hierarchice distinguitur. Etenim divinis viris sanctissimorum radius, sicut cognatis intelligibilis, munde et immediate elucens, et intellectuales ipsorum susceptiones non circumvelate beneolere faciens, ad subjectum non jam similiter procedit ; sed ab ipsis sicut occultis intelligibilis lucis contemplatoribus, inegressibiliter (ut a dissimilibus non contaminetur) sub alatis ænigmatibus cooperitur : per quæ sancta ænigmata subjectorum bene ornati ordines sursumaguntur ad sanctam secundum ipsos proportionem.

Igitur est quidem, quod dixi, nunc laudata a nobis sancta perfectionis operatio, perfectivi hierarchicorum ordinis et virtutis. Propter quod et hanc divini duces no-

stri, sicut coordinatam congregationis sanctæ perfectioni et idem operantem, eisdem imaginibus, in multis, et mysticis ornatibus et decantationibus ordinaverunt. Et hierarcham quidem similiter videbit a diviniori loco pulchrum bonum odorem ad sequentia sancta proferentem, et resolutione ad ipsum docentem divinorum participationem universis quidem sanctis ingigni secundum dignitatem, non minorabilem autem esse, et immobilem omnino, et intra proprietatem secundum divinam collocationem incommutabiliter stantem. Æqualiter autem rursus, Eloquiorum odæ et lectiones imperfectos quidem educunt ad vitam ferentem filiorum positionem; conversionem autem sanctam faciunt immunde vexatorum. Auferunt autem contrarium timorem et attractionem ex timide vexatis, quod est deiformis habitus et virtutis summum, juxta proportionem suam, ipsis monstrantes : secundum quam expellent magis ipsi contrarias virtutes, et aliorum medicinæ magisterium obtinebunt, ad Dei imitationem immobile quidem ex propriis bonis, adversus autem contrarios tumultus, activum non habentes solum, sed et dantes. His autem qui ad mentem sanctam ex pejoribus transierunt, habitum sanctum imponunt, ut non rursus a malitia capiantur. Illos autem qui non sunt omnino casti, perfecte mundant. Sanctos autem agunt ad divinas imagines, et inspectiones ipsarum et communiones. Cibant autem sanctissimos, in beatis et intelligibilibus visionibus adimplentes uniforme ipsorum uno et unientes.

Quid autem? Numquid et non omnino mundos ordines, quorum jam mentionem fecimus, munde solvit, secundum eumdem congregationis modum, præsens nunc sancta perfectionis operatio, in solis sanctis imaginibus visa, et a solis sanctissimis immediate hierarchicis sursumactionibus inspecta et sanctificata? Hæc quidem igitur multoties jam a nobis dicta, superfluum est, ut arbitror, eisdem revolvere verbis, et non ad sequentia transire, hierarcham divine videntes sub duodecim alis habentem coopertum divinum unguentum, et sanctissimam in ipso perfectionem sancte operantem. Dicimus igitur quod unguenti compositio, congregatio quædam est bene spirantium materiarum, in se ipsa large habens qualitates beneolentes, qua participantes bonis odoribus afficiuntur secundum proportionem quantitatis ingenitæ ipsis beneolentis participationis. Credimus autem esse thearchicissimum Jesum substantialiter beneolentem, intelligibilibus distributionibus divinæ delectationis intellectuale nostrum adimplentem. Si enim sensibiliter beneolentium susceptio delectari facit, et nutrit cum delectatione multa nostrorum olfactuum discretivum, si et illæsum sit, et ad beneolens in commensuratione conveniens; proportionaliter aliquis dicat, et intellectuales nostras virtutes adversus subjectionem ad pejus incorruptibiliter dispositas, in naturali fortitudine nostri discretivi, secundum deificas mensuras et convenientem mentis ad divinum conversionem, in susceptione thearchici boni odoris fieri, et delectatione sancta impleri et divinissimo alimento. Igitur unguenti significativa compositio, sicut in formatione non formabilium, ipsum nobis describit Jesum fontanam exsistentem copiam divinarum beneolentium susceptionum, proportionibus hierarchicis ad deiformissima intellectualium reddentem divinissimas fragrantias, in quibus mentes suaviter delectatæ, et sanctis susceptionibus adimpletæ, alimento intelligibili utuntur, scilicet introitu beneolentium distributionum ad intellectuale ipsorum secundum divinam participationem.

Est autem (ut reor) manifestum, quod substantiis quæ sunt super nos, sicut divinioribus, fontani boni odoris redditio propinquior quodammodo est, et magis se ipsam manifestat et distribuit, ad deiformissimum ipsorum, et bene habens secundum mentem susceptivæ virtutis, copiose supermanans et multipliciter intrans. Subjectis autem intellectualibus, et non similiter susceptibilibus, supremam quæ est super virtutem

immaculate abscondens visionem et participationem, proportionalibus participantium fragrantiis, in commensuratione thearchica distribuitur. Igitur sanctarum substantiarum super nos exsistentium Seraphim ordo tantum superpositus, in duodenario alarum significatur, circa Jesum stans et collocatus, beatissimis ipsius visionibus, sicut est fas, intuitum figens, et intelligibili distributione sancte in castissimis susceptionibus adimpletus, et multum laudabilem, ut sensibiliter dicatur, non tacentibus buccis clamans theologiam. Nam sancta supermundanarum mentium cognitio, et infatigabilis est, et indesinentem habet divinum amorem, et ponitur super malitiam universam et oblivionem. Unde, ut æstimo, non tacens clamor, significat æternam ipsorum et intransmutabilem, in fortitudine omni et gratiarum actione, divinorum scientiam et intellectum.

*Apoc.* IV, 8.

Igitur incorporales quidem Seraphim proprietates, in Eloquiis, sensibilibus imaginibus intelligibilium manifestativis, sancte descriptas, in ornatibus cœlestium hierarchiarum, sicut arbitror, bene conspeximus, et tuis intellectualibus oculis demonstravimus. Tamen, quoniam et nunc hi qui circa hierarcham sancte stant, illum ipsum nobis figurant supremum ornatum in compendio, et nunc immaterialissimis visionibus deiformissimam ipsorum claritatem videamus. Igitur infinitas quidem vultuum ipsorum, et multiplicitas pedum, manifestativum est, ut æstimo, ipsorum proprietatis multum videntis ad divinissimas illuminationes, et semper mobilis et multum ambulabilis intellectuum divinorum bonorum. Alarum autem, sicut Eloquia dicunt, expansam positionem, non numerum sanctum significare puto, secundum quod videtur aliis; sed quod prima, et media, et ultima intellectualium et deiformium virtutum ipsius exsistentis circa Deum supremæ substantiæ et ordinis, sursumactiva et absoluta perfecte sunt et supermundana. Unde Eloquiorum sanctissima sapientia alarum formationem describens, circa vultus et media et pedes ipsorum ponit alas, universale alatum ipsorum significans, et largissimum virtutis sursumactivæ ad vere exsistens. Si autem vultus et pedes velant, et solis volant mediis alis, intende quod supremarum substantiarum tantum elevatus ordo, reverens est circa intellectibus suis altiora et profundiora; et mediis alis in commensuratione ad Dei visionem sursumagitur, divinis legibus supponens propriam vitam, et ab ipsis intellectualiter dispositus ad sui ipsius cognitionem. Quod autem in Eloquiis dictum est, quod clamabat alter ad alterum, illud reor monstrare, quod de intellectibus ipsorum Dei inspectivis sibi invicem copiose tradunt.

*Ezech.* I, 5-10. *Is.* VI, 2. *Ibidem.* *Ibid.* 3.

Et hoc autem sancta dignabimur memoria, quod Eloquiorum Hebræa vox, secundum manifestam nominationem, vocat sanctissimas Seraphim substantias, ex hoc quod sunt igneæ et superferventes secundum divinam et immobilem vitam. Si igitur, sicut Hebræorum vocem interpretantes dicunt, divinissimi Seraphim incendentes et calefacientes a Theologia nominati sunt, manifestativo substantialis ipsorum habitus nomine, divini unguenti, secundum significativam imaginum scriptionem, virtutes habent sursummoventes ad manifestationem ipsarum *, et magis operantium fragrantiarum distributionem evocantes. Etenim substantia super mentem beneolens, ab igneis et mundissimis mentibus ad manifestationem sursummoveri diligit, et divinissimas ipsius inspirationes in ditissimis distributionibus donat ita ipsam supermundane evocantibus. Igitur divinissimus supercœlestium substantiarum ordo non ignoravit thearchicissimum Jesum ad hoc ut sanctificaretur, descendisse. Intelligit autem ipsum sancte in nostris se ipsum submittentem propter divinam et ineffabilem bonitatem, et a Patre, et a se ipso, et a Spiritu, (ut decet hominem) sanctificatum, videns proprium principium, in quibus quidem thearchice operatur, secundum substantiam invariabile habens.

* ipsius

Unde sanctorum signorum traditio divino unguento Seraphim apponit, invariabilem sciens et describens Christum in totali secundum nos inhumanatione ad veritatem.

Et adhuc divinius, quia divino unguento utitur ad omnis sancti perfectionis operationem, manifeste innuens, secundum Eloquium, sanctificantem sanctificatum sicut *Hebr.* II, 11. semper eumdem sibi ipsi secundum omnem thearchicam boni operationem. Propter quod et sanctæ Dei generationis perfectivum donum et gratia, in unguenti perficitur divinissimis perfectionibus. Unde, sicut reor, et mundativo baptisterio unguentum in cruciformibus missionibus superfundens hierarcha, sub visum agit contemplativis oculis, usque ad ipsam mortem per crucem Jesum pro nostra Dei generatione descendentem, ipso divino et incomprehensibili descensu, eos qui in mortem ipsius (secun- *Rom.* VI, 3. dum occultum verbum) baptizantur, ex corruptivæ mortis veteri absorptione benigne avellentem, et renovantem ad divinam et æternam essentiam. At vero ipsi perfecto sanctissima Dei generationis perfectione, thearchici Spiritus superadventum unguenti donat perfectiva unctio, subfigurante (ut reor) sancta signorum imaginatione, ab ipso propter nos, ut decet hominem, per thearchicum Spiritum sanctificato invariabili substantialis deitatis habitu, divinissimum Spiritum donatum. Et hoc autem hierarchice intende, quod et divinissimi altaris sanctam perfectionem, sanctissimarum perfectionum legislatio, sanctissimi unguenti perficit sanctissimis infusionibus. Est autem supercœlestis et supersubstantialis hæc divina operatio, omnis deificæ nostræ sanctificationis principium, et substantia, et perfectiva virtus. Si enim est divinissimum nostrum altare Jesus, qui est thearchica divinarum mentium sanctificatio, in quo, *Ephes.* II, 18. secundum Eloquium, sanctificati et mystice holocausta facti, accessum habemus, supermundanis oculis inspiciamus ipsum divinissimum altare, in quo quæ perficiuntur, perficiuntur et sanctificantur, ab ipso divinissimo unguento perfectum. Sanctificat enim propter nos se ipsum benignissimus Jesus, et omni nos sanctificatione implet, in ipso perfectis dispensatorie, ad nos sicut a Deo genitos de cetero benigne transeuntibus.

Unde, sicut reor, secundum intellectum hierarchicum ut est a Deo traditum, divini nostræ hierarchiæ duces venerandissimam istam sanctificationem unguenti, perfectionem, ex re perfecta realiter, nominant, sicut si aliquis dicat, Dei perfectionem, alterutro intellectu divinam ipsius perfectionis operationem laudantes. Est enim ipsius perfectio, et propter nos ut decet hominem sanctificari, et deifice universa perficere, et sanctificare ea quæ perficiuntur. Sanctam autem inspirationis Deo acceptorum Prophetarum melodiam, dicunt hi qui sunt Hebræorum scientes, laudem Dei monstrare, aut, Laudate Dominum. Universa igitur sancta Dei apparitione et divina operatione in varia compositione hierarchicorum signorum sancte scripta, non inconveniens est memorare a Deo motum Prophetarum hymnum. Docet enim et religiose simul et ut decet sanctos, laudibus sanctis digna esse deifica beneficia.

# CAPITULUM V

## DE SACERDOTALIBUS PERFECTIONIBUS.

HÆC quidem est divinissima unguenti perfectionis operatio. Tempus autem sit, post divinas sanctas operationes exponere et sacerdotales ordines et partitiones, et virtutes ipsorum, et operationes et perfectiones, et sub ipsis trinitatem subjectorum ordinum : ut demonstretur nostræ hierarchiæ ornatus, inordinatum quidem et inornatum et confusum munde distinguens et expellens, ornatum autem et ordinatum et stabile ostendens in sanctorum ordinum secundum ipsam proportionibus. Et universæ quidem hierarchiæ trinam divisionem, in hierarchiis laudatis jam a nobis, ut arbitror, bene exposuimus, dicentes, sicut secundum nos sacra traditio habet, omne hierarchicum negotium dividi in sanctissimas perfectiones, et divinos ipsarum doctos et magistros, et eos qui ab ipsis sancte perficiuntur. Igitur sanctissima quidem cœlestium substantiarum hierarchia, perfectionem quidem habet, secundum virtutem propriam, Dei et divinorum immaterialissimum intellectum, et deiformitatis integrum, et sicut est possibile, ad Dei imitationem habitum ; illuminatores autem et ad sanctam perfectionem duces, circa Deum primas substantias : ipsæ enim ad subjectos sanctos
* bene ordines, ut bonæ* et proportionaliter deferunt semper deificas cognitiones donatas ipsis a per se perfecta et sapientes faciente divinas mentes Thearchia. Primis autem substantiis subjecti ornatus, et sicut per illas sursumacti ad deificam Thearchiæ illuminationem, qui perficiuntur ordines sunt, et vere nominantur. Post illam autem
* benefice cœlestem et supermundanam hierarchiam, ad ea quæ sunt secundum nos, beneficio*
*Galat.* III, 24 ; IV, 3. Thearchia sanctissima ipsius dona proferens, pueris quidem exsistentibus, secundum Eloquium, dedit juxta legem hierarchiam, obscuris verorum imaginibus, et remotissimis archetyporum imaginationibus, et difficilibus ad contemplandum ænigmatibus et figuris, non bene discretam habentibus coopertam in ipsis contemplationem, proportionali lumine, sicut infirmis oculis, sine læsione supersplendens. Huic autem secundum legem hierarchiæ perfectio quidem est ad spiritualem cultum sursumactio. Manuductores autem ad istam, illi qui sanctum illud tabernaculum sancte docti sunt a Moyse primo secundum legem hierarcharum magistro et duce. Ad quod sanctum tabernaculum introductive sancte scribens secundum legem hierarchiam, imaginem
*Exod.* XXV, 40. figuræ monstratæ ipsi in Sina monte vocabat cuncta secundum legem sanctificata. Qui autem perficiebantur, erant hi qui a legalibus signis proportionaliter ad perfectiorem doctrinam sursumagebantur. Perfectiorem autem doctrinam, Theologia nostram dicit
*Matth.* V, 17 ; *Rom.* X, 4. hierarchiam, adimpletionem ipsam illius vocans et sanctum finem. Est autem et cœlestis et legalis communicativæ medietati sumpta : huic quidem communicans intelligibilibus contemplationibus ; illi autem, quoniam et signis sensibilibus variatur, et per ipsa sancte ad divinum sursumagitur. Trinum autem hierarchicæ divisionis similiter habet, in sanctissimas perfectionum sanctificationes divisa, et deiformes sanctorum ministros, et illos qui ab ipsis proportionaliter ad sancta sunt adducti.

Unaquæque autem trium divisionum nostræ hierarchiæ, secundum consequentiam legalis et divinioris nostra hierarchia, prima et media et ultima ordinatur virtute : et proportionem sanctis convenientem providens, et universorum bene ornatam et se-

cundum ordinem convenientem et conjunctivam communionem. Igitur sanctissima quidem perfectionum sanctificatio, primam quidem habet deiformem virtutem, sanctam imperfectorum mundationem; mediam autem, mundatorum illuminativam doctrinam ; ultimam autem et priorum completivam, doctorum in scientia propriarum doctrinarum perfectionem. Sanctificantium autem ornatus, in virtute prima, per perfectiones mundat imperfectos; in media autem, illuminat mundatos; in ultima autem et summa sanctificantium virtutum, perficit eos qui divino lumini communicaverunt, in scientificis perfectionibus illuminationum quas contemplati sunt. Eorum autem qui perficiuntur, virtus prima quidem est quæ est mundata; media autem post mundationem, quæ est illuminata, et quorumdam sanctorum contemplativa; ultima autem et divinior aliis, quæ est illuminata perfectiva scientia sanctarum illuminationum quarum effecta est contemplatrix. Igitur sanctæ quidem perfectionum sanctificationis triplex virtus laudata est : sanctæ quidem Dei generationis ex Eloquiis demonstrata mundatione et illuminativa lucis apparitione; congregationis autem et unguenti perfectionis, divinorum operum cognitione et scientia, per quam sancte ad Thearchiam unifica eductio et beatissima communio perficiuntur. Nunc autem sacerdotalem ornatum consequenter narrare convenit, in mundativam et illuminativam et perfectivam bonam ordinationem divisum.

Lex quidem ista est Thearchiæ sanctissima, per prima secunda ad divinissimum ipsius sursumagi splendorem. Numquid et sensibiles substantias elementorum [non] videmus ad magis ipsis cognata primum euntes, et per illa ad alia propriam transferentes operationem? Convenienter ergo omnis invisibilis et visibilis boni ornatus principium et collocatio, ad deiformiores primos dat deificos radios ire, et per illos sicut deiformiores mentes, et ad participationem luminis et traditionem proprie habentes, subjectis juxta proportionem ipsorum elucet et superapparet. Istorum igitur Deum primo inspicientium, est secundis copiose in commensuratione ipsorum, demonstrare ab ipsis sancte inspectas divinas visiones; et docere hierarchica, eorum qui cum scientia perfectiva, divina universa hierarchiæ quæ est secundum ipsos, bene sunt docti, et perfectivam docendi virtutem præacceperunt; et tradere secundum dignitatem sancta, est eorum qui scienter et integre participaverunt sacerdotali perfectione. Igitur divinus hierarcharum ordo, primus quidem est ordinum Deum inspicientium, summus autem rursus et ultimus idem. Etenim in ipso terminatur et adimpletur omnis nostræ hierarchiæ ornatus. Sicut enim universam hierarchiam videmus in Jesu terminatam, ita unamquamque in proprio divino hierarcha. Hierarchici autem ordinis virtus in omnibus sanctis capit* totalitatibus, et per omnes sanctos ordines operatur propriæ hierarchiæ mysteria. Excellenter autem ipsi, præter reliquos ordines, ad propriam operationem divina lex attribuit diviniores sanctificationes. Istæ autem sunt perfectivæ thearchicæ virtutis imagines, perficientes omnia divinissima signa et omnes sanctos ornatus. Si enim et a sacerdotibus perficiuntur quædam venerandorum signorum, sed nequaquam sanctam Dei generationem sacerdos operabitur sine divinissimo unguento. Neque divinæ communionis perficiet mysteria, nisi divinissimo altari communicativis impositis signis. Sed neque ipse sacerdos erit, nisi ab hierarchicis perfectionibus ad hoc sortem fuerit consecutus. Unde divina legislatio sacerdotalium ordinum sanctificationem, et divini unguenti perfectionem, et sanctam altaris perfectionis operationem, divinorum hierarcharum perfectivis virtutibus singulariter segregavit. Est igitur hierarchicus ordo perfectiva virtute adimpletus, perfectiva sacerdotii excellenter perficiens, et scientias sanctorum manifestative docens, et edocens proportionales ipsorum et sanctos habitus et virtutes.

* capitur

Sacerdotum autem illuminativus ordo, ad sanctas perfectionum inspectiones manuducit eos qui perficiuntur a divinis hierarchis, et cum ipsis sancte agens proprias sanctas operationes. In quibus quidem ipse operatur, divinas operationes monstrans per sanctissima signa, et contemplativos procedentes faciens et sanctarum perfectionum communicatores, ad hierarcham autem mittens desiderantes scientiam sanctificationum quas sunt contemplati. — Ministrorum autem ordo, qui est mundativus et dissimilium separativus, ante accessum ad sanctificationes sacerdotum mundat accedentes, mundos ipsos faciens a contrariis, et ad sanctificativam inspectionem et communionem opportunos. Unde in sancta Dei generatione, ministri accedentem veteri exuunt veste, amplius quidem et discalceant ; et ad occidentem ad abrenuntiationem statuunt, et rursus ad orientem traducunt. Nam mundativi sunt ordinis et virtutis, abjicere totaliter præcipientes accedentibus prioris vitæ vestes, et prioris vitæ obscurum ostendentes, et docentes illos abrenuntiantes obscuris, ad illuminativa traduci. Mundativus igitur est ministrorum ornatus, ad manifestas sanctorum sanctificationes sursumagens mundatos, et imperfectiores mundans et educens mundativis Eloquiorum illuminationibus et doctrinis, et adhuc immundos a mundis munde segregans. Propter quod et ad sanctas ipsum statuit portas hierarchica legis positio, accedentium ad sancta introitum in perfectis mundationibus significans, et ad sanctas ipsorum inspectiones et communiones adductionem mundativis virtutibus tradens, et per istas illos immaculatos suscipiens.

Demonstratus est igitur hierarcharum quidem ordo, perfectivus et perfectos operans ; sacerdotum autem, illuminativus [et ad lucem ducens ; ministrantium vero, purgativus] et discretivus : videlicet hierarchico ordine, non perficere solum, sed illuminare simul et mundare sciente ; et sacerdotum virtute habente in se ipsa cum illuminativa et mundativam scientiam. Nam minores ad majores transilire nequeunt ; insuper neque est fas illis ad talem conari jactantiam. Diviniores vero virtutes, cum propriis et subjectas ipsorum sanctæ perfectionis scientias cognoscunt. Tamen, quoniam divinarum operationum sunt imagines sacerdotales ornatus, bene ornati et inconfusi ordinis divinarum operationum ordinatas illuminationes in se ipsis ostendentes, in primas et medias et ultimas sanctas operationes et ordines in discretionibus hierarchicis divisi sunt, manifestantes (quemadmodum dixi) in se ipsis divinarum operationum ordinatum et inconfusum. Nam quoniam Thearchia illas mentes in quibus est, mundat prius, post illuminat, et illuminatas perficit ad deiformem perfectionis operationem ; convenienter hierarchica divinarum imaginum diligentia in discretos se ipsam dividit et ordines et virtutes, manifeste ostendens thearchicas operationes in sanctissimis et mundissimis ordinibus firme et inconfuse stantes. Sed quoniam sacerdotales et ordines et partitiones, et virtutes ipsorum et operationes diximus, sicut nobis est possibile ; et sanctissimas ipsorum, sicut possumus, inspiciamus perfectiones.

### MYSTERIUM SACERDOTALIS PERFECTIONIS.

Hierarcha quidem ad hierarchicam perfectionem adductus, ambos pedes inclinans divinum ante altare, super caput habet a Deo tradita Eloquia et hierarchicam manum ; et hoc modo a perficiente ipsum hierarcha sanctissimis invocationibus perficitur. Sacerdos autem ambos pedes inclinans ante altare, super caput habet hierarchicam dexteram ; et hoc modo a perficiente ipsum hierarcha sanctificis invocationibus

sanctificatur. Minister vero unum pedem inclinans coram altari, super caput habet perficientis ipsum hierarchæ dexteram, perfectus ab ipso perfectivis ministrorum invocationibus. Unicuique autem ipsorum cruciformis signatio fit a perficiente hierarcha; et secundum unumquemque prædicatio sancta fit, et perfectivum osculum, osculante omni sacerdotali præsente viro, et perficiente hierarcha eum qui ad aliquem dictorum sacerdotalium ordinum erit perfectus.

CONTEMPLATIO.

Communia quidem sunt et hierarchis et sacerdotibus et ministris, in sacerdotalibus ipsorum perfectionibus : ad divinum altare introductio et inclinatio, sacerdotalis manus impositio, cruciformis signatio, prædicatio, perfectivum osculum. Segregata autem et electa : hierarchis quidem, Eloquiorum super caput appositio, non habentibus hoc subjectis ordinibus; sacerdotibus autem, amborum pedum inclinatio, non habente hoc ministrorum perfectione : nam ministri, quemadmodum dictum est, unum inclinant pedem tantum.

Igitur ad sanctum quidem altare adductio et inclinatio, significant omnes qui sacerdotaliter perficiuntur, supponere universaliter perfectionis principi Deo propriam vitam, et eorum intellectualem totalitatem castissimam ipsi et sanctificatam offerre, et conformem, et ut est possibile, dignam exsistentem thearchico et sanctissimo et sanctuario et altari, sanctificante sancte deiformes mentes. — Hierarchicæ autem manus impositio, simul quidem manifestat perficientis principalem protectionem, sub qua sicut pueri sancti custodiuntur : quæ paterne quidem ipsis habitum et virtutem sacerdotalem tribuit, contrarias autem ipsorum virtutes conterit. Docet autem simul et omnes perficere sacerdotales operationes, sicut sub Deo agentes, perfectos, et propriarum operationum in omni ipsum ducem habentes. — Cruciformis vero signatio, ab universis simul carnalibus appetitus vacationem, et vitam ad Dei imitationem, adspicientem indeclinabiliter ad virilem Jesu deitatem, aut ut magis dicatur, divinissimam vitam, qui usque ad crucem et mortem cum thearchica peccati immunitate pervenit, et ita viventes, sicut conformes, insignit cruciformi propriæ peccati immunitatis imagine.

Sanctam autem perfectionum et eorum qui perficiuntur prædicationem hierarcha clamat, mysterio monstrante quod sanctitatis perfector in amore Dei declarativus est thearchicæ electionis, non ipse propria gratia eos qui perficiuntur, ad sacerdotalem agens perfectionem, sed a Deo motus ad omnes sacerdotales sanctificationes. Ita Moyses legalis sanctitatis perfector, neque fratrem exsistentem Aaron, ad sacerdotalem agit perfectionem, et amatorem Dei ipsum esse et sacerdotalem arbitratus, usquequo a Deo ad hoc motus superperfectionis principe Deo, sacerdotalem perfectionem hierarchice consummavit. Sed et thearchicus noster et primus sanctitatis perfector (factus est enim et hoc propter nos), benignissimus Jesus, non se ipsum glorificavit, sicut Eloquia *Hebr.* v, 5,
dicunt; sed qui locutus est ad ipsum, Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem 6; *Ps.* cix, 4.
Melchisedech. Propter quod et ipse ad sacerdotalem perfectionem agens discipulos, quamvis exsistens, ut Deus, perfectionis princeps, tamen ad sanctissimum ipsius Patrem et thearchicum Spiritum, principalem reponit hierarchice perfectionem, annun- *Act.* i, 4, 5.
tians discipulis, sicut Eloquia dicunt, a Jerusalem non discedere, sed exspectare promissionem Patris, quam audistis a me, quoniam vos baptizabimini Spiritu Sancto. Et

Act. I, 15-26. quidem et ipse discipulorum summus, coordinato sibi et hierarchico denario, ad duodecim discipulorum sacerdotalem veniens perfectionem, Thearchiæ religiose dimisit electionem, dicens : Demonstra quem elegeris. Et a divina sorte deiformiter demonstratum, ad sancti duodenarii hierarchicum suscepit numerum. De divina autem sorte quæ super Matthiam divinitus cecidit, alii quidem alia dixerunt, non religiose, sicut arbitror. Meam autem et ipse intentionem dicam. Videntur enim mihi Eloquia sortem nominare thearchicum quoddam donum, demonstrans illi hierarchico choro a divina susceptum electione : sed et hoc, quod divinum hierarcham non proprio motu oportet sacerdotales facere perfectiones, sed sub Deo movente, istas hierarchice, et ut decet cœlestem, perficere.

Osculum autem in fine sacerdotalis perfectionis, sanctam demonstrationem habet. Omnes enim quicumque præsentes sunt, de sacerdotalibus exsistentes ordinibus, sed et ipse qui perficit hierarcha, osculantur eum qui est perfectus. Nam quando sacerdotalibus habitibus et virtutibus, et divina vocatione, et sanctificatione, ad sacerdotalem mens sancta pervenit perfectionem, amabilis est coordinatis et sanctissimis ordinibus, ad deiformissimam pulchritudinem sursumacta, amans conformes mentes, et ab illis sancte amata. Unde ad se invicem sacerdotale osculum sanctificatur, conformium mentium sanctam communionem monstrans, et in se invicem amabilem exsultationem, sicut integre salvantem sacerdotali informatione deiformissimam pulchritudinem.

Igitur hæc quidem, sicut dixi, sunt communia totius sacerdotalis perfectionis. Hierarcha autem segregatim habet Eloquiorum super caput sanctissimam impositionem. Quoniam enim perfectiva omnis sanctificationis virtus et scientia, divinis hierarchis datur a thearchica et perfectionis principe bonitate, convenienter super hierarchica capita superponuntur a Deo tradita Eloquia comprehensive et scienter manifestativa omnis Theologiæ, divinæ operationis, Dei apparitionis, sanctificationis, sanctæ locutionis, sanctæ operationis, unoque verbo, omnium divinorum et sanctorum operum et sermonum a beatifica Thearchia nostræ hierarchiæ donatorum : sicut deiformi hierarcha omni quidem sacerdotali virtute integraliter participaturo ; omnium autem hierarchicarum sanctarum locutionum et sanctarum operationum vera et a Deo tradita scientia, non illuminando tantum, sed et aliis proportionibus hierarchicis tradituro, et perfecturo in divinissimis cognitionibus et summis sursumactionibus hierarchice universa totius hierarchiæ perfectissima. Sacerdotibus autem duorum pedum inclinatio segregata est præter reliquum ornatum, sicut unum inclinante ministrorum ordine, et ita hierarchica figura perfecto. Igitur inclinatio quidem significat subjectam adductionem adducentis, supponentis Deo hoc quod sancte est adductum. Quoniam autem, ut multoties diximus, tres sanctitatis perfectorum ornatus, per tres sanctissimas perfectiones et virtutes præsident tribus eorum qui perficiuntur ordinibus, et sub divina juga salutarem ipsorum sancte operantur adductionem ; convenienter ministrorum ordo, sicut tantum mundativus, unam sanctificat mundatorum adductionem, divino altari ipsam supponens, sicut in ipso mundatis mentibus supermundane sanctificatis. Sacerdotes autem ambos pedes inclinant, sicut adductis sancte ab ipsis non tantum mundatis, sed et manifestissimis ipsorum sanctis operationibus purgata vita, sursumagendo ad contemplativum habitum et virtutem sanctifice perfectis. Hierarcha autem ambos pedes inclinans, super caput habet a Deo tradita Eloquia, hierarchice agens a ministrorum virtute mundatos et a sacerdotali illuminatos, ad sacrorum inspectorum ab ipsis proportionalem ipsis scientiam, et per ipsam perficiens adductos ad integram secundum ipsos sanctificationem.

# CAPITULUM VI

## DE IIS ORDINIBUS QUI PERFICIUNTUR.

ISTI quidem sunt hierarchici ordines et partitiones, et virtutes ipsorum et operationes et perfectiones. Trinitatem autem eorum ordinum qui ab ipsis perficiuntur, consequenter convenit enarrare. Dicimus ergo, quod ordines quidem qui mundantur, sunt a sanctis operationibus et perfectionibus segregatæ multitudines quarum jam memoriam fecimus : hujus quidem, sicut adhuc a ministris per eductiva eloquia ad vivificam abrenuntiationem et formatæ et compositæ; illius autem, sicut adhuc ad sanctam vitam a qua recessit, revolutæ per bonorum eloquiorum conversivam doctrinam; alterius autem, sicut adhuc a contrariis tumultibus timidæ et perturbatæ, et ab eloquiorum virtutem facientium conversiva doctrina confirmatæ; alius autem, sicut quæ adhuc ad sanctas operationes ex pejoribus traducitur; alius vero, sicut traductæ quidem, nondum autem castissime inconvertibile in divinioribus habitibus et incommotis habentis. Ipsi enim sunt ordines qui purgantur a ministrorum eductione et mundativa virtute. Istos ministri sanctis ipsorum virtutibus perficiunt, ad hoc ut perfecte mundati ipsi ad illuminativam manifestissimarum sanctificationum et contemplationem et communionem traducantur.

Medius autem ordo est contemplativus, et quorumdam sacrorum proportionaliter in munditia omni communicativus : qui sacerdotibus ad illuminandum ipsum est attributus. Etenim est (ut arbitror) manifestum, quod mundatus ab omni immunda macula, et castissimam habens propriæ mentis immobilem collocationem, ad contemplativum habitum et virtutem sanctifice traditur, et communicat secundum ipsum divinissimis signis, in contemplationibus ipsorum et communicationibus universa sancta lætitia adimpletus, et ad divinum scientiæ ipsorum amorem sursumactivis virtutibus proportionaliter elevatus. Hunc ergo dico sancti populi ordinem, sicut per omnem qui venit mundationem, et dignus est habitus sancta clarissimarum perfectionum inspectione, ut est fas, et communione.

Eorum autem qui perficiuntur universorum altior est ordo, monachorum sanctus ornatus : omni quidem mundatione emundatus per totalem virtutem et perfectam propriarum operationum castitatem; omnis autem sanctæ operationis quam est fas illi contemplari, in intellectuali contemplatione et communione factus; et hierarcharum perfectivis virtutibus traditus, et divinis ipsorum illuminationibus et hierarchicis traditionibus edoctus, inspectans sanctarum perfectionum quæ ad ipsum pertinent sanctificationes, et a sancta ipsorum scientia proportionaliter ad perfectissimam perfectionem sursumactus. Unde divini duces nostri nominationibus sanctis ipsos dignati sunt, alii quidem famulos, alii vero monachos, ipsos nominantes, ex Dei puro servitio et famulatu, et indivisibili et singulari vita, ut uniente ipsos in divisibilium sanctis convolutionibus, ad deiformem unitatem et amabilem Deo perfectionem. Propter quod et perfectivam ipsis donans gratiam sancta legislatio, et quadam ipsos dignata est sanctificativa invocatione : non hierarchica, illa enim in solis fit sacerdotalibus ordinibus; sed sanctificativa, a sanctis sacerdotibus, secundo ab hierarchico perfectionis principatu, sanctificantur.

### MYSTERIUM MONACHICÆ PERFECTIONIS.

Sacerdos quidem stat ante divinum altare, monachicam invocationem decantans. Hic autem qui perficitur, post sacerdotem stat, non ambos pedes inclinans, non unum pedem, non super caput habens a Deo tradita Eloquia, tantum autem adstans sacerdoti cantanti mysticam invocationem super ipsum. Perficiens autem ipsum sacerdos, ad eum qui perficitur veniens, interrogat ipsum prius si omnibus abrenuntiabit divisibilibus non tantum vitis, sed et phantasiis. Post perfectissimam illi vitam narrat, testificans quod oportet super mediam ipsam consurgere. Hæc autem omnia eo qui perficitur attente confesso, cruciformi figura signans ipsum sacerdos detondet, trinam divinæ beatitudinis invocans personam ; et veste omni exuens, alia induit ; et cum aliis sanctis viris quotcumque adsunt osculans ipsum, communicatorem perficit thearchicorum mysteriorum.

### CONTEMPLATIO.

Nullum pedem inclinare, neque super caput habere a Deo tradita Eloquia, adstare autem sacerdoti invocationem decantanti, monstrat monachicum ordinem non esse adductivum aliorum, sed in se ipso stantem in singulari et sancta statione, et sacerdotales ordines sequentem, et ab ipsis, sicut sequacem, ad divinam sanctorum quæ sunt secundum eum scientiam, facili fide sursumactum. Abrenuntiatio autem divisibilibus non modo vitis, sed etiam phantasiis, perfectissimam significat monachorum philosophiam in scientia unientium præceptorum operantem. Est enim, sicut dixi, non medii ordinis eorum qui perficiuntur, sed omnibus altioris. Propter quod et multa factorum incondemnabiliter a medio ordine, prohibentur modo omni singularibus monachis, sicut ad unum ipsis debentibus uniri et ad sanctam unitatem congregari, et ad sacerdotalem vitam (sicut est fas) reformari, sicut cognatum ejus in multis habentem, et magis ipsi quam reliqui ordines qui appropinquant, perficiuntur.

Signatio autem cruciformis figuræ, sicut jam a nobis dictum est, monstrat ab omnibus simul carnalibus appetitibus vacationem. Detonsio autem capillorum significat mundam et non formabilem vitam, non supercompositis figuris informe mentis appositive decorantem, sed ipsam in se ipsa, non humanis pulchritudinibus, sed singularibus et solitariis, ad deiformissimum sursumactam. Prioris vero vestis abjectio et alterius sumptio, a media sancta vita ad perfectiorem, transmutationem significat, quemadmodum in sancta Dei generatione vestis mutatio monstrabat vitæ mundatæ ad contemplativum et illuminativum habitum sursumactionem. Si autem et nunc sacerdos et omnes quotcumque adsunt sancti, perfectum osculantur, sanctam deiformium intellige communionem, amabiliter in lætitia divina condelectatorum sibi invicem.

In fine autem omnium, sacerdos ad thearchicam communionem vocat perfectum : significans sancte, quod perfectus, si vere ad monachicam et singularem pervenit actionem, non contemplativus solum erit sanctorum quæ sunt secundum ipsum, neque secundum medium ordinem ad communionem veniet sanctissimorum signorum, sed cum divina cognitione sanctorum quibus participavit, alio modo quam sanctus populus veniet ad sumendum thearchicam communionem. Propter quod et hierarchicis ordinibus, in perfectivis ipsorum sanctificationibus, in fine sanctissimarum sanctificationum, sanctissimæ Eucharistiæ communio traditur a perficiente ipsos hierarcha : non

solum quod thearchicorum mysteriorum assumptio uniuscujusque hierarchicæ participationis est capitulum ; sed quoniam et ipso communicabili et divinissimo dono omnes sancti ordines, singuli per se juxta proportionem suam, participant ad propriam ipsorum deificationis sursumactionem et perfectionem.

Igitur collectum est a nobis, quod sanctæ quidem perfectiones sunt, mundatio et illuminatio et perfectio. Ministri autem, mundativus ordo ; sacerdotes vero, illuminativus ; perfectivus autem, deiformes hierarchæ. Ordo autem qui mundatur, est qui non est particeps sanctæ inspectionis et communionis, sicut qui adhuc mundatur ; contemplativus autem ordo, est sanctus populus; perfectus autem ordo, est singularium monachorum. Ita enim nostra hierarchia a Deo traditis ordinibus sancte disposita, sanctis et cœlestibus hierarchiis conformis est, ad Dei imitationem et deiformes ipsarum, ut in hominibus, salvans characteres. Sed dices, quod cœlestibus hierarchiis deficiunt omnino ordines qui purgantur : non enim est fas neque verum dicere quod est quidam cœlestis ornatus immundus. Ego autem, quod immaculati quidem perfecte sunt, et castissimum supermundane habent, confiteor omnino, nisi perfecte cadam a sanctissima mente. Si enim aliquis ipsorum a malitia captus esset, a cœlesti quidem et munda divinarum mentium harmonia cecidisset, et ad obscurum apostaticarum multitudinum vectus esset casum. Sed est dicere sancte, in cœlesti hierarchia quod mundatio est subjectis substantiis a Deo usque tunc ignotorum data cognitio, et ad perfectiorem ipsas agens scientiam thearchicarum cognitionum, et ab ignorantia quorum nondum scientiam habuerant, mundans sursumactas ad superiores et clariores splendores per priores et diviniores substantias. Ita et qui illuminantur ordines sunt et qui perficiuntur, et mundativi et illuminativi et perfectivi, secundum cœlestem hierarchiam, sicut supremis et divinioribus substantiis, subjectos sanctos et cœlestes ornatus ab ignorantia quidem universa mundantibus in ordinibus et proportionibus cœlestium hierarchiarum, implentibus autem ipsas divinissimis illuminationibus, et perficientibus in sanctissima thearchicorum intellectuum scientia. Etenim jam a nobis dictum est, et in Eloquiis divinitus enuntiatum est, non eosdem esse omnes cœlestes ornatus in omnibus sanctis divinarum illuminationum (quibus Deus inspicitur) scientiis, sed a Deo quidem immediate primos, per illos autem rursus a Deo subjectos, juxta proportionem suam illuminari clarissimi thearchici radii splendoribus. De Cœlesti hierarchia cap. VII.

# CAPITULUM VII

## DE HIS QUÆ FIUNT IN HIS QUI DORMIERUNT.

ISTIS autem determinatis, necessarium est dicere, ut arbitror, et ea quæ fiunt a nobis sancte in his qui dormierunt. Etenim neque hoc commune est et sanctis et immundis ; sed sicut varia species est alterutrorum vitæ, ita et ad mortem euntes, qui quidem sanctam habuerunt vitam, ad veras promissiones Thearchiæ respicientes, sicut veritatem ipsarum in ipsius resurrectione contemplati, cum forti et vera spe, in lætitia divina, ad mortis finem vadunt, sicut in fine sanctorum agonum, in perfecta et interminabili vita et salvatione, sua futura esse omnino scientes per futuram ipsorum totalem resurrectionem. Nam sanctæ quidem animæ ad pejora decidere conversione valentes in hoc sæculo, in regeneratione ad inconvertibile habebunt

deiformissimam transmutationem. Munda autem corpora sanctarum animarum conjuga et coambulabilia, condescripta, et quæ certaverunt in divinis ipsarum sudoribus, in animarum inconvertibili secundum divinam vitam collocatione, simul accipient propriam resurrectionem. Unita enim his sanctis animabus quibus unita fuerunt in hoc sæculo, sicut membra Christi facta, deiformem et incorruptibilem et immortalem et beatam accipient vitam. Igitur in istis quidem sanctorum est dormitio in lætitia et immobili spe, ad divinorum agonum perveniens finem.

Immundorum autem alii quidem ad consumptionem irrationabiliter putant proficisci ; alii autem corporalem semel abrumpi a propriis animabus conjunctionem, sicut inconvenientem ipsis in deiformi vita et beatis finibus : non intelligentes neque sufficienter in scientia divina docti inceptam jam in Christo nostram deiformissimam vitam. Alii autem corporum aliorum attribuunt animabus conjunctionem, injuriam (ut arbitror) facientes, quantum in ipsis est, corporibus quæ cum sanctis animabus certaverunt, et sanctis retributionibus non religiose privantes ea quæ ad finem divinissimorum cursuum pervenerunt. Alii autem, quo modo nescio, ad materiales intentiones declinantes, dixerunt consimilem huic sæculo sanctissimum et beatissimum finem sanctis promissum, et alimenta propria variabili sæculo, his qui erunt æquales angelis, inconvenienter adjecerunt.

Sed non cadat aliquis aliquando sanctissimorum virorum ad tales errores : sed totos se ipsos accepturos christiformem finem scientes, quando ad finem veniunt hujus sæculi, viam ad incorruptionem ipsorum sicut propinquiorem factam, manifestius vident ; et dona Thearchiæ laudant, et divina delectatione adimplentur, ad pejora conversionem jam non formidantes, sed bene scientes quod bona possessa fortiter et æternaliter habebunt. Qui autem sordibus sunt pleni et immundis maculis (si sanctam quidem consecuti sunt doctrinam, ipsi autem hanc ex propria mente perdite contenentes, ad corruptivas conati sunt concupiscentias), quando ad finem veniunt hujus vitæ, non jam similiter ipsis contemptibilis videtur Eloquiorum divina legislatio ; destructas autem propriarum passionum delectationes aliis oculis inspicientes, ac sanctam vitam a qua stulte ceciderunt, beatificantes, miserabiliter et contra voluntatem abscinduntur ab hoc sæculo, ad nullam sanctam spem manuducti propter pessimam vitam. Istorum autem nullo futuro in dormitionibus sanctorum virorum, ipse quidem qui ad finem venit propriorum agonum, lætitia sancta adimpletur, et cum delectatione multa ad viam supervenit sanctæ regenerationis. Familiares autem ejus qui dormivit, secundum divinam familiaritatem et vitæ similitudinem, et ipsum, quisquis est, beatificant ad finem victoriam ferentem, juxta votum pervenientem, et causæ victoriæ cum gratiarum actione odas referunt, insuper optantes et se ipsos venire ad similem finem. Sumentes autem illum, ad hierarcham agunt, sicut ad coronarum sanctarum donationem. Ille vero delectabiliter suscipit, et perficit ea quæ fiunt secundum legem sanctam in his qui sancte dormierunt.

### MYSTERIUM IN HIS QUI SANCTE DORMIERUNT.

Congregans divinus hierarcha sanctum chorum, si sacerdotalis quidem ordinis factus fuit qui dormivit, ante sanctum altare inclinans ipsum, incipit ad Deum orationem et gratiarum actionem. Si autem religiosis monachis aut sancto populo coordinatus fuit, juxta pretiosum sanctuarium ipsum inclinat ante introitum sacerdotalem, postea perficit ad Deum cum gratiarum actione hierarcha orationem. Consequenter autem

legentes ministri in divinis Eloquiis dictas veraces promissiones de sancta nostra resurrectione, sancte cantant ejusdem rationis et idem potentes odas psalmicorum Eloquiorum. Postea ministrorum primus absolvit catechumenos ; et prædicat sanctos qui jam dormierunt, cum quibus rogat fieri coordinatæ prædicationis eum qui nunc perficitur ; et adhortatur cunctos petere in Christo beatam perfectionem. Postea accedens divinus hierarcha, orationem sanctissimam super ipsum facit ; et post orationem et ipse hierarcha osculatur eum qui dormivit, et post ipsum præsentes universi. Osculatis autem omnibus, superfundit oleum hierarcha ei qui dormivit ; et pro omnibus orationem sanctam faciens, deponit in domo pretiosa corpus cum aliis ejusdem ordinis sanctis corporibus.

CONTEMPLATIO.

Hæc quidem si videant aut audiant immundi a nobis fieri, late ridebunt, ut arbitror, et de errore nostri miserebuntur. Non oportet autem ad hoc mirari : nam si non crediderint, ut Eloquia dicunt, neque intelligent. Nos autem intelligibilia eorum quæ fiunt, inspicientes, Jesu illuminante, dicimus quod non irrationabiliter hierarcha ad coordinatum chorum inducit et imponit eum qui dormivit. Significat enim sancte, quod in illis erunt participationibus omnes in regeneratione, in quibus hic propriam vitam sortiti sunt : sicut si deiformem et sanctissimam, sicut viro Dei imitativum est possibile, hic habuit vitam, in divinis erit et beatis finibus in sæculo futuro ; si autem a deiformi et secundum summum, subjectam habuit vitam, sanctam autem, conformes et ipse recipiet sanctas retributiones. Pro hac divina justitia hierarcha gratias agens, orationem sanctam facit, et venerandam laudat Thearchiam, sicut destructivam contra omnes nos exsistentis injustitiæ et tyrannicæ potestatis, traducentem autem nos ad propria justissima judicia. — Thearchicarum autem promissionum odæ et lectiones, manifestativæ quidem sunt beatissimorum finium in quibus qui divinam habuerunt perfectionem, æternaliter constituentur. Ejus autem qui dormivit, sancte sunt susceptivæ ; adhuc autem viventium, adhortativæ ad similem perfectionem.

*Is.* VII, 9, juxta LXX.

Inspice autem quod nunc non omnes ordines qui mundantur, secundum consuetudinem absolvuntur, soli autem catechumeni a sanctis choris excluduntur. Etenim hic ordo quidem indoctus est universaliter omnis sanctæ perfectionis ; et nihil (non parvum non magnum) eorum quæ sancte fiunt, inspicere ipsi licet, sicut neque participanti sanctorum inspectiva virtute per Dei generationem et luminis principem et luminis donatricem. Reliqui autem eorum qui mundantur ordines, in doctrina quidem jam facti sunt sanctæ traditionis, imprudenter autem ad deteriora rursus cucurrerunt. Opportune autem ad priora sursumactionem perficientes, a thearchicis quidem inspectionibus et communionibus, sicut in signis sanctis, distinguuntur. Lædentur enim immunde ipsis participantes, et ad majorem divinorum et sui ipsorum venient contemptum. Non inconvenienter autem adsunt in his quæ nunc fiunt, manifeste docti, et videntes nostræ mortis contemptum *, et Sanctorum honores a veris Eloquiis laudatos, et quas comminantur fore immundis sicut ipsi sunt, interminabiles tristitias. Erit enim ipsis ad utilitatem, videntibus eum qui sancte perfectus est, a ministri enuntiatione communicatorem vere exsistentem Sanctorum a sæculo sancte prædicatorum. Et forsitan et ipsi ad simile desiderium venient, et a ministrorum scientia docebuntur beatam vere esse in Christo perfectionem.

* incertum

Postea procedens divinus hierarcha, orationem sanctam facit super eum qui dor-

mivit : et post orationem et ipse hierarcha ipsum osculatur, et consequenter præsentes universi. Igitur oratio quidem precatur thearchicam bonitatem, ut dimittat quidem ei qui dormivit omnia quæ per humanam infirmitatem peccavit, et constituat ipsum in lumine et regione viventium, in sinibus Abrahæ et Isaac et Jacob, in loco a quo aufugit dolor et tristitia et gemitus. Igitur (ut arbitror) hæc quidem sunt manifesta Sanctorum beatissima dona. Quid enim fit perfecte tristitia carenti et illuminativæ immortalitati æquale ? Quamvis maxime significationibus nobis proportionalibus, promissiones illæ omni intellectu altiores, sint significatæ, et a reali ipsarum veritate minus continentes
*I Cor.* II, 9. habent significationes. Nam arbitrandum est verum esse eloquium, Quod oculus non vidit, et auris non audivit, et in cor hominis non ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se. Sinus autem sunt, sicut reor, beatissimorum Patriarcharum et reliquorum Sanctorum universorum divinissimi et beatissimi fines, qui deiformes suscipiunt omnes ad perfectionem in ipsis sine senectute et beatissimam.

Dicas autem forsitan, hæc quidem esse recte dicta a nobis, dubitare autem gratia cujus thearchicam bonitatem hierarcha rogat, petens ut ei qui dormivit peccata dimittat, et deiformibus coordinatam et clarissimam partitionem tribuat. Si enim omnis recipiet a divina justitia retributiones illorum bonorum aut aliorum quæ gessit in præsenti vita, perfecit autem proprias operationes qui dormivit : a qua hierarchica oratione ad alium finem transferetur, quam dignum ipso, et qui pro præsenti vita retribuetur ? Ego autem bene novi, Eloquia sequens, quod unusquisque quidem ha-
*Job* XIX, 8. bebit quam promeruit portionem. Dicitur enim : Determinavit Dominus apud se ; et :
*II Cor.* V, 10. Portabit unusquisque in corpore secundum ea quæ fecit, sive bonum, sive malum. Quod autem orationes sanctorum in dignis sanctis orationibus operantur solum, in præsenti sæculo, nedum post mortem, Eloquiorum nos docent veræ traditiones. Quid enim utilitatis a Samuele Saul consecutus est ? Quid autem Hebræorum populum juvit prophetica oratio ? Etenim, sicut si aliquis, sole propria donante lumina illæsis oculis, in participatione solaris luminis petit fieri proprios visus destruens ; ita ad impossibiles et superfluas spes elevatur, qui sanctorum orationes petit, et secundum naturam ipsorum sanctas operationes excludit negligentia divinorum donorum, et a manifestissimis et bonum conferentibus præceptis recessione.

Dico autem, Eloquia sequens, quod utiles omnino sunt in hoc sæculo sanctorum orationes secundum hunc modum : Si aliquis sancta desiderans dona, et ad participationem ipsorum habitum sanctum habens, sicut propriæ cognitor parvitatis, veniens ad aliquem sanctorum virorum, rogat ipsum fieri susceptorem et cooratorem, consequetur omnino quæ petit divinissima dona, recipiente ipsum thearchica bonitate, et propria religiosa sui ipsius cognitione, et [in] sanctis reverentia, et petitarum sanctarum petitionum laudabili desiderio, et convenienti et deiformi habitu. Est enim et hoc thearchicis judiciis decretum, divina dona dignis participatione, in ordine Deo convenientissimo, donari per eos qui sunt digni tradere. Igitur si quis improbet istum sanctum ornatum, et ad miseram opinionem veniens, sufficientem se ipsum arbitretur ad thearchicam collocutionem, et sanctos contemnat, et etiam si petitiones indignas Deo et non sanctas postulet, et desiderium divinorum nisi forte habet et sibi ipsi conveniens ; per se ipsum privabitur consecutione petitionis imperitæ.

De dicta autem oratione qua hierarcha orat super eum qui dormivit, ad nos venientem ex divinis nostris ducibus traditionem dicere necessarium est. Divinus hierarcha
*Malach.* II, 7. manifestativus est, sicut Eloquia dicunt, thearchicorum judiciorum. Angelus enim Domini omnitenentis Dei est. Didicit ergo ex Eloquiis a Deo traditis, quod his qui sancte vixerunt, clarissima et divina vita, secundum dignitatem a justissimis legibus

retribuitur, supportante bonitate thearchicæ benignitatis ingenitas ipsis ex humana infirmitate maculas : quoniam nullus, ut Eloquia dicunt, mundus est a macula. Igitur hæc quidem hierarcha novit promissa a veris Eloquiis. Postulat autem ipsa fieri, et dari his qui sancte vixerunt, sanctas retributiones : simul quidem ad Dei imitativum benigne figuratus, et aliorum dona, sicut proprias expetens gratias ; simul autem et veras promissiones sciens futuras, et præsentibus manifestative significans, quod ea quæ ab ipso secundum legem sanctam sunt petita, omnino erunt his qui secundum vitam divinam sunt perfecti. Non enim hierarcha thearchicæ justitiæ recitator, postularet aliquando ea quæ non sunt Deo amicissima, et ab ipso dari deiformiter promissa. Propter quod et his qui immunde dormierunt, non precatur ista : non solum quod a recitativo in hoc pervertetur ordine, et aliquid hierarchicorum superbe audebit, non a principe perfectionum motus ; sed quoniam et immundam orationem non consequetur, a justo Eloquio et ipse non inconvenienter audiens : Petitis, et non accipitis, idcirco quod male petitis. Igitur divinus hierarcha expetit ea quæ divinitus sunt promissa, et amica Deo, et omnino donanda : quod est proprii boni habitus, monstrans amatori bonorum Deo ; et præsentibus manifestative significans sanctis futura dona.

*Job* XIV, 4, juxta LXX.

*Jacob.* IV, 3.

Ita et segregativas habent hierarchæ virtutes, sicut manifestativi divinorum judiciorum : non sicut irrationabilibus motibus ipsorum omnisapienti Thearchia (ut usualiter dicatur) famulariter obsequente ; sed ut ipsis, sub Spiritu principe perfectionis movente, recitative judicatos a Deo secundum dignitatem segregantibus. Dicit enim : Accipite Spiritum Sanctum. Si aliquorum dimittitis peccata, dimissa sunt ; si aliquorum tenetis, retenta sunt. Et illi qui divinis revelationibus sanctissimi Patris erat illuminatus, Eloquia dicunt, Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis ; [et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis] : sicut illo, et secundum ipsum omni hierarcha, secundum factas in ipso revelationes paternorum judiciorum, manifestative et delative Dei amicos assumente, et impios expellente. Etenim sanctam illam theologiam, ut Eloquia dicunt, non proprio motu, neque carne et sanguine revelantibus, sed Deo intelligibiliter ipsum propria docente, locutus est. Igitur divinos quidem hierarchas ita segregationibus et omnibus hierarchicis virtutibus uti convenit, quomodo princeps perfectionis ipsos Thearchia moverit. Alios autem ita hierarchis in his quæ faciunt hierarchice, est obsequendum, sicut a Deo motis. Dicit enim : Qui spernit vos, me spernit.

*Joann.* XX, 22, 23.

*Matth.* XVI, 19.

*Ibid.* 17.

*Luc.* X, 16.

Sed revertamur ad dictæ orationis consequentia. Perficiens enim ipsam hierarcha, et ipse osculatur eum qui dormivit, et consequenter præsentes universi. Dulcis est enim et pretiosus universis deiformibus, qui secundum divinam vitam est perfectus. Post osculum autem superfundit ei qui dormivit oleum hierarcha. Recordare autem quod in sancta Dei generatione, ante divinissimum Baptisma, prima participatio sancti symboli datur ei qui perficitur, post totalem vestis prioris spoliationem, unctionis oleum ; in fine autem universorum nunc super illum qui dormivit, oleum effunditur. Et tunc quidem olei unctio ad sanctos agones vocabat eum qui perficiebatur ; nunc autem superfusum oleum significat secundum eosdem sanctos agones certavisse et perfectum fuisse eum qui dormivit. Hæc perficiens hierarcha, deponit in domo pretiosa corpus cum aliis sanctis ejusdem ordinis corporibus. Si enim in anima et corpore Deo amicam vitam, qui dormivit, vivebat, pretiosum erit cum anima sancta et corpus quod concertavit ipsi in sanctis sudoribus. Unde divina justitia ipsi donat retributivos fines cum proprio corpore, sicut coambulabili, et comparticipi sanctæ aut contrariæ vitæ. Propter quod et sanctorum divina legispositio thearchicas communiones ambobus donat : animæ quidem, in munda contemplatione et scientia eorum quæ fiunt ; corpori

autem, secundum divinissimum unguentum, ut in imagine, et thearchicæ communionis sanctissima signa : totum hominem sanctificans, et totalem ipsius salvationem sancte operans, et perfectissimam ipsius resurrectionem fore denuntians catholicis sanctificationibus. — Perfectivas autem invocationes non est fas in scripturis superexponere, neque mysticum ipsarum, aut factas in ipsis ex Deo virtutes, ex occulto ad commune adducere ; sed sicut nostra sancta traditio habet, inegressibilibus doctrinis ipsas discens, et ad diviniorem habitum et sursumactionem amore divino et operationibus sanctis perfectus, ab illuminatione principis perfectionis sursumagens ad supremam ipsorum scientiam.

Pueros autem nondum divina intelligere valentes, sanctæ participes fieri Dei generationis, et sanctissimorum thearchicæ communionis signorum, videtur quidem, ut dicis, immundis rationabili risu dignum, si audire non valentes edoceant hierarchæ divina, et non intelligentibus vane tradant sanctas traditiones. Et hoc adhuc magis ridendum, quod pro ipsis alii abrenuntiationes dicunt et sanctas confessiones. Oportet autem tuam sanctam hierarchicam prudentiam non molestari in errantibus, sed et reverenter simul et illuminationis ipsorum gratia amabiliter excusare, ad prolatas ab ipsis instantias opponentem et hoc, secundum legem sanctam, quod non in nostra cognitione omnia divina circumscribuntur. Multa autem a nobis ignotorum, causas habent Deo convenientes, nobis quidem ignotas, scibiles autem ordinibus quam nos sumus melioribus. Multa autem et supremas latent substantias, et a sola diligenter sunt cognita omnisapienti et sapientifica Thearchia. Sed et hoc quod* et de isto ista dicimus quæ deiformes nostri sanctitatis perfectores ab antiqua docti traditione, ad nos produxerunt. Dicunt enim (quod est et verum) quod secundum legem sanctam sursumacti infantes, ad habitum sanctum habebunt consuetudinem, ab omni remoti errore, et immundæ vitæ expertes. Hoc divinis nostris ducibus ad mentem venit, et visum est suscipere infantes secundum istum sanctum modum, quod naturales adducti pueri patres traderent puerum cuidam docto mysteriorum, bono in divinis pædagogo, et reliquum ab ipso puer ageret, sicut sub divino patre et salvationis sanctæ susceptore. Ab isto ergo confitente sursumagere puerum secundum sanctam vitam, hierarcha appetit ut abrenuntiationes confiteatur et sanctas confessiones : non, sicut illi ridentes dicunt, alium pro alio divina docens. Neque enim hoc dicit, Quod pro puero ego abrenuntiationes aut sanctas facio confessiones ; sed, Quod puer abrenuntiabit et coordinabitur, hoc est : Confiteor me persuasurum puero venienti ad sanctam mentem, meis divinis sursumactionibus, quod abrenuntiabit quidem totaliter contrariis, confitebitur autem et operabitur divinas confessiones. Nihil igitur, ut arbitror, est inconveniens, si secundum divinam sursumactionem puer sursumagitur, ducem et susceptorem sanctum habens, habitum ipsi divinorum efficientem, et custodientem contrariorum expertem. — Tradit autem puero sancta signa hierarcha, ut nutriatur in ipsis, et non habeat vitam alteram nisi divina contemplantem semper, et communicatricem ipsorum in profectibus sanctis factam, et habitum sanctum in istis vigentem, et sursumactum ut decet sanctum, a deiformi susceptore.

* Verumtamen

Tantas, o puer, et ita pulchras nostræ hierarchiæ videam deiformes visiones. Ab aliis autem forsitan perspicacioribus mentibus, non ista solum contemplatione comprehensa sunt, sed manifestiora multo et deiformiora. Et tibi autem, sicut arbitror, omnino elucebunt splendidiores pulchritudines et diviniores, dictis gradibus utenti ad radium superiorem. Trade igitur, o amice, et ipse mihi perfectiorem illuminationem, et monstra meis oculis quas videre possis convenientiores pulchritudines et uniformiores. Confido enim quod per dicta, ego repositas in te divini ignis accendam scintillas.

# S. DIONYSII AREOPAGITÆ

# DE ECCLESIASTICA HIERARCHIA

## TRANSLATIO AMBROSII ABBATIS

## CAMALDULENSIS ORDINIS

---

## CAPITULUM PRIMUM

### QUÆNAM SIT ECCLESIASTICÆ HIERARCHIÆ TRADITIO, ET QUÆ ILLIUS INTENTIO.

COMPRESBYTERO Timotheo, Dionysius presbyter. — Sacerdotii quidem nostri functionem, sanctissime fili Timothee, augustioris esse ac divinæ ac divinitus indultæ scientiæ, actionisque, et perfectionis, his qui sacratioris doctrinæ institutionem ex sacerdotalibus mysteriis traditionibusque acceperunt, de sanctarum Scripturarum majestate necessario demonstrare institui. Sed observa diligentius, ne sancta sanctorum efferas, neu profanis luminibus violanda permittas. Verum revereberis magis, occultique Dei mysteria spiritualibus invisibilibusque notionibus honorabis, atque intemerata servabis, nequaquam ea passim rudibus tradens, sed sanctis solum sanctarum rerum intelligentias sacratius pandens. Sic enim, ut Theologia nobis suis studiosis cultoribus tradidit, ipse quoque Jesus (divina profecto atque omni substantia superior mens, et hierarchiæ omnis et expiationis ac divinæ actionis initium, et substantia, augustissimaque virtus) beatissimis illis spiritibus et nobis naturali dignitate longe præstantibus, manifestius simul atque spiritalius lucet, eosque pro viribus ad lucis suæ similitudinem transfert. Nostros item varios et inconstantes motus, honestarum amore rerum in eum intento nosque intendente, constringit et complicat, et in unam ac divinam perficit vitam. Habitum præterea et actionem dignissimam donat, divini scilicet virtutem sacerdotii ex qua dum ad sacerdotale sacrosanctum munus accedimus, superioribus virtutibus propinquamus, imitando pro viribus illarum constantiam ac perpetuam firmitatem. Cujus ubi similitudinem quantum fas est fuerimus adepti, hinc jam ad beatissimum ac divinum Jesu radium aciem mentis intendimus, et quæque videre permittimur, digna cum veneratione intuentes, atque eorum quæ viderimus dignoscendorum mysticam scientiam vi interni luminis edocti, sacrati ac sacrantes, illuminati et illuminantes, perfecti ac perficientes poterimus fieri.

Quænam ergo sit Angelorum atque Archangelorum sacra distinctio, cœlestiumque Principatuum, et Potestatum, ac Virtutum, Dominationum item, Thronorumque sublimium, æqualium item Thronis substantiarum, quas inhærere Deo et semper circa illum

et cum illo esse Theologia tradit, Cherubin illas atque Seraphin Hebræorum voce appellans, in his quæ de hujusmodi beatissimorum spirituum distinctionibus, ordinibus ac divisionibus scripsimus, disces : in quibus nos, etsi non satis pro merito, quantum tamen penetrare potuimus, quantumque Theologia suggerere et ex divinis litteris dictare dignata est, ipsam eorum sacratissimam functionem laudare studuimus. Illud tamen necessario dicendum, quod et cœlestis illa, et omnis quam modo laudare pergimus functio, unam habet et eamdem per omne sui officii munus intentionem atque vim : ut scilicet et ipse pontifex, pro suæ ratione substantiæ et captus atque ordinis, divinis in rebus perficiatur, atque in Deitatis consortium transeat, inferioribusque atque subditis gradibus, cuique pro merito, indultum sibi divinitus tradat tantæ excellentiæ munus, per quod ipse participatione evasit in Deum; subjecti quoque et inferiores, præstantiores sequantur; qui et ipsi, minores in anteriora promoveant; illique itidem perpetuo successu ad altiora enitentes, etiam provehendis aliis duces pro viribus fiant : perque hanc divinam profecto ac dispositissimam congruentiam, singuli pro modo suo, ejus qui vere et pulcher et sapiens ac bonus est, evadant participes. — Sed enim substantiæ illæ superiores atque ordines quorum supra facta est mentio, et incorporales et intelligibiles sunt, estque mundo celsior illorum sacra distinctio. Nostram autem hanc sacerdotalem functionem cernimus visibilium varietate signorum pro captu nostro multiplicem fieri, per quæ pontificali munere, ad statum illum unicum quo transimus in Deum, pro modo nostro quique provehimur. Atque Deum divinamque virtutem cœlestes quidem illæ substantiæ (quippe quæ spiritus ac mentes sunt) intelligunt, juxta quod eis fas est; nos autem visibilibus imaginibus ad divinas intelligentias, pro virium nostrarum modo, conscendimus. Et ut vere ac proprie dixerim, unum quidem est quod appetunt omnes qui unius speciem præferunt; sed non uno modo ejus quod unum atque idem est, participes fiunt, verum ut cuique pro merito sortem divina et æquissima libra distribuit. Verum enim ista in libro quem de intelligibilibus ac sensibilibus scripsimus, latius disputata sunt.

Nunc autem sacerdotalem ordinem nostrum, principiumque ejus atque substantiam, quantum vires suppetant, aggrediar eloqui, Jesum primo invocans, ordinum omnium cœlestium atque terrestrium principem, initium, et consummationem. Est itaque hierarchia omnis, ut se habet veneranda ac sacrosancta nostra traditio, omnis sacrarum rerum illi quidem subjectarum ratio, generalisque prorsus eorum quæ in hanc ferme cadunt functionem, sive sacrarum ejus rerum, comprehensio. Nostra igitur functio et dicitur et est illius sacra omnia continens munus, per quod consummatus divinus pontifex, eorum omnium quæ ad eum pertinent et sacratissima sunt, ut sacerdotii nomine honoratus, particeps erit. Ut enim qui sacerdotium dixit, sacrorum simul omnium uno vocabulo signavit ordinem; ita et qui sacerdotem seu pontificem dicit, augustiorem prorsusque divinum insinuat virum, totius sanctæ scientiæ peritissimum, in quo liquido ac perspicue sacratus omnis ordo suus, et perfectus sit, et possit agnosci.

Hujus profecto sacræ functionis initium, est fons vitæ, bonitatis essentia, unica rerum omnium causa, beatissima Trinitas; ex qua sola bonitatis causa, quæ sunt omnia, ut et essent et bene essent, acceperunt. Huic transcendenti omnia divinæ beatitudini, trinæ atque uni (cui soli vere esse inest modo nobis quidem incognito, sed sibi plane perspecto et noto), voluntas quidem est, rationalis salus humanæ omnis cœlestisque substantiæ. Ea vero aliter provenire non potest, nisi hi qui salvantur, in Dei consortium transeant. Porro ea in Deum transitio fit, quum illi similes evadunt atque inferuntur. Omni autem sacræ functioni communis hic finis est, intensissima Dei divinarumque rerum dilectio, quæ sublimiter omnino singulariterque operatur, et (quæ

hanc præit) omnium quæ illi adversantur, exactissima et nunquam retro adspiciens fuga, notio earum quæ sunt (qua parte sunt) rerum, sanctæ veritatis visio atque scientia, unicæ illius perfectionis qua in unum ipsum transitur, divina pro viribus participatio, visionis ipsius unius et contemplationis felix illa refectio, qua intelligibiliter alitur et evadit in Deum quisquis in illam ardenti studio intendit.

Dicimus igitur quod beatitudo divina, naturalis Deitas, et præstandæ divinitatis initium (ex qua ut in Deum transeant hi qui illius participationem promerentur, accipiunt), bonitatis instinctu, sacratissimæ functionis munus in salutem omnium rationalium intellectualiumque substantiarum, ut scilicet Dei consortio fruerentur, indulsit. Atque illis quidem altissimis beatissimisque spiritibus, liquidius et purius ac spiritualius : neque enim illas ad divina Deus extrinsecus movet; ceterum intelligibiliter et intus divinum consilium et voluntatem, purissimi candoris fulgore discunt. Nobis autem, quod illis unice* et collecte præstitum est, ex divinis libris, in signorum divisibilium multitudine ac varietate donatur. Substantia enim sacerdotii nostri, Scriptura sacra est, nobis divinitus tradita. Porro hujusmodi plena venerationis Eloquia dicimus, quæque* a beatissimis patribus nostris, a quibus sacris mysteriis imbuti sumus, in sanctis ac theologicis commendata sunt libris, ac præterea quæque* ab eisdem sanctissimis viris, sacratiori et purgatiori et propinquo quodam modo cœlesti hierarchiæ doctrina, sancti duces ac præceptores nostri didicerunt, [et] ex animo in animum (medio intercurrente verbo corporali quidem, sed quod carnis penitus excedat sensum) sine litteris transfusa sunt.

* uno simpliciique modo

* quæcumque

* quæcumque

Et ipsi quoque sanctissimi principes nostri, dum sacra publice agenda instituerunt, non apertis ac patulis sensibus, sed signis augustioribus [ea] tradiderunt. Est enim non omnis sanctus, neque omnium scientia est, ut sacra testantur Eloquia. Necessario itaque primi illi nostri sacerdotalis muneris duces, quum ex summa supersubstantialique Deitate ipsi sancti muneris plenitudinem percepissent, et id ipsum deinceps proferre et propagare a divina bonitate missi essent, ipsique (ut qui transissent in Deum) posteros ad divina provehere affatim cuperent : visibilibus signis cœlestia sacramenta texerunt; varietateque ac multitudine, quod unicum est et collectum, tradiderunt; et in humanis imaginibus res divinas, materialibusque figuris spiritualium majestatem, atque in iis quæ nobis sunt familiaria, summa illa et supersubstantialia, partim scriptis, partim non scriptis institutionibus suis, juxta quod sacræ definiunt leges, nobis tradiderunt : non modo profanæ multitudinis causa, cui ne ipsa quidem fas est signa contingere; verum ob id quoque, quod hæc nostra sacratissima functio significativa est, plenaque (ut dixi) signis pro modo et ratione captus nostri, indigetque visibilibus figuris, quibus veluti adminiculis ad eorum augustiorem intelligentiam subvehamur.

I *Cor.* VIII, 7.

Non sunt tamen opertæ divinis pontificibus signorum rationes, quas in eos efferre fas non est qui adhuc fidei rudimenta percipiunt. Sciunt enim profecto ut ii qui de sacris rebus divinitus instructi leges dederunt, constantissimis et omni admixtione puris inconfusisque sanctarum distinctionum ordinibus, distribuenda cuique pro merito et captu suo providentissima ratione censentes, functionem ipsam instituerunt. Quocirca tuis sacris pollicitationibus inductum, sanctum est profecto et me admonere, et te earum meminisse, ut eminentissimam pontificalis muneris rationem nemini tradas, præterquam æqualibus tuis reverendissimis* præsulibus, quibus sacra tractare institutum est. Ipsosque illos pontificio jure monebis, mundi ut munda contingant, solisque communicent divina divinis, perfecta perficientibus, sanctisque sanctissima. Ego enim tibi, ut reliquorum sacrorum, ita hujus quoque divini muneris consortium tradidi.

* reverentissimis

# CAPITULUM II

### DE IIS QUÆ IN ILLUMINATIONE BAPTISMATIS FIUNT.

DIXIMUS itaque rite ac pie, quantum sentio, nostram hanc functionem hoc intendere, hoc agere, ut similes Deo pro viribus efficiamur, ipsique jungamur. Hoc autem ita demum potiemur, si (ut divinis monemur Eloquiis) augustissima
*Joann.* XIV, 23. Dei mandata diligamus atque operemur. Servabit enim, inquit, sermonem meum is qui diligit me; et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. Quod igitur initium est reverendissima Dei mandata peragendi, quod animales habitus nostros ad alia suscipienda sacrata eloquia et opera commodissime format, quod nobis, ut ad cœlestia præmia subvehamur, viam sternit, est sacratissimæ ac penitus divinæ regenerationis nostræ traditio. Ut enim dux ille et præceptor noster eximius ait, primus animi ad divina motus, Dei dilectio est. Porro sacræ dilectionis ad divina mandata facienda principalis omnino progressus, est secretissima illa et ineffabilis prorsus operatio, qua divinus in nobis status efficitur. Si enim divinus hic status divina nativitas est, nunquam ille aliquid sciet ex iis quæ a Deo tradita sunt, neque operabitur, qui neque divinum hunc statum consecutus est. An vero nobis quoque ipsis non dicimus prius esse necessarium humanæ vitæ statum, ut sic demum humana possimus operari? Quippe quod non est, id neque motum ullum, neque substantiam omnino habet; quod autem quoquo pacto est, ea solum et agit et patitur, quæ substantiæ statusque sui sunt. Verum id quidem, reor, perspicuum est. Jam vero divina sanctæ regenerationis contemplemur signa. — Et mihi nemo profanus obstrepat, nullus qui rudimentis cœlestibus careat, pergat ad videndum. Nam neque infirmis pupillis adversam solaribus radiis aciem intendere tutum est : ita ne nobis quidem, ea quæ supra nos sunt tentare velle, innocuum fuerit. Siquidem vera legalis sanctaque
II *Par.* XXVI, 19, 20. institutio, Oziam quidem, quod sibi sacerdotale munus assumeret; Core autem, quod
*Num.* XVI, 1-33. celsiora sese sacrosancta munera usurpare præsumeret; Nadab vero et Abiu, quod suo
*Lev.* X, 1, 2. munere indigne abuterentur : abjecit, repulit, perdidit.

### MYSTERIUM ILLUMINATIONIS SIVE BAPTISMATIS.

I *Tim.* II, 4. Itaque pontifex quidem in dies ad Dei similitudinem omnes homines salvos fieri cupiens, et ad agnitionem venire veritatis, prædicat omnibus vera profecto Evangelia, annuntians Deum : quum sit mortalibus ex propria et naturali bonitate propitius, ipsum eximiæ benignitatis gratia, ad nostra infirma descendere dignatum esse, nosque sibi jungendo atque inserendo, ignis instar, quos junxerit, juxta singulorum propo-
*Joann.* I, 12, 13. situm atque aptitudinem, sibi similes facere. Quotquot enim receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, iis qui credunt in nomine ejus : qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. — Porro qui tam sublimium ac tam cœlestium munerum sacro fuerit desiderio et amore captus, accedit ad aliquem ex fidelium numero, oratque ut se ad pontificem ducat, secuturum

omnia quæque* sibi tradentur, penitus atque ex toto animo spondens; precaturque tum ut se adducat, tum ut reliquæ deinceps regendæ vitæ suæ suscipiat curam. Illum, etsi salutis ejus sacro amore succenditur, celsitudinem tamen rei humanamque infirmitatem metientem, continuo horror et angustia difficultatis invadit. Postremo tamen facturum quod ille postulat, benignissime pollicetur; assumensque hominem ad pontificem ducit. — Ille magna cum lætitia, non secus quam ovem perditam in humeris, virum suscipiens, primum quidem secretius ex corde gratias agit; tum in orantis quoque habitum sternitur, adoratque supplex atque veneratur summum illud beneficumque principium, a quo et vocanda vocantur, et salvanda salvantur. Deinde sacros omnes gradus, ut sibi cooperentur, ac pro salute viri simul congaudeant, agantque divinæ clementiæ gratias, in sanctam ecclesiam cogit. Atque initio quidem hymnum aliquem sacris libris insertum, simul cum omnibus ecclesiæ ordinibus canit. Post hæc deosculatis sanctis altaribus, ad virum adstantem proficiscitur, percontaturque ab eo quidnam volens eo venerit. Illo autem, juxta quod a susceptore suo fuerat edoctus, impietatem et veri boni ignorantiam accusante, ac divinæ vitæ opere tam diu se fuisse destitutum ingemiscente, atque orante ut ejus sacratissimo munere ac prece Deo divinisque mysteriis frui mereatur, contestatur ei oportere ex integro totoque corde accedere ad Deum per cuncta perfectum et immaculatum. Tum divinæ quoque conversationis ac vitæ illi explicans rationem, an ita velit deinceps vivere, sciscitatur. Quod ubi ille pollicitus fuerit, imponit ejus capiti manum; consignansque illum, sacerdotibus mandat ut virum susceptoremque describant.

* quæcumque

*Luc.* xv, 4, 5.

*Rom.* viii, 30.

Postea vero quam illi descripsere, sacram effundit precem : quam quum omnis secum ecclesia terminaverit, discingit quidem ipsum, ac ministrorum manibus exuit. Deinde occidentem versus illum statuens intendentem, manusque impingentem ad eamdem regionem conversas, insufflare illum ter Satanam jubet, ac præterea abrenuntiationem profiteri. Et quum post trinam abrenuntiationis contestationem tertio se ille abrenuntiare professus fuerit, ad orientem illum traducit; adspicientemque in cœlum, atque intendentem manus, Christo sacrisque omnibus divinitus traditis consentire jubet. Postquam vero et hoc ille fecerit, rursus ter illum profiteri monet. Trina vero ea confessione peracta, rursus ille orans benedicit, eique manus imponit. — Et quum illum ministri perfecte exuerint, deferunt sacerdotes sanctum unctionis oleum. At vero pontifex trino crucis sanctæ signaculo unctionem inchoans, inungendum jam sacerdotibus toto corpore hominem tradit. Ipse ad adoptionis matrem proficiscitur; ejusque aquas sancta prece ac invocatione sanctificans, terque in eas ad crucis effigiem sanctissimum fundens unguentum, illasque hoc ritu perficiens, terque ad numerum sacræ effusionis carmen quod Prophetæ Deo pleni divinitusque afflati cecinere, pronuntians, semel scilicet per singulos sancti unguinis jactus, jubet afferri hominem. Et quum illum ejusque susceptorem quispiam sacerdotum ex descriptione celsa voce prædicaverit, ille quidem a sacerdotibus se tenentibus in aquam ducitur ad pontificis manum. Pontifex autem superne adstans, quum rursus per aquas sub pontificis manu sacerdotes ejus qui initiatur inclamaverint nomen, ter illum pontifex mergit*, hac trina illius mersione et emersione, tres beatitudinis divinæ Personas inclamans. Assumentes autem illum sacerdotes, susceptori suique accessus duci consignant, et una cum ipso illum vestem baptizati munditiæ congruam induunt, sicque indutum rursus ad pontificem ducunt. Ille divino ac deifico prorsus unguento virum signans, sacratissimæ communionis participem facit. — His ita peractis, exteriori ex munere, suoque ad sequentia et secunda progressu, rursus præsul ad prima et potiora speculanda sustollitur, ut qui nullo tempore, nullo modo, ad aliena ulla quam sola ad

* aquis immergit

munera sua convertitur, sed a divinis ad divina continenter ac semper divino Spiritu divinaque ratione transfertur.

SPIRITUALIS INTELLIGENTIA, CONTEMPLATIO, SANCTAQUE ANAGOGE.

Ista quidem, veluti in signis, sanctæ ac divinæ regenerationis consummatio est. Quæ profecto nihil habet in se indecens, nihil vel ex ipsis carnalibus imaginibus fœdum; sed adsunt illi dignissimæ intelligentiæ signa, naturalibus et humanis ac decentissimis speculis informata. Quid enim illi dignitatis defuisse videatur, etiam si mysteriorum divinior ratio sileatur, quum et persuasione certa, et divinis eloquiis, ejus qui accedit vitæ optimum statum sacratius moliatur, totiusque simul vitiositatis emundationem, diviniori ac virtutibus dedito vitæ genere succedente, denuntiet, ut naturali aquæ expurgatione dum corpora diluuntur, vitia quoque mundata credantur? Hac ergo ratione etsi nihil sacratius haberet mysteriorum significativa traditio, nihil puto haberet fœditatis: quippe quum et rectioris vitæ magisterium præferat, et totius vitiosæ conversationis ablutionem integram, corpore naturaliter aquis omnino purgato, significet. Sed sit illa plane rudibus introductio salutaris, quæ et sacratiora quibus Deo jungimur, quantum fas est, a multitudine dirimat, et in partes distributis ordinibus, cuique pro captu suo congruum subministret ad altiora successum. Nos autem sacris ascensibus visibilium rerum adspicientes initia, ubi ea sacratiori modo didicerimus, sciemus quænam exemplaria formæ hujusmodi, et quæ invisibilia imagines istæ significent. Sunt enim, ut in libro de Intelligibilibus et sensibilibus aperte docuimus, visibilia sacramenta, intelligibilium imagines quædam, quibus ad ea recto itinere ducimur. Porro intelligibilia, visibilium sacramentorum initium sunt atque scientia.

Dicimus igitur esse divinæ beatitudinis bonitatem, cui quum semper adsint per eadem et eodem modo suæ lucis benefici radii, eos in omnia spiritualia lumina affatim explicantem. Sive itaque motu proprio, ab intelligibili lumine spiritualis natura libertate arbitrii donata discedat, insitas sibi naturaliter vires quibus illuminari valeat, amore nequitiæ claudens, lucis excidet gratia, quum præsens illa nequaquam discedat, sed cæcutienti suffulgeat, adversantique vi summæ benignitatis occurrat. Sive indulti sibi modice* luminis terminos transilire nitatur, atque ad excelsioris quam imbecillitas oculorum suorum ferre possit lucis radios, intendere adversos conetur obtutus: lux quidem illa nihil præter lucis operabitur munus; ceterum ipsa dum perfectioribus imperfecte intendit, non modo quæ nihil ad se pertinent nequaquam attinget, verum ea quoque lucis mediocritate qua capere potuisset, proterve superbiens, ac de se magnum sapiens, excidet. Divina tamen (ut diximus) lux spiritualibus semper oculis benignissime patet, licetque haurire præsentem ac paratissimam semper sua munera divina dignatione volentibus tradere. Ad hujus æternæ lucis effigiem atque imitationem divinus formatur antistes, atque doctrinæ suæ cœlestis perlucidos radios super omnes affatim fundit, accedentem semper ad divinæ bonitatis imaginem illuminare paratus. Non autem invidia ulla tangitur, neque ad prioris erroris aut defectionis culpam ira infausta et immoderata movetur, sed ad Dei exemplar accedentibus semper doctrinæ cœlestis fulgorem pontificaliter explicat maxima cum dignitate atque ordine, singulis pro modo et captu suo, divini sermonis jubar impertiens.

* moderate

At si quidem sacri ordinis atque constantiæ Deus principium est, per quam se ipsas divinæ mentes noscunt, ad propriam naturæ suæ speculationem scientiamque recur-

rens, in principio quidem quisnam ipse sit, intuebitur; istudque primum ex illa consideratione ad agnitionis lumen sacrum accipiet munus. Porro, qui sua omnia oculis omni perturbatione liberis diligenter inspexerit, profundas quidem effugiet ignorantiæ tenebras. Verum perfectissimæ illius conjunctionis participationisque divinæ rudis adhuc et ignarus exsistens, ipse non statim ex se ipso continenter hanc cupiet; verum sensim ac per gradus, ad priora semper et digniora atque excellentiora conscendet, sicque perfectus, ad supremum illum tandem divinumque ordinem gradu proficiente subvehetur. Hujus honestissimi atque augustissimi ordinis imago est, accedentis verecundia, suorumque omnium cauta scientia, quæ hominem ducem inquirit, per quem recto itinere ad pontificem eat. Hunc ita accedentem divina majestas in sui consortium intus admittit, eique lucem suam perinde ad signum aliquod tradit, sanctum efficiens, et sanctorum sortis ordinisque participem. Hoc autem significat id signum quod accedenti pontifex primo largitur, salutarisque illa descriptio sacerdotum, per quam ille salvandis inseritur. Neque ille modo, verum et susceptor ejus sacris monumentis inscribitur, utpote vivifici ad veritatem itineris dux : atque ille quidem, quod amator veritatis verus fuerit, ducemque pium secutus sit; hic autem, quod ductu divinitus instituto, sequentem data manu sine errore provexerit.

Atqui fas non est ut quis eorum quæ sibi sunt omnino adversa, una simulque particeps fiat, neque is qui illius quod unum est, consortium aliquod ceperit, dividuas habeat vitas, si quidem unius quam cepit participationem firmam inconcussamque custodiat. Ceterum ejusmodi eo in statu esse debet, ut nullis affectibus qui unum illud dividant atque discindant, ullo pacto violabilis sit. Quod profecto significat signorum illa sacrosancta traditio, quæ accedentem veluti priori exuit vita, et ad extremos usque illam affectus exspolians, nudum illum discalceatumque constituit ad occidentem conversum, et impulsione manuum obscuræ malitiæ consortia renuentem, atque indutum sibi dissimilitudinis statum velut exsufflantem, profitentemque iis ex integro abrenuntiare quæ Deo contraria sunt. Sic exutum penitus affectibus vitiosis, atque his inviolabilem factum, ad orientem sancta traditio transfert, statum per id atque prospectum divini luminis purissimum fore his qui perfecte vitia effugerint, innuens; sanctamque illius professionem, qua unus effectus ad unum prorsus adspirante voto consentit, verissime suscipit.

Sed enim omnibus liquet, ut puto, qui sacra didicerunt, ut perpetua in unum illud constantissimaque intentione dum contraria omnino mortificantur atque abolentur, constantem illum atque immutabilem divini habitus statum intellectualia capiunt. Neque enim solum a vitiositate omni discedere necesse est, verum masculo quoque vigore ad omnem ipsius perniciosam subreptionem, inflexum interritumque durare, et nunquam sacro veritatis amore satiari, nunquam illum consenescere ulla ratione permittere; ceterum id pro viribus eniti, ut ad perfectiora Divinitatis haurienda, perpetua semper intentione feramur. Cernis nempe harum rerum diligentes imagines in iis quæ pontificali geruntur officio. Divinus namque pontifex sacræ unctionis inchoat munus; sacerdotes autem post ipsum, unctionis officium peragunt, ita inunctum ad sacra certamina in figura evocantes, in quibus sub editore munerum Christo constitutus est. Ipse sane certantibus præmia proponit, ut Deus; leges autem certaminis tulit, ut sapiens; præmiaque vincentibus decora constituit ipse pulcherrimus; et quod est profecto divinius, ipse ut summe bonus et clemens, in suis bellatoribus vincit, dum in illis habitans, pro ipsorum salute ac victoria adversus mortis et corruptionis imperium pugnat. Certamina quidem, ut divina, is qui initiatur aggredietur gaudens, perseverabitque in Sapientis sacratissimis legibus, earumque jure vivens, sine ulla

earum prævaricatione pugnabit, præmiorum cœlestium spe firmissima felix, et sub præstantissimo certaminis Domino ac duce constitutus.

Innitens autem sacris vestigiis primoris athletæ, quæ ille sola bonitate calcavit, Dei imitatione pugnando, actiones et substantias sibi ne in Deum transeat adversantes, devincit ac superat, Christoque in Baptismo, ut mystice dixerim, peccato commoritur. Et mihi, quæso, sapienter attende quam sacramenta propriis involuta sunt signis. Quia enim in nobis mors est non substantiæ abolitio, ut quibusdam visum est, sed conjunctarum rerum separatio, ad id quod nobis obscurum est atque invisibile ducens, animam quidem, quasi privatione corporis evanidam disparentemque effectam, corpus autem, ut humo abditum, aut juxta aliam quamdam corporalium immutationum humana ex specie exterminatum; proprie et convenientissime mersio illa qua totus homo aquis operitur, ad imaginem mortis ac sepulturæ informis accipitur. Eum igitur qui sacro fonte renascitur, sacrosancta mysteria docent trina illa lavacri mersione et emersione, divinam triduanæ sepulturæ Jesu auctoris vitæ mortem imitari, quantum attingere homines ad Dei imitationem possunt : in quo, ut sese habet divini Eloquii plena mysterii et occulta traditio, nihil mundi princeps invenit. — Deinceps ita initiatum candentes induunt vestes. Dum enim virili atque ad Dei imaginem formata constantia nullis perturbationibus cedimus, et ad unum illud intentissima devotione flagramus, id quod fuerat turpe componitur, et quod sine specie, formæ gratiam sumit, ac lucentis vitæ fulgore evadit prorsus illustre. — Enimvero illa perficiens unctio facit ita perfectum fragrantia suavissimi odoris insignem : quippe divinæ generationis sacrosancta perfectio, divino Spiritui quæ fuerint perfecta conjungit. Porro adventum illum secretissimum Spiritus qui intelligibiliter odore suavi fragrantes facit ac perficit, quum sit prorsus ineffabilis, illis spiritualiter intelligendum dimitto qui divini Spiritus sanctam ac deificam societatem in anima sua percipere meruerunt. — In fine autem omnium, pontifex ita perfectum ad sacratissimam Eucharistiam vocat, atque consummantium illi sacramentorum communionem deificam tradit.

*Joann.* XIV, 30.

# CAPITULUM III

### DE IIS QUÆ IN SYNAXI SANCTAQUE COMMUNIONE FIUNT.

SED euge, quoniam hujus pulchre sane ac tempestive meminimus, quam profecto negligenter omittere, seu sacramenta quævis alia ante eam laudâre, fas mihi omnino non fuerit. Est enim, juxta inclytum præceptorem nostrum, sacramentorum consummatio. Operæ pretium igitur est prius illam exponere, et ejus veluti corporalia lineamenta describere; tum vero ubi eam ex auctoritate Scripturæ sacerdotalique institutione didicerimus, ad illius contemplandam sacratissimam dignitatem divino Spiritu subvehi. Ac primum quidem illud pie inspiciendum, cujus rei gratia quod aliis quoque venerandis divinisque mysteriis commune vocabulum est, huic præ ceteris præcipue ac peculiariter applicetur, ut singulariter communio, sive societas et synaxis, sive collectio dicatur. Nempe enim et unaquæque sacramentalis institutio id agit, ut nostras vitas in plura divisas, in unicum illum statum quo Deo jungimur colligat, dividuorumque nostrorum divina collectione, nobis ejus quod vere unum est

societatem unitatemque individuam largiatur. Dicimus ergo cetera sacrarum rerum signa quorum nobis societas indulgetur, hujus divinis profecto consummantibusque muneribus perfici. Neque enim ferme fas est sacerdotalis muneris mysterium aliquod peragi, nisi divinum istud Eucharistiæ augustissimumque sacramentum compleat : quæ singula quum peraguntur, et ejus qui perficitur collectionem ad unum illud unicum sacratius operetur; et divinitus indulto sacramentorum cœlestium munere, ipsius ad Deum consortium peragat atque perficiat. Si igitur unumquodque sacerdotale mysterium ex se imperfectum, nostram ad unum illud communionem collectionemque non perficit, ac per id quod perficiendi vim non habet, ferme etiam nomen amittit; finis autem ac principalis omnium ratio in eo est, ut divinorum mysteriorum is qui perficitur particeps fiat : merito sacerdotalis sacrosancta prudentia, ex rerum effectu proprium illi verumque cognomen invenit. Sic igitur et sacrum divinæ generationis sacramentum, quia primi luminis consortium tradit, omniumque divinarum illustrationum principium est : ex effectu ipso, verissimo illud illuminationis cognomine prædicamus. Etsi enim aliis quoque sacerdotalibus sacramentis commune est, iis qui perficiuntur sacri luminis consortium dare; istud tamen in primis mihi videndi præstitit munus, ipsius principali maxime lumine ad alia inspicienda sacramenta lucis gratiam cepi. Verum his generaliter præmissis, diligentius intendamus inspiciamusque per singula mysterii sanctissimi ritum exactissimamque confectionem ; et quid spiritualiter signet, indagare pergamus.

MYSTERIUM SYNAXEOS SIVE COMMUNIONIS.

Itaque pontifex quidem ubi orationem sanctam supra divinum altare peregit, ex ipso incensum adolere inchoans, omnem fani ambitum circuit. Demum ad sanctum altare iterum rediens, psalmorum incipit melos, concinentibus secum sacra carmina omnibus ecclesiastici ordinis gradibus. Deinde ministrorum officio sanctarum Scripturarum lectio suo ordine recitatur. Post hæc extra delubrum catechumeni fiunt, et cum ipsis energumeni *, et ii quoque qui in pœnitentia sunt. Manent autem intus soli qui divina spectare merentur atque percipere. Porro ministrorum alii quidem pro clausis templi foribus adstant; alii proprii aliquid muneris agunt. Qui vero ipsius ordinis præcipui sunt, una cum sacerdotibus sanctum panem et benedictionis calicem sacrosanctis altaribus imponunt, quum ante præcesserit ab omni clero universalis laus atque confessio. Ad hæc venerandus antistes orationem sanctissimam peragens, pacem sanctam omnibus nuntiat, et quum se mutuo omnes salutaverint, mystica sanctorum [voluminum] recitatio fit. Ubi vero manus tum antistes tum sacerdotes aqua laverunt, pontifex ad medium divini adsistit altaris; circumstant autem soli cum sacerdotibus electi quique ex ministrorum numero. At vero pontifex quum divina munera laude prosecutus fuerit, sacrosancta et augustissima mysteria conficit; et quæ ante laudaverat venerandis operta atque abdita signis, in conspectum agit. Divinaque munera reverenter ostendens, ad sacram illorum communionem et ipse convertitur, et reliquos ut communicent, hortatur. Sumpta demum atque omnibus tradita communione divina, gratias referens, finem mysteriis imponit. Ac multi quidem sola in signa divina prospiciunt, ipse autem semper divino Spiritu ad excelsa signorum initia felicibus et intelligibilibus intuenda luminibus, pontificia dignitate ac merito munditiaque singulari divini capaciorisque sensus attollitur.

* vexati, arrepticii

SPIRITUALIS TANTÆ REI SENSUS.

Age itaque, fili honestissime, post imagines rerum, ad ipsam quoque primitivorum exemplarium veritatem profecto divinam deinceps contuendam veniamus. Illud autem ante omnia his qui adhuc rudes imbuuntur, pro convenienti illorum usu ac solatio dixerim, quod nec ipsa quoque varia signorum et sancta compositio illis stolida seu inutilis est, neque solis in exterioribus figitur signis. Namque sacratissima Scripturarum cantica et lectiones, integerrimæ illis vitæ magisterium dictant, et quod ordine præit, exactissimam malitiæ totius ac perniciosissimæ vitiositatis emundationem docent. At vero augustior illa unius ejusdemque et panis et calicis communis pacificaque communio, concordiæ illis, ut fratribus una educatis, divinas statuit leges; atque Cœnæ illius sacratissimæ ex qua signa ista sumpsere principium, sacram memoriam renovat: in qua et auctor ipse signorum, eum qui secum non pie neque concorditer sacra in Cœna perceperat, a contubernalium sorte justissime separat, probabili simul ac divina ratione nos admonens, ut* verus ille ad sacra percipienda et congruo captu firmatus accessus id accedentibus tribuit, ut ex communione divina ad Dei similitudinem atque consortium transeant.

* quo pacto

Hæc igitur, ut diximus, ad ipsas adytorum valvas honestissime picta, rudibus adhuc respicienda linquentes (neque enim altiora capiunt), juxta sacratissimæ synaxis nostræ rationem, ex causalibus ingrediamur ad causas, atque intelligibilium, illustrante Jesu, decoram prorsus intelligentiam intueamur, ex qua primitivorum exemplarium beatissima emicat pulchritudo. Sed, o divinum penitus sanctumque mysterium, obducta tibi significantium operimenta signorum dignanter aperiens, nobis palam atque aperte lucesce, nostrosque spirituales oculos singulari et aperto tuæ lucis fulgore imple.

Oportet igitur nos, ut reor, nudata primi ac præcipui intelligentia signi, intra sacrosancta transire, divinamque principalis hujus signi speciem intueri, ac pontificem augustius cernere a divino altari usque ad fani novissima cum odoris suavitate pergentem, ac rursus ad altare ipsum consummandi sacrificii causa remeantem. Summa namque illa atque divina majestas quæ super omnia est, etsi bonitate divina procedit ut sacram sui communionem accedentibus tradat, non tamen extra substantialem atque immobilem sui status crepidinem* fit. Ceterum omnibus qui divinam præferunt speciem, singulis pro captu suo, vim sui fulgoris impertit, in se ipsa verissime subsistens, atque suam identitatem nunquam penitus deserens. Pari profecto ratione divinum synaxeos venerandumque mysterium, singulari licet ac simplici collectoque principio præditum sit, benignissimo tamen in sacra signorum varietate multiplex fit, pertingitque ad omnem usque sacerdotalis descriptionis imaginem. Sed enim unitatis ratione, ex his rursus ad propriam se colligit monadem, eosque secum unum efficit qui ad illud purgatiori intelligentia subvehuntur. Juxta eumdem igitur divinum modum venerandus præsul, etsi functionis suæ singularem scientiam ad subjectos quoque divinæ bonitatis imitatione derivat, sanctorum ænigmatum* varietatibus utens, rursus tamen, ut absolutus atque ab inferioribus liber, ad suum principium sine ulla sui imminutione revertitur; peractoque in unum illud singulare ingressu suo spirituali, cernit puro lumine mysteriorum signorumque sacrorum liquidas atque unicas rationes, clementisque illius ad inferiora et secunda processus finem, facit diviniorem ad prima et principaliora reditum.

* sedem

* obscurarum velationum

Porro psalmorum sancta modulatio quæ omnibus ferme sacerdotalibus mysteriis

jungitur et substantiæ ratione cohæret, summo omnium principalique mysterio deesse non debuit. Omnis quidem Scripturæ sanctæ textus, aut rerum substantiam ac distinctionem a Deo conditam prædicat; aut legale sacerdotium vivendique denuntiat modum; aut sortes Dei populo distributas ac possessiones narrat; aut judicum sanctorum aut sapientium regum aut piorum sacerdotum sensum ac prudentiam celebrat; aut veterum hominum inter varios et multiplices tristium casus mirabilem constantiam immobilemque philosophiam eloquitur; sive agendæ vitæ sapientia monita, sive divinorum amorum dulcia carmina et divinas effigies præfert; sive futurorum plenas doctrina salutari prædictiones enuntiat; sive divina Domini Jesu in humano corpore opera loquitur; sive discipulorum ejus mores, atque instituta divinitus tradita et ad Dei similitudinem imitando ducentia, sanctissimasque doctrinas, sive arcanam illam ac mysticam omnino visionem dilecti discipuli, divinamque Domini Jesu et altissimam theologiam, eis qui dii fieri merentur, exponit, eosque per mysteria sacra et divina sustollit atque confirmat. Porro divinorum carminum sacrosancta scriptura, quum id præcipue intendat ut omnia Dei eloquia operationesque concelebret, sacratissimeque vitam instituentium virorum verba simul atque opera laudet, divina universaliter canit atque exponit, ad omnia sacerdotalia sacramenta suscipienda atque tradenda eis habitum aptissimum inserens qui illam pie dignisque affectibus promunt. Quum igitur hujusmodi hymnorum modulatio quæ sacra omnia continet, animales habitus nostros congrua dispositione præparaverit ad ea quæ paulo post sunt celebranda mysteria, divinorumque carminum concentu atque consensu, unicam illam ad divina et ad semetipsos atque ad alterutrum consensionem et concordiam, quasi una concordi et consona sacrarum rerum chorea, instituerit; ea quæ in psalmorum modulatione spirituali concisiora sunt atque adumbrata magis, pluribus manifestioribusque figuris ac recitationibus sacratissima divinarum Scripturarum lectione dilatantur. In his si quis pie intendat, uniformem atque unicam conspirationem admirabitur, quam scilicet unus ac divinus Spiritus moverit. Unde consequenter et ex ordine, post antiquioris traditionis lectionem Testamentum novum recitatur: illud, ut reor, divino pontificalique significante ordine, ut vetus illud quidem instrumentum divina Jesu opera futura præcinuerit, novum vero facta prædicaverit; atque illud quidem veritatem imaginibus texerit, præsentem vero istud ostenderit. Illius enim prædictionum veritatem, hujus effectus aperuit et credi fecit; estque divinæ locutionis operatio divina complementum.

Harum rerum hi qui sacramentorum cœlestium omnino rudes sunt, ne ipsas quidem imagines cernunt, salutari divinæ generationis institutione se imbui pervicaci contentione renuentes, et contra Scripturæ sacræ monita, in perniciem suam ita pronuntiant: Vias tuas scire nolo. Porro catechumenos, et energumenos, et eos qui in *Job* XXI, 14.
pœnitentia sunt, sacrosancta sacerdotalis institutio psalmodiam quidem piam et divinam sanctarum Scripturarum lectionem audire permittit; ad ea vero quæ deinceps in hostiæ salutaris oblatione geruntur contuenda, non hos plane, sed perfectos et tantæ rei dignorum admittit obtutus. — Est enim divinus sacer ordo sanctæ justitiæ plenus, et unicuique pro meritis digna salubriter dividit, congruam singulis divinarum rerum participationem, juxta illorum modum et rationem, suo tempore sacratius largiens. —Extremus igitur catechumenis ordo tribuitur. Sunt enim nullius perficientis mysterii participes aut eruditi, carentque divinæ formationis pia substantia, patrumque adhuc solis foventur eloquiis, formisque vivificis ad divinam illam vitæ ac lucis auctorem et beatam, quæ ex divina regeneratione provenit, effinguntur vitam. Quemadmodum igitur carnales infantes, priusquam perficiantur atque formentur, si cura sua destituantur, et absque obstetricum manibus excidant, ut abortivi et emortui, casum illum

ingenitum et vita luceque carentem, in terra habituri sunt. Neque profecto quispiam recte sentiens dixerit, ad id quod videtur intendens, in lucem illos e tenebris ventris emergere. Objiciet enim perita corporum servatrix medicina, lucem in his solum operari quæ lucis capacia sint. Ita et sanctarum rerum sapientissima disciplina, rudes primo atque informes animos, in cunabulis fidei et tenero alimento sermonum Dei, quibus et illuminandi et vivificandi vis adest, curat, fovet, ac nutrit. Ubi vero illorum substantiam ad id perfectionis adduxerit ut ad divinam regenerationem idonei sint, tum demum suo ordine salubriter illis consortium ad ea quæ sunt lucis ac perfectionis, indulget. Nunc vero veluti ab imperfectis perfecta secernit, una et sacramentorum ordinatissimæ dispositionis, et catechumenorum educationis ac vitæ, juxta sacerdotalis functionis divinum ordinem, curam ac providentiam gerens. — Porro energumenorum (qui scilicet vexantur a spiritibus immundis) multitudo insincera quidem et ipsa est, secundo tamen atque altiori gradu catechumenis eminet. Neque enim quod sacratissimorum mysteriorum participationem aliquam habuit, judicio meo, æquandum illi est quod horum omnino rude est, nullique divinarum rerum unquam penitus communicavit. Præterea illis quoque energumeni superiores sunt, qui contrariis aut voluptatibus fœdisque libidinibus aut perturbationibus obnoxii sunt. Quippe et illi sacratissimis rebus et adspiciendis et sumendis arcentur : et merito id quidem. Si enim id verum est, quod qui se Deo omnino devovit vir, qui dignissime divinis participandis admittitur, qui quantum fas homini est, ad summam pervectus est divinæ imitationis effigiem, idque consecutus est perfectissimis illis ac perficientibus modis quibus in Deum transit mortalis infirmitas; is neque ea quæ carnis sunt geret, nisi in quantum urgebit necessitas naturæ, idque veluti ex latere ac per transitum faciet; templumque simul et sequax (in summa illa pro modo suo in Deum transitione) divini Spiritus erit, simile in simili collocans : profecto qui ejusmodi est, nunquam adversis imaginibus terroribusque vexabitur; sed ridebit potius, accedentesque profligabit ac persequetur; agetque magis quam patietur, pro ea constantia habitus quam* induit, nulla perturbatione violabili, nullique cedenti; aliisque hujusmodi vexationum præstabit se optimum medicum. — Ad hæc reor quidem, imo scio et compertum habeo, ut meracissima illa sacrorum sanctaque discretio, [ante] eos novit scelesta et impura actione vexari, quique a divina vita defecere, perditisque dæmonibus et sententia et moribus similes fiunt : dum ea quidem quæ et vere sunt, et immortaliter possidentur, et sempiterne jucunda sunt, per extremam sibique perniciosam stoliditatem aversantes, terrenam potius ac materialem innumerisque perturbationibus subditam immutationem, perditasque et corrumpentes voluptates, atque in his quæ aliena sunt, fluxam et instabilem, neque exsistentem sed apparentem delectationem, ambiunt et operantur. Primi isti igitur, et quidem rectius quam illi, ministri officio et voce separentur. Neque enim fas eis est alterius cujuslibet sacræ rei esse participes, quam eloquiorum Dei, quorum magisterio possint ad meliorem converti frugem. Nam si divinorum veneranda illa altissimaque celebratio, eos quoque qui in pœnitentia sunt, quanquam sui fuerint aliquando participes, respuit, eum qui per omnia consummatæ virtutis sanctitatisque non fuerit nequaquam admittens (et ita ferme castissime pronuntiare videtur : Ego his etiam qui ad supremum divinæ imitationis culmen, imperfectionis suæ gratia non assurgunt, neque visibilis neque communicabilis sum. Arcet enim purissima illa et sincera per omnia vox, eos quoque qui divina digne sumentibus munera conjungi connectique non possunt); longe profecto magis profana et impura illorum turba erit qui passibiliter jactandos se fœdis voluptatibus præstant, et ab adspectu omni et communione sacramentorum prorsus aliena.

* quem

Ubi vero divino excessere fano, et excellentiori meritis suis sacrificio amoti sunt : sacramentorum omnino rudes et necdum initiati ; ac præterea, qui a sacratiori vita defecerunt ; tertioque demum loco, hi qui ob ignaviam suam adversantium spirituum terroribus visisque agitantur, quippe qui per constantem ac firmissimum ad divina consensum, nequaquam ad statum illum plane efficacem pervenerint, quo a divino habitu convelli moverique non possint ; deinceps illi etiam qui licet a contraria vita discesserint, nondum tamen imaginum ipsius habitu altius impresso caruere, et necdum amore divino atque purissimo purgati sunt ; post hos autem et illi qui usquequaque ad unius effigiem non pervenerunt, atque ut legis utar verbis, immaculati omnino incontaminatique non sunt : tum vero castissimi sacratissimorum signorum ministri et studiosissimi spectatores, sacrosancta mysteria digna cum veneratione contuentes, beneficum illud principium ac totius indultorem bonitatis, catholica laudatione concelebrant, ex quo salutaria nobis signa monstrata sunt, quibus ut hi qui initiantur in Deum transeant, sacratius fit. Hunc autem hymnum alii laudationem, alii Religionis symbolum vocant ; alii divinius, ut mihi quidem videtur, pontificalem gratiarum actionem, ut quæ omnia divinitus in nos emanantia sacra dona contineat. Videtur namque mihi omnium quæ laudantur a nobis divinorum operum, circa nostram salutem ratio et causa versari : dum substantiam quidem nostram atque vitam ad boni sistit effigiem ; et primitivis illis venustatibus divinam in nobis speciem format, diviniorisque habitus et celsioris intelligentiæ participes efficit ; insuper providens ut nos qui per negligentiam nostram atque desidiam, divinis deserti atque destituti muneribus sumus, paratis atque ad id institutis bonis, in antiquum statum dignitatemque revocet ; perfectaque nostrorum assumptione, exactissimam propriorum munerum participationem tradat, et tandem nobis Dei divinorumque communio largiatur.

In hunc autem modum ubi suprema illa Dei et excellentissima benignitas laudata fuerit, opertus quidem proponitur divinus panis, et benedictionis calix. Porro sacratissima consalutatio idcirco celebratur, Sanctorumque descripta nomina mystice et modo supramundano prædicantur, quod fas non sit eos ad unum colligi, atque unius illius pacifica conjunctione frui ejusque participes fieri, qui adversum se ipsos dissident atque divisi sunt. Nam si unius contemplatione ac scientia illuminati, unicæ illi ac divinæ nos ad se cogenti luci jungi unumque effici cum illa studeremus, nunquam profecto in varias dividuasque concupiscentias dejici pateremur. Ex his nempe carnales ac passivæ, adversus ejusdem naturæ consortes, gignuntur inimicitiæ. Hanc itaque, ut reor, unicam et uniformem atque individuam vitam, sacra illa pacis conciliatio sancit, simile in simili collocans, et divina singulariaque spectacula a dividuis dirimens. Enimvero Sanctorum post pacem illam nominum prædicatio, eos præconio attollit qui pie sancteque vixerunt, et ad finem usque, virtutis vitam constanter nusquam ab ea deflectendo tenuerunt : nos quidem ad imitandum beatissimum illorum habitum, atque ad divina appetenda præmia, provocans ac ducens ; illos autem veluti viventes prædicans, qui ut Theologia ait, non mortificati, sed in divinam penitus vitam *Joann.* v,
ex morte translati sunt. Inspice autem ut sacris quoque memoriis adscripti sunt. 24.
Nempe enim divina memoria non humano more, in phantasia ejus partis ubi sedes est memoriæ, insinuamur, sed sacratiori quodam modo, juxta eam quam in Deo intelligimus, ut ita dixerim, pretiosam et nunquam migrantem scientiam eorum qui in Dei imaginem excessere, atque in Deo consummati sunt. Novit enim, ut ait Scriptura, II *Tim.* II,
qui sunt ejus ; et, Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus. Quæ profecto 19. *Ps.* CXV, 15.
Sanctorum mors, pro consummata in sanctitate dicitur vita. Sed et illud quoque sacratius intuere, quod impositis sancto altari venerabilibus signis per quæ Christus

*prædicatio signatur ac sumitur, adest protinus atque incunctanter Sanctorum descriptio*, conjunctionem eorum individuam unionemque cum illo altissimam et sacratissimam indicans.

His autem eo quo diximus jure peractis, adstans coram signis sanctissimis, pontifex manus lavat cum sacerdotum honestissimo ordine : quod quidem, juxta Salvatoris eloquium, is qui lotus est, nulla alia nisi tantum summitatum extremitatumve suarum lotione indigeat. Per quam profecto supremam munditiam, illud consequitur, ut castissimo in habitu divinæ speciei constitutus, ad sequentia quoque ad divinæ bonitatis imaginem prodeat, vinculis omnibus mortalium affectionum liber atque expeditus, ut qui in unius omnino transierit speciem ; et dum ad unum rursus singulari illo pacisque cognito modo convertitur, immaculatam eam conversionem faciet atque illibatam, quippe qui divinam plenitudinem integritatemque custodiat. Et dudum lavacrum illud in veteri præfigurabat lege, ut in libro de Legali sacerdotio diximus, et modo in pontifice ac sacerdotibus hæc ablutio manuum signat. Eos enim qui ad sacramenta cœlestia conficienda procedunt, ea oportet esse munditia, ut ipsas quoque animæ extremas imagines purgatas habeant, sicque ad reverenda mysteria, quantum fas est, similitudine puritatis accedere. Ita enim liquidiori divinæ apparitionis luce cingentur, eximiis illis altissimisque fulgoribus, in specula ad sui similitudinem lucentia, uberius atque limpidius proprium immittentibus jubar. Enimvero pontificis illa sacerdotumque exactissima et ad summa usque sive extrema ablutio, coram signis sacratissimis agitur, ut ostendatur sub Christo nos arbitro degere, cunctas nostras secretissimas cogitationes inspectante. Ubi vero suprema illa expiatio, ipsius patulis et cuncta spectantibus oculis, et justissimis incorruptisque inclinationibus, probata præcessit, tunc jam divinis pontifex jungitur ; exactaque divinorum operum laude, venerandaque mysteria conficit, atque in conspectum agit.

*Joann.* XIII, 10. — III *Reg.* VII.

Quænam vero esse divina in nos opera existimemus, deinceps exponendum pro viribus. Neque enim laudare omnia sufficio equidem, nedum aperte scire aliosque docere. Quæ tamen a sanctissimis viris juxta sacrarum Scripturarum fidem laudantur atque celebrantur, ea nos pro captu nostro dicemus, quum primum divinam inspirationem in auxilium nostrum invocaverimus. Humanam naturam initio stolide a divinis beneficiis prolapsam, obnoxia passionibus variis vita suscepit, et mortis corruptibilis finis. Quippe perniciosa illa a vera bonitate defectio, et sacræ in paradiso legis prævaricatio, eam quæ sponte sua blande mulcentibus atque infestis adversarii fraudibus cedens, vitale excusserat jugum, his quæ sunt divinis bonis contraria, tradidit. Hinc jam miserabiliter æternitatem mortalitate mutavit ; et quæ initium corruptibilis generationis acceperat, ad consentaneum principio finem justissime properavit. Sed et a sublimiori vita propria voluntate delapsa, et ad contraria extrema devecta, immutationem tenuit variis perturbationibus subditam. Oberrans itaque, et a recto itinere ad eum qui veraciter Deus est tendente, aversa, et perditis atque maleficis subjecta turmis, minime advertit se pro diis et amicis, infestis hostibus fuisse obsecutam. His vero illa inclementer pro suæ immanitatis libidine abutentibus, in id devenerat, ut substantiam suam miserabiliter periclitaretur amittere, atque omnino perire. At vero divinæ illius bonitatis infinita clementia, benignissime omnino providentiam nostri ne sic quidem omisit per se ipsam operari, nostrorum omnium sine peccato veraciter particeps facta, nostræque humilitati inserta absque confusione ulla et maculatione veræ et integerrimæ divinitatis suæ : cujus nobis consortium, utpote jam congeneis, largita est ; suorumque bonorum participes declaravit, adversariæ potestatis (ut habet occulta traditio) imperio quod adversum nos erat, profligato, non

*Hebr.* IV, 15.

viribus veluti prævalens, sed juxta nobis traditum mystice Eloquium, in judicio et justitia. Nostra vero in contrarium penitus clementissime transtulit : quippe qui animi nostri cæcitatem divino implevit atque opulentissimo lumine, deformitatemque divinis exornavit speciosissimisque muneribus. Porro animæ nostræ habitaculum in salute perfecta jam labentis nostræ substantiæ, fœdissimis passionibus perniciosisque inquinamentis liberavit, quo pacto mundo superiores evadamus insinuans, cœlestemque nobis conversationem sternens, per quam illi pro viribus similes efficiamur. Enimvero divina ista imitatio quomodo nobis aliter obveniat, nisi memoria tam excellentium beneficiorum Dei jugiter innovetur sacerdotalibus prædicationibus atque mysteriis? Hoc enim facimus, ut sacra Eloquia admonent, in ejus commemorationem. Hinc jam *Luc.* XXII, 19. venerandus antistes divinis altaribus adstans, sancta et divina laudat Jesu opera, quæ ineffabilis providentiæ ratione, in salutem generis nostri, voluntate sanctissimi Patris, in Spiritu Sancto (ut Eloquia divina tradunt) consummavit.

Peracta vero laude, venerandaque ipsorum et intelligibili speculatione spiritualibus inspecta luminibus, tum vero etiam ad sacra mysteria in signis celebranda progreditur, idque ex traditione divina. Quocirca reverenter simul et ex pontificali officio, post sacras divinorum operum laudes, quod hostiam salutarem quæ supra ipsum est litet, se excusat, ad ipsum primo decenter exclamans : Tu dixisti, Hoc facite in meam *Ibidem.* commemorationem. Deinde tanto ministerio ad imitationem Dei instituto dignus fieri postulat, et similis ipsi Christo pro viribus evadere, ut et sacramenta sancte conficiat et caste distribuat, et qui ad communionem accessuri sunt, digne participent : sicque venerandissima mysteria consummat, et laudata oculis subjicit in signis sancte propositis. Sane opertum panem et individuum aperit, in frusta concidens, et singularem calicem omnibus impertiens, unitatem signanter multiplicat atque distribuit, inque his consummat cœleste mysterium. Unum enim illud et simplex atque secretum Jesu divini Verbi, nostræ humanitatis assumptione, ad compositum atque visibile sine immutatione sui, per summam clementiam benignitatemque processit ; societatemque nostram qua sibi jungeremur, beneficentissime excogitavit, nostra humilia divinis suis excellentiis jungens : siquidem et nos illi tanquam membra corpori congruamus, et per vitæ sinceræ ac divinæ similitudinem compaginemur, ne corrumpentibus mortificati vitiis, ad divina et sanissima membra incongrui efficiamur, ut qui hærere eademque vita vivere nequaquam valeremus. Oportet enim nos, si ad illius adspiramus societatem, divinam ipsius in carne vitam intueri assidue, sanctamque ipsius impeccantiam imitando, pro viribus ad sacratiorem habitum exactissimamque recurrere intelligentiam : ita enim convenienter nobis societatem ad simile consortium largietur. Ista his quæ mystice fiunt pontifex signat, dum operta munera in apertum ducit, ipsorumque unitatem in plurima dividit, et perfecta sacramentorum sic distributorum ad ea in quibus fiunt insitione, socios eorum illos qui ea perceperint efficit. Describit enim in his, ferme sensibiliter in conspectum dans, Christum Jesum nostram spiritualem (ut in imaginibus) vitam, ex Divinitatis occulto, perfecta et inconfusa nostræ mortalitatis assumptione, clementissime proprietatem ex nobis accepisse, atque ad divisibile nostrum, sine immutatione sui, ex unitate naturali processisse, perque hanc beneficam clementiam, ad participationem sui suorumque bonorum invitare genus humanum : si tamen ipsius sacratissimæ inseramur vitæ, ipsam quantum fas est imitando. Sicque veraciter consortes Dei divinorumque participes efficiemur.

Sumptis vero traditisque mysteriis sacris, in gratiarum actiones cum omni ecclesiæ sancta multitudine desinit. Enimvero participatio communionem præcedit, mysticamque distributionem mysteriorum sancta perceptio. Est enim hic divinarum rerum de-

centissimus ordo, ut prius communicet atque impleatur sanctus præsul his quæ per illum distribuenda sunt ceteris, divinis donis, et sic aliis tradat. Quocirca et hi qui divinis magisteriis (priusquam digna illis conversatione capaces effecti sint) abutuntur audacter, impuri atque a sacra lege extranei omnino censentur. Ut enim in solis radiis tenuiores limpidioresque substantiæ primæ influenti luce replentur, sicque exuberantem lucem in subsequentes solis vice transfundunt; ita non sine periculo divinis in rebus quibusque, aliis se ducem præstare præsumit, qui non per omnia evaserit simillimus Deo, et ab inspiratione judicioque divino fuerit gubernator declaratus. In his omnis sacerdotalis functio pontificaliter congregata, post divina percepta mysteria, cum gratiarum actione desistit, ubi scilicet divinorum beneficiorum gratias pro modulo suo recognovit atque laudavit. Qui enim divinorum exsortes sunt atque omnino rudes, nequaquam ad agendas gratias convertuntur, quamvis ex natura sua, dignissima sint gratiarum actione dona divina. Ceterum, ut dixi, quum neque tunc divinis muneribus aciem intendere voluerint, quod ad deteriora magis inclinarint, ingrati ad infinitas divinorum beneficiorum gratias persliterunt. Gustate, inquit, et videte. (*Ps.* XXXIII, 9.) Profecto, qui sacrosancta divinarum rerum disciplina initiantur, permagnificas ipsarum recognoscent gratias; et excellentissimam illarum celsitudinem ac magnitudinem participatione speculantes, cœlestia Divinitatis beneficia grate laudabunt.

# CAPITULUM IV

### DE HIS QUÆ IN UNGUENTO FIUNT, ET QUÆ IN IPSO CONSUMMANTUR.

HÆC habuimus quæ de sanctissima synaxi diceremus, adeo pulchra spiritualiaque spectacula, quæ nostram ad unum (ut sæpe jam diximus) societatem atque collectionem pontificaliter promoverent. Sed enim alia est hujus finitima veneranda confectio unguenti. Consecrationem eam vocant præceptores nostri. Hujus itaque partes quum juxta sacras imagines suo perspexerimus ordine, sic demum ad unum ipsius per partes sacris intelligentiis subvehemur.

#### MYSTERIUM CONFECTIONIS UNGUENTI.

Juxta eumdem synaxis modum, eorum qui necdum initiati sunt, absolvuntur ordines : ubi scilicet præcessit pontificis circum omnem fani ambitum redolens thure profectio, psalmorumque modulatio, et lectio Scripturarum divinarum. Sumptum deinde unguentum pontifex sacris imponit altaribus, duodecim sacris alis circumtectum, resonantibus omnibus voce sanctissima melos sacrum, quod divinitus afflati Prophetæ didicerunt. Completaque oratione super eo solenni, in sanctissimis eorum quæ sacrantur consummationibus eo utitur ad omnem ferme sacerdotalis officii functionem.

SPIRITUALIS SENSUS CONTEMPLATIO.

Ut autem in hujusmodi quoque consummante mysterio, sacratiora quæramus intelligentiæ, per ea quæ in sacro unguento fiunt, illud (reor) exprimitur, quod in sanctis viris obtectam esse oporteat sacram animi virtutem atque fragrantiam. Siquidem illis divina semper voce suggeritur, ne ad inanem gloriam, quando per virtutis studia ad speciosas illas atque odoratas secreti Dei similitudines tendunt, ostentationi inserviant. Sunt enim intemeratæ secretæ Dei sensumque excedentes odoratæ pulchritudines, solisque spiritualibus spiritualiter insinuantur, habereque cupiunt similes in animabus atque inviolabiles virtutis imagines. Quippe divinæ virtutis incorruptum ac præclare expressum sigillum, ita demum sibi format ac fingit imitatione præstanti, si a spirituali illa fragrantique pulchritudine nusquam deflectat obtutus. Denique, sicut in sensibilibus imaginibus, si ad primitivam speciem pictor constanter intendat, ita ut ad nihil aliud visibile pertrahatur, aut in aliquo dividatur secundum se, ipsum illum, quisquis est, qui pingitur (si dicere liceat) duplicabit, veritatemque in similitudine et archetypum in imagine reddet, ac præter substantiæ differentiam, utrumque in utroque referet; ita et industriis * quibusque spiritualibusque pictoribus, intentus ille ad fragrantem et occultam pulchritudinem et nusquam declinans obtutus, id largietur ut sine errore divinam in se imaginem exprimant. Congrue igitur pictores divini, mentem suam eminentissime ad odorum * spiritualemque decorem formantes, nullam earum quæ in eis sunt divinarum virtutum operantur (secundum Evangelium) ut videantur ab hominibus; sed sacratius, veluti in imagine sancti unguenti, speculantur sacratissima quæque Ecclesiæ circumtecta. Quocirca ipsi quoque virtutis sacratiora et diviniora, intra animum Dei imitatione et inscriptione sublimem, sancte obtegentes, ad solam primitivam intelligentiam adspiciunt. Neque enim dissimilia solum non vident, sed ne ipsi quidem ad illorum trahuntur adspectum. Ex quo profecto fit ut congrue sibi, nequaquam quæ frustra videntur, sed quæ veraciter sunt præclara et justa, fortius ament: neque eam gloriam æstiment quam vulgo irrationabiliter beatam putant; sed bonum aut malum in se ipsis ad Dei æmulationem judicantes, signa divina sunt supremæ illius augustiorisque fragrantiæ, quæ in se ipsa odorem veraciter habens, ad id quod plurimum dissimiliter se habere videtur, nunquam convertitur, veris suis imaginibus nihil imprimens simulatum, nihil fictum.

* ingeniosis, solertibus

* odoriferum

*Matth.* VI, 1.

Age vero jam quando pulchri omnino mysterii, quod totum pulchrum est, exteriorem inspeximus decorem, sacratiorem ipsius pulchritudinem intueamur, ipsum in se ipso sublatis velaminibus inspicientes beatissimum aperte jubar emittere, nosque ea replere fragrantia quæ spiritualibus operta non est. Neque enim visibilis illa unguenti confectio illis est inaccessa vel invisibilis, qui circa antistitem sunt; sed contra ad illos quoque pertingens, figensque intelligentiam eminentem plurimis, ab eis reverenter obtegitur, sacerdotalique officio a turba dirimitur. Quippe sacratissimorum signorum radius, divinis viris, ut propinquis intelligibilis lucis, pure ac continenter infulgens, spiritualiaque ipsorum adminicula, amoto tegmine, odore imbuens, ad id quod inferius est, non jam similiter prodit. Ceterum ab ipsis, utpote occultis inspectoribus intelligibilis lucis, secretius (ne a dissimilibus quibusque violetur) sub pennatis opertionibus operitur: per quæ profecto sacra signa, subjecti honestissimi ordines ad sacram proportionem suam promoventur.

Est igitur, ut dixi, quod nunc laudatur a nobis sacrosanctum mysterium, ejus

ordinis atque virtutis, ut sacerdotalia cuncta perficiat. Atque ideo sancti præceptores nostri istud, quasi æquali ordine atque officio, sacro synaxeos conjunxere mysterio, eisdem imaginibus, ut plurimum, et distinctionibus mysticis et eloquiis subnixum sacris. Et pontificem quidem adspicies pari modo ex sacratiori loco præclarum odorem ad sequentia sacra proferentem, redituque ad eumdem locum suo, edocentem divinarum rerum participationem in omnibus quidem sacris pro meritis fieri, verum ipsam neque moveri ulla ratione, nec minui, intra divinæ crepidinis suæ proprietatem sine ulla mutatione perstantem. Pari rursus ratione, Scripturarum cantica et lectiones, rudibus adhuc ad vitalem adoptionem obstetricum funguntur officio; conversionemque efficiunt sacram eorum qui agitantur a dæmonibus. Contrariosque pavores tollunt, et male mulcentia voluptatum, ab his qui pro imbecillitate sua arripiuntur, supremum divini habitus atque virtutis illis pro modo capacitatis suæ insinuantes : qua scilicet virtutis excellentia terrebunt ipsi magis potestates adversas, aliorumque curæ præfecti erunt; atque ex imitatione Dei, quum in nullo propriis bonis efferantur, adversus contrarios pavores non tantummodo habent vim efficacem, verum etiam largiuntur. Porro his qui a deterioribus conversi, ad mentis rediere munditiam, sacrum inserunt habitum, ne rursus manus vitiis et nequitiæ dent; quibus autem aliquid deest ad consummatam exactissimamque castimoniam, eos expiant; sanctos vero ad divinas imagines subvehunt, et earum contuitum atque consortium. Pascunt itidem exactissime sanctos beatissimis spiritualibusque spectaculis, implentes unicum ipsorum uno, atque unum facientes.

Quid illud? Nonne et eos ordines qui non omnino mundi sunt, quos jam memoravimus, sine admixtione dimittit, eodem quo synaxis modo, id quod nunc in manibus est sacrum consummansque mysterium, quod solis ac sanctis imaginibus cernitur, atque a solis consummatæ sanctitatis viris, continenter sacratissimis intelligentiis inspicitur atque conficitur? Hæc itaque a nobis jam sæpius dicta, superfluum est, ut reor, eisdem iterare sermonibus. Ad ea igitur magis quæ sequuntur, transeamus; intueamurque pontificem alis duodecim circumtectum habentem sacrum unguentum, castissimamque in eo perfectionem consummantem. Dicimus igitur unguenti compositionem, collectionem esse quamdam spirantium suaviter materiarum, habentem in se affatim odoratas qualitates : cujus qui participes sunt, pro quantitate ejus quæ in illis fit fragrantis participationis, odoris suavitate replentur. Scimus autem augustissimum Jesum supersubstantialiter odorum esse, intellectuale nostrum spiritualibus distributionibus divina voluptate replentem. Si enim carnalium odoramentorum perceptio, suaviter fovet ac nutrit magna cum voluptate narium nostrarum judicium, modo illabefactum adsit, atque ad odores in commensione respondens; rationabiliter dixerit quispiam, spirituales etiam virtutes nostras nulla ratione ad deteriora vergentes, naturali vigore judicii nostri, secundum divinæ operationis modos congruamque ad Deum animi conversionem, ad perceptionem divini odoris evadere, et sacra voluptate ac pabulo diviniori compleri. Ipsa itaque unguenti compositio mystica, ut ea interim formemus quæ formam nequaquam admittunt, ipsum nobis pingit Jesum, principalem scilicet divinorum odorum opulentiam, sacris proportionibus in augustissima quæque spiritualium divinos vapores immittentem : in quibus spiritus suaviter affecti, sacrisque perceptionibus pleni, spirituali utuntur alimonia, odoratis distributionibus ad ipsorum intellectuale divina participatione subeuntibus.

Liquet autem, ut reor, quod superioribus substantiis, utpote divinioribus, principalis fragrantiæ gratia propinquior est ferme, magisque se ipsam insinuat ac diffundit, in ipsarum liquidissimam lucem et spiritualis virtutis valentiam affatim inundans ac

multipliciter subiens. Porro, ad inferiora spiritualium neque ita capacia, supremam illam speculationem ac participationem immaculate occulens, vaporibus pro modo participantium congruis, in commensuratione divina distribuitur. Sanctorum itaque Seraphin ordo cœlestibus sanctissimisque substantiis adeo eminens, in alis duodecim circa Jesum firmiter stare describitur, beatissimisque illius speculationibus pro viribus defigere obtutus, ac distributione spirituali in castissimis susceptionibus sacratius imbui, laudatissimamque theologiam, ut carnaliter dixerim, linguis nunquam tacentibus exclamare. Sacra enim cœlestium spirituum scientia, et infatigabilis est, et nunquam deficientem divinum habet amorem, omnique malitia et oblivione superior est. Unde clamor ille nunquam quiescens, designat, ut reor equidem, sempiternam illorum et nusquam migrantem scientiam et intelligentiam Deo constantissime gratias agentem. *Apoc.* IV, 8.

Sanctorum ergo Seraphin incorporeas proprietates descriptas in sanctis Litteris, imaginibus spiritualia declarantes, in distinctionibus cœlestium ordinum, puto, diligenter inspeximus, tuisque spiritualibus subjecimus oculis. Quia tamen nunc quoque qui pontificem reverenter circumstant, ipsam illam nobis altissimam figurant distinctionem, breviter modo itidem purgatissima acie, illorum intueamur augustissimam lucem. Ipsorum itaque facies varia, pedumque multitudo, signat (ut arbitror) perspicacissimam divinis hauriendis fulgoribus proprietatem, intelligentiamque bonorum divinorum semper mobilem et multa peragrantem. Porro tergeminam alarum positionem, ut sanctæ tradunt Litteræ, non sacratiorem numerum signare arbitror, quod quibusdam placuit; sed id potius, quod ejus qui Deo proximus est, excellentioris ordinis supremæque substantiæ, absoluta penitus et supermundana prima et media atque extrema sint, spirituales ipsius subvehentia divinasque virtutes. Quocirca sacratissima Scripturæ sanctæ sapientia pennarum describens fictionem, circa facies ipsorum et media et pedes, pennas imposuit, quod sint in totum pennata significans, et modis omnibus ad id quod vere est, potenti virtute ferantur. Quod si facies ac pedes velant, solisque mediis alis evolant, intellige sacratius hunc ordinem tam excellentem, supremarum altissimarumque substantiarum celsiora ac profundiora intelligentiis suis revereri, mediisque alis modice ad Dei speculationem ferri, divinis lancibus propriam subjiciendo vitam, a quibus ad sui notionem apte promovetur. Quod autem Propheta ait, Clamabant alter ad alterum : illud, reor, insinuat quod divinarum intelligentiarum suarum sibi invicem participationem sine invidia tradunt. *Ezech.* I, 5-10. *Is.* VI, 2. *Ibidem.* *Ibidem.* *Ibid.* 3.

Et hoc item nequaquam silebimus, quod Hebræorum lingua plene significante cognomine, ex eo sanctissimas Seraphin substantias vocat, quod per divinam semperque mobilem vitam ignescant et ferveant. Si igitur, ut aiunt qui Hebræam linguam callent, altissimi Seraphin incendentes et calefacientes a Theologia appellati sunt, proprio plane et substantialem habitum suum signante nomine, sacri unguenti, juxta quod significativa ipsius describit imago, sursumagentes habent virtutes, quæ ad ipsius expositionem efficaciorumque vaporum distributionem evocent. Quæ enim sensum superat odora substantia, ab ignitis purissimisque spiritibus moveri in notitiam amat, sacratissimasque inspirationes suas his qui sic illam excellentiori modo evocant, in opulentissimis distributionibus donat. Non ignoravit igitur altissimus supercœlestium substantiarum ordo, Jesum Deum summum, ut sanctificaretur, descendisse; sed eum plane intelligit, per divinam ineffabilemque clementiam sancte ad nostra se ipsum dejecisse, atque a Patre, seque ipso, ac Sancto Spiritu se humano more sanctificatum cernens, suum recognovit initium, in his quæ divina virtute ipse operatur, substantiæ immutabilitate subnixum. Quocirca signorum sacrorum veneranda traditio,

Seraphin sancto, dum sacratur, circumponit unguento. Christum indemutabilem sciens atque describens, in vera et integra assumptione fragilitatis humanæ.

Et quod præterea divinius est, ad omnis sacræ rei consecrationem utitur unguento *Hebr.* II, 11. divino, aperte indicans sanctificantem eum qui sanctificatur, juxta Scripturæ testimonium, ut qui semper sibi ipsi similis atque idem sit in omni divinæ benignitatis operatione. Idcirco et sacræ regenerationis perficiens donum et gratia, unguenti sacratissima consummatione perficitur. Unde, ut reor, purganti quoque baptisterio unguentum jactibus in crucem formatis infundens pontifex, palam speculativis oculis indicat, ad ipsam usque mortem per crucem Jesum pro divina generatione nostra, sacro ipso et qui teneri a morte non posset descensu, inferna penetrantem, eosque qui *Rom.* VI, 3. in morte ipsius (juxta arcanum Eloquium) baptizati essent, ex antiqua absorptione corrumpentis mortis benignissime avellentem, atque renovantem ad divinam perpetuamque substantiam. Sed et ipsi qui sacratissimo regenerationis mysterio consecratur, adventum Sancti Spiritus consummans inunctio largitur unguenti, subsignificante (quantum arbitror) sacra descriptione signorum, ab ipso qui propter nos in assumpta carne divino Spiritu sanctificatus est immutabili substantialis deitatis habitu, sanctissimum Spiritum dari. Et hoc item sacratius adverte, quod divini quoque altaris consecrationem, sanctissimorum mysteriorum lex, sacratissimi unguenti castissimis infusionibus perficit. Est autem supercœlestis et supersubstantialis hæc divina operatio, totius nostræ divinitus indultæ sanctificationis initium, atque substantia, et perficiens virtus. Nam si sacratissimum altare nostrum Jesus est, divina scilicet spirituum *Ephes.* II, 18. sanctorum consecratio, in quo, juxta Scripturæ fidem, sanctificati et mystice holocausti instar incensi, accessum habemus, purgatis luminibus ipsum profecto sanctissimum speculamur altare, in quo quæ fiunt consummantur et sanctificantur, ab ipso sacratissimo unguento perfectum. Sanctificat enim pro nobis semetipsum totius sanctitatis apex Jesus, omnique nos sanctificatione replet, his quæ in eo mira dispensatione geruntur, ad nos veluti jam divina generatione dignatos, summa benignitate manantibus.

Unde, ut opinor, juxta sacratiorem sensum traditione divina, sancti nostræ sacerdotalis functionis duces honestissimum illud unguenti consecrandi munus, teleten, ab effectu rei quæ in eo perficitur, nominant. Nec defuere qui hanc dixerint, Dei teleten, de utroque sensu divinam ipsius confectionem prædicantes. Est enim ipsius telete, etiam quod nostri gratia sanctificatur in carne, et quod divina operando cuncta perficit, ac perfecta sanctificat. Porro, sacrum divinitus inspiratorum Prophetarum melos, aiunt qui Hebraice norunt, laudem Dei significare, sive, Laudate Dominum. Quum igitur sacra omnis divina apparitio et operatio in varia sacerdotalium compositione signorum descripta sit, nequaquam indecens fuerit meminisse laudationis quam Prophetæ afflati Spiritu Sancto perdocti sunt. Docet enim honeste simul et sancte, digna esse sacris laudibus opera beneficiaque divina.

# CAPITULUM V

## DE SACERDOTALIBUS CONSECRATIONIBUS ET CONSUMMATIONIBUS.

HOC ordine sanctissimum consecratur unguentum. Tempus vero jam admonet, post divina istiusmodi munia, ipsos exponere sacros ordines ac distributiones, virtutesque ipsorum, et actiones atque consummationes, subjectamque illis trinitatem excellentium ordinum : ut ostendatur sacerdotii nostri perfunctio, inordinata omnia et incomposita atque confusa ab se arcere semper atque cohibere, ornatum vero atque ordinem et gravitatem, in proportionibus sanctorum ordinum suorum exhibere. Et quidem hierarchiam omnem cur in trinitatis distribuerimus numerum, in libro de Cœlesti hierarchia congrue satis (reor) exposuimus, dicentes, ut habet sacra nostra traditio, omnem sacrorum ordinum functionem, in sanctissimas teletas* dividi, *sanctificationes et in eos qui divina probe callent aliosque sacratius imbuunt, inque eos qui ab his sanctissime promoventur. Itaque suprema quidem supercœlestium substantiarum hierarchia, teleten habet pro viribus propriam, Dei scilicet divinarumque rerum liquidissimam intelligentiam, capaxque Divinitatis est integre, et Deum, quantum fas est, contendit imitari; porro illuminantes atque ad sacram hanc efficientiam duces, eas quæ circa Deum sunt, primas essentias : hæ namque in inferiores sacros ordines, benigne indultas sibi semper deificas notiones a per se perfecta altissimosque spiritus sapientia replente Deitate, pro ipsorum modo transfundunt. Qui vero primis substantiis subjecti sunt ordines, ut qui per illas sancte promoveantur ad deificam Divinitatis notionem, perficiendæ distinctiones et sunt et appellantur. Post illam vero cœlestem supramundanamque hierarchiam, ad nostra quoque summa illa Divinitas sua sacratissima munera benigne derivans, quum parvuli (juxta Eloquium) essemus, legale *Galat.* III, 24; IV, 3. indulsit sacerdotium, obscuris verarum rerum imaginibus, et figuris a primitivis suis remotissimis, signisque haud facile penetrabilibus, ac typis opertam habentibus neque discerni facilem intelligentiam, congruam et viribus nostris convenientem lucem, ut imbecillioribus oculis, innocue infulgens. Huic autem legali sacerdotio telete fuit ad cultum spiritualem obsequiumque provectio. Duces vero ad eam hi sunt qui sanctum illud tabernaculum a Moyse sacratius didicerunt, primo scilicet legalium sacerdotum præceptore ac duce. Ad quod sacrum tabernaculum quum imbuendis rudibus legale sacerdotium pingeret, ad ostensi sibi in Sina monte exemplaris imaginem, omnia quæ *Exod.* XXV, 40. secundum legem consummarentur evocabat. Instructi vero hi dici possunt qui suo ordine a legalibus signis ad perfectiorem instructionem promoventur. Porro perfectiorem eruditionem hierarchiam nostram Theologia vocat, impletionem hanc illius sa- *Matth.* V, 17; *Rom.* X, 4. crumque appellans finem. Est autem tam cœlestis illa perfunctio, quam legalis : quarum nostra hæc, quod sit media, utriusque extremitates apprehendit societate mirabili : ac superiori illi quidem, spiritualibus intelligentiis fulgoribusque communicat; inferiori vero, quod signis carnalibus variatur, perque ipsa sacratius promovetur in Deum. Porro ternarium numerum pontificalis distributionis æque habet, dum in augustissimas mysteriorum sacrorum sanctificationes dividitur, et in augustiores sanctarum rerum ministros, atque in eos qui ab his ad sacramenta suo ordine et pro captu suo quique subvehuntur.

At vero quæque ex tribus hierarchiæ nostræ divisionibus, ad legalis et illius sacratioris quam nostra est functionis, imaginem, prima et media et extrema statuitur: tum sacratioris proportionis, tum venustissimæ ac suo ordine congruæ et cuncta nectentis societatis virtute subnixa. Itaque sanctissima quidem mysteriorum operatio, prima quidem ei innititur divinæ virtuti, quod rudes hactenus purgat; media, quod purgatos ratione sacratioris eruditionis illuminat; ultima, quæ et priores concludit et complet, quod ita eruditos, suarum instructionum scientia perficit. Porro ministrorum sacra distinctio, in prima sui potentia, per mysteria rudes eatenus purgat; in media, purgatos illuminat; in ultima, quæ et suprema sacratius operantium virtutum est, eos qui divini luminis communione dignati sunt, in perceptorum radiorum peritis consummationibus perficit. At vero initiandorum vis prima est quæ purgatur; media post purgationem, quæ illuminatur, et ad sacramentorum quorumdam intelligentiam admittitur; extrema vero sacratior ceteris, quæ sacrarum (quas intellexerat) rerum, consummantem assequitur divino fulgore scientiam. Sanctæ itaque operationis mysteriorum triplex celebrata est virtus: ostensumque de sacris Litteris, sanctam regenerationem, purgationem esse illuminantemque scientiam; porro synaxim et unguenti confectionem, consummantem divinorum operum scientiam et disciplinam, per quam provectus ille sublimis qui Deo nos jungit et unum cum illo facit, beatissimaque communio, sancte perficitur. Nunc jam sacerdotalis perfunctio suo est loco exponenda, in purgantem atque illuminantem consummantemque ordinem distributa.

Ista quidem Divinitatis sacrosancta lex est, ut per prima sequentia ad augustissimam illius subvehantur lucem. An vero non videmus ut ipsæ quoque sensibilium substantiæ elementorum, quum primum in propinquiora naturæ suæ ierint, tum demum per illa in alia actionem traducant suam? Merito itaque totius invisibilis ac visibilis speciei initium ac sedes, in eos primo deificos radios ire permittit, qui Deo similiores evasere, ac per illos, utpote limpidiores spiritus idoneosque ad participationem traditionemque lucis, ad inferiores, pro captu ipsorum, fulgorem derivat luminis proprii. Istorum igitur est qui primitivo radio Deum speculantur, sequentibus sine invidia pro modo ipsorum, quæ ab ipsis sublimiter inspecta sunt, divina insinuare spectacula; atque docere sacramenta nostratia, eorum est qui cum perficiente scientia, functionis suæ diviniora quæque præclare didicerunt, consummatamque docendi alios virtutem acceperunt; tradere item pro meritis sacramenta, illorum est qui scite atque integre sacerdotalis perfectionis participes sunt. Pontificum itaque ordo sacratior, primus est divina speculantium ordinum, idemque et summus et ultimus: quippe in quo desinit et impletur sacerdotii nostri distinctio omnis. Sicut enim hierarchiam omnem in Jesum terminari conspicimus, ita unamquamque functionem in divinum pontificem proprium. Porro pontificalis ordinis virtus in sacris omnibus distinctionibus capitur, et per omnes sacros ordines operatur propriæ hierarchiæ mysteria. Præcipue vero illi, præter ordines ceteros, in sui ministerium divina lex officia sacratiora distribuit. Ista quidem sunt perficientes divinæ virtutis imagines, quibus et sacratissima signa omnia et sanctæ omnes distinctiones consummantur. Etsi enim a sacerdotibus quædam perficiuntur venerabilia signa, nunquam tamen divinam regenerationem sine sacratissimo consummabit unguento. Neque sacrosanctæ communionis sacramenta perficiet, nisi signis tanti mysterii altaribus venerandis impositis. Ne ipse quidem sacerdos erit, nisi pontificalibus officiis ad hoc fuerit promotus. Quocirca divina lex, pontificalium ordinationum sanctimoniam, et divini confectionem unguenti, sacramque altaris consecrationem, reverendissimorum pontificum officiis atque virtutibus æterna sorte distribuit. Est igitur pontificalis ordo, qui consummanti virtute

suffultus, perficientia quæque hierarchiæ præcipuo et proprio peragit munere, sacramentorumque disciplinas exponendo tradit, edocetque pro ratione constantes et sacros ipsorum ordines atque virtutes.

Sacerdotum vero illuminans ordo, ad contuenda sacra mysteria eos qui initiantur adducit : sub sanctorum tamen pontificum ordine, cum quibus propria officia peragit, in iis quæ ipse operatur, divina mysteria per sacratissima signa subindicans : et eos qui accedunt, speculativos efficiens, mysteriorumque participes. Ceterum ad pontifices eos mittit, qui inspectorum sacramentorum scientiam atque intelligentiam cupiunt. — At vero ministrorum ordo est, qui purgandi et dissimilia discernendi vim habens, priusquam accedatur ad sacra sacerdotum mysteria, accedentes purgat, sinceros omnium adversariorum admixtione ac puros efficiens, atque ad sacra contuenda et sumenda pro viribus idoneos. Unde in sancta regeneratione, ministri accedentem antiqua exuunt veste, atque discalceant; et ad occidentem, ut abrenuntiet, sistunt, rursumque ad orientem transferunt. Sunt enim purgantis ordinis atque virtutis, eos qui accedunt, ut prioris vitæ integre amictum ponant, hortantes, præteritique erroris tenebras aperientes, atque docentes ut ipsi abrenuntiantes obscuris, ad illuminantia transeant. Est igitur purgandi officio præditus ministrorum ordo sacer, ad liquidiora sacerdotum munera eos qui purgati fuerint, ducens, et necdum initiatos emundans, eosque fovens purgantibus Scripturæ sanctæ fulgoribus atque doctrinis, profanosque præterea a sacerdotibus dirimens. Quocirca et sacris hunc januis præficit pontificalis institutio, significans ad sancta accedentium introitum præcipua et summa niti oportere munditia, officiumque hujusmodi introducendi ad sacras eorum speculationes ac participationes, purgantibus virtutibus tradens, perque has illos omni macula liberos introducens.

Ostensum est igitur antistitum ordinem perficientem esse, et perfectionis auctorem; sacerdotum vero, illuminantem atque ad lucem promoventem; porro ministrorum, purgantem atque discernentem. Videlicet, pontificalis ordo non perficere solum, verum et illuminare et purgare novit; sacerdotum vero virtus, in se cum illuminanti habet purgantem quoque scientiam. Verum quæ inferiores sunt, ad præstantiora transire nequeunt, propterea quod fas illis non est ad istiusmodi prosilire superbiam. Porro sacratiores virtutes, una cum suis, inferiores quoque sua ipsa perfectione scientias sacras nequaquam ignorant. Quia tamen divinarum actionum imagines sunt sacerdotales distinctiones, ornatissimi atque inconfusi divinarum operationum ordinis insitos sibi fulgores indicantes, in primas, ac medias, et ultimas sanctas actiones atque ordines pontificali discretione distributæ sunt, insinuantes (ut dixi) in se ipsis divinas actiones ordinatas esse atque impermixtas. Quia enim summa illa Divinitas eos quibus se insinuat spiritus purgat primo, consequenter illuminat, et illuminatos ad divinam effigiem perficit; merito sacerdotalis divinas imagines præ se ferens æmulatio, discretos se ipsam in ordines virtutesque distribuit, aperte indicans divinas actiones in castissimis purissimisque ordinibus constanter atque inconfuse persistere. Verum enim, posteaquam de sacerdotalibus ordinibus ac distributionibus, virtutibusque illorum et actionibus (quantum penetrare potuimus) diximus, sacratissimas quoque illorum consummationes pro viribus speculemur.

### MYSTERIUM SACRORUM ORDINUM.

Præsul igitur, ubi sacrandus offertur, utroque genu posito ante altare, supra caput habet a Deo tradita Evangelia, manumque pontificis; atque hoc modo a consecrante

pontifice castissimis imprecationibus consummatur. Sacerdos vero coram sancto altari ponens utrumque genu, in capite habet pontificis dexteram; et in hunc modum a sacrante præsule sanctissimis invocationibus consecratur. At vero minister, altero tantum coram sanctis altaribus posito genu, sacrantis se pontificis dexteram in capite præfert, atque ab eo perficitur precationibus ad eam rem accommodatis. Cuilibet autem ipsorum a benedicente pontifice crucis imprimitur signum, et per singulos sacra prædicatio nominis consummansque consalutatio fit, cunctis sacri ordinis viris ipsoque sacratore pontifice eum salutantibus, qui ad aliquem sacrorum quos diximus ordinum, ea fuerit consecratione promotus.

## SPIRITUALIS INTELLIGENTIA.

Sunt quidem ista præsulibus et sacerdotibus ac ministris in ipsorum consecratione communia : accessus ad altare divinum, positio genuum, manusque pontificalis impositio, crucis impressio, prædicatio, consummansque salutatio. Præcipua vero et propria : episcopis, Evangeliorum supra caput impositio, qua inferiores ordines carent; sacerdotibus, utriusque pedis inclinatio, quum id non habet diaconorum consecratio : illi enim, ut dictum est, alterum tantum genu ponunt.

Itaque accessus ille quidem ad sanctum altare et positio genuum, illud omnibus præscribit, qui ad sacrorum ordinum promoventur officia, ut auctori mysteriorum Deo suam integre subjiciant vitam, et spiritualem integritatem suam, castissimumque et sacratum accessum, per quem illi similes fiant, et divinis castissimisque et sacrosanctis altaribus (unde consecratio in eos spiritus qui divinam speciem præferunt, sanctissime provenit) pro viribus digni. — Porro pontificalis impositio manus, insinuat una et protectionem Dei, qua ut sancti filii paterno foventur affectu, ipsis habitum virtutemque sacratiorem largientem, adversariasque virtutes ab eis procul abigentem; docet itidem sacras omnes consummantesque actiones, quasi sub Deo eos qui sacris ordinibus mancipantur, efficere perfectos, ipsum operationum suarum habentes in omnibus ducem atque rectorem. — Ceterum signi vitalis impressio, omnium simul carnalium desideriorum vacationem, vitamque ad Dei imitationem effictam signat, nusquam obtutus avertendo, intuentem in hominis Jesu sacratissimam vitam, ad crucem usque ac mortem progressi, divina semper impeccantia comite, atque ita viventes, ut sui similes, imagine suæ impeccantiæ in crucem formata signantis.

At vero sanctam et consecrationum, et eorum qui sacrantur, prædicationem pontifex resonat, id insinuante mysterio, quod sacrator ille divinus, divinæ est electionis expositor, non ipse sua gratia promovendos ad sacros ordines ducens, verum afflatu Dei, quo in omnibus sacris officiis agitur*. Ita Moyses legalium cærimoniarum promotor, neque fratrem Aaron ad sacerdotale munus inungit, et quidem quum et Deo carum, et sacerdotio non ignoraret esse dignissimum, donec ad id divinitus agitatus, sub Deo principe sacerdotalem consecrationem pontificaliter consummavit. Ipse quoque noster augustissimus et primus pontifex (et hoc enim propter nos fieri voluit), benignissimus Jesus, non se ipsum glorificavit, ut Scriptura ait; sed qui locutus est ad eum, Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Quocirca et ipse discipulos ad sacerdotalem functionem promovens, et quidem quum esset mysteriorum princeps, quippe quum Deus; ad Patrem tamen sanctissimum divinumque Spiritum, hujusmodi consummationis officium refert, discipulos (ut legimus) admonens, ne ab

* movetur, ducitur

*Hebr.* v, 5, 6; *Ps.* cix, 4.

*Act.* I, 4, 5.

Jerusalem discederent, sed exspectarent promissionem Patris : quam audistis, inquit, ex me, quia vos baptizabimini Spiritu Sancto. Quum ipse quoque supremus discipulus, cum æquali sibi sacerdotali decade, ad sacrum duodenarium discipulorum numerum perficiendum esset progressus, Deo reverenter electionis permisit munus : Ostende, inquiens, quem elegeris. Eumque quem divina declaraverat sors, in duodenarium suffecit sacratissimum numerum. Porro de sorte illa divina quæ Matthiæ divinitus obtigit, alii quidem alia sensere, meo judicio non recte. Aperiam autem et ipse quid sentiam. Videtur mihi Scriptura sortem appellasse, divini quiddam et præcipui muneris, per quod illi choro sacratissimo insinuaretur qui esset divina electione declaratus. Oportet enim pontificem sanctum non motu proprio sacerdotales ordinationes conficere, sed sub Deo agente *, has pontificaliter cœlestique celebrare munditia.

*Act.* I, 15-26.

* suggerente, movente

Illa vero salutatio quæ in fine consecrationis offertur, sacrum aliquid innuit. Cuncti enim qui adstant ex sacris ordinibus, ipseque qui consecravit præsul, ita consummatum salutant. Postquam enim sacerdotalibus intelligentiis atque virtutibus, divinaque vocatione, et sanctimonia, ad sacerdotalis officii consummationem pervenerit sacratior animus, amabilis est æqualibus et sacrosanctis ordinibus, atque ad excellentem pervectus pulchritudinem, amat et ipse sibi similes spiritus, et ab ipsis vicissim æque diligitur. Ejus rei gratia, consalutatio illa sacerdotalis ad invicem celebratur : per quam signatur æqualium spirituum sancta societas, mutuaque et jucunda lætitia, utpote divinam pulchritudinem per sacerdotales formas integerrime servans.

Ista igitur, ut dixi, communia sunt totius sacerdotalis consummationis. Habet vero pontifex peculiarem Evangeliorum supra caput impositionem. Quia enim consummatrix totius sacerdotii virtus atque scientia, sanctis præsulibus a divina et perfectionis auctore bonitate clementer indulta est, congrue tradita divinitus Eloquia sacrandorum præsulum capitibus imponuntur, quibus continetur ac scite exponitur theologia omnis, omnisque divina actio et Dei apparitio, sacra item elocutio et operatio, atque ut breviter dixerim, divina omnia et sacra opera atque verba quæ a benefica Deitate nostræ functioni indulta sunt : quasi profecto sanctissimus præsul sacratioris virtutis omnis sit futurus particeps; omniumque sacrarum eruditionum atque actionum veram traditamque divinitus scientiam, non solum percepturus, verum aliis quoque pontificali ratione traditurus, exactissimisque notionibus atque promotionibus altissimis sacerdotaliter consummaturus omnia quæ ad totius nostri pontificii perfectionem tendunt. Enimvero sacerdotibus amborum positio genuum peculiaris est præter ministrorum ordinem, qui unum tantum curvant genu, atque hoc a pontificali consecratione non discrepans. Itaque curvatio genuum, subjectum accedentis signat accessum, per quem subjicitur Deo quod sacratius est adductum. Quoniam vero, ut sæpius diximus, tres sacre erigentium ordines, per tres itidem sanctissimas actiones atque virtutes tribus initiandorum ordinibus præsunt, salubremque illorum sub juga divina accessum moliuntur ; merito ministrorum ordo, ut solum purgans, unum efficit eorum qui purgantur accessum, eos divino altari subjiciens : quippe in quo purgandi spiritus altissimo litentur more. Sacerdotes autem utrumque genu curvant : a quibus qui sacre offeruntur, non solum purgantur, verum etiam liquidissimis eorum ministeriis purgata per excellentem intelligentiam vita, in contemplationis habitum atque virtutem sacerdotaliter consummantur. At vero pontifex utroque posito genu, supra caput habet Evangelia : qui eos quos ministrorum purgavit virtus sacerdotalisque functio illuminavit, ad eorum quæ conspexere sacrorum pro modo cujusque scientiam pontificio munere provehit, perficitque per illam accedentes, ut pro captu suo integre dicentur Deo.

# CAPITULUM VI

DE INITIANDIS ORDINIBUS.

DIXIMUS de sacris ordinibus ac distributionibus, virtutibusque illarum et actionibus atque consummationibus. Exponemus deinceps subjectam illis initiandorum ordinum trinitatem. Dicimus igitur eos qui purgantur ordines, turbas esse a sacris actionibus et consummationibus segregatas, quarum superius fecimus mentionem. Atque alius quidem ex his, a ministris hactenus obstetricantibus verbis ad vitalem abrenuntiationem formatur atque effingitur; alter vero adhuc ad eam qua excessit, vitæ sanctimoniam revocatur, sanctorum eloquiorum blanda et refovente doctrina; alius autem hactenus a contrariis pavoribus ignave terretur, atque a potentificis roboratur eloquiis; atque alius quidem jam a perversis operibus ad sacras transfertur actiones; alius vero licet evaserit ad meliorem frugem, nondum tamen id est consecutus ut in sacratioribus intelligentiis caste et inconvertibiliter immobiliterque persistat. Sunt enim isti ordines qui a ministrorum tenera institutione mundanteque virtute purgantur. Eos ministri ad id sanctis suis virtutibus provehunt, ut perfecte purgati, ad illuminantem liquidissimarum divinarum actionum speculationem consortiumque transferantur.

Medius autem contemplativus ordo est, et sacrorum quorumdam pro captu suo in omni munditia particeps : qui ad illuminandum sacerdotibus est distributus. Liquet enim, ut reor, omni hunc funesta labe purgatum, castissimamque consecutum atque immobilem sui spiritus sedem, ad contemplativum habitum virtutemque sacerdotali ministerio transvehi, et communicare iis quibus sibi fas est, sanctissimis signis, in ipsorum speculationibus atque communione sacra omni cum voluptate acquiescentem, et ad divinum ipsorum scientiæ amorem, subnixum eorum subvehentibus virtutibus, pro modo suo evolantem. Hunc equidem sanctæ plebis ordinem dixerim, utpote per omnem purgationem profectum, sanctissimorumque mysteriorum contuitu sacro (ut fas est) consortioque dignatum.

Porro initiandorum omnium excellentior ac sublimior ordo, monachorum est sancta distinctio : expiatione omni, tota virtute atque exactissima suarum operationum castitate, mundata; omnis item, quantam sibi licet inspicere, sacræ operationis spiritualiter speculatrix et particeps facta; pontificumque consummantibus virtutibus tradita : quorum divinis fulgoribus et pontificalibus traditionibus, conspecta pro ordine suo sanctorum mysteriorum sacrificia ediscens, a sacra eorum scientia ad exactissimam perfectionem divina ratione subvehitur. Unde sancti præceptores nostri divinis eos appellationibus sunt prosecuti, partim therapeutas, id est cultores, a sincero Dei famulatu atque cultu, partim monachos, ab individua et singulari vita appellantes, ut quæ illos sanctis divisibilium complicationibus, in divinam et Deo gratam monadem perfectionemque promoveat. Idcirco et perficientem eis indulsit gratiam divina sanctio, eosque consecrante quadam invocatione dignata est : non pontificali quidem, illa enim solis in sacerdotalibus ordinibus fit; sed sacerdotali plane; et quæ ab honestissimis sacerdotibus secundo in loco a pontificali functione peragitur.

MYSTERIUM MONASTICÆ CONSUMMATIONIS.

Stat quidem sacerdos ante sacrum altare, monasticam imprecationem psallens. Ille autem post sacerdotem adstat, non utrumque ponens genu, non alterum, non habens imposita sacra Eloquia capiti, verum solum sacerdoti adstans mysticam super illum invocationem prosequenti. Ea vero finita, sacerdos ad eum accedens, interrogat primum an renuntiet divisibilibus omnibus non solum vitis*, verum imaginibus quoque ac phantasiis. Deinde exponit illi perfectissimam vitam, illud aperte contestans, oportere illum media longe antecellere. Ubi vero ille ista omnia intente promiserit, consignans eum crucis signo sacerdos tondet, trinas divinæ beatitudinis Personas inclamans; exutumque veste omni, aliam induit; et cum sanctis aliis qui adstant viris ipsum salutans, divinorum mysteriorum participem efficit.

* vitæ sæculari, mundanæ

SPIRITUALIS SENSUS.

Quod neutrum genu ponat, neque habeat Evangelia imposita capiti, adsistatque sacerdoti imprecationem psallenti, monasticum significat ordinem non alios ex officio adducere, sed in se ipso subsistere, in unico sacroque statu sacerdotales sequentem ordines, ab ipsis, ut asseclam, ad divinam sacrarum rerum pro ordine suo scientiam obtemperanter adduci. Porro divisibilium non modo vitarum, verum imaginationum quoque, abrenuntiatio, supremam illam monachorum philosophiam indicat, dum in scientia operatur unientium mandatorum. Est enim, ut dixi, non medii ordinis, sed omnibus celsioris. Idcirco plurima quæ impune a medio geruntur ordine, monachis omnino interdicuntur : quippe qui unum ipsum ambire debent, et ad sacram monadem cogi, atque ad sacerdotalem (quantum fas est) formari vitam, et ut in plurimis illi congruentem. Nullus quippe ex ordinibus reliquis illi propinquat magis.

At vero crucis sanctæ signaculum, ut jam dictum est, mortificationem omnium simul carnalium cupiditatum signat. Porro tonsura crinium, vitam mundissimam indicat, et nulla figura fucatam, et quæ nullis fictis coloribus inductis animi deformitatem exornet, sed ipsa in se ipsa, non humanis venustatibus, sed singularibus et unicis, ad Dei exactissimam similitudinem properet. Prioris autem vestis positio alteriusque assumptio, migrationem illam a media vita (sacra licet) ad perfectiorem, significat, sicut in divina regeneratione promotionem indicabat a purgata vita ad contemplantem illuminantemque habitum, illa vestis candentis immutatio. Quod si modo quoque tam sacerdos quam circumstantes reliqui viri sancti, sic dicatum consalutant, sacram intellige Dei præferentium speciem societatem, qua sibi invicem cum lætitia et caritate gratulantur.

In fine vero omnium, sacerdos ad divinam ita instructum communionem vocat : aperte satis insinuans eum qui sic consummatus est, si ad monachicum et singulare institutum veraciter venit, non modo contemplatorem fore sacrarum secundum se ipsum rerum, sive medii ordinis in morem, ad communionem sanctissimorum signorum accessurum, verum eorum quæ percepit sacramentorum augustiori scientia fretum, alio quam sanctus populus modo ad communionis divinæ participationem admittendum. Quocirca sacris quoque ordinibus, quando propriis officiis et expiationi-

bus consummantur, in fine sanctissimarum consecrationum suarum, sanctæ Eucharistiæ communio traditur a sacrante pontifice : non solum quoniam divinorum participatio mysteriorum cujusque sacrosanctæ participationis est summa ; verum quia ipsius quoque communicabilis et sacratissimi muneris, sacri omnes ordines (pro sua quique ratione) participes sunt, ut per id subvehantur et perficiantur in Deum.

Conclusimus igitur sancta quidem mysteria purgationem esse, et illuminationem, atque perfectionem : ministros vero, purgantem ordinem ; sacerdotes autem, illuminantem ; consummantem autem sive consecrantem, divinos esse pontifices. Porro purgandorum ordo is est qui sacræ speculationis et communionis est exsors, quippe qui purgatur adhuc ; at speculativus ordo, pius est populus ; consummatus vero, singularium monachorum est proprius. Ita nostra sacra perfunctio, dum ordinibus divinitus traditis aptius congruit, hierarchiis cœlestibus similis est, ipsius (quantum viris fas est) ad Dei imitationem effectos divinosque characteres servans. Verum objicies forte, cœlestibus hierarchiis purgandos deesse ordines : neque enim fas est dicere, neque dici veraciter potest, ullam esse cœlestem distinctionem obnoxiam sceleri. Equidem integras omnino esse, et castitate eximia excellentissime præditas, constanter asseveraverim, nisi piissima intelligentia penitus excidam. Nam et si qua ex his dedit malitiæ manus, cœlesti atque inconfusa decidit divinorum spirituum congruentia, inque obscuram turbarum a Deo deficientium est prolapsa ruinam. Verum enimvero dicere possumus, in cœlesti hierarchia purgationem esse spiritibus inferioribus, quum a Deo edocentur quæ interim ignorabant, fulgore illos divini radii ad perfectiorem ducente divinarum notionum scientiam, atque earum rerum ignorantia quarum nondum scientiam habuerant, veluti expiante per primas diviniores que substantias, ut sic ad superiores divinarum speculationum liquidioresque fulgores subvehantur. Ita sunt et qui illuminantur ordines, et qui consummantur, purgantes item et illuminantes ac perficientes, in hierarchia cœlesti : quando supremæ illæ divinioresque substantiæ, inferiores sacras cœlestesque distinctiones ignorantia omni emundant in ordinibus ac proportionibus cœlestium functionum, ipsasque sacratiorum doctrinarum fulgore implent, atque perficiunt castissima divinarum intelligentiarum disciplina. Et nos enim jam diximus, et Eloquia sacra divine dictarunt, non easdem esse cœlestes distinctiones omnes, neque tantumdem valere in omnibus sacris perceptionibus illustrationum divinarum ; ceterum ex Deo quidem continenter primas illustrari, per illas vero ex Deo rursus inferiores quoque pro captu suo edoceri, ac percipere clarissima divini radii lumina.

De Cœlesti hierarchia cap. VII.

# CAPITULUM VII

## DE HIS QUÆ IN QUIESCENTIBUS FIUNT.

HIS vero ita definitis, necessarium reor et ea exsequi quæ a nobis in his qui obdormierunt, caste geruntur. Nam ne istud quidem sacris profanisque * commune est ; verum ut utrorumque vitæ est species varia, ita ubi in mortem ierint, hi quidem qui sacram tenuere vitam, in veras Dei repromissiones intuentes, ut qui veritatem ipsarum in sua * inspexerint resurrectione, firma et certissima cum spe divinaque lætitia ad mortis tendunt finem, quasi ad sanctorum certaminum vacatio-

* initiatis non initiatisque

* ipsius Dei

nem, non ignorantes in exactissima et immortali vita et salute fore sua omnia per
futuram integram resurrectionem suam. Sanctæ profecto animæ quum in hac vita
possint ad deteriora converti, in regeneratione* id habituræ sunt, ut ex Dei similitu- * resurre-
dine ad inconvertibile transeant. At vero casta sanctarum animarum corpora, cum ctione
quibus una et vitæ mortalis iter egerunt, et simul descripta sunt, simulque certarunt,
pro sacris sudoribus suis in animarum immutabili secundum divinam vitam firmitate
ac sede, resurrectionem quoque una recipient propriam. Inserta* enim animabus * Juncta
sanctis quibus hac in vita juncta* fuerant, ut Christi effecta membra, divinam atque * unita
immortalem beatamque recipient requiem. In his ergo est sanctorum quieta obdormitio
in lætitia et spe immobili, quum ad sanctorum certaminum pervenerint finem.

Porro ex profanis partim quidem animas in id evanescere ut non subsistant, arbitrantur irrationabiliter omnino; partim corporalem conjunctionem a suis animabus abrumpi penitus, ut eis divina in vita et beatissima requie minus congruentem : non intelligentes neque satis magisterio divino edocti ut jam cœpta sit nostra in Christo sacratissima vita. Alii vero animabus aliorum corporum conjugia tribuunt, injuriis (ut reor) quantum in se est, afficientes corpora quæ cum sanctis animabus laborarunt, sacrisque retributionibus parum honeste privantes quæ ad finem sanctissimi cursus pervenerunt. Alii rursus, nescio quo pacto ad carnales cogitationes declinantes, dixere præsenti vitæ similem eam quæ sanctis promissa est, sanctissimam et beatissimam requiem, cibosque vitæ variabilis proprios, his qui æquales angelis sunt evasuri, nefarie applicuerunt.

Sed absit ut unquam sanctus aliquis vir in istiusmodi errores incidat. Norunt profecto se totos percepturos exactissimam ad Christi speciem requiem, quum ad præsentis finem vitæ pervenerint; viamque ad immortalitatem suam e vicino jam clarius intuentes, Divinitatis laudant munera, divinaque lætitia gestiunt, non jam ad deteriora conversionem metuentes, sed parata bona se firmiter perpetuoque habituros probe noscentes. Qui vero inquinamentis impurisque maculis pleni sunt (si quidem aliquid sacræ instructionis hauserunt, eaque perniciose ab animo abjecta, ad corruptrices libidines sunt devoluti), quum ad vitæ hujus pervenerint metas, non jam eis æque despicabilis apparebit Scripturæ sacræ divina sanctio; perniciosasque vitiorum suorum voluptates aliis adspicient oculis, beatamque vitam qua imprudenter excidere, laudantes, inviti miserabiliter excedunt sæculo, nulla subnixi spe propter deterrimam vitam. Quum vero nihil ex his contingat in sanctorum virorum dormitione, is quidem qui ad finem suorum certaminum properat, sancta lætitia impletur, magnaque cum jucunditate felicissimæ regenerationis iter scandit. Defuncti vero propinqui sancta propinquitate morumque similitudine, ipsum qui talis est, prædicant quod ad optatum victoriæ pervenerit finem, auctorique victoriæ laudes cum gratiarum actione persolvunt, se ipsos quoque orantes ad similem requiem admitti. Sumentes autem ipsum, ad pontificem ducunt, quasi coronis donandum sacris. Hunc ille libenter suscipit, eaque peragit quæ divino instituto super sancte quiescentibus fiunt.

## MYSTERIUM SUPER HIS QUI SANCTE QUIEVERUNT.

Coacto* sancto cœtu, venerandus antistes, si quidem sacerdotalis ordinis fuerat * Convoca-
qui obdormivit, ante sanctum altare inclinans eum, orationem ad Deum inchoat et to, congre-
gratiarum actionem. Si autem aut honestissimis monachis aut sanctæ plebi insertus gato

* sanctuarium

erat, ad venerandum sacrarium* ipsum ante sacerdotum reclinat ingressum, deinde precem cum gratiarum actione peragit præsul. Deinceps vero ministri divinis inserta Eloquiis verissima de nostra resurrectione promissa recitantes, consentanea tantumdemque valentia canunt Psalmorum cantica. Deinde ministrorum primus dimittit catechumenos; sanctosque jam defunctos concelebrat, cum quibus et nuper vita functum pari laudatione prosequitur; hortaturque omnes ut sibi ipsis identidem postulent beatam in Christo consummationem. Postea accedens venerabilis præsul, precem super eo sacratissimam peragit; et post orationem ipse quoque pontifex defunctum salutat, et post illum qui adstant omnes. Ubi vero cuncti consalutaverunt, super defuncto fundit oleum pontifex; et oratione pro omnibus facta, honesto in loco ponit corpus cum æqualibus aliis corporibus sanctis.

SPIRITUALIS SENSUS.

*Is.* VII, 9, juxta LXX.

* resurrectione

Ceterum ista si viderint profani, vel fieri a nobis audierint, late (puto) ridebunt, nostrumque miserabuntur errorem. Neque est sane cur miremur : nisi enim crediderint, juxta Scripturæ fidem, non intelligent. Nos autem intelligentias eorum quæ geruntur, speculantes, Jesu duce prævioque, dicamus pontificem non irrationabiliter in sacrum introducere chorum imponereque defunctum. Ostendit per id profecto, omnes in regeneratione* illas consecuturos sortes, ad quas hic vitam propriam direxerunt : puta, si ad divinam hic imaginem quispiam sanctissime vixerit, quantum viro possibile est Deum imitari, divina in sæculo futuro et beatissima donabitur requie; sin autem ad summam illam non pervenit effigiem, sancte tamen se in vita habuit, paria et iste meritis præmia referet. Hujus divinæ justitiæ causa præsul gratias agens, orationem sacram peragit, venerandamque Divinitatem laudibus celebrat, qua destructum est iniquum et violentum contra nos omnes imperium, nosque ad sua justissima judicia translati sumus. — Porro divinarum promissionum cantica et lectiones explicant quidem beatissimam requiem ad quam subvehuntur sempiterne qui sancte consummati sunt. Suscipiunt vero et amplectuntur vita functum, viventesque præterea ad consummationem similem provocant.

* comminata, parata

Inspice autem ut nunc non omnes (ut solitum est) purgandi ordines dimittuntur, solique catechumeni sacris arceantur locis. Est enim hic ordo, sancti omnis mysterii penitus rudis; neque sibi fas est quidquam, aut parvum aut magnum, ex iis quæ sacratius consummantur, inspicere : quippe qui necdum ejus virtutis est particeps, quæ assurgit ad contuenda divina, ex sacra lucis indultrice generatione proveniens. Reliqui vero purgandorum ordines, sacram quidem traditionem jam ferme didicerunt; sed quod stolide prorsus ad deteriora prolapsi sint, quum debuerint in anteriora contendere intentione perpetua, divinis quidem venerabilium signorum speculationibus et participationibus arceantur merito : lædentur enim magis, si indigne sancta percipiant, atque ad majorem devenient divinarum rerum suique contemptum. Non inconvenienter autem adsunt iis quæ modo geruntur, patentius discentes atque intuentes nostræ mortis incertum, Sanctorumque munera de Scripturis celebrata divinis, et intentata* sibi similibus impuris infinita supplicia. Ex his enim forte proficient, cernentes eum qui sancte obiit, ministrorum prædicatione celebrari ut vere consortem Sanctorum omnium. Fortasseque et ipsi ad simile desiderium venient, ministrorum officio edocti quam sit beata et vere felix in Christo consummatio.

Accedens deinde venerandus antistes, precem sacram super mortuum peragit; postque precem et ipse eum præsul salutat, et suo deinceps ordine qui adstant omnes. Precatur oratio illa divinam clementiam, ut cuncta dimittat per infirmitatem humanam admissa peccata defuncto, eumque in luce statuat et regione vivorum, in sinibus Abrahæ, Isaac et Jacob, in loco unde aufugit dolor et tristitia et gemitus. Ista (ut reor) perspicua sunt beatissima Sanctorum præmia. Quid enim immortalitati perfectæ omnique tristitia vacuæ ac plenæ perpetui luminis, conferri possit? Licet multum sane promissiones illæ omni sublimiores nostra mente sint, quæ vocabulis nobis congruis designantur, longe tamen inferiores earum re et veritate appellationes habent. Verum enim profecto illud existimandum eloquium est, Quod oculus non vidit, nec auris I *Cor.* II, 9.
audivit, neque in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se. Sinus autem beatorum Patriarcharum reliquorumque Sanctorum omnium, sunt (ut reor equidem) sacratissimæ illæ ac beatissimæ sedes quæ omnes divinam effigiem præ se ferentes, in sua suscipiunt insenescibili et beatissima requie.

Ac fortasse inquies ista quidem recte a nobis dici, verum ambigere cujus rei gratia præsul divinam precatur clementiam, defuncto peccatorum veniam postulans, et æqualem Sanctis ac lucidissimam sortem. Si enim eorum quæ in vita gessit bonorum aut malorum a divina justitia percipiet præmia, perfecit autem actiones suas in vita ista defunctus : quænam hunc oratio præsulis ad aliam (præter illam quam meruit, vitæ hic actæ respondentem) transfert requiem? Non ignoro quidem et ego divinis Eloquiis accedens, singulis reddendam pro meritis sortem. Conclusit enim Dominus, *Job* XIX, 8.
inquit, apud se; et : Referet unusquisque ea quæ per corpus gessit, sive bonum, sive II *Cor.* V,
malum. Quod autem et justorum preces etiam in vita ista, et nedum post mortem, 10.
iis solis prosint qui digni sunt, Scripturæ nos edocet sacrosancta traditio. Quid enim Sauli profuit Samuelis oratio? Quid Hebræorum juvit plebem prophetica interpellatio? Nam profecto idem fit ac si quis, sole suos radios sanis largiente oculis, sibi oculos eruens, solaris luminis particeps fieri postulet. Sic impossibilium superflua spe ille suspensus est, qui sanctorum flagitat preces, et naturæ ipsorum consentaneas sacras operationes abigit, divinis nequaquam intendendo muneribus, et a sanctissimis beneficisque recedendo mandatis.

Itaque Scripturæ sacræ acquiescens, utiles esse in hac vita dixerim sanctorum preces, hoc modo : scilicet, si quis sanctorum munerum desiderio incensus, ad eaque percipienda pie affectus, parvitatis tamen propriæ conscius, quempiam sanctorum virorum adeat, oretque sibi adjutorem et precatorem accedere; capiet ex hoc omnino utilitatem commoda cuncta excedentem. Fruetur enim iis quæ petit sacratissimis donis, suscipiente divina clementia, atque in primis in eo amplectente religiosam cognitionem sui, reverentiamque sanctorum, et laudabile sanctarum petitionum a se postulatarum desiderium, consentaneumque his sacratiorem habitum. Est enim et hoc divinis sancitum judiciis, ut divina munera iis qui digni sunt sumere, decentissimo per eos tribuantur ordine qui ea tradere non sunt indigni. Hanc si quis spernat sacrosanctam disciplinam, atque infelici elatione seductus, dignum se divina arbitretur familiaritate, sanctosque despiciat : hic certe, si petitiones indignas Deo neque sacras postularit, intentoque careat divinorum desiderio sibique ipsi consentaneo, imperita postulatione per se ipsum nunquam potietur.

Quænam vero de hujusmodi prece quam super defuncto peragit præsul, ex divinis ducibus nostris traditio pervenit ad nos, operæ pretium est ut dicamus. Venerandus antistes, ut Scriptura ait, interpres est judiciorum divinorum. Angelus enim Domini *Malach.* II,
omnipotentis est. Didicit igitur de Scripturis divinitus traditis, ut his qui pie vixe- 7.

runt, lucidissima divinaque vita pro merito ab æquissimis lancibus redditur, non recordante divina bonitate, per summam clementiam, maculas quæ illis ex humana infirmitate adhæserunt. Nullus enim, inquit, est mundus a labe. Ista quidem novit pontifex promissa a sanctis Eloquiis. Petit autem ea fieri, donarique eis qui pie vixerunt, præmia sacra : simul quoque se ipsum ad imitationes Dei benignius formans, et aliorum dona quasi proprias expetens gratias; neque ignorans veras repromissiones futuras, præsentibus etiam aperte demonstrat, quod quæ ab eo sacro jure postulantur, omnino illi consequentur qui in vita divina consummati sunt. Neque enim unquam peteret pontifex divinæ justificationis prædicator, quæ Deo sciret non esse gratissima, et quæ largiturum se ille nequaquam promisisset. Quocirca profanis vita functis non ista imprecatur : non modo quia in hoc proprium desereret ordinem, et aliqua pontificalis officii præsumeret, a divino Spiritu nequaquam agitatus; verum quia et indigne orans non exaudiretur, atque ad ipsum non immerito illud diceretur eloquium justitiæ plenum : Petitis, et non accipitis, quia male petitis. Postulat itaque sanctus antistes quæ sunt promissa divinitus, atque accepta Deo, et quæ largienda non ambigit : una et divinum ac benignum habitum præferens clementissimi Dei, et præsentibus aperte insinuans quibus bonis donandi sunt sancti.

*Job* XIV, 4, juxta LXX. — *Jacob.* IV, 3.

Sic enim nituntur secernentibus virtutibus præsules, quasi interpretes justificationum divinarum : non eorum irrationabilibus motibus sapientissima Divinitate (ut honeste dixerim) obsequente serviliter; sed ipsis pro merito eos qui a Deo judicati sunt, ministerio suo separantibus, Spiritusque Sancti inspirationi obtemperantibus. Accipite enim, inquit, Spiritum Sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum tenueritis, retenta sunt. Eique qui revelationes divinas a Patre summo didicerat, dicitur : Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis. Sic profecto ille, omnisque illi similis præsul, juxta paternarum justificationum sibi indultas revelationes, declarando et traducendo, Deo caros admittit, et excludit impios. Sanctam denique illam theologiam, ut sacra Eloquia testantur, non suo motu, neque carne et sanguine revelantibus, sed a Deo illum spiritualiter imbuente edoctus, pronuntiavit. In hunc igitur modum sancti antistites et separationibus et sacerdotalibus virtutibus omnibus uti debent, ut ipsos mysteriorum auctor divinitus moverit. Ceteros vero ita pontificibus oportet animum intendere, quæcumque illi gesserint, tanquam a Deo agitatis. Qui enim, inquit, vos spernit, me spernit.

*Joann.* XX, 22. 23. — *Matth.* XVI, 19. — *Ibid.* 17. — *Luc.* X, 16.

Sed jam ad consequentia dictæ orationis redeamus. Ea peracta, pontifex et ipse salutat defunctum, et deinceps qui adstant omnes. Est enim jucundus atque honorabilis omnibus divinæ imaginis æmulis, is qui in sancta consummatus est vita. Exacta salutatione, defuncto infundit oleum pontifex. Memento autem ut in prima sancta regeneratione, ante sacrum Baptisma prima sancti symboli participatio traditur initiando post priorem omnem abjectam vestem, sancti chrismatis oleum; et nunc in fine omnium, defuncto itidem infunditur oleum. Atqui tunc quidem olei unctio baptizandum evocabat ad sacra certamina; nunc autem infusum oleum signat eum qui defunctus est, eadem sacra exegisse certamina, sicque fuisse consummatum. Peractis his, pontifex condit in loculo dignissimo corpus cum aliis sui ordinis corporibus sacris. Si enim in anima et corpore vitam sanctam, qui defunctus est, duxit, honorabile erit cum sancta anima et quod sacris sudoribus cum illa decertavit corpus. Hinc divina justitia cum suo corpore digna illi largitur præmia, ut comiti atque consorti divinæ sive contrariæ vitæ. Idcirco et sanctorum sacra functio divinas participationes largitur utrique : animæ quidem, in speculatione purissima, et vera

eorum quæ geruntur, scientia; corpori vero, per sacratissimum (ut in imagine loquamur) unguentum, et per divinæ communionis augustissima signa: totum sanctificans hominem, integramque ipsius salutem operans, atque universalibus lustrationibus exactissimam ejus resurrectionem fore denuntians. — At vero efficientes consecrationis preces fas non est scripto interpretari, neque ipsarum arcanum, sive illas quæ in his ex Deo fiunt virtutes, e secreto in publicum efferre. Sed sicuti nostra habet sacrosancta traditio, ubi eas secretioribus instructionibus hauseris, atque ad sacratiorem habitum capacioremque intelligentiam divino amore sacrisque actionibus consummatus evaseris, ad supremam ipsarum scientiam subveheris, divina luce radiatus.

Illud vero quod pueri quoque, qui necdum possunt intelligere divina, sacri Baptismatis altissimorumque communionis sacrosanctæ signorum participes fiant, videtur quidem profanis, ut dixisti, rationabiliter irridendum, si auditores minus idoneos episcopi divina edocent, et non intelligentibus sanctas traditiones nequicquam tradunt. Et quod adhuc ridiculosius est, alii pro ipsis abrenuntiant, sanctaque ineunt fœdera. Verum oportet tuam sanctam prudentiam errantibus non indignari, sed religiose simul et instructionis illorum gratia cum caritate rationem reddere, et confutare objecta; et illud insuper addere, juxta divinas leges, quo pacto non augustiora omnia nostra scientia circumscribuntur. Et plurima ex his quæ ignoramus, causas habent dignissimas, nobis quidem ignoratas, verum præstantioribus ordinibus cognitas. Complura item summas illas altissimasque substantias latent, solique sapientissimæ ac sapientiæ auctori Divinitati nota sunt. Verum enim ea de re ista quoque dicimus, quæ sancti præceptores nostri ex pristina traditione edocti, ad nos derivarunt. Aiunt enim (quod est verissimum), infantes si sancta lege formentur, ad sacrum pervehendos habitum, omni errore liberos, et vitæ exsortes impuræ. Istud quum piissimis ducibus nostris in mentem venisset, visum est admittere infantes hoc modo, ut naturales oblati parvuli parentes, puerum uni ex fidelibus tradant præclaro divinarum rerum magistro, sub quo jam puer sit quasi sub patre divino sanctæque salutis alumno. Hunc itaque præsul spondentem puerum juxta sanctam educaturum vitam, requirit ut abrenuntiationem profiteatur, fidemque confiteatur. Non, ut illi ridentes aiunt, alium pro alio imbuit sacris. Neque enim hoc ille ait, Ego pro puero abrenuntiationes facio, aut, Fidei sacramenta profiteor; sed ita, Puer renuntiat et profitetur, id est: Spondeo puerum inducturum, quum ad sacram intelligentiam venerit, sedulis adhortationibus meis, ut abrenuntiet contrariis omnino, profiteaturque et peragat divina quæ pollicetur. Nihil igitur, ut reor, indignum est, si ad divinum institutum puer adducitur, sanctum habens præceptorem qui illi divinarum rerum habitum tradat, malorumque servet immunem. — Tradit autem puero sancta mysteria pontifex, ut nutriatur in ipsis, neque vitam aliam habeat nisi hanc quæ divina inspiciat semper, et quæ hujusmodi sancta communione proficiat, atque in his sacrum possideat habitum, promoveaturque studiose a susceptore suo.

Ista, fili, tam multa et adeo præclara singulariaque functionis nostræ spectacula, videre mihi datum est. Alii fortasse qui perspicaciori animo sunt, non ista solum inspexere, verum et manifestiora multo ac diviniora. Et tibi ipsi, arbitror, illucebunt clariores longe augustioresque pulchritudines, si ad excellentiorem radium his veluti gradibus nitaris. Mihi igitur ipse quoque, o amice, perfectioris intelligentiæ consortium trade, meisque ostende luminibus quascumque videre potueris decentiores, uniusque illius sacratissimæ effigiem præ se ferentes, venustates. Nam confido equidem ex his quæ dicta sunt, insitas tibi divini ignis excitandas excudendasque scintillas.

# INDICES

# INDEX S. SCRIPTURÆ

JUDICUM.



I REGUM.



II REGUM.



TOBIÆ.



JUDITH.



JOB.

PROVERBIORUM.



ECCLESIASTÆ.



CANTICI CANTICORUM.

SAPIENTIÆ.



ECCLESIASTICI.



ISAIÆ.

JEREMIÆ.



THRENORUM.



BARUCH.



EZECHIELIS.

DANIELIS.



OSEE.



JOELIS.

MARCI.



LUCÆ.



JOANNIS.

ACTUUM.



AD ROMANOS.



I AD CORINTHIOS.

II AD CORINTHIOS.



AD GALATAS.



AD EPHESIOS.



AD PHILIPPENSES.



AD COLOSSENSES.



I AD TIMOTHEUM.

II AD TIMOTHEUM.



AD TITUM.



AD HEBRÆOS.



JACOBI.



I PETRI.

## II PETRI.



## I JOANNIS.



## APOCALYPSIS.

# INDEX ANALYTICUS

## A

## C

## D

## F

## H

520B, demum perficit, 520C, et ad se conformat, 520A'; et ita creaturæ Deo assimilantur, 122B, 221B. — Quæcumque ergo hierarchia tripartita est, 498D', et omnis hierarchica actio tres « teletas » habet, 499A, quia ad eam tria concurrunt, 499B, quorum quodlibet in triplicem virtutem dividitur, 502B, quantum sinit moderatio Dei, 502C, ordinis exigentia, 502C, et finis unitas, 502D. Verumtamen tres actus hierarchici plerumque non distinguuntur realiter, 79B', 146B, 503C, et in eadem actione sæpe conveniunt, 503C, 520B, ita ut idem actus sit simul purgativus, illuminativus et perfectivus, 520B.

Utrum sit hierarchia in S. Trinitate, 77B', 78B. — Quamvis respectu Dei omnes intellectuales creaturæ unam tantum hierarchiam constituant, 123B', tamen diverso modo percipiendi illuminationes divinas, recte distinguitur hierarchia angelica ab humana, 123B', et in angelis ipsis triplex merito assignatur hierarchia, 123C'. — Harum quælibet eamdem habet causam effectivam, exemplarem, et finalem, Deum, 73C, quælibet eamdem virtutem, 355A, eumdem hierarcham, Christum, 355B, eamdem ordinationem qua quisque a suis superioribus perficitur et suos perficit inferiores, 355C, qua subditi majoribus obedire debent, 355D, et majores subditos ad perfectionem reducere, 355A'; quælibet uniformiter ad Deum tendit, 357B, sed inæqualiter eum assequitur, 357C, et alia ab alia gubernatur, 178C, B'.

*De angelica hierarchia.* Cœlestis hierarchia non nisi sub figuris nobis innotescit, 25D', et imperfecte admodum describi potest, 354B'; verumtamen ejus mysteria ab angelis ipsis quibusdam, ut Paulo, revelata sunt, 90C', et a Dionysio « profunde et inclyte » exposita, 4, 10C. — Tres hierarchias partiales complectitur, quarum quælibet tribus choris constat, 111C, ut totum partibus potestativis, 158A, et aliæ aliis sunt superiores, 109A'. In qualibet sunt primi, medii, et ultimi, 94B', 112C', 120C', 176A, ita ut in tota hierarchia non sint duo angeli omnino æquales, 195B'; medii cum extremis communicant, 176C', et inferiores a superioribus gubernantur, 94C'. Ex Scripturis enim constat quosdam angelos sanctificare, 246A, quosdam sanctificari, 246B, sanctificare vel novissimos, 246B, sanctificari vel primos, 246C; attamen ii qui sanctificant alios, 246D', nunquam ab iisdem sanctificantur, 247A, ut servetur ordo, 247B. Item ex Scripturis constat angelis inesse quasdam virtutes primas per quas illuminant, 246D, medias, per quas et illuminari et illuminare possunt, 246A', infimas, per quas illuminantur, 246A'. — Sed apud angelos, tres actus hierarchici idem sunt, 79B', 146B, id est receptio divinæ scientiæ, qua purgantur et purgant, 146C, illuminantur et illuminant, 146D, perficiuntur et perficiunt, 146D. Hæc divinæ scientiæ receptio eos purgat a nescientia, 146B', purgatos divina cognitione illuminat, 146C', illuminatos possessione virtutum perficit, 146D'. — Influxiones Dei per primos angelos ad inferiores distributæ, facilius ab eis percipiuntur, licet jam minoratæ, 164B', quia magis captui inferiorum accommodatæ, 164A'; ideo a « divina taxiarchia » constitutum est ut inferiores per superiores illuminarentur, 165A, saltem in his quæ non aut non nisi confuse in essentia divina videntur, 165A', et ad summos spiritus spectat inferiores illuminare et perficere, 164C', pro eorum capacitate, 165A. Prima hierarchia, Deo proximior, 178B, secundam sanctificat, 178C; secunda tertiæ præest et principatur, 178C; tertia terrenas hierarchias gubernat, 178B', et sic per mutuam hierarchiarum subordinationem fit in creatione ordo et unitas, 178C', et hierarchiarum series ad Deum, ut ad principium, reducitur, 194A'. — Inferiores hierarchiæ a Deo gratiam, virtutes et ordinum proprietates immediate recipiunt, 222C', a prima hierarchia « igneam vim », scientiam, et « sessivam proprietatem », 222C, B'. Omnes angeli ad Deum convertuntur ut eo fruantur, 247D', ad se ipsos ut in bono permaneant, 247D', ad alios ut eis dona communicent, 248C, prout quisque capax est, 248A'.

Prima hierarchia constat ex Seraphim, 112B, D, 354D, « oculosis et pennosis » Cherubim, 112B, C, 354D, « sanctissimis » Thronis, 112B, C, 354B. — Hi spiritus sunt Deo viciniores, 112D, 223C, 354C, quia circa Deum immediate collocantur, 120B', 147C, sicut secretarii, cubicularii aut consiliarii, 113A', 123A', quibus competit unio cum præsidente, 115A'. Virtutem specialem nacti sunt et « æquiformem », 134D, qua in vestibulis Dei ordinati, 123D', 134A', in ordine universi supremum locum et gra-

## I

J

## M

## N

## O

## Q

## R

## T

U

## V

# INDEX GENERALIS

## COMMENTARIA IN LIBROS S. DIONYSII AREOPAGITÆ



## DE CŒLESTI SEU ANGELICA HIERARCHIA

## DE ECCLESIASTICA HIERARCHIA

---

Emendanda. Pag. 16 A', lin. 1 : primum, *lege* principium ; — 588 D', lin, 3, 4 : mortuum,... Mortuum.

Dubium. Pag. 609, lin. 17, *forsan legendum* ut diximus in Hierarchia secundum legem.




Typis Cartusiæ Sanctæ Mariæ de Pratis. Tornaci.
A. Baudechon typographus.

- Opera